John
Crawford,
M.D.


DISPUTATIONES
AD MORBORUM
HISTORIAM ET CURATIONEM
FACIENTES.

QUAS COLLEGIT, EDIDIT ET RECENSUIT

ALBERTUS HALLERUS.

TOMUS SECUNDUS.

AD MORBOS PECTORIS.



Seubert Sc.

LAUSANNÆ,
Sumptibus MARCI-MICHAEL. BOUSQUET & Socior.
MDCCLVII.

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1813
SCHOOL OF MEDICINE
19223

Crawford

DISPUTATIONUM
AD
HISTORIAM
ET
CURATIONEM MORBORUM
PERTINENTIUM.

PARS SECUNDA

MORBI PECTORIS.

XLI.

TIBERII LAMBERGEN,

LECTIO INAUGURALIS

SISTENS EPHEMERIDEM

PERSANATI CARCINOMATIS.

Groningæ 1754.

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
LYRASIS Members and Sloan Foundation

http://archive.org/details/dispadm02unse

UNIV. OF MARYLAND
1919
SCHOOL OF MEDICINE

BOtanices utilitatem, paucos ante dies, publico ſermone dum adſerebam, ut optimæ hujus ſcientiæ ſtudium atque amorem excitarem, vel confirmarem; percepiſtis, opinor, nunquam ſatis culpandos eſſe illos, qui cognitionem plantarum medico tanti vix æſtimandam autumant, ut in illarum cognitione adquirenda oleum perderet. Suaviter illos errare audiviſtis, qui indignam hanc medicis artem eſſe ſomniant, vel imprudenter effutire ejuſmodi nugas vix erubeſcentes, ſatis laborum ab ipſis impenſum putant, ſi de ſolis nominibus ſolliciti, ex auctoribus memoriæ hæc mandare didicerint, veram herbarum cognitionem ſolis ignariſſimis rhizotomis relinquentes. Ne hi profecto lata ſua culpa auctores ſæpe exiſtant necis inopinæ, in alias licet cauſas facile rejiciendæ, dum infeliciter ſuccumbentis eviſceratione rariſſime poſt fata ſcrutari liceat, num bene vel minus recte fuerit medicatum morbo: certiſſime hac ſua pervicacia, ne dicam culpanda malitia, medentium animos ab illo ſtudiorum genere detorquent, ad quod divinus inſtinctus, objectorum artificioſiſſimorum varietate, elegantia atque amœnitate vel invitos trahit, quin & ſumma neceſſitas nos arctiſſime adligat.

Novas neque olim obſervatas plantas in lucem quotidie proferunt Botanici, in quibus incognitæ eæque efficaciſſimæ vires medicatæ ab artis ſalutaris filiis in mortalium ſalutem deteguntur: quin imo venenatam & viroſam vim adeptas in generis humani commodum ac præſtantiſſimam medicinam dirigere docent.

Veritatem hujus thematis novo exemplo in præſenti evincere animus eſt; plantæ cujuſdam maxime venenatæ felicem effectum (a nemine, quod ſciam, hactenus proditum, in Lectionibus privatis Franequeræ ab hinc triennio jam cum auditoribus meis communicatum, atque ab ipſis divulgatum) in malo atrociſſimo pro indomabili ſemper habito ſanando, pervulgaturus; ut medicos ſerio medicinam facientes ſimul ad ulteriorem hujus inveſtigationem comiter invitarem.

Ad ipſum vero inſtitutum meum progrediens, ut facile me hac horula promiſſo meo expediam, nudam dabo obſervationem medicam, nullo ratiocinio intermixtam, tanquam ſpeciem facti, prout in ſchedulas adverſarias practicas illam conjeci olim.

Triginta quatuor annorum honeſta mulier, per tres annos jam vidua, temperamenti ſanguinei, capillitio ſubrufo, ſana ſatis, ſed nervorum ſyſtema facile mobile habens, ac in morbos inflammatorios proclivis admodum, ita ut ſexies jam anginam inflammatoriam graviſſimam, ſuppuratione bis etiam terminatam, & ſemel peripneumoniam ſæviſſimam, paſſa fuerit; ſemel quoque alterutrius malæ violentam inflammationem ex odontalgia acerbiore natam habuit; quæ omnes inflammationes toties ſemper feliciter diſcuſſæ fuerunt, abſque ullius mali veſtigio relicto. Hæc ex mam-

marum ulcere & ſuppuratione ter antea graviter admodum ſe ægrotaſſe referebat: prima vice, ante octo circiter annos, dextram mammam fuiſſe ſuppuratam, & ingentem puris copiam ex illa tum profluxiſſe narrabat. Secunda vice quod eadem mamma fuerit ſuppurata, ſex anni erant, & tertium ſuppurata fuit ante quinquennium, quando eodem tempore ſimul ſiniſtra mamma fuit ſuppurata; atque ab illo tempore in hac dextra mamma remanſere varii tumores duri, indolentes, ſcirrhoſi, tactu tantum dignoſcendi, licet tum in hac mamma eodem tempore ſeptem aperta ulcera fuiſſe, & plus vicies a chirurgo inciſionem tam lanceola quam forfice factam fuiſſe adfirmaret. Intra ſeptem matrimonii ſui annos, duos filios totidemque filias enixa fuit: ultimus jam quadriennis infans, ante ſeſquiannum demum ablactatus fuit (dum ſæpius jam antea de ablactanda citius puella quoque ſed incaſſum fuerat admonita) ad illud ſequenti caſu demum coacta. Quodam die ſana cum exiverat, circa veſperam domum ducitur febri graviſſima correpta, omnes artus vehementer admodum contremiſcebant, quin & levioribus convulſionibus quatiebantur, cephalalgia aderat immanis, & ſummus totius corporis æſtus: mamma ſiniſtra (quam ſolam lactebat infans, dextram enim poſt ſuppurationem ſugere noluerunt) rigida, æſtuans, urens, acerbiſſime dolens, uno verbo horrendum in modum inflammata, atque adeo tumida & diſtenta, ut infantis caput facile æquaret. Omnia tamen hæc larga venæ ſectione & remediis aptis, inter quæ interpolatus fuit rarior infantis ſuctus, brevi ſuſtuli adeo feliciter, ut nulla durities remanſerit in mamma ad naturalem magnitudinem redacta, quantum anxio etiam inſtituto examine perſentiſcere potuerim. Per annum dein optime ſana vixit, ſed a quatuor vel quinque noviluniis, menſes (qui decimo octavo ætatis ſuæ anno demum fluere cœperunt) parcius ſolito prodierunt, ac ab illo tempore in mamma dextra ſubinde ſenſit dolorem lancinantem, ad tempeſtatum mutationes imprimis urgentem; tandem etiam leniter tumere cœpit mamma. Præcipue vero tumorem & dolorem increviſſe putat a tempore, quo ex menſæ in pavimentum inopino lapſu valde perterrita fuerit. Poſtremum tumore ac dolore in dies increſcentibus, me conſuluit. Reperi tum tumores illos duros in mamma dextra (quos antea tactu ſæpius luſtraveram) mole jam multum auctos, & in unum quaſi tumorem confluxiſſe, qui in ſuperiore mammæ parte potiſſimum hærens muſculo pectorali jam accreviſſe videbatur; tactu etiam longe duriores erant, ita ut ſaxei quaſi jam eſſent; neque hic tumor erat continuus aut lævis, ſed ſcaber admodum & præruptus. Titillatio ac pruritus ſummus continuo aderant; nonnunquam lancinans dolor accedebat, qui ſub axilla incipiens in ipſo tumore finiebatur. Sub axilla glandula quædam ſcirrhoſa etiam tactu deprehendebatur; neque ſiniſtra mamma a tuberculo, ſeu duritie quadam ſcirrhoſa, jam omnino libera erat. Color & calor mammæ cum reliqua corporis cute iidem; una tamen vel altera vena plus ſolito tumida videbatur. Motum in ſcirrho ut ſedarem, impoſui

ei

ei emplaſtrum, compoſitum ex empl. diapompholygos unc. ij. amalgam. Mercurii & plumbi dr. iij. ſperm. ceti dr. j. cujus quantitas ſufficiens extendebatur ſupra alutam molliſſimam pro emplaſtro mammæ applicando. Pulveres præſcripſi aperientes, blandos, anodynos, ex corall. rubr. antim. diaph. non abluti, & (a) ſperm. ceti ana dr. ij. laud. opiati gr. vj. pro pulv. no. xij. inde formandis, de quibus quolibet mane & veſperi unum ſumſit. Diætam præterea ei injunxi convenientem, quam modice etiam ſervavit; dum interea minus adcurate inhærere poterat conſilio meo de vitando omni nimio animi ac corporis motu ac opere; opus enim cumprimis, quod muſculo pectorali præcipue peragitur, ipſi interdixeram: ſed nihilominus per totos dies occupabatur in linteaminibus lotis perpoliendis, illa cum amylo intra manus continuo conquatiendo, (quod noſtrates *ſtuben* dicunt) præterquam quod ſtupidam & bardam graviter objurgando ancillam, ſæpius quam optaveram de die animo commoveretur.

Per aliquot dies interea emplaſtrum hoc mammæ cum fuerat impoſitum, dolor ejus minui videbatur, verum tumor ejus tamen non modo non minuebatur, ſed potius paulum etiam augebatur, ac tandem in ſuperiore ſua parte, apice quadam eminebat.

Ita ſe res habebant cum tempus menſium inſtaret, niſi quod circa medium tumoris, paululum verſus inferiora, duos propemodum digitos tranſverſos ſupra locum papillæ, (quæ ex ulceratione deperdita fere erat) ubi (quod notatu dignum, nulla eminentia aut major durities, ſed e contrario locus, pro duritie tumoris, ſatis erat mollis) cutis color naturalis in rubellum mutabatur, ac ſenſim macula aliqua inflammata, vel leniter rubella in conſpectum veniebat, quæ ſenſim magis rubeſcebat ac augebatur, uſque ad magnitudinem chalci, (*Duit*) qui locus præ reliquis etiam pruriebat, & in quem omnes lancinationes, quæ ſubinde in mammam incidebant, terminari ipſi videbantur. Confiſus me in levando hoc malo plus profuturum, ſi efficere valerem, ut menſes in juvene hac fæmina rite & copioſius denuo profluerent, quam operoſa aliorum medicaminum largitione: eum in finem quovis mane ac veſpere, imo ſubinde & interdiu, balneo tepido pedum uti juſſi, eo ſcopo, ut humorum copiam atque impetum a ſuperioribus ad inferiora revellerem. Pulveres antea recenſitos tum non ſumebat, ſed illorum loco dedi pilulas leniter emmenagogas ac ecco-

(a) Uſum internum ſpermatis ceti (quod eſt pinguedo deſumpta ex capite piſcis, qui ex cetorum familia in mari Groenlandico & Norvagico familiaris, catodon fiſtula in cervice dicitur Arted. Synon 108, quæ in lixivio ſalis alcalini & calcis vivæ macerata, & per illud depurata, dein coagulata in maſſas cogitur, vel in tenues lamellas raditur) a pluribus jam annis reformido, piſcium illud oleum rancidum indigeſtile veritus: præterea enim quod ſæpiſſime adulteratur, ejus vires reſolventes, diſcutientes, expectorantes in opinione vulgi ſitas potiſſimum eſſe crediderim: ejus tamen mentionem hic omittere nolui, ne ſubleſtæ fidei conſcius mihimet ipſe eſſem.

eccoproticas, haud nimium tamen ſtimulantes aut calefacientes, factas ex Galbani crudi puriſſimi dr. j. myrrhæ opt. ſcrup. j. reſinæ jalapæ ſcrup. j. aloës ſuccotr. ſcrup. ß. ac Elix. Uterin. q. ſ. pro formandis pilulis ſingulæ gr. ij., ut inde quolibet mane ac veſpere ſex, ſeptem, vel octo ſumeret, prout effectum illarum ſentiret. Ex quarum uſu ſemel vel bis quotidie alvum liquidam habuit. Per hebdomadem dum hiſce ſedulo uſa fuerat, menſes prodibant largius quidem, quam aliquot vicibus præcedentibus, ſed ſolito tamen adhuc longe parcius emanarunt. Menſibus dein ceſſantibus, loco dictarum pilularum ſub lecti introitum quotidie denuo ſumſit unum ex antea dictis pulveribus; atque inde emplaſtrum continuo ſupra mamma relinquebatur, quotidie ſemel aut bis pollice manus æquatum, ne aliqua forte inæqualitas vel ruga mammam irritaret. Quoniam vero neque tumor neque dolor jam minuebantur, atque dictæ maculæ color ex rubello in purpureum ſenſim magis vergeret; fæmina præterea eſſet ſanguinoſa, & crebris venæſectionibus adſueta (uti ex antea dictis notum eſſe poterit) aliquot dies, poſtquam menſes fluere deſiere, ex vena pedis x circiter uncias ſanguinis extrahi curavi, ea ſpe, ut motus ac inflammatio inde magis etiam ſedarentur, tum quoque, ut naturæ defectum ita aliquatenus ſupplerem, eamque adſuefacerem, ut ſtato tempore in poſterum eſſet largior. Nullum ex venæſectione ſenſit incommodum aut commotionem, neque primis poſt illam inſtitutam diebus ullum ex inde percepit levamen notabile. Verum enim vero aliquot dies poſt tamen mamma vix adeo tumida, vel tumor vix adeo durus, videbatur, & per aliquot dies vix dolorem ſenſit. Eminens illa apex eadem manebat ſemper, necdum tamen rubeſcebat. Vix paucarum interim dierum hæ fuere induciæ: prominens illa apex rubere demum etiam incipiebat. Pruritu etiam intolerabili, (ut ſerio præmonita a mammæ frictione ſe prorſus abſtinere vix potuerit) ac dolore in dies auctis, adeo ut dolor jam continuus fieret, & atroces ſubinde lancinationes accederent. Color harum macularum dein in dies in magis liveſcentem degenerans, ſatis indicabant monſtri intus quid ali, & occultum hunc cancrum propediem in nervum erupturum, atque in apertum & exulceratum carcinoma tranſiturum.

In deſperato hoc rerum ſtatu, mœſtus, mulieris miſerrimæ acerbiſſimum prævidens fatum, conſilii proprii inops, imprudens curtam artis incuſabam ſuppellectilem: atque nihil opis a principibus medicis ad has miſerias promitti, dum mente volverem, animi dolor augebatur, & ſpes meliora detegenti turpiter abjiciebatur.

Triſtiſſimo hoc caſu motus conſilium conferebam cum medicis doctis, & in arte noſtra legitima & caſta obſervatione experientiſſimis, quibus quotidie familiariſſime & candide uti, mihi rara felicitate tum temporis contigerat, quorumque amicitiæ intemeratæ ſanctum mihi ſemper & venerabile nomen. Hos inter imprimis publice hic nominaſſe juvat Gothofredum Du Bois, medicinæ, anatomes, Botanicæ & philoſophiæ Profeſſorem publi-

publicum Franequeræ, optimum primum Præceptorem meum, & integerrimum demum amicum, cujus mortem præmaturam non ſine lacrymis condecoravi: virum certe cunctorum bonorum teſtimonio doctiſſimum; in omni phyſices & medicinæ ſcientia conſummatiſſimum; omni mea laude longe ſuperiorem. Cui in abditis morborum cauſis ſagaciſſime eruendis, illaſque prudenter eruncandis, parem vidi hactenus neminem; quemadmodum omnibus, quibus docta ejus comitas perinde ac mihi cognita fuit, in confeſſo eſt. Quem celebriori, quam quæ Franequeræ eſt, Academia digniſſimum pronuntiavit immortalis Boerhaavius: utinam ſummi viri vota valuiſſent! atque incomparabilis Du Boiſius ſic plurimo animi mærore, vexationibus, ſpiniſque exemtus alacrius viguiſſet! Verum excellentiſſimi viri eximias dotes hic prætеrlabi ſinam potius, ne de tanto viro vera loquendo, cum vili & mendaci adulatore me exæquare, neve manes turbare videar illuſtris amici, nobiſcum dum eſſet, ob fictas ac inſulſas fabellas, quas ex vita diſcedentibus promiſcue parari indignabundus audiverat, omnem ſibi publice parentandi ritum ſerio interdicentis.

Secundum nominare haud leviori honori mihi duco, virum Celeberrimum Fridericum Winter, Celſiſſimæ domus Auriacæ Archiatrum digniſſimum, Academiæ Leidenſis jam medicinæ Profeſſorem publicum meritiſſimum, practicum experientiſſimum; qui pro ſolito & ſingulari ſuo candore, ac indefeſſo de ſcientiis medicis bene merendi ſtudio, flagrantique decumbentes ſublevandi deſiderio, auctor ſuaſorque mihi fuit, medicaminis modo indicandi vires in truculento hoc & tantum non inſanabili malo experiundi. Quo adeoque viro humaniſſimo, amico ſincero, omni obſequio mihi ſemper demerendo, hujus potiſſimum curationis debetur tentamen, atque uti exopto deſideratiſſimum therapeutices incrementum.

Tertium denique adduco medicum eruditiſſimum, experientiſſimum; naturæ operantis in morbis obſervatorem acutiſſimum, caſtiſſimum; amicum ſemper mihi conjunctiſſimum, Janum van Arum; Celſiſſimæ principis Auriacæ medicum ordinarium; Provinciæ Friſiacæ Archiatrum, & medicinam Leovardiæ feliciter exercentem.

Viri hi, omnes in morbis dignoſcendis & curandis exercitatiſſimi, modo enarratum affectum ſæpius mecum luſtrarunt, illumque pro ſcirrho habuerunt; quo tandem exulcerato, carcinoma illud eſſe adfirmare minime dubitarunt: quare teſtes hos ἐν παρόδῳ hic dictos vobis exhibeo, A. A. H. H., ne monoſophos quidam dictatorio ſuo faſtu caſum hunc fictum, vel proſperum ejus eventum omnino impoſſibilem eſſe, muſſitando inſinuare pergeret.

Medicina a viro doctiſſimo laudata ſimplex ac unica erat herba; Botanicis dicta:

Sola-

Solanum majus, *Cam. epit. p.* 817.
Solanum ſomniferum & lethale, *Lob. p.* 263.
Solanum lethale, *Dog. Purg. p.* 360. *Pempt p.* 456. *Raj. p.* 679.
Solanum furioſum, *J. M. Faber Strych. p.* 34.
Atropa, *Lin. Hort. Cliff p.* 57. *Hort. Up.* 45. *Roy. Prod. p.* 423.
Belladonna *Boerh. II. p.* 69. *Haller Stirp. Helvet. p.* 506.

Planta, cujus vel ſolum nomen, uti intelligitis, A. A. O. O. metum ac horrorem incutere poſſet. Botanica etiam floris inſpectio plantam hanc venenatam eſſe, protinus indicat. Auctores medici omnes vim ejus virulentam vitæ & ſanitati hominis maxime noxiam notant. Obſervationum medicarum ſcriptores hanc herbam imprudenter adſumtam, lethalem fuiſſe, vel peſſimam ſaltem maniam induxiſſe, referunt: vitæ ſtamina filiæ ſuæ dilectiſſimæ ex Atropæ hujus baccis in horto medico decerptis ac infortunate ingeſtis, diſrupta, in inclyta hac urbe mœſtiſſimus quondam luguit celebris ſui temporis Botanicus Abrahamus Muntingius. Hyles hiatrices monumenta excutiens, pleraque hanc herbam atro notare carbone reperi; uſumque in ernum improbare, vel omnino vetare.

Cuncti cum hic adeo tragœdiam canerent; illaque, quæ rariora, apud paucos auctores pro interno illius uſu offenderem, nimis vaga & generalia eſſent obſervationes practicas caſtas atque adcuratas quærenti: neque vir amiciſſimus ipſe hac herba uſus fuiſſet unquam, ſed illam ad ſcirrhos inveteratos laudatam acceperat a Viro Celebri J. H. Degneio, medico illo experientiſſimo Noviomagenſi, abs hujus uſu abſterritus fuiſſem forte, niſi miſerrima fæminæ conditio, quam certam mortem, diriſſima ſymptomatum ipſa morte longe terribiliorum caterva ſtipatam ſerius ocius ex hoc malo certo circumſtare firmiſſime credebam, hoc prohibuiſſet. Paucorum etiam auctorum loci, qui hujus herbæ uſum externum, licet vix ſatis determinatum, ſpeciatim in cancro laudabant (aliis tamen ne externum quidem uſum admittentibus) tacitam fovebant ſpem, huic plantæ majorem forte vim eſſe inſitam, in atrociſſimis illius mali miſeriis levandis, quam hactenus quidem liquido perſpectum foret, jam tum edoctus etiam, omnia venena vegetabilia doſi potiſſimum evadere talia.

Perſpiciebam equidem, illud imprimis datum mihi eſſe negotii, ut, qua virum probum, qua medicum cautum, & prudentem obſervatorem decet, attentione ac cura in hujus medicamenti indagatione procederem. Hinc, plurium medicaminum ſimplicium vires (quoad fieri poſſit) in memet ipſo exp'orare tum ſolitus, ſcrupulum unum herbæ ſeu foliorum Belladonnæ ſiccatæ infudi cum illa ferventis quantitate, quam decem vaſcula porcelanea, qualibus ad infuſum theæ ſorbillandum uti ſolimus, capiunt, illudque infuſum per noctem tepide digeſſi. Quam tum primum infudi herbam, per triennium licet jam ſiccata eſſet, aquam tamen notabiliter tinxit,

&

& licet odorem vix ullum, ſaporem leniter nauſeoſum haberet hoc infuſum, virium tamen haud omnino expers credidi. Sumſi de hoc infuſo mane jejunus unum dimidium tale vaſculum, hoc eſt vigeſimam infuſi partem; cujus nullum cum perſentirem effectum notabilem, ſequenti mane integrum tale vaſculum ingeſſi jejunus; ex quo brevi lenem vertiginem, & inſolitam oris ſiccitatem, per horam unam alteramve durantem, percepi. Ab hac ergo doſi incipiendum ſtatui in muliere ſyſtema nervoſum mobile admodum habenti.

Die XIV. Januarii Anni 1745, ei adeoque exhibui primum tale vaſculum hujus infuſi Belladonnæ; unde præter lenem vertiginem & oris ſiccitatem moleſtam, vix aliud incommodi tamen perſenſit; arteriarum ictus licet paulo debiliores ac celeriores ſolito mihi viderentur.

Eandem hanc doſin eodem propemodum cum effectu quovis mane jejuna ſumpſit per ſeptem proxime ſequentes dies. Primis vero hujus ſeptimanæ diebus dolore in mamma in dies augeſcente, metuens ne forte emplaſtrum ſubinde rugas contrahens, ſua inæqualitate & duritie mammæ noceret, in ejus locum novum ſuffeci ad alutam molliſſimam itidem extenſum, factum ex emplaſtri Diapompholygos unc. iß. Amalgamatis Mercurii cum anatica quantitate plumbi dr. ijß. ſpem. ceti dr. ß. opii puri gr. x. Quo adplicato dolor primo parum quidem remittere videbatur: brevi tamen denuo increſcebat, adeo ut ſub finem hujus ſeptimanæ longe acerbior fieret, atque dolores illi lancinantes jam frequentiores, multoque violentiores, ac urentes obſervarentur. Eminens etiam illa apex in ſuperiori mammæ parte jam magis liveſcebat, ac præ aliis locis dolebat. Inferior macula purpuraſcebat, durities tamen ejus non augebatur, verum ad lenem adtactum valde dolebat: epidermis ibidem rimulam agere videbatur, & duo in illa in conſpectum ſe prodebant puncta, parum ſenſim prominula, coloris flaveſcentis. Tempus menſium jam iterum inſtabat, quare veſpertinum pulverum uſum omittere, pediluvia vero ſedulo iterare mandavi. Per aliquot dies etiam quum de anxietate & cardialgia conqueſta fuerat, dubitans num ex Solani infuſo hoc forte eveniret, hujus uſum intermittere juſſi; verum cardialgia ſpaſmodica illa nihilominus in dies aucta, adeo ut per integrum jam diem ab illa libera non eſſet, ac nonnunquam, præcipue ſub veſperam, adeo ingraveſceret, ut animi deliquium inde ferme pateretur, minime dubitavi cardialgiam hanc oriri ex ſanguinis congeſtione circa ventriculum, ex menſium molimine: veritus tamen ne corporis œconomia ex ſpaſmis hiſce nimium turbaretur, præſcripſi mixturam, paratam ex lap. cancr. p. dr. jß. ſpir. nitri dulcis dr. j. ſyr. papav. albi unc. jß. aq. ſambuci unc. v. ut qualibet ſemihora cochleare unum inde ſumeret, donec dolor ceſſaret. Hujus mixturæ unico cochleare ſumto, per plures horas incantamenti inſtar dolorem ſedare ſemper valuit ſummopere illa de re lætata fœmina. Menſes dein adeo copioſe ferme pro-

rumpentes, quam unquam antea ſoliti fuere, dolorem hunc penitus ſuſtulerunt.

Catameniis ferme ceſſantibus, die 27 Januarii, de ſecundo ſcrupulo Belladonnæ infuſo mane paulo plus quam unum vaſculum ſumſit. Alvus ingeſtis quotidie reſpondet, & perfecte ſana videtur mulier, neque mamma adeo tumida adparuit, licet dolor idem ferme & continuus, cum atrocioribus lancinationibus, quas in eminentem illam apicem potiſſimum jam terminari monet.

Die 28. Eadem infuſi quantitas adſumta fuit. Duo illa puncta prominula in inferiori macula evanuerant, ſed duo quaſi foraminula minima ſuperficiaria adeſſe ibidem videbantur, & dubius hærebam, an non aliquis humor tenuis ex illis exſudaret; cuticulæ deſquammationem tamen animadvertere nequivi: macula ipſa magnitudine aucta non erat, neque durior facta. Sub veſperam aperto huic loco, ſub emplaſtro, imponebam aliquid linteaminis carpti ſicci molliſſimi, ne, ſi per noctem forte aliquid exſudaret, ulterius proflueret, ſed a carpto hoc imbiberetur. Superior macula, in eminente illa apice, magis etiamnum liveſcebat jam, atque ſummopere dolebat; durities tamen aucta non videbatur, ſed duo itidem puncta albicantia ibidem nunc conſpiciebantur eminentia. Suetum pulverem hac veſpere non ſumſit, quemadmodum ab aliquo jam tempore ſubinde tantum neque ſemper ejus uſum continuavit.

Die XXIX. Somnus hac nocte fuit minus quietus; eminens illa apex atrociter doluit, ejuſque livor etiamnum auctus videbatur. Non ſine admiratione, & quod notatu dignum, reperi, quod ex duabus illis maculæ inferioris aperturis, diametro quidem aſt profunditate minime auctis, effluxerat humor quidam lentus ſubflaveſcens, puris inſtar, haud magna quidem copia, majore tamen, quam quæ ab impoſito tantillo carpti combibi potuerat, adeo ut intra mammam ac emplaſtrum aliquantum defluxiſſet. Infuſi doſis hoc mane fuit eadem. De die parum humoris tenuis profluxit, & ſub veſperam tantilli linteaminis carpti molliſſimi & ſicciſſimi iterum adplicui.

Die XXX. Mane vix quidquam effluxerat. Superior eminens locus atrociter jam doluit, præprimis duo illa puncta prominula, magis jam etiam albicantia, & ad tactum molliſſima. Impoſui tum & huic loco aliquid carpti molliſſimi, ne locus hic tenerrimus ab emplaſtro, licet etiam ſatis molli, attereretur. Præter infuſum Belladonnæ nihil medicaminum jam utitur fæmina; de hoc vero infuſo, hoc mane incipiendo, jam ſingulis vicibus jejuna ſumit unum vaſculum & dimidium: unde oris ſiccitatem adeo moleſtam perſenſit, ut vix potum theæ ad duo vel tria vaſcula deglutire, & ne vel minimam ſalivæ guttulam exſpuere valeat; vertigo & temulentia jam ita graves etiam, ut hoc mane ſemel iterumque titubaverit; cœcitas etiam adeo notabilis obſervabatur, ut librum vulgari littera impreſſum legere haud potis eſſet: nullam tamen anxietatem, nauſeam, vel dolorem ſentire

tire ſe adſeverabat. Pulſus fuit paulo incitatior, ac adpetitus parumper imminutus.

Ultimo Januarii mane ſuperior ille locus apertus quoque erat, & guttula una alterave boni puris ex hoc etiam emanaſſe videbatur. Duo punctula illa eminentia evanuerant, ſed illorum loco unum exiguum foraminulum conſpiciebatur, abſque ulla etiam pelliculæ diſceſſione vel excoriatione; cæterum hic locus, neque tota mamma adeo dolebat. Ex inferiori plaga nihil humidi effluxerat, verum idem illud carptum, heri quod adplicueram, adhuc adhærebat, quod in alterum quoque diem ita reliqui. De oris ſiccitate, vertigine, viſus obnubilatione eædem adhuc fuere querelæ; adpetitus etiam adhuc ſolito minor, & pulſus parum incitatior.

Die 1 Februarii res fere in eodem ſtatu verſabantur. Ex ſuperiore foraminulo vix aliquid ichoris vel humoris tenuis effluxerat, carptum illo de loco dum auferebam, guttula humoris tenuioris erumpebat, carpto molliſſimo facile imbibenda. Loco inferiori carptum firmiter adhuc adhærebat; quoniam vero timerem, ne, libero ichoris exitu e loco illo prohibito, carcinoma ibi in deterius vergeret, carptum ſaliva leniter aliquantum humectavi, tumque facile abſtuli, illoque demto metum meum haud omnino vanum fuiſſe conſpexi, locus ille multo magis enim liveſcebat; humor tamen nullus effluebat, licet foraminula amplitudine, ſeu diametro, aucta eſſent aliquantum. Carptum hinc abjeci, & ex molliſſimo linteamine duo ſegmenta quadrata ſumſi, quæ ab altero latere obduxi ung. nutrito ſine corpore, atque ſingulis cancreſcentibus locis ſingula, parum tepefacta, adplicui, ita ut his bene tecti eſſent; ſuperimpoſui his plumaceolum ex carpto molliſſimo & ſicciſſimo (ut ſi ichor forte efflueret copioſior ab hoc plumaceolo imbiberetur, ne juxta mammam defluens, illam male afficeret) hiſque idem emplaſtrum ſaturninum ſemper imponebatur, antea pollice manus æquatum. Pulſus jam pacatus erat atque adpetitus vigebat: ſingulis merendis juſculum tenue ſumit. Alvus ingeſtis reſpondet. Somnus naturalis. Dolor mammæ licet continuus, non tamen adeo lancinans.

Die II. Februarii ultimum hujus ſcrupuli vaſculum ſumſit, & tertius ſcrupulus in diem ſequentem fuit infuſus, eodemque modo in hujus uſu continuatum. Recentia ſemper linteamina dicto ung. nutrito obducta, leniter tepefacta imponendo bis de die deligationem feci. Inferioris loci alterum foraminulum conſpici vix poteſt, alterum vero amplitudine auctum deprehendi ur: ſuperioris loci foraminulum parum diametro auctum quoque cerni ur. Dolor mammæ fuit remiſſior, vixque humoris quidpiam exſudavit; præcipuus etiam dolor jam ſentitur in alio tertio quopiam loco, nondum prominente tamen neque inflammato, licet magis tumeſcere videatur. Quoniam vero poſt Atropæ infuſum adſumtum intra quadrantem horæ oris illa ſiccitas moleſtiſſima, reliquaque antea memorata incommoda ſemper inſequantur, illaque per tres quatuorve horas ad minimum perſeve-

ſeverent, flagitanti illud mulieri conceſſi, ut, antea quam medicinam ſumeret (jejuna enim ſumere illam hactenus conſueverat) theæ potum biberet; quem ad lubitum jam facillime ſumſit; neque ſymptomata ex Solani infuſo ſuperingeſto oriunda leviora tamen fuere.

Die XXX. Idem rerum ſtatus. Tempeſtas per hebdomadem ex gelu in egelidam mutata, admodum fuit procelloſa ac pluvia.

Die IV. Plurimam noctem in convivio apud puerperam licet degiſſet (nullo potu inebriante attamen deguſtato) ex locis ulceratis vix quidpiam ichoris tamen exſudavit. Bene etiam valet, neque pulſus incitatior. Atropæ infuſum hoc mane non ſumſit, ex vigilia temulentam ſeſe nuncupans.

Die V. Res in eodem propemodum verſantur ſtatu; mammæ dolor tamen plurimum auctus ſomnum hac nocte ei ademit, per præcedentem nucthemeram vix etiam ſomnum licet occupaſſet. De die vero opus domeſticum ad ſudorem peregit, ancillamque per horulam objurgavit. Sumſit unum infuſi vaſculum, & veſpere, cubitum itura, pulverem antea nominatum.

Die VI. Dolor mammæ plurimum fuit imminutus, licet ſomnus minime pacatus fuerit ex accumbentis ipſi infantis tuſſi. Mane ichoris vix quidquam ex locis ulceratis emanaverat: veſpertino tempore vero cum deligarem, guttulam ichoris e ſingulo foramine carpto imbibendo abſtuli.

Die VII. & VIII. Eadem propemodum rerum facies, dolor mammæ parum auctus tamen fuit, & ichoris exſudantis aliquot guttulæ. Gelavit iterum, ſemel ninxit, cœlo cæterum ſerenato.

Die IX. Vix quidquam humoris ex ulceribus effluxit, ita ut ſuperius ulcuſculum veſpere ſiccum prorſus eſſet, licet ejus ambitus maxime liveſceret, & dolor mammæ hodie fuerit intenſior; totius maculæ livor tamen imminutus videbatur. Scirrhoſa illa glandula ſubaxillaris hodie quoque dolet, dolore ad adtactum etiam aucto.

Die X. Superior ille locus adhuc permanſit & clauſus. Inferior vero uberiorem ichoris copiam effuderat, adeo ut impoſitum carptum penetraſſet; ipſa tamen hujus loci apertura per unum alterumve diem aliquantum etiam imminuta videbatur. Quartum Solani ſcrupulum infuſum hodie ſumere cœpit.

Die XI. Parumper doluit mamma; ſuperius ulcus apertum denuo fuit, & ichore tantillo roridum; ex inferiore vero ulcere tantum ichoris iterum effluxerat, ut tantillum carpti ac triplicatum linteum penetraſſet. Tertium etiam foraminulum exiguum, paulo ſupra majorem hujus loci aperturam, animadverti. Veſpertina deligatio fuit omiſſa.

Die XII. Mamma etiam parum doluit, ex loco ulcerato ſuperiore vix aliquid emanaverat; verum ex inferiori tantum iterum effluxerat, ut impoſitum plumaceolum penetraret; parumque humoris ex tertia illa apertura quoque exſudaverat. Per hoc biduum de dolore ſcirrhi ſubaxillaris conqueſta non fuit.

Die

Die XIII. Per intervalla ſæpius a mammæ dolore prorſus liberata fuit. Cæterum ulcerum conditio eadem cum heſterna. Mirabar quam maxime matutina deligatione inferioris ulceris ſuperficiem materie quadam bono puri analoga conſpici roſcidam, quæ veſpertina deligatione ichore tenui denuo tamen madebat.

Die XIV. Mamma vix doluit, plurimum vero ichoris, ex inferiori potiſſimum loco, profluxit, adeo ut ter hoc die mammam deligare debuerim. Inferioris loci majus foraminulum excavatur aliquantum. Ichoris effluvium ne impeditum eſſet, & facilius ab impoſito carpto imbiberetur, linteaminulum ung. nutrito illitum forfice ſemper incidi.

Die XV. Plurimum ichoris profluxit, atque paulo magis doluit mamma.

XVI. Dolor idem fuit, ſed minor ichoris profluentis copia.

XVII. Ichoris profluvium copioſius iterum fuit, & dolor parumper etiam increverat. Ultimam hujus ſcrupuli doſin hodie ſumſit, & quintum ſcrupulum in craſtinum infundi curavi.

XVIII. Parum ichoris emanaverat, & ſuperior locus omnino clauſus erat, ut nihil ichoris ex illo efflueret. Dolor ut heſternus; ſubinde lancinationes acceſſerunt.

XIX. Dolor mammæ hodie parum adhuc fuit auctus, licet non adeo lancinans eſſet. Tumor ejus parumper etiam increverat. Ex inferiori loco vix aliquid humoris exſudavit, ſuperiore clauſo adhuc manente. Tempeſtas gelans in mitiorem, ſed procelloſam, fuit mutata.

XX. Ex ſuperiore loco iterum aperto, parum, ex inferiore vero plurimum ichoris profluxit; inferioris plagæ majus foraminulum in dies amplius fit & diametro augetur. Mammæ dolor, uti heri, ſatis intenſus. Menſium tempore jam adpropinquante pediluviis uti iterum cœpit.

XXI. E ſuperiore ulcere duas treſve ichoris guttulas linteamine imbibendo abſtuli; ex inferiori autem parum humoris emanaverat, ſed totus inferior ulceratus locus, præſertim circa latera foraminis, paulum tumuit ac protuberavit: dolor urens continuus in ulcere inferiore adfuit. Veſpere cubitum itura conſuetum pulverem adſumſit, duabus noctibus quia parum dormiverat.

XXII. Ichoris parum admodum ex ſuperiore loco exſudavit, adeo ut hic locus veſpertina deligatione ſiccus propemodum eſſet; ex inferiori etiam loco vix aliquid humoris ſpiſſioris profluxit. Dolor mammæ remiſſior fuit hodie, quam diebus præcedentibus aliquot; locus apertus inferior vero valde pruriebat; hodieque mane menſes ſatis largiter fluere cœperunt.

XXIII. Ex inferiore loco vix aliquid humoris effluxit, ex ſuperiore etiam parum tantum ichoris exſudavit, locus hic vero paulo magis rubeſcebat; cæterum mamma vix doluit, ita ut nullum omnino dolorem ſubinde in mamma perſentiſceret. Menſes tam copioſi quam unquam fuere. Ultimum infuſi ſcrupuli quinti Belladonna hodie ſumſit; ita ut hunc ſcrupulum ſex diebus conſumſerit; ſextum itaque ejus ſcrupulum in ſequentem diem infudi.

 Circa

Circa veſperam iterum conqueſta fuit de anxietate illa & cardialgia (cujus memini circa finem præcedentis menſis;) unum tamen cochleare ejuſdem mixturæ dolorem illum ſtatim abſtulit.

XXIV. Parum admodum ichoris ſpiſſioris ex inferiori apertura effluxit; ex ſuperiori vero paulo largior ichoris tenuioris ſubflavi copia emanavit, locus ille tamen jam longe minus rubeſcebat quam heri: vix etiam doluit mamma, licet conſuetum opus in linteaminibus perpoliendis (*ſluben en ſtruben*) ſtrenue hodie exercuerit. Pediluvio veſpertino uti deſiit, menſibus copioſe adhuc fluentibus.

XXV. & XXVI. Menſes largiter fluere continuarunt. Ulcerum foraminula ſeu aperturæ paulatim amplianttur, ita ut trium quatuorve linearum diametrum jam habeat major inferioris loci apertura, neque rotunda exacte ſed ovalis hæc fuit, ita ut diameter quæ ex parte ſuperiore claviculam ſpectante deorſum ducatur, plus duplo exſuperet illam, quæ tranſverſim e regione axillari alteram mammam verſus ducatur; nullam vel exiguam profunditatem habent hæc foraminula, ſed ſuperficiaria tantummodo ſunt. Cæterum locus ulceratus inferior aliquantum prominet ſeu elevatur, adeo ut locus in medio apertus quaſi in monticulo hæreat. Dolorem lancinantem in mamma ſiniſtra bis terve hodie ſenſit.

XXVII. Menſes fluere deſiere. Mamma vix doluit, ita ut ſæpe nullum omnino dolorem ſentiat. Humoris parum admodum exſudavit. Totus mammæ ſcirrhus mole aliquantum imminutus ac emollitus videtur, uti mihi conſentientes habui Viros Celeberrimos. G. du Bois, & F. Winter, qui uterque ante duas hebdomades mammam luſtraverant.

XXVIII. Eadem mali conditio; dolor tamen aliquanto major: de levi etiam cephalalgia conqueſta fuit, cæterum ſana mulier.

Martii die I. mane ex inferiori apertura nihil, ex ſuperiore vero parum humoris effluxerat, licet deligatio heri veſpere fuerit neglecta: veſpertina autem deligatione ex utroque loco plus ichoris effluxit, quam aliquot diebus præcedentibus; aperturæ paulo profundiores factæ quoque erant, & parum ſupra aperturam loci ſuperioris duo nova exigua foraminula conſpiciebantur, guttula ichoris repleta. Mammæ ſubinde dolor uti heſternus. Hac veſpera, quemadmodum & heri, ex conſuetis pulveribus unum ſumſit, quoniam hanc atque præcedentem noctem inquietam tranſegerat & turbulentam ex pedis dextri dolore, qui, dum examinarem, duobus locis, ſub planta ſcilicet & juxta tibiam, quatuor digitos ſupra talum, epidermidem in amplam veſicam elevatam habuit, tanquam ab veſicatorio vel ignitabulo aduſtam; ex quibus veſicis, forfice diſciſſis, ingens lymphæ copia effluxit; ambo tamen loci hi applicato œnelæo brevi curati fuerunt. Ultimum ſcr. ſexti infuſi hodie ſumſit, ita ut hunc etiam ſcrupulum ſextiduo conſumſerit. Septimum ſcr. in ſequentem diem infudi.

II. III. IV. V. & VI. Parum admodum ichoris exſudavit, loci inferioris humor etiam ultimo hoc die, conſiſtentiam boni puris ſpiſſioris habuit.

buit. Dolor mammæ parvus fuit, duobus ultimis diebus tamen paulo magis, præprimis locus ille tumidus & prominens, doluit. Vena hic illic ſolito magis tumida in mamma conſpiciebatur. Somnus jam pacatus etiam abſque adſumto pulvere: adpetitus tamen aliquantum.

Die VII. Magis doluit mamma, humoris tamen nihil fere exſudavit, & die in veſperam properante, uterque locus ferme occluſus fuit ex ung. nutr. concreto.

VIII. Præter tantillum ichoris ex ſuperiori loco emanantis mutatum nihil fuit.

IX. Continuo ac intenſe ſatis doluit mamma. Inferior tamen locus ung. nutr. arefacto fuit obturatus: ſuperior vero paulo largiorem ichoris copiam fudit. Ultimam doſin ſcrupuli vii infuſi Belladona hodie ſumſit, ita ut octiduo hunc adſumſerit; vel potius ſeptem diebus, ſemel etenim ejus uſum neglexerat. Alvum, præter conſuetudinem, hodie non depoſuit. Adpetitus adhuc parum languet; cæterum ſana.

Die X. Dolor mammæ, uti heri, ſatis adhuc intenſus: inferius ulcus adhuc cöopertum, leniter premendo cruſtam illam attamen ichoris guttula ſub illa prodiit. E ſuperiori loco una alterave ichoris tenuis flaveſcentis guttula exſudavit.

XI. & XII. Eadem mali fuit conditio: ſubter cruſta inferius ulcus tegente leni preſſione duæ guttulæ ichoris flavi prodierunt; majorem etiam dolorem ad illum locum ſentire ſe dicit: magis etiam tumuit hicce locus per aliquot dies, livor tamen, quemadmodum etiam circa ſuperius ulcus, identidem minuitur.

Die XIII. Dolor mammæ adhuc ſatis intenſus & continuus. Cruſta illa inferius ulcus obtegens ſeceſſit, ulcus tamen ſub illa exeſum vel excavatum non fuit, ſed admodum ſuperficiarium; nihil etiam ichoris effluxit toto hoc die. Ex ſuperiore ulcere aliquot ichoris tenuis guttulæ proruperunt, & apertura aliquantum profundior fuit facta. Adpetitus adhuc languet, cæterum ſana, excepto aliquo dolore cardialgico.

XIV. Mammæ dolor ferme idem: ex ulcere ſuperiore ichoris tenuis guttæ aliquot iterum effluxerunt; ex inferiori vero nihil omnino prodiit, ſed ichoris ſpiſſioris, puris inſtar, aliquantum linteamini ung. nutr. obducto adhæſit. Ante meridiem gnaviter domeſticum opus peregit, atque ancillam irata objurgavit ſtrenue: à meridie præ ſæviſſima cardialgia lectum petere debuit; antea recenſita mixtura iterata dolor hicce tamen protinus fuit profligatus. Non febricitavit, cardialgia licet fuerit ſæviſſima.

XV. Dolorem maxime lancinantem ſenſit in mamma, à cardialgico illo dolore omnino jam liberata. Nox fuit tranquilla; ulcerum conditio uti heſterna. Pediluvia in uſum iterum fuere vocata.

XVI. Idem propemodum fuit rerum ſtatus. Ultimum Scr. viij. infuſi Atropæ hodie ſumſit, adeo ut ſeptem dierum decurſu hunc iterum conſum-

ſumſerit ſcr. quum ſemel ejus uſum neglexerit. Nonum Scr. cum fervente infudi hinc, ac in ſequentem diem digeſſi.

XVII. & XVIII. Eadem mali conditio.

XIX---XXI. Parum admodum doluit mamma, & vix aliquid ichoris ex ulceribus exſudavit.

XXII. Mamma paulo magis doluit; vix ichoris quidquam tamen effluxit. Cibi adpetitus languet; de dorſi & lumborum dolore conqueritur, ſeque ægrotare dicit, nulla licet febris adeſſet: facies, ac ſuperius præcipue labium, diſtendebatur; tumeſcebat & dolebat, abſque ullo tamen rubore. Sub noctem in lecto unciam Rob Sambuci cum tantillo vini gallici albi calefacti ſumſit.

XXIII. Doluit uti heri mamma. Ex ulceratis locis ichoris nihil exiit. Facies labiumque ſuperius valde adhuc tument, naturali colore tamen ſervato. De graviore cephalalgia conqueſta fuit, ſeque adeo ægrotare dixit, ut vix caput ſuſtinere valeret: omnem cibum faſtidit, parumque febricitavit. Menſes hodie mane largiter fluere cœperunt; mature lectum quia petiit pediluvium mammæque deligatio neglectæ fuerunt hac veſpera, uti & præcedenti.

XXIV. Dolor mammæ fuit longe remiſſior, neque ichoris quidquam exiit. Ultimam infuſi doſin quoniam hodie ſumit, in ſequentem diem infudi Scr. decimum. Ex urbe quoniam mihi proficiſcendum erat, non viſitavi illam niſi ſub meridiem diei.

XXVI. Quando illam ſine febre recte valentem offendi: mamma parum admodum dolebat: heſterno die mammam ſemel deligaverat ipſa. In ſuperioris labii facie interiore abſceſſum diſruptum fuiſſe dicit, è quo plurimum puris profluxerat, atque ab illo tempore multo melius ſe habuiſſe adſerit. Semel ab hinc mammam in die deligavi; hodie è ſuperiore loco guttulam unam alteramve ichoris tenacis abſorbendo carpto abſtuli; ex inferiori vero apertura nihil omnino exiit, hujuſque aperturæ margines omnino jam detumuerant, ut non amplius ſupra reliquam cutim ſuperemineant uti antea; ſuperioris etiam aperturæ diameter aliquantum augetur, profunditate tamen manente eadem, ſuperficiaria.

XXVII---XXX. Mamma vix notabiliter doluit. Ichoris vix quidquam his diebus emanavit, adeo ut plumaceolum impoſitum illo nunquam fuerit tactum; è ſuperiore vero apertura guttula humoris tenacioris vel ſpiſſioris nonnunquam abſorbta fuit. Pediluvia fuere omiſſa.

XXXI. Vix quoque doluit mamma, parumque humoris exſudavit. Menſes fluere deſiere. Belladonna infuſum hodie iterum conſumtum, adeo ut ſeptem diebus hic ſcrupulus iterum fuerit exſiccatus. Scrupulus itaque undecimus in craſtinum fuit digeſtus.

Aprilis I---VI. Dolor ſubinde paulo major fuit; mammæ aperturæ tamen omnino clauſæ fuerunt, ita ut nihil humoris ex illis exſudaverit: inferior apertura prior clauſa fuit ſuperiori: Neque ex ung. nutr. exſiccato

cato obturata jam fuerunt ulcerata loca ſeu aperturæ, ſed depreſſiora jam tali etiam cruſtâ, vel eſcara obfirmatur, qualem loca ulcerata ſaneſcentia oſtendere ſolent. Tumor mammæ plurimum qui jam decreverat, his diebus tamen auctus potius quam imminutus videbatur. Adpetitus admodum languet, licet ſana cæterum videatur mulier. Pes ſiniſter per ultimos binos vel tres dies ſummopere doluit, variiſque in locis epidermis in bullas ſeu veſicas plurima lympha tenui limpida refertiſſimas fuit elevata, quarum duæ vel tres in medio cruris juxta tibiam ſponte diſruptæ incluſam lympham eructarunt, ac impoſito primum œnelæo, dein ſpiritu vini, brevi perſanati fuerunt atque conſolidati hi loci: verum alius locus fuit ſub planta hujus ſiniſtri pedis, ubi veſica talis ultra quatuor digitos tranſverſos longa, & duos lata, juxta plantæ longitudinem porrecta, conſpicua fuit, humore maxime diſtenta, quæ veſica forfice diſciſſa magnam lymphæ tenuis ac limpidæ copiam emiſit, atque ingens talis lymphæ copia dein ſpatio 24. horarum ex illa ſenſim, tanquam è ſcaturigine, profluxit; humorem ſeu materiem etiam craſſiorem, albicantem, tanquam cremorem, perinde ac ſi rete Malpighianum ſeu interior epidermidis lamella in pulpamentum tale abiiſſet, per cuticulam adhuc integram facile tranſparentem & fluctuantem, notabili copia expreſſi. Dolor pedis ſub veſperam diei ſexti ſæviſſimus fuit, adeo ut à lamentatione & lacrymis ſe temperare haud potuerit doloribus ferendis jam adſueta mulier: talis fuit dolor pedis immoti pulvinari horizontaliter incumbentis, ex leviori enim cruris motu pariter uti ex ſitu decliviore dolor immaniter, neque ipſi tolerandus, intendebatur. Impoſitum fuit œnelæum abſque doloris levamine.

Die VII. Idem mammæ dolor fuit: inferius ulcus adhuc clauſum, ſed ſuperius aliquomodo apertum iterum fuit, & aliquantum ichoris ſpiſſioris exſudavit. Pedis dolor intolerabilis ferme fuit, ac ingens lymphæ copia ſub planta adhuc effluit; veſpere plumaceolum ſp. vini madidum impoſui.

VIII & IX. Dolor tumorque mammæ iidem fuere. Inferius ulcus omnino adhuc clauſum, ſuperius apertum quidem, ſed humoris vel ichoris nihil emiſit. Pedis dolor adhuc ſummus, adeo ut ipſum ferre haud valeat, quando inclinatum ſive inflexum crus habeat, verum horizontaliter in ſella jacens retinere cogitur ſemper: plurimum lymphæ vel humoris aquoſi limpidi ſub pedis planta adhuc effluit: in crure etiam denuo duo loca excoriata fuerunt; omnibus autem locis hiſce linteamina ſp. vini madida impoſui, & ſubinde eodem ſpiritu irrigari curavi. Adpetitus jam iterum bene viget, ſanaque cæterum degit mulier.

X. Dolor mammæ minor fuit, ejuſque tumor ſenſibiliter imminuebatur. Ambo ulcera omnino clauſa fuerunt. Pedis dolor licet adhuc ſatis ſævus, aliquantum tamen eſt imminutus, & parcior lymphæ copia effluit: plumaceola ſpiritu vini madida adhuc imponuntur. Belladona in-

 fuſum

fuſum hodie iterum fuit conſumtum, adeo ut hunc ſcrup. decem diebus ſumſerit; verum duo interjecti fuerunt dies, quibus uſum neglexerat. In craſtinum hodie cum ferventi infudi & digeſſi Atropæ ſc. XII.

Die XI---XIV. Parum vixque notabilis fuit mammæ dolor; ejuſque tumor & ſcirrhoſa durities plurimum imminuti. Ulcera omnino clauſa manſerunt. Pedis dolor in diem imminuitur, eique claudicando incedere iterum incipit; parum etiam lymphæ aquoſæ jam profluit: ſpiritu vini madefacta linteamina pedi atque cruri adhuc imponuntur. Tempeſtas pro anni tempore jam iterum ſæviſſima fuit & frigidiſſima, ita ut Termometrum ad Fahrenheitii ſcalam confectum, in cubiculo meo meridiem ſpectante ſuſpenſum, ad gradum congelationis ferme deſcenderit, cum jam ante hebdomadem 14. vel 15. gradus ſupra illum terminum fuerit elevatum.

XV. Idem obtinuit rerum ſtatus; tempeſtas adhuc graſſatur horrida; hac nocte, hodieque ad undecimam antemeridianam uſque continuo ninxit, ita ad pedis altitudinem plateæ nive fuerint obtectæ.

XVI & XVII. Mammæ dolor vix notabilis, & ulcerata loca adhuc clauſa, ſemel hoc biduo mamma fuit deligata. Pedis dolor ſenſim evanuit, illique jam perſanato fere iterum inniti ac incedere valet; nova autem quæ ſuccrevit cuticula, quia admodum tenera, ad inceſſum dolet, illamque claudicare cogit. Sp. vini madida plumaceola cruri pedique adhuc imponuntur. Tempeſtas jam iterum clementior facta.

XVIII. Paulo magis doluit mamma: ſuperius ulcus tribus locis denuo fuit apertum; ac ichoris ſpiſſioris ſubflavi parum exſudavit. Præterea ſiniſtræ mammæ area circum papillam quaſi excoriata & parvis furunculis obſita fuit, unde lymphæ aliquid effluebat continuo, ita ut induſium illa conſpurcaretur: papilla hæc etiam inſtar fæminæ lactantis protuberat, cum alias ſemper flaccida eſſet: heri ſe hoc incommodum jam perſenſiſſe dicit, & farinam tritici ad exſiccandum inſperſit. Belladonna infuſum iterum fuit conſumtum intra octiduum; ſemel autem ejus uſum omiſit: in craſtinum vero novam herbam infundere oblitus fui.

XIX. Mammæ dolor licet remiſſior continuus tamen fuit: ſuperius ulcus ichore ſpiſſiore ſubflavo contectum fuit, inferius vero adhuc clauſum. Sub pede parum denuo lymphæ effluxit, ſed duo loca excoriata curris perſanata fuerunt, tertius vero ibidem apertus fuit; omnibus ſp. vini impoſitus continuo fuit. Mammam hodie bis deligavi, ac in ſequentem Belladonna ſcr. XIII^{m}. digeſſi.

Mali conditio eadem uti heſterna, niſi quod ſuperioris loci apertura tribus diſtinctis foraminulis jam non conſtet, ſed omnia hæc in unum confluxerunt, profunditas aperturæ aucta tamen haud videtur, ſed ſuperficiaria eſt. Sub tenui etiam pellicula inferius ulcus obtegente, humor aliquis latere videbatur; digito hinc locum illum leniter compreſſi, quando ſubter pellicula illa guttula una alterave humoris flavi ſpiſſi prodiit.

Nocte

Nocte hac menſes largiter fluere iterum cœperunt; pediluvia in uſum vocari jam non potuere, ob pedum excoriationem & teneritatem inde ortam.

XXI & XXII. Dolor mammæ idem propemodum, uti eadem etiam ulcerum conditio fuit. Tempeſtas jam denuo admodum horrida. Vigente adpetitu ſana nihilominus degit mulier: ultimo hoc die pediluvio etiam uſa fuit.

XXIII. Eadem omnino, niſi quod pediluvia omiſerit. Tumor mammæ intra duas hebdomades ultimas multum fuit imminutus; durities etiam ſcirrhi notabiliter molleſcit.

XXIV. Idem dolor mammæ. Superius ulcus jam pellicula ex ung. nutr. coalita fuit obturatum; inferius vero duobus tribuſve locis apertum, atque parum ichoris effudit.

XXV. Nihil mutatum eſt. Belladonna infuſum conſumtum fuit hoc ſextiduo; in craſtinum ideo paravi ſcr. XIV.

XXVI. Mammæ conditio adhuc eadem; pedum excoriationes jam perſanatæ ſunt, ſed in digito indice lævæ manus juxta exterius latus, heri macula parva rubra inflammata conſpiciebatur, ex qua digitus ille valde dolebat, adeo ut ex inde nocte nullum occupaverit ſomnum; impoſito vero medicamento emolliente & maturante nulla ibidem ſuppuratio fuit ſequuta, ſed cuticula in veſicam elevata ſeceſſit, qua pertuſa aliquid humoris ſeroſi effluxit. Menſes, qui largiter effluxere, hodie ceſſarunt.

XXVII. Dolor mammæ aliquantum imminutus fuit; ambo ulcera fuere aperta, ichoris tenacioris vix quidquam tamen exſudarunt; digitus jam iterum perſanatus.

XXVIII & XXIX. Dolor mammæ ferme nullus, vixque ichoris quidquam ulcera fuderunt.

XXX. Vix aliquis etiam dolor ſentitur, atque ulcera nullum ichorem emiſerunt, licet aperta.

Die I. Maji nihil mutatum, niſi quod ſuperius ulcus plus ſolito ruberet.

II. Dictus rubor fere diſparuerat, cæterum nihil mutatum. Belladonna infuſum fuit conſumtum ſextiduo, quoniam ſemel ejus uſum neglexit: in ſequentem diem digeſſi ſcrupulum XV^m^.

III--VII. Subinde parumper, ſubinde nihil omnino doluit mamma: inferius ulcus ſuperincreta pellicula ex ung. nutr. compacta obturatum fuit, ſubter quam ſemel ichoris guttulam expreſſi: ſuperius ulcus apertum licet ſit, ichoris vix quidquam tamen emittit. Mammæ ſiniſtræ area circa papilla multum lymphæ continuo adhuc exſudat, ita ut locus ille maxime excoriatus acerbius jam dolore incipiat.

VIII. Vix doluit mamma, ſuperius jam ulcus clauſum fuit pellicula ex ung. nutr. ſuperaccreta; inferius vero iterum apertum ampla apertura, ichoris nihil tamen ex illo prodeunte. Ulcerum horum aperturæ

(quemadmodum in antecedentibus ſemper notatum fuit) nunquam alte penetrarunt, verum ſuperficiariæ admodum fuerunt ſemper, adeo ut vix ultra cutim penetrare viderentur. Mammæ ſiniſtræ area circa papillam multum lymphæ adhuc profundere pergit, ac admodum dolet, quare ei plantaginis recens folium impoſuit. Ultimum infuſi dum hodie ſumſerit, hunc ſcr. ſex diebus iterum abſumſit: novum autem infuſum parare neglexi per biduum.

IX. Nullam notabilem mutationem offendi.

X. Nihil quidquam etiam mutatum; nullum omnino dolorem tamen hoc die in mamma percepit; neque perinde doluit ſiniſtræ mammæ area, neque tantum humoris effudit. In ſequentem diem Belladonna ſcr. XVI. infudi & digeſſi.

XI & XII. In mamma mutatum nihil fuit, niſi quod ſiniſtræ area nullum amplius humorem emittat, longe minus doleat, quin propemodum ſanata ſit.

XIII--XV. Mamma nihil vel vix doluit: ulcera aperta licet, nihil humoris tamen emittunt. Siniſtræ mammæ area penitus jam ſicca & conſolidata.

XVI & XVII. Non doluit mamma, neque aperta loca aliquid humoris eructant: in mamma vero ſiniſtra, & ſterno, plurimi furunculi dolentes oriuntur, papillæ area nihilominus ſicca permanente & perſanata.

XVIII. Omnia fuere eadem; ſed menſes hodie iterum prodierunt, ac pediluvia in uſum vocavit.

XIX. Eadem prorſus omnium malacia.

XX. Nihil quoque notatu dignum contigit, niſi quod ultimo infuſam herbam jam conſumſerit, decem dierum decurſu adeoque; in craſtinum paravi ſcr. XVII.

XXI. Nihil etiam mutatum quod notari mereatur.

XXII. Nullus in mamma dolor ſentitur, neque ullum humorem fundunt dicta loca jam denuo clauſa. Menſes, qui ſatis largiter emanarunt, fluere deſiere.

XXIII---XXVII. Nil quidquam mutatum; mamma tamen ſubinde leniter doluit. Ulcerata loca jam ſicca clauſaque permanent, neque illa deligo, exiſtimans melius clauſa permanſura ſi nihil adplicetur, quam ſi ung. nutr. continuo emolliantur. Scr. XVIII. in craſtinum fuit infuſus.

XXVIII---XXXI. Nihil mutatum fuit; nullus omnino dolor in mamma perſentiſcitur, neque illam deligo amplius. Dictum emplaſtrum ſaturninum continuo tamen applicatum gerit.

Junii I---XII. Vix ullum momentaneum dolorem in mamma percepit; loca ulcerata conſolidata videntur. Tumor mammæ & durities ſcirrhoſa mirum quantum diminuti fuerunt, adeo ut jam flacceſcens collabaſcat ac pendula ſit mamma, naturalis coloris; paulo major tamen adhuc quam ſiniſtra eſt. Scirrhoſa etiam durities mammæ ſiniſtræ, & quæ dextra ſub axilla

axilla adparuerat, evanuerunt penitus. Decimo tertio hujus menſis iter longinquum ſuſcepit, & per aliquot hebdomades peregre domo abſuit; reverſa demum vero fuit ſaniſſima abſque ulla mali recrudeſcentia, meumque conſilium de infuſo Solani aliquandiu adhuc continuando impune ſprevit; reſiduum enim ſcirrhoſi tumoris ſenſim penitus reſolutum diſparuit; dolorem tamen leniorem per priores menſes aliquot, quin imo per annum ferme, ſubinde, licet raro, recurrentem infuſo Belladonna ſemper ſedavit, uno enim vaſculo hujus infuſi ſumto protinus evanuit. Notatu certe dignum mulierem diuturno & quotidiano hoc uſu nihil fere adſueviſſe huic Solani infuſo, ſed eadem ſymptomata perinde fere gravia experiri ex eadem doſi, quam ante tres menſes inde percipiebat; adeo ut doſin notabiliter augere nunquam ratum duxerim: cum tamen homines noverim, qui opio ſeſe ſenſim ita adſueverunt, ut doſin plus tricies auctam innoxie non tantum, verum abſque optato effectu, ingererent; vidi enim ultra dr. j. unica vice devorantes. Neque ab illo tempore, quod octo propemodum ſunt anni præterlapſi, ullum in mamma ſenſit malum, ſed ab omni dolore & ſcirrho mammæ liberata ſana degit; quinimo ab hinc aliquot jam annis iterum maritata enixam infantem abſque ullo incommodo lactavit ipſa.

Plus drachmas ſex venenatæ hujus herbæ continuato ita uſu abſumſit hæc mulier; atque miſerandam mortem, quam certo certius manere ipſam, ſupra nominati viri medici mecum præſagiverant, feliciter admodum eluctata fuit.

FINIS.

XLII.

LUDOVICI CLAUDII BOURDELIN

ET

J. BAPT. BASSEVILLE

AUCTORIS

THESIS IN HÆC VERBA

Ergo puerorum clangoſæ, *vulgo* Coqueluche, *Emeſis*.

Pariſiis 14 Febr. 1752.

I.

QUot, quanta, quamque diverſa, omni ævo, pullularint morborum genera, quis neſcit? Sunt cuique ætati, ſexui, regioni, conditioni tum communes tum proprii morbi, ſed nulla ætas puerilem morborum numero & varietate antecellit; nam præter communes unicuique ætati, multos ferme ſibi proprios vindicat. Vix in lucem editus infans, variis innumeriſque, difficulter ſuperatis, tum geſtationis, tum ipſius partus periculis, lacrymis vagitibuſque inchoat vitam ſola morte ceſſaturam. Tunc agmine veluti facto omnis generis ingruunt undique morbi, Siriaſis, Hydrocephalos, Pediculi, Achores, Favus, Epilepſia, Convulſiones, Strabiſmus, Aurium humiditates, Dentitio, Parulides, Ranula, Tuſſis, Ventris tormina, Lumbrici, Calculus, Herniæ, Variolæ & Morbilli, multique alii quos abunde enumeravit *Hippocrates* (*a*); qui pueros adeo diſcruciant, ac in tantum adducunt diſcrimen, ut iteratis obſervationibus compertum ſit numerum puerorum fato cedentium, longe majorem eſſe adultorum numero. In puerorum vero perniciem, inter enumeratas ægritudines, primas ſibi vindicare tuſſim, uno ore fatentur omnes. Sicut enim actio organi, quod in hoc morbo laborat, vitæ ſanitatique ſumme neceſſaria eſt, pariter ejuſdem organi læſio vel minima, eſt periculi plena. Qui pluribus iteratiſque vicibus, violenter aerem, contentave in pulmonibus & aſpera arteria, expirando, cum ſonitu rejicit, tuſſire dicitur. Hæc autem violenta expiratio, qua totum convellitur corpus, fit potiſſimum, convulſiva muſculorum tum pectoralium tum abdominalium contractione, ideoque ad motus convulſivos non immerito refertur. Tuſſis alia

(*a*) Aphor. 24. 25. 26. ſec. 3.

alia humida, alia ſicca, idiopathica alia, alia ſympathica; quæcumque in genere pulmones, aſperamve arteriam ad contractionem provocant, tuſſim excitare valent. Ex his alia externa, ſic omnia quæ una cum aere inſpirantur, præ cæteris fumi minerales acidi, hauſto v. g. nitri vel ſulphuris fumo; minutiſſima potus gutta, vel mica panis intra aſperam arteriam delapſis, pertinaces exoriuntur tuſſes. Nec intra corpus deſunt, quæ reſpirationis organa laceſſendo tuſſes ſuſcitent. Sic aſperæ arteriæ mucoſitas, inflammatio, in ipſius glandulis obſtructio, ſeri à capite defluxio, pulmonis abſceſſus, vomica vel ſuppuratio, omnia denique quæ pulmones gravare, irritare, liberumque aeri itum vel reditum, denegare valent, diverſas creant tuſſes, quas idiopathicas dicimus; quibuſque innumeri è medio tolluntur. Aliæ vero ſympathicæ eo funeſtiores edunt ſtrages, quo prima fronte, ſymptomatumque ſimilitudine idiopathicas mentiuntur ſæpius, incautiſque imponunt. Sunt etenim convulſivæ ab irritatione nervis inducta. His in præſens relictis, tuſſim quam ſtomachalem vocant, eamque præſertim quæ ſub ferinæ vel clangoſæ nomine venit, aggredimur. Ex dictis ſequitur tuſſim abſque materia gravante, irritante, liberumque aeri itum vel reditum negante, nullam; proinde tuſſis medelam optimam eſſe triplicis hujus cauſæ expulſionem; eaque præ cæteris adhiberi debere remedia quæ tutius, facilius, breviorique via hunc ſcopum attingere poſſunt. Porro morbus, qui à ſpurcitie quacunque, primis in viis nidulante, natales ducit, Emeſi præprimis tollitur.

I I.

Tuſſis clangoſa pueris adeo infeſta verſus medium ſeculi decimi-ſexti, ſi *Valeriolæ* & *Ballonio* fides, epidemice graſſari cœpit, licet tamen teſte *Mezerai* verſus annum 1414. primum Galliam vaſtare incœperit. *Antiquis* antea prorſus ignota. *Hippocrates* enim irrequietus ille morborum omnium obſervator, qui vel minimas ipſorum differentias & ſymptomata ad unguem exaravit, nullam hujuſce morbi mentionem fecit. Divini hujus ſenis commentatores, innumeri clariſſimique viri, qui poſt eum, tam abunde & luculenter morborum differentias ſymptomataque retulerunt; tuſſim iſtam aut prorſus ignorarunt, aut ſilentio prætermiſerunt (*a*). Locuti ſunt tantum de tuſſi ſicca ferina, quam in malignam & benignam diſtinxerunt. Primam à deſtillatione è cerebro, ulcere partium ſpiritalium, abſceſſu aut empyemate deducebant. Secundam vero ab intemperie & exacerbatione partium reſpirationi inſervientium, & faucium, quam vel cibus vel potus, vel aëris conſtitutio aquilonia poteſt invehere. Ab iiſdem cauſis oriri contendebant morbum, quem ſub vocis raucæ & clangoſæ nomine deſignabant. Sed hunc morbum cum tuſſi puerorum clangoſa, ſive *Coqueluche*, cave ne pro

(*a*) Deſid. Jacotius in Jacob. Holl. in coa. Hipp.

pro uno eodemque habeas; cauſa enim, ſigna, ſymptomataque toto cœlo differunt. Inter *Neotericos* qui de hoc morbo ſcripſerunt, parum accurate ac veluti per tranſennam tantum ſcripſerunt. Nemo ex profeſſo, nemo claras diſtinctaſque de eo ideas, fidelem nemo numeriſque abſolutam tradidit hiſtoriam. Ex *Franciſco Valeriola* Medico Avenionæo, hic morbus primum ingruit verſus annum 1510; adoriebaturque tunc indiſcriminatim homines, mulieres, pueroſque, quos pleroſque è medio ſuſtulit. „ Tuſſis quoddam populare genus, inquit *Franciſcus Valleriola*, (*b*) anno elapſo, qui annus erat redempti orbis milleſimus quinquageſimus ſeptimus, „ vigere populariter per univerſam Galliam vidimus, tanto impetu, ut de-„ repente, ſanis alioqui degentibus hominibus, morbus obreperet". Hæc ſunt hodie, ut erant tempore *Valleriolæ*, atrocis morbi ſymptomata. Ægrum diſcruciant initio, gravis capitis dolor, reſpirandique anguſtia, ac vocis raucitas, mox horror, febris, tuſſiſque adeo valida, ut in præfocationis metum plerique adducantur; primis diebus tuſſis ſicca atque vehemens ſine ſcreatu; mox concocto humore, poſt ſeptimum aut decimum quartum diem, ſcreatus multus viſcidus, lentus, nonnullis tenuis & ſpumoſus, procedente autem ſputo, tuſſis & ſpirandi difficultas plurimum remittunt, verum in omni morbi progreſſu laſſitudo corporis, virium dejectio, inappetentia multa & à cibis averſio, ægros vexant; inquietudo, languor, vigilia ob validam tuſſim vehementer premunt; nonnullis alvi fluor ſub finem, aliis ſudores manant. Quæ quidem ſymptomata omnino ſimilia ſunt ſymptomatis à *Valleriola* deſcriptis, illud tantum ineſt diſcriminis, quod tunc, cujuſvis ætatis, ſexus, victus rationis homines, eodem modo, eodemque anni tempore corripiebantur; moxque uno cujuslibet familiæ correpto, per univerſam domum incendium atque contagio obrepebant. Nunc vero infantes, pueroſque adoritur tantum, quos pleroſque jugulat, niſi ſuppetias ferat recta medendi methodus, quia videlicet, iis tanta vis non eſt, ut quæ pulmonibus incidet morbi materies, valeat expectorari. Hunc morbum vulgus, *la Coqueluche*, vocabat, quod qui eo morbo tenebantur cucullione caput velabant; arbitrabantur enim, fluxionem, à cerebro, in pulmones irrumpere, caputque cucullo tegentes, melius ſic ſe habituros putabant. Tuſſim ferinam iiſdem omnino ſtipatam ſymptomatibus videre eſt apud (*c*) *Fridericum Hoffmanum*. *Guillelmus Ballonius* (*d*) celeberrimus hujuſce Facultatis Medicus, de conſtitutione anni 1578, verba faciens, meminit tuſſis cujuſdam laborioſæ, violentæ & convulſivæ, quam *Quintam* ſeu *Quintanam* vocat; quæ pueros adoriebatur potius quadrimeſtres, decimeſtres, pauloque adultiores; cujus cauſam à tempeſtatum inæqualitate, ſubitaque calidi in frigus tranſitione repetit. Sic mentem

(*b*) In Appen. loc. com. pag. 45.
(*c*) Sec. 2. c. 3. de tuſſi.
(*d*) Lib. epid. & eph. tom. 4.

mentem aperit ; (*e*) „ tuſſis quæ tum infeſtabat erat hujuſmodi, ut co-„ natus eſſet ſummus & nil extuſſiretur, ſed vomitus excitaretur ſubverſo „ nimirum ventriculo. . . . . (*f*) Solemnis tuſſis quæ Quinta ſeu Quintana „ vulgo dicitur, cujus magna erat affinitas cum tuſſi, quam olim *Coqueluche* „ vocitabant, gravia ſunt ſymptomata, pulmo enim ita irritatur, ut omni „ contentione nitens, excutere id quod moleſtum eſt, nec admittat ſpiri-„ tum, nec viciſſim facile reddat ; intumeſcere videtur & quaſi ſtrangula-„ bundus æger, mediis faucibus hærentes ſpiritus habet. . . . (*g*) pleroſ-„ que vidimus ita tuſſientes quibus, poſt inanem conatum, ſemiputris „ materia, incredibili quantitate exorta eſt. . . . (*h*) Vomunt aliquando „ ſubcruentum, aliquando ſublividum, vomunt pituitam & bilem & ani-„ mo linquuntur". Hujus quoque tuſſis meminit *Thomas Sydenhamius* (*i*) hancque Pertuſſim, & Tuſſim puerorum convulſivam vocat. Enumeratis hujuſce morbi ſymptomatibus, veram genuinamque aſſignare ſedem ventriculum, cauſamque à ſaburra humorum in primis viis nidulante repetere non erit arduum. Nec minus patebit hanc cauſam tutius & citius emeticis medicaminibus amoveri debere. Omnibus enim evacuantibus remediis, huic colluviei expurgandæ aptis, palmam præripiunt, hujus familiæ remedia. Emeticum ſcilicet medicamentum, parva quantitate ſumptum, vim ſuam exerit, ea potiſſimum ratione quam poſtulat, naturale illud, infantibus, nec horroris utplurimum expers medicamenti cujuslibet faſtidium ; illud habet videlicet commodi emeticum quodlibet medicamentum, quod licet nauſeæ & vomitui excitando deſtinetur, abſque tamen nauſea & faſtidio poſſit non raro propinari. Nec puerorum tenerrimum ſtatum reformides, ſunt quidem valde debilia in infantibus nervorum ſtamina, ſed mollia ſunt, flexibilia & adhuc prope dixerim lactea ; cumque abundantiori irrorentur ſero, emeticorum actionem facillime ſuſtinent, ac fere abſque ullo inflammationis, vaſorumve diruptionis metu ; quæ duo tantum Emeſis uſum prohibere poſſent.

I I I.

Inſenſilis perſpirationis, quantitatem, utilitatem, imo neceſſitatem luculenter demonſtravit *Sanctorius*. Quot & quanta, ſublata, vel imminuta perſpiratione ingruant mala norunt omnes. Apud ipſum etiam vulgus pro certo eſt, Tuſſes, Catharrhos, Fluxiones, Pleuritides, Rheumatiſmos, ab impedita perſpiratione ob ſubitaneum calidi in frigidum aerem tranſitum, natales, ducere. Hancce evacuationem, multo abundantiorem eſſe æſtate

(*e*) In annot. p. 236.
(*f*) Pag. 237.
(*g*) Pag. 238.
(*h*) Pag. 239.
(*i*) Epiſtol. 1. reſpon.

æſtate quam hyeme ſibi quiſque conſcius eſt. Verum enim vero, celeberrimorum in arte virorum, libros evolventi, patebit ſubitaneam perſpirationis abolitionem vel imminutionem, innumeros præſertimque acutos acceſſere morbos. Maximas vero edit ſtrages in pueris perſpirationis defectus. Cum tenerrima ſint in eis corporis ſtamina, cumque præterea patentiores habeant cutis poros, facilior aeri externo conceditur aditus, quo humores lymphatici inſpiſſantur, ad interiora ventriculum potiſſimum & pectus propelluntur. Et quoniam infantes, ob tenerum, mobile & ſenſile genus nervoſum, ad motus ſpaſticos & convulſivos ſunt propenſiores, mirum non eſt, illos præ aliis ætatibus hiſce tuſſibus torqueri, acerbioraque experiri, ſymptomata. Nec ſilendum pueros ratione deſtitutos, de veſtitu parum ſollicitos, ſemiveſtitos ut plurimum, temere ſeſe omnibus aeris inclementiis committere. Accedit præterea, quod debiliori donati ventriculo pueri nullum ſervent in vivendi ratione modum, continuoque, ſine fame, ſine modo, ſine fine, ſine delectu comedant. Nec minus imminet infantibus periculum ex parte ventriculi, cum ad compeſcendos vagitus, continuo nutrices ipſis mammas porrigant. Unde nimis gravatur ventriculus, hinc alimenta, craſſam, acidam & viſcidam acquirunt indolem. Quandiu autem talia hoſpitantur in ſtomacho, papillæ vellicantur nerveæ, irritatur inde diaphragma, quod arcte nervorum conſenſu, cum orificio ſtomachi ſiniſtro connectitur, hinc tuſſis exurgit, primo quidem inanis, cum rejectione mucilaginis viſcidæ poſtea conjuncta. Præterea infantes, ob organorum debilitatem, viſcoſam hanc materiam, aut tuſſiendo rejicere nequeunt, aut deglutiunt. Talem tuſſim ex ſtomacho oriri ſignum eſt in tuſſiendo ſonitus. Si enim ex profundo quaſi loco, & imo pectore tuſſiunt, item quando ægri gravamen percipiunt in præcordiis, hanc è ventriculo oriundam eſſe aſſerit *Etmullerus* (*k*), ab iiſdemque omnino cauſis oriundam. Huic ſententiæ ſuffragantur melioris notæ Medici. Sic *Frid. Hoffmannus* (*l*) tuſſim ferinam à nimia ventriculi inflatione, à lacte viſcido ibi copioſe ſtagnante, & diaphragmatis deſcenſum impediente oriri aſſerit „(*m*). Frequentior eſt tuſſis humida craſſa, cujus natales, ſeu ſubjectum „ eſt in ventriculo infantis; tuſſis hæc adeo vehemens eſt, ut continuo tuſſiant infantes, donec tandem vomitus ſequatur. Originem habet ex ſtomacho, & fere ſolet, ſequi Addephagiam infantum, ſeu copioſiorem pultaceorum ingeſtionem, & lactis ſimul crebriorem hauſtum, quæ duo, „ nimia copia, cum imparia ſiant, fermento ſtomachali digeſtivo, defectu „ concoctionis degenerant in liquamina viſcida, craſſa & mucilaginoſa, quæ „ ipſa flatuum ſubminiſtrant materiam, unde difficilis reſpiratio, quandiu „ ſupini jacent infantes, aut etiam irritando orificium ſtomachi ſiniſtrum, & cum hoc diaphragma, tuſſim pertinacem inferunt. Unde in hac tuſſi, ad

(*k*) Annot. pract. ad inſt. Med. Phiſio.
(*l*) De morb. infan. cap. 2. par. 15.
(*m*) De lact. & lacta. vitiis art. de tuſſi infan.

ad ſtomachum erit reſpiciendum judice eodem *Etmullero.* (*n*) In hac tuſſi convulſiva, ferina & ſicca, ait *Hoffmannus* (*o*) cauſa maxime hæret in ſtomachi tunicis nerveis, ac vehemens tunc concuſſio adeſt corporis, cum ſono profundo. *Theodorus Corbeius* (*p*) tuſſim aridam quam vocat, ab irritato ac offenſo per conſenſum pulmone, à ventriculi, inteſtinorum & aliorum viſcerum abdominalium diaphragmati adjacentium affectibus repetit. Celeberrimi D. *Hecquet*, (*q*) Facultatis Pariſienſis Doctoris & Antiqui Decani judicio; tuſſis iſta adeo intime cum humoribus conjungitur, ut incongruum ſit, primariam hujus ſedem & originem, aliunde quam à ventriculo repetere; nulla igitur potiori jure tuſſis ſtomachalis nomine inſignitur; idcirco eximius practicus *Waldſchmidt*, in hujuſce morbi curatione, ſedulo ventriculi vitio attendendum ſuadet. Stertor enim, vel ſibili e puerorum ventriculo erumpentes, ſatis indicant abundantiam phlegmatum viſcidarumque materiarum in eo viſcere nidulantium, quod abundantius earumdem materierum vomitus evincit. Nec ab illo ſtertore immune eſt pectus, aſt non primario, ſed ſecundario tantum & ſymptomaticè, ob viciniam, intimumque, nervorum membranarumque ope, cum diaphragmate nexum, afficitur. Nec ab affecto ventriculo hanc tuſſim repetendam eſſe non innuit (*r*) *Jodocus Lommius.* Siccæ hujus tuſſis occaſio non à capite eſt, inquit ſupra laudatus *Ballonius* (*s*). „ Nam ſi eſſet ſola ferina deſtillatio, „ cauſa illius tuſſis permoleſtæ, quæ vulgo *Quinta* dicitur, non ea copia „ materiei excluderetur, errant ergo qui ad caput hujus tuſſis occaſionem „ referunt, vix enim credat aliquis, quanta illius materiei copia evomitur, „ quam non eſt credibile à capite manare, ſed à ſubjectis partibus ad tho„ racicas partes affluit". Tuſſis infantum ex *Baglivio* (*t*) fere ſemper eſſe ſolet à ſtomacho cruditatibus ſcatente, quo in caſu ſemper ſtomacho attendendum ſuadet, non neglectis pectoris remediis. (*u*) *Thomas Willis* de tuſſi mere convulſiva agens, „ hujuſmodi tuſſis exempla, in adultioribus ra„ rius occurrunt, inquit, ... attamen uſitatum eſt in pueris tuſſim à „ colluvie ſeroſa pulmones inundante oriri .... cæterum in hoc caſu præter „ ſpaſmos, cum tuſſiendi impetu, circa præcordia excitatos, non raro etiam „ ventriculus in conſenſum adductus, quidquid ſinu ſuo continetur rejicit, „ hujuſmodi tuſſis convulſiva inter pueros valde frequens eſt". Cum ex ſuperioribus abunde probetur, cauſam hujus tuſſis à materia acida, nidoroſa in ventriculo & primis viis nidulante, natales obtinere, omne feret punctum Medicus, qui hancce cauſam, tutiori breviorique via poterit eliminare.

(*n*) Loco citato.
(*o*) Sect. 3. cap. 3. de morb. acut. diſcern. & rite dignoſ.
(*p*) Path. lib. 2. ſec. 3. cap 12. de tuſſi.
(*q*) Lib cui titu. Med. des pauvres pag. 276. par. 88.
(*r*) Medic. obſerv. lib. 2.
(*s*) Loco citato.
(*t*) Cap. de tuſſi.
(*u*) Tom. 1. cap. 12. pag. 561. *in* 4°.

minare. Huic autem ſcopo attingendo emetica imprimis idonea eſſe in Medica praxi verſatur nemo inficias ibit.

IV.

Naturæ miniſter Medicus, hunc tantum ſedulus ſibi proponere debet finem, ut naturæ monitis attentam præbeat aurem, auxiliatricemque manum adhibeat, fractam, peneque victam erigat, ſuſtineat laborantem & titubantem, ſopitam excitet, conantem denique adjuvet. Nec profunda meditatione opus. Cognita ſemel morbi natura & ſede, loquentem tantum naturam audiat, Medicus neceſſum eſt. Quot ſeſe produnt ſymptomata, tot linguæ, totidem ora ſonant. Ne autem extra propoſitum divagemur, ſymptomata quibus tuſſis puerorum clangoſa ſtipatur, in remediorum delectu, Medicum hærere nequaquam ſinunt, quid enim aliud ſubindicant, appetitus dejectio, ab alimentis averſio, nauſeæ, inanes vomendi conatus, viſcidarum denique materierum vomitus? quam hærentem in ventriculo & primis viis colluviem & humorum ſaburram. Quid laſſitudines ſpontaneæ, capitis gravedines, langores, virium proſtratio, jactationes? Quam nimiam fibrarum laxitatem à ſeri viſcidi quantitate oriundam. Quid tunc Medico ſit agendum, in propatulo eſt. Nimis laxas nempe, ſopitaſque, ut ita dicam, ventriculi fibras, ſtimulante, vomitorii medicaminis, virtute, excitare & roborare, congeſtoſque in ventriculo & primis viis humores foras amandare. Quæ mire præſtabunt emetica, modo opportune, debitaque doſi per Epicraſim adhibeantur. Ea videlicet eſt utplurimum emeticorum vis, ut ſalinis ſpiculis, tenaciorem, viſcidamque humorum colluviem incidant & dividant, fibras ventriculi proritent ac convellant; unde in conſenſum vocatis diaphragmate & abdominis muſculis, exoritur vomitus. Inter emetica medicamina, ea cautus ſelegeris, quæ tenellæ ætati, à quibuslibet medicamentis naturaliter abhorrenti, tutius & facilius poſſunt adhiberi. Ex his primas ſibi vindicat, molle illud emeticum, quod hodie ſub Kermes mineralis nomine venit. Quod quidem medicamentum, cum ex antimonii parte regulina, ſale alkalino fixo, & vero ſulphure minerali ſimul adunatis coaleſcat, non irritando tantum & convellendo ſtomacho, ſed & attenuandæ & liquandæ humorum ac proinde lymphæ viſcoſitati apprime conducit. Duo imprimis in hujus remedii exhibitione conſideranda veniunt Medico. Vel enim hoſpitantes in ventriculo & primis viis noxios humores eliminare eſt animus, qui cum educi poſtulant, per loca convenientia, & quo natura vergit, ſic præcipiente *Hippocrate* (x), duci debent atque eliminari. Tunc doſis à grano uno ad tria, immo & quatuor. Talis eſt exhibendi modus. Hujus pulveris debita doſis, ægrotantis viribus accommodata, in duobus, tum aquæ tum vini cochlearibus, admixto tantillo ſacchari, ad nucis avellanæ magnitudinem, diluitur, eclegmatis

(x) Aphor. 21. ſect. 1.

gmatis in ſpeciem, quod avide deglutiunt infantes. Cochlear unum ſingulo horæ quadrante, vel etiam interpoſito pro ægri viribus longiore intervallo, exhibetur, ita ut ad ſecundum, tertium vel denique quartum ſit pregrediendum; donec ſat materiæ ſit evacuatum; ſubſiſtere vero penes Medicum ſit, ſi ſufficiens materiæ copia fuerit rejecta, vel omnem doſim, ægroti vires recuſent ferre. Dum autem vomunt, ad diluendam humorum ſaburram in ventriculo contentam, facilioremque procurandam ejectionem, bibant aquæ tepidæ, vel ſeri lactis, vel decocti carnis vitulinæ aut pulli, magnam copiam; unde & niſus minor & facilior vomitus. Vel tantum intendit medicus, tonum ventriculi reſtituere, materias viſcidas incidere, expectorationemque promovere, ut concuſſa ſolida, cum ſalutis ſpe reſiliant. Tunc à grano ſemis ad unum exhibetur; ſed repetitis vicibus, tertia, quarta, ſextave quaque hora, vel ſolus, vel cum oleo amygdalarum dulcium, *conſervisve* quibuſvis, quarum ope, ſpiculorum ſalinorum acies, quodammodo obtundatur. Exhibentur quoque nec infeliciter, plurima alia emetica medicamina, ſive è minerali, ſive è vegetabili deſumantur proſapia. Inter quæ infimum locum non obtinet Radix Braſilienſis iiſdem cautionibus exhibita. Emeticorum in hujus morbi curatione præſtantiam agnoverunt ſtabilieruntque quotquot ſunt eximiores in praxi medica viri. Talem tuſſim optime curat vomitus, ait, *Etmullerus* (*y*). Nullum melius eſſe remedium, vomitu, ad hujus tuſſis removendam cauſam, cum vitium ſit in ventriculo; tuſſiſque in principio, imprimis convenientem eſſe vomitum, tuſſim vero inveteratam, abſque vomitu curari difficillimum eſſe, teſtatur idem *Ettmullerus* (*z*). D. *Hecquet*, poſt ſymptomatum, hanc tuſſim comitantium, enumerationem; ſic curationem indicat (*a*). „Hinc, inquit, „patet ratio, cur tantopere commendatur vomitoriorum uſus, modo puerorum ætati ſint proportionata, aliorum enim remediorum efficaciam juvant. Prima igitur Medici ſit intentio ex *Frid. Hoffmanno* (*b*), ut motus hos enormes quodammodo ſopiat, & poſtea collectam, lentam & viſcidam materiem, tam in pectore, quam in ventriculo & duodeno hærentem, blande per vomitum & alvum eliminet. Et certe, conciſa doſi, „Tartarus emeticus, in mixtura commoda, ſolutus, ejuſmodi in caſibus, „ſi detur, longe optimum & deſideratiſſimum præſtat effectum". Sic, addit, (*c*) „tuſſi puerorum ſtomachali, ſi nihil eſt quod prohibeat, ſuccurritur leni emetico". Nec aliter cenſebat *Willis*, qui in hoc morbo curationis cardinem, in purgantibus & præſertim vomitoriis verſari non dubitavit aſſerere. In hanc quoque ſententiam deſcendit, doctiſſimus *Boerhaavii* Aphoriſmorum commentator, *Van Swieten* (*d*). „In junioribus, in-

 „quit,

(*y*) Loco citato.
(*z*) De vitiis expir.
(*a*) Loco citato.
(*b*) Loco citato.
(*c*) Sect. 2. c. 2. de tuſſi.
(*d*) De convul. febr. par. 713.

„ quit, ſolo lacte viventibus, coloſtrum caſeoſum, in ventriculo vel in„ teſtinis hærens, atque in acidam acrimoniam degenerans, irritando ner„ voſam ventriculi & inteſtinorum fabricam, convulſiones producit, ubi „ vero putridi humores, ſive ante febrim præexiſtentes, ſive febris tem„ pore, aut per febrim, nati & collecti, circa præcordia fluctuant, pur„ gantia quidem & vomitoria proſunt". Quamvis enim, hic loci agatur tantum de puerorum convulſionibus, cum tuſſis noſtra clangoſa ab iiſdem omnino cauſis producatur, iiſdemque ſeſe manifeſtam faciat ſymptomatis, eadem clangoſæ huic tuſſi, convenire remedia, cuilibet obvium eſt. Nec abſurdum cenſemus, analogiam inſtituere, inter tuſſim noſtram & pleuritidem ſpuriam ſeu inferam, quam doctiſſimus ſcholæ Pariſienſis Medicus *Ludovicus Duretus* (*e*), Rheuma conſiſtens vocat, cujuſque ſedem aſſignat ventriculum & primas vias, cum apparatu meſenterico. „ Si pleuritis „ infera ſit, inquit, Rheuma conſiſtens, non detrahet phlebotomia, hic „ eſt opus pharmacia, quodammodo mochlica.

V.

An ſola emeſi hunc morbum curandum ſuſpicaris? minime. Emetica tantum in Tuſſis clangoſæ curatione prædicamus tanquam primarium remedium, ac veluti cardinem, in quo hujuſce ægritudinis ſanatio verſatur. Alia vero remedia, venæſectionem, diluentia, alterantia, abſorbentia, anodyna, snioraque cathartica, tanquam præparentia, perficiendæque curationi idonea, admittimus. Emeticorum efficaciam comprobat experientia. Puero tuſſi ferina laboranti, auxiliaturus accerſatur Medicus. Omnia terroris & periculi plena. Genæ rubent & turgent, illacrimant oculi, erumpit è naribus ſanguis, convellitur interceptoque prope ſpiritu, ſtrangulationi proximus ejulat infans. Quid tunc? num ad venæſectionem, tanquam ad ſacram unicamque anchoram confugiendum? Aſt celebrata iterataque venæſectione recrudeſcunt ſymptomata. Num propinanda eclegmata? ab iis quidem caute exhibitis, momentanei aliquid caducique expectandum levaminis, ſed ab iiſdem, nedum ſufficiant, ſi nimia copia ingerantur, ſperandum eſt viſcoſitatis in humoribus augmentum. Num purgationi locus? ſed parum juvat. „ Curationis vis, inquit *Valeriola* (*f*) neque in „ ſanguinis miſſione, neque in purgatione conſiſtere videtur, nihil enim „ hiſce remediis, aut parum proficitur; immo quibus hæc remedia ſola im„ perantur, eos deterius plane ſe habere videas, exagitatis tantum mali „ ſeminariis, nec proprio ſeu alexipharmaco extinctis". Exhibeatur autem emeticum, concinna doſi, ægrique viribus per Epicraſim accommodatum, atrocia evaneſcunt ſymptomata, malumque, ſi ita loqui fas eſt, quaſi manu ablatum, & in ovo ſuffocatum diceres. Huic quidem aſſertioni, noſtro quidem

(*e*) Append. in coac. Hipp.
(*f*) Loco citato.

quidem judicio, robur addit, quod multoties narravit, hujuſce ævi Medicus, ſaluberrimæ Facultatis Pariſienſis olim alumnus, (*g*) ejuſdemque cultor obſervantiſſimus, qui Ambiani per annos quadraginta & amplius, in ægrotantibus quotidie, diu ac noctu inviſendis, peramplæ praxeos laboribus & tædiis aſſidue devoratis, inſudavit; (cur enim opere hoc in noſtro, patris optimi experientiæ & obſervationi, partem aliquam non concederet, noſtra erga eum pietas.) Narravit, inquam, ſe per diverſos annos, clangoſas hujuſmodi Tuſſes, inter pueros ſæpe, raro admodum & pene nunquam inter adultos, niſi crapulæ deditos, epidemice graſſantes obſervaſſe, ſimilibus prorſus ſymptomatis, à *Valeriola*, *Ballonio*, *Hoffmanno* deſcriptis ſtipatas, quæ neglectis, aut omiſſis venæſectionibus, omniſque generis pectoralibus, Emeticis, iiſque ſolis & pro ætatis ratione, per Epicraſim repetitis, debellatæ fuerunt. Fruſtra cum *Sydenhamio* (*h*) objiceres phlebotomia & repetita catharſi, expugnari Tuſſim puerorum convulſivam. Non negamus enim adhibendam eſſe phlebotomiam, imo ſuademus, ad ventilanda vaſa, ſanguiniſque mitigandam effervefcentiam, alioquin, adhibito Mochlico, diruptionis eſſet metus; ſed hanc inter præparantia tantum remedia cenſemus collocandam. Quod ſpectat ad repetitam Catharſim, eam duplici ratione, materiei morboſæ removendæ, minus idoneam contendimus. Primo quidem, quia multo longior & malefida eſt inteſtinorum via, & ad *Hippocratis* ſenſum, eo ducenda ſit materies quo maxime vergit. Secundo, ob hujus colluviei viſciditatem, ea requiruntur medicamenta, quæ incidendi, dividendi, attenuandique energia maxime polleant, cum aliunde, ventriculi rugis abſcondatur irretiaturque, & petiolo, ut ita dicam, ſtomachi parietibus adnexa ſit, pendulaque hæreat hæcce materies, ſuccutiendus eſt ventriculus, ut eradicari poſſit illa & eliminari. Quod vix Cathartica, mire vero præſtabunt Emetica. Enumeratis, Tuſſis clangoſæ ſignis & ſymptomatibus, aſſignatis ejuſdem cauſis, tum conjunctis; cognita & ſtabilita peſſimi hujus morbi natura & ſede; à plenitudine inſuper, & ſaburra humorum, primas vias infarciente; vomituque bilis & pituitæ viſcidæ ſpontaneo, luculentiſſime deducta; doctiſſimorumque & expertorum Medicorum uſu & teſtimonio confirmata, curativa indicatione; jure ac merito concludimus.

Ergo Tuſſi puerorum clangoſæ, vulgo Coqueluche; *Emeſis.*

(*g*) D. Baſſeville, Collegii. Ambian. Decanus.
(*h*) Epiſt. 1. reſponſ.

XLIII.

J. HADRIANI SLEVOGT

ET

J. SEBAST. BUCHELMANN,

RHONCHUS INFANTIS

EX

ULCERUM PAROTICORUM INTEMPESTIVA CURATIONE VARIIS SYMPTOMATIBUS STIPATUS.

Jenæ 25 Octob. 1699.

HISTORIA.

Vocabatur Medicus ſub finem autumni ad puellam, XIV. menſes nàtam, quam habitu corporis equidem pleniore & bene colorato præditam, ſed vigilantem, inſtar dormientis ſtertentem, offendebat. Reciprocabat enim ægra aërem cum rhoncho & ingrato ſtrepitu, eumque, haud ſine difficultate, & mora aliqua, ore aperto, cum evidente pectoris elevatione attractum, uno quaſi ictu extrudebat. Repetebatur hæc ſonora reſpiratio frequentius, quam in ſanis fieri ſolet, eamque moleſta tuſſis ſæpius interturbabat. Vox erat rauca, ut non niſi obſcuro ejulatu dolorem, quem urina lactea crebro, & cum niſu notabili guttatim expreſſa, excitabat, ſignificare poſſet. Os abundabat ſaliva, tumebantque gingivæ & regio tonſillarum, cum febricula, quam calor auctior & pulſus, cum duritie celer, aviduſque frigidi potus hauſtus indicabant. Pone utramque aurem apparebat cuticula rubra & ſquamulis exaſperata, quam adſtantes cruſtoſorum & largam ſaniem fundentium ulcerum veſtigia eſſe aiebant. Hæc vero per unum alterumque menſem non modo pruritu, & cruſtarum cum capillis vittiſque crinalibus conglutinatione, puellæ multum negotii creaſſe, ſed etiam propius ad eam accedentium nares nauſeabundo odore infeciſſe; nunc vero, per ſolertiam tonſoris, paucorum dierum ſpatio, & unius albi unguenti ope, adeo bene ſanata eſſe, ut nudius tertius cruſtæ omnes ſponte receſſerint. De diæta interrogati Parentes, Pater quidem, ſexageneratio major, uxoris negligentiam circa electionem eduliorum blanda increpatione accuſabat, & quod geſtationis non minus, quam lactationis tempore, promiſcue cibis acidis ſalſiſque, hactenus vero imprimis fructibus horæis & uvis delectata fuerit. Mater contra ea, obeſa & humidi temperamenti fæmina, culpam omnem præſentis mali in ancillas rejiciebat, quæ filiolam crebro extra domum in aërem frigidum, & interdum nebuloſum, exportaſſent. Hinc tuſſim & ronchum dependere, & huic potiſſimum in præſentia remedium quærendum eſſe; poſthac autem urinæ difficultatem demum peculiari cura tractari poſſe. Hanc enim diſpoſitionis ad calculum notam eſſe, quem maritus, à parte ſuo per hæreditarium traducem acceptum, in filiam reliquoſque liberos derivarit. Huic accinebat una ex adſtantibus agnatis, ætate gravior matrona, & inſuper, ut ultra reliquas ſe ſapere oſtenderet, nec dentiendi arduum negotium in cura negligendum eſſe, dictitabat.

RESOLUTIO.

§. I.

DEprehendimus, nemine contradicente, in præſente ægra confluxum omnis generis morborum atque ſymptomatum, ut quaſi ex compacto in tenero hoc ſubjecto *intemperies* in febre, & *læſa conformatio* in gingivarum tonſillarumque tumore convenerint. Et quamvis *unitas* cutis, hactenus in ulceribus paroticis *ſoluta*, poſt horum exſiccationem ſubitam, haud amplius attentionem medici poſtulare videatur: neutiquam tamen ejus, ceu abſentis, nulla prorſus haberi debet ratio; cum tanta farragine ſymptomatum præpoſteram ſanationem ſui vindicet, ut optandum ſit, eam tuto, ac eadem celeritate iterum diſſolvi poſſe, ac periculoſe ad coalitum deducta fuit.

§. II. Huic enim magna ex parte adſcribimus, quod non tantum tot *actionum vitalium vitia*, in pulſu celeri & duro, læſaque reſpiratione & tuſſi; *animalium* vero in ſiti aucta atque dolore jam cernantur: ſed quod *excernendorum* quoque ratio in ptyaliſmo & ſtranguria peccet, & *naturales* inſuper *qualitates*, cum in nonnullis modo memoratis, tum in ſpecie *audibiles* in rhoncho & raucedine, *tangibiles* in aſperitate cuticulæ, & *viſibiles* in lacteo urinæ colore, mutationes in ſtatum præternaturalem paſſæ ſint.

§. III. Parum igitur abfuit, quin de affectus nomine quæſiti, eum *exulcerationem aurium, inepta methodo curatam*, appellaverimus: Sed contradictionem veriti mulierum, ἄνευ παθολογίας παθολογιζομένων, hac vice à ſymptomate, ab ipſa matre potiori æſtimato, & imprimis imperitæ plebis ſenſus feriente, noſtram ῥόγχῳ, hoc eſt, *ſymptomate qualitatis audibilis, in reſpiratione difficili, per ſonum ſtridulum ſe exſerente*, laborare affirmamus.

§. IV. Reſpondet equidem Græcum hoc vocabulum *ſtertori* Latinorum: ſed ultra lexica non extendenda eſt ſignificationis harum vocum ſimilitudo. *Stertor* enim præter vulgarem illum ſenſum; ubi *ſtridentem & ſonoram inter dormiendum ſpiritus reciprocationem* notat, etiam paſſim, & imprimis à Poëtis, de *profundiori ſomno*, uſurpatur. Colligimus hoc *ex Serm.* 2. *lib.* 1. Horatii, ubi de Tigellio ſcribitur:

—— —— noctes vigilabat ad ipſum
mane, diem totum ſtertebat.

& Perſio, in *Sat.* 6. *v.* 10. idem eſt, *deſtertere*, ac *edormire*, vel evigilare.

§. V. Differt itaque *Rhonchus*, prout inter res p. n. à Medicis conſideratur, a *Stertore*, modo deſcripto, non tantum *tempore invaſionis & duratione*, ſed ſimul *ſede & cauſa*, ipſaque *ſoni qualitate*, ac prognoſi, inde

inde formanda. Quippe ſtertor non ſemper durat, ſed dormientes tantum occupat per intervalla, & mutatur pro ſitu corporis prono, laterali, aut ſupino. Invadit etiam cætera ſaniſſimos, & ut plurimum vix cauſam aliam, quam levem connīventiam limborum in meatibus naſi poſterioribus, quos homini ad voluntatem mobiles natura dedit, habere videtur, ad quos aër alliſus, os patulum & nares, plus minus clauſas, tranſiens, crepat, ut variis ſuis modulationibus interdum riſum audientibus moveat; idque cum minore periculo ſtertentis, quam juxta ipſum cubantium moleſtia.

§. VI. Rhonchus contra ea, ubi ad vigorem venit, noctu diuque ſine intermiſſione, continuat, quam diu ſcilicet faſtigium laryngis & vicinam faucium regionem largius humidum inundat, cum quo aër, haud procul difficultate inſpiratus, ac pro re nata ægre exſpiratus, conquaſſatur, ut, etiam ore clauſo manente, per nares ingratus ſtrepitus percipiatur, qui non contemnendum ſuffocationis ex oppletione metum incutit; cum non multum abſimilis in epilepticis etiam & apoplecticis, ac pleriſque moribundis occurrere ſoleat.

§. VII. Teutones commodioribus hoc loco abundant nominibus, quibus non minus *ſtertorem* à *rhoncho*, quam utramque horum *à gravi illo anhelitu & ſibilo aſthmaticorum*, (modo bronchiorum ac pulmonum, modo diaphragmatis culpa, vix unquam tamen abſque laryngis vitio orientem) clare diſtinguunt; dum hunc *Anhelitus*, illum *Stertor*, iſtum autem *Ronchus*, appellant: Secus ac Latini faciunt, quibus hi tres ſoni, revera diſtinctiſſimi, unico *ſtertoris* nomine ſubinde veniunt, ut epithetis opus ſit, quibus & *ſtertor ſanorum* à *morbido*, & hic iterum, prout vel aſthmaticus, vel talis eſt, qualis in noſtra ægra occurrit, dignoſcatur.

§. VIII. Diximus in præcedentibus, ſtrepitum ex aëris cum humido, faſtigium laryngis inundante, conquaſſatione excitari: quibus verbis cum *ſubjectum ut quo*, tum ipſum, *formale* rhonchi, & *efficientem* atque *materialem ejus cauſam* indicavimus. Quæ omnia, prout in noſtra ægra ſeſe habent, paulo latius explicabimus.

§. IX. Afficitur enim potiſſimum anguſta illa foſſa, per quam & glottidem ad aſperam arteriam via patet, & in deglutitione ab epiglottide immediate tegitur. Huic enim imminet lympha extravaſata, & lapſum in tracheam minitatur, ut indeſinenter aëri ad pulmones deſcenſuro, & inde mox ad os & nares reverſuro, nec aditus, nec reditus haud impeditus maneat; ſed is adhibita quaſi violentia trans undas iſtas diverberatas, cum ſtridulo murmure eluctari obligetur, & ſic *efficiens & proxima evadat rhonchi cauſa*; dum lympha, cum qua is colluctatus conquaſſatur, materiam ſuppeditat, & præter *molem*, *qualitate* & *motu* peccans *cauſæ mediatæ proximioris* titulum in ſcholis pathologicis reportat.

§. X. Eadem quoque lympha reſpirationem plane inæquabilem reddit; quatenus laryngis oſtium in admiſſione aëris ſtringitur, ne cum eo in-

cumbentis lymphæ nimia moles ſimul irrumpat. Debent itaque coſtæ cum ſterno altius attolli, ut atmoſphæra ad implendam ampliatam thoracis cavitatem ſollicitetur, quod cum mora & difficulter contingit. Exitus autem ſuccedit prompte ac præcipitanter; quia jam adſtrictio rimulæ ceſſat, & per eam natura lympham, antea cum aëre impreſſam, nunc extrudere conatur.

§. XI. Cur vero ſola hæc, natuque minima filiola jam morbo affligatur, cum reliqua familiæ ejuſdem capita ſat proſpera utantur valetudine; id commode ex cauſis, quas *remotiores mediatas* appellare ſolent, & in *rebus naturalibus*, *non naturalibus* & *præternaturalibus* fundantur, videtur derivandum. Cum harum primæ a natura ipſa nobis tributam diſpoſitionem, ad recipiendas alterationes ſtatus corporis humani in deterius, deſignent; ſecundæ vero neglectum regimen diætæ, ſeu rerum ad vitæ atque valetudinis conſervationem ordinatarum arguant, & tertiæ de morbis nunc recta via, nunc indirecte novæ infirmitati anſam porrigentibus, medentem inſtruant.

§. XII. Sunt equidem, qui *cauſarum ſupranaturalium* quoque mentionem faciunt: ſed nemo nobis vertet vitio, quod horum diligentiam jam imitari dubitemus, qui nullam creaturam ultra ordinem & vires, quas conditor naturæ ſummus rebus creatis indidit, aliquid valere arbitramur. Ut neque ſpiritum, concurſu cauſæ naturalis deſtitutum, ullum in corpus naturale effectum inducere credamus, quamvis ſtupendus ille ſit, & ultra terminos potentiæ naturæ, *nobis cognitos*, vagari judicetur. Hinc fruſtra quoque de aſtrorum influxu, ac incantationis faſcinique malitia ſolliciti eſſe nolumus; quia, ſi aperte hæcce agunt, recepta triga cauſarum, modo recitatarum remotiorum, earum vires terminantur: ſin vero occulta ratione operantur, ut per principia, hucuſque introducta, explicari nequeant, inepte huc citantur, dum captum noſtrum ſuperant.

§. XIII. Quod ſi igitur, his miſſis, jam fontem humoris abundantis & ejus fluxus, ſecundum methodum receptam perſcrutamur, ex *rebus* quidem *naturalibus* in puella noſtra *ætas*, & *ſexus*, & *habitus*, ac *temperamentum* non minus *totius corporis*, ceu *ſubjecti ut quod*, quam ipſarum *faucium*, quas *ſubjectum ut quo* vocavimus, conſiderari poſtulant.

§. XIV. Habet enim major pars infantium *humores multos & valde mobiles*, & rurſus, propter gelatinæ ſive nutrimenti copiam, facillime *coagulo* obnoxios. Imprimis autem puellæ præ pueris & ſpiritus & ſanguinem mobiliores poſſident; ut hos utplurimum, non animi ſolum alacritate, & corporis morumque ſuavitate ſuperent; ſed etiam ex levi occaſione in morbos humorales promptius incidere, iterumque cito ab iis liberari queant. Id quod de noſtra quoque ægra, cui corpus inſuper ſucco turgidulum obtigit & εὔχροες, rectiſſime pronunciatur. Inclinat autem à *ſanguineo* temperamento, ceu perfectiſſimo, & vix in alia, quam recentiori ac florida ætate reperibili, ad *phlegmaticum*: quod ipſum niſi dudum re-

recitata, & alia deinceps afferenda perſuaderent, vel ſola *ætas patris*, ad ſenium & ſtatum corporis pituitoſum vergens, & *mater* admodum *ſeroſa* juberent ſuſpicari.

§. XV. Pollet præterea membrana iſta tota, quæ per fornicatum ambitum in faucibus expanditur, creberrimis *conglomeratis conglobatiſque glandulis ac poris*, ex quibus, & cavernoſis, radicique linguæ proximis *tonſilis*, in ſtatu *naturali* perpetua ſit lymphæ dulcis exſudatio, à ſanguine & nutrimenti guttulis, jamjam in ſolidarum partium ſubſtantiam cedentibus, ſecreta, & per ramulos arteriæ carotidis, & à glandula pituitaria, per poros ſellæ turcicæ, cæteroſque meatus minutiſſimos eo dimiſſa, ut regia alimentorum aëriſque via ſemper madeat, nec lubricitatem ſuam exuat, aut propter ſiccitatem rigeat & corrugetur.

§. XVI. His itaque ſuppoſitis, jam facile proclivitas filiolæ ad morbos catarrhales noſcitur: dum eam, cum aliis comparatam, ſat largiter humentes fauces habuiſſe, nemo in dubium vocaverit. Sed perennavit tamen iſta irrigatio adhuc intra mediocritatis & tolerantiæ terminos, donec internæ & externæ cauſæ ejus ordinem interturbarunt, ut lympha, præter motus atque quantitatis vitia, notabilem receſſum à dulcedine, qua in ejuſmodi ſubjectis eam præditam eſſe decet, paſſa deprehendatur.

§. XVII. Non adducemus in præſentia inter cauſas ægritudinis *dentitionem*, mox ab initio à matrona laudatam. Nam, quamvis ea omnino huic ætati imminere, ſolaque copioſum affluxum lymphæ concitare, & ſic præter gingivarum tumorem ordinarium, ſubinde rhoncho, ac raucedini, tuſſique anſam exhibere ſoleat; vix tamen medicum conſilium ſibi relicta, præſtolatur. Quod ſi enim dentium formatio pariter, atque excluſio à natura ſola, ſecundum ordinem conſuetum operante, inſtituitur, non magis per auxilia, à rebus tantum p. n. indicata, vel poteſt, vel debet removeri, quam naturaliſſimus conatus uteri, perfectum fœtum excludentis, licet is doloribus & anxiis ſuſpiriis ſtipatus veniat. Quamobrem rectius accedimus ad rerum non-naturalium abuſum, & imprudentem præternaturalium tractationem; ubi graviter ancillas equidem circa aërem; ſed gravius omnino matrem circa cibos; graviſſime vero chirurgaſtrum circa curationem ulcerum erraſſe deprehendimus.

§. XVIII. Accuſabat autem mater temeritatem ancillarum, quod filiolam in frigidum & nebuloſum aërem extulerint; idque minime injuria, cum non tantum, Hippocratis effato, S. 3. aph. 22. & 23. autumnus atque hyems, de quorum tempeſtate æqualiter fere participat novembris finis, gravedines, raucedines, tuſſes, imo anginas, aſthmata atque ſtrangurias ſoleant excludere, ſed etiam perpetua doceat experientia, vix inter peccata diætetica aliud citius pectori & faucibus labem affricare, catharrhiſque haſce regiones infeſtare, quam quod in admiſſione aëris, cum frigore humidi, committitur.

§. XIX. Hic enim rigido ſuo & aſpero illapſu adſtringit cutis poros at-

que

que glandulas cum vaſis, & ἄδηλον διαπνοὴν, infantibus, ob largiorem nutricationem, & parciorem motum corporis, ſummopere proficuam ac neceſſariam, ſufflaminat, & contra ea glandulas interiores & viſcera humiditate abundare facit, dum fluxus ad peripheriam & inſenſibilis evaporatio inhibetur: quo ipſo febribus & catarrhalibus affectibus oriendi materia ſuppeditatur, quando natura, (vel quicquid, præter animam & organa, in corpore actiones vitales, naturales & animales orditur & moderatur) vel per univerſalem commotionem humorum & criſin, vel particulares miſſiones, tranſpoſitiones, raptuſque, à moleſta ſarcina eorum ſeſe liberare geſtit.

§. XX. Idem frigus autem, quod externe poros occludebat, eadem opera, ſed diſpari effectu, fauces immediate tangens, in his tonſillarum atque membranæ pituitariæ, ejuſque glandularum tonum, per imminutionem caloris vitalis, adeo infringit, ut lympham, ex ſanguine, hoc loco jam tardius moto, copioſius per laxatos poros vaſorum ſecedentem, haud amplius ſufficienter regere queant; ſed eam etiam, quam per glandulas conglobatas & vaſa lymphatica ad cor reprimere debebant, fere omnem ad conglomeratas & poros membranarum, ex his vero ad fauces deſtillare permittunt. Ubi pars ejus, ſuper laryngem & iſthmum ſubſiſtens, per moram ſpiſſior evadit, aërique obicem ponendo, rhoncho & raucedini materiam miniſtrat: pars altera, in guttur irrepens, contactu non modo ſuo minus proportionato, ſed etiam acredine membranas, rimam, & poſt eam, laryngem atque arteriam cingentes, vellicat tuſſimque excitat: pars alia, ad pharyngem provoluta, ope deglutitionis, ad œſophagum & ſtomachum detruditur; pars reliqua extra labia cum ſaliva, ex ductibus ſuis & gingivis tumentibus à præterlabente lympha evocata, ſub ptyaliſmi charactere emanat.

§. XXI. Diximus matrem gravius circa cibos, quam ancillas circa aërem peccaſſe. Nam licet ſit oſtenſum, frigus ſolum, mutando motum humidi & quantitatem, atque conſiſtentiam, ad rhonchum raucedinemque & tuſſim, una cum ſalivatione ſufficere potuiſſe; plura tamen ingerunt ſe animo indicia, inſigniter de ſalina acrimonia ſanguinis teſtificantia; qua ſine ſi puella aërem intraſſet, non majus inde nocumentum reportaſſet, quam aliæ, quæ fere perpetuo ſub Jove frigido verſantur. Quid enim ulcera poſt aures, per menſes aliquot ichorem ſalſum, cum pruritu ac fœtore effundentia, quid in præſentia ſtranguria, quid febris aliud notant, quam ex intemperato uſu rerum, facile fermenteſcentium, & acidum auſterumque ſero imprimentium, ſtatim in utero cum ſanguine materno & hactenus, per hoſce 14. menſes, cum lacte vitium in corpus ſobolis fuiſſe derivatum.

§. XXII. Nec poteſt mater, quod ejuſdem indolis prægnantes & lactantes ſolent facere, indemnitate ſua, & quod nequicquam mali ex voracitate ſua ſenſerit, adverſus juſtam hanc accuſationem ſe munire: quia,

ſi

ſi vel maxime ejus robuſtiora viſcera & artus à cibis, eminente noxiaque qualitate præditis, hactenus illæſa perſtiterunt, haud eadem immunitate tamen tenerius corpuſculum filiolæ gaudere quivit. Cum frequentiſſima notata ſint exempla, ubi non modo cathartica, & alia medicamenta penetrantia, aut tinctiora, data nutricibus, non in has, ſed tantum in lactentes energiam ſuam exeruerunt; & inſuper imaginationis vitia affectuſque animi vehementiores, terror atque ira, gravidarum quidem valetudinem illæſam reliquere, ſed corpora embryonum vel maculis notarunt, vel artubus, & humana forma ipſaque vitali luce ſpoliarunt.

§. XXIII. Vidimus hactenus, quomodo adverſus vitalis atque naturalis diætæ regulas peccatum ſit: hinc reſtat, ut probemus, potiſſimum decubitus puellæ cauſam ex *minus provida paroticorum ulcerum ſanatione* profluxiſſe.

§. XXIV. Vix autem dici poteſt, quam ægre natura turbationem ſuarum actionum ferat, quibus aliquamdiu aſſueta eſt, ut per eaſdem vel univerſum corpus, vel unam ſaltem atque alteram partem à materia, jam dudum deleteria, vel tali aliquando futura, liberet. Quamvis enim ejuſmodi molimina naturæ ſubinde cum totius machinæ commotione, aut certæ alicujus regionis, evacuationem ſuſtinentis, læſione inſtituantur: haud tamen ipſa de via, ſemel inita, deflectit, niſi vel à nova emergente cauſa morbifica, vel affectibus animi gravioribus ab inſtituto ſuo retrahatur, aut materia irritans, & hactenus occaſionem extraordinarie agendi offerens, per apta remedia ipſi ſubducatur. Semper enim, manente eo, quod excretioni deſtinatum eſt, vel novos exitus, antiquis ſæpenumero pejores, quærit, & materiam peccantem ab externis & ignobilioribus partibus ad internas nobilioreſque trudit: vel quaſi dementata, etiam bonos humores in excrementa convertit; ut corpus modo lenta tabe conſumatur, modo mors, ex tumultu & confuſione humorum inemendabili, ſequatur. Quæ omnia eo promtius contingunt, quo magis mobiles ſunt humores tenellorum, & nervoſarum partium ſtructura delicatior.

§. XXV. Haud evagemur longius, ut per exempla oſtendamus, quid ſudores tum totius periodici, tum pedum atque axillarum perennantes; quid cruentationes narium, ſedis, uterique menſtruæ, & harum vices ſuſtinentes V. Sones ac ſcarificationes; quid diarrhææ & coryzæ ἔυκαιροι, ſimileſque à natura & artifice excogitatæ ſeri atque ſanguinis imminutiones ſubito ſuppreſſæ; quid demum ipſæ febres, præpoſtere tractatæ, in œconomia animali turbarum excitare valeant. Satis enim clare rerum harum gnaris patet, quid ægrota noſtra, poſt præcipitatam ulcerum παρὰ τὰ ὦτα ſanationem, patiatur: ut non dubitemus affirmare, febrem & ſtranguriam ab ea ſola dependere; rhonchum autem, & raucedinem, cum tuſſi, quamvis omnino aëri & erroribus maternis debeantur, notabile tamen augmentum inde accepiſſe.

§. XXVI. Poſteaquam enim natura à cruditatibus, ex ſanguine & ma-

terno lacte reſultantibus, ſollicitata, tandem excretioni earum regionem pone aures, ceu locum à viſceribus vitalibus remotum, &, teſte Hippocrate, in tenerioribus ſubjectis frequenter iſtiuſmodi depoſitionibus humiditatum ſubjectum, deſtinarat, idem emolumentum noſtra exinde ſperare debuiſſet, quod alii ex ſetaceis, fonticulis, crurum ulceribus, fiſtulis, reliquiſque evacuationem ſpeciebus, §. præced. recenſitis, percipere ſolent: ut ſcilicet, minori malo majus prævertendo, ab inſultu graviorum ægritudinum, quibus vitia M. S. eæ obnoxia ſunt, immunis manſiſſet, donec, per remedia convenientia, acrimonia ſalino-ſulphurea ſeri, tanquam fons prurientium & fœtentium rivulorum juxta aures, fuiſſet emendata.

§. XXVII. Quamprimum itaque frigus aëris ſpiracula cutis ſanæ, & unguentum pingue, cum ponderoſis ceruſſæ, forſan etiam mercurii præcipitati albi, moleculis, poros ulceratæ cutis occludebant, redibat per venas ad ſanguinem ſerum ſalino-acidum, quod jam dudum ad peripheriam deportatum erat, &, inſtar fermenti plane peregrini, utiles humores ſuo charactere inficere haud deſiſtebat, donec natura adverſus hunc turbatorem œconomiæ ſuæ inſurgens, ipſa motus febriles, pulſum puta celerem durumque, & calorem, quibus mediantibus alias M. S. deſpumare ſolet, concitaret, & partes materiæ infeſtæ, quas ob craſſitiem earum per poros corporis, hac vice à calore aucto iterum patentiores redditos, expellere nequibat, motu quaſi critico ad fauces atque renes, ceu loca ſeri excretoria, deponebat; quæ ibi tuſſis, hic vero ſtanguriæ, & conſiſtentiæ craſſæ urinæ, atque coloris admodum mutati autores evadebant.

§. XXVIII. Poſſent equidem hæc omnia prolixius exponi; ſed neque fides conſultationis tranſilire cupimus, nec deſiderio Lectoris, ecquid ſpei reliquum ſit, cognoſcere cupientis, haud ſatisfacere æquum arbitramur. Nemo vero levi ægritudine filiolam teneri jubicabit, qui magnitudinem periculi, ex præſentis ſtatus corporis receſſu à naturali, bene ſecum penſitabit. Quamvis enim nulli dubitemus, forte multos, quibus rhonchus unum ex levioribus ætatis infantilis ſymptomatibus videbitur, & qui nec raucam vocem & tuſſiculam, nec febrem cum ſtranguria ſatis digna metu æſtimabunt: cum talium curatio quotidianum Practicorum opus ſit. Sed quemnam fugit, longe aliam eſſe ejuſmodi affectuum, ſeorſim occurrentium, conditionem, quam ſi in uno corpore, & eodem tempore conveniunt, & naturales æque ac præternaturales cauſæ cum prognoſim, tum reſtitutionem ipſam difficiliores reddunt.

§. XXIX. Eſt enim (1.) ætas tenera, & robur partium adhuc infirmum, ut nervi facile per motus convulſivos quatiantur; cumprimis ſi vigiliæ, ex concitatiori tuſſi, ac œſtu ſanguinis febrili ſupervenerint, aut lotium deinceps quoque tardius, ob craſſitudinem, effluxerit; aut veſicæ ſphincter, ab acredine auſtera ſalium jam dudum in ſtranguria ſemiclauſus, lethaliter ad iſchuriam corrugatus fuerit. (2) Ipſa ſedes rhonchi eſt unus ex nobilibus meatibus, ad vitam ſumme neceſſa-

riis,

riis; quem ſi tenacior lympha occluſerit, tunc miſere ſubito ex ſuffocatione pereundem eſt. (3) Accedit rerum p. n. concurſus, ex quibus aliquæ vel nullam, vel tardiorem, quam ſtatus ægræ ratio expoſcit, remotionem ſui patiuntur. Quis enim, ut cauſarum procatarticarum ſaltem mentionem faciamus, præter ætatem ac diſpoſitionem hæreditariam, etiam immite tempus anni tollere, aut ſatis cito ægrotæ temperamentum ſine periculo mutare, ſanguinemque & lac maternum corrigere valebit?

§. XXX. Enim vero, quo minus ſpem reconvaleſcentiæ concidere ſinamus, & triſti nuncio parentes territemus, illa ipſa argumenta, quæ haud inanem metum mortis incutere apta erant, lætiori prognoſi formandæ inſervire poterunt. Quia, ſecundum Coum, *S.* 2. *Aph. in morbis minus periclitantur, quorum naturæ, & ætati, & habitui; & tempori magis ſimilis fuerit morbus, quam in quibus horum nulli fuerit ſimilis.* Hinc corruunt, quæ ex naturalium cauſarum fonte in contrarium ſunt hauſta: cum ſupra oſtenderimus, quomodo iſta omnia ægrotæ congruant, & noſtra inſuper ex ſexus ſui indole, præ maſculis, peculiari prærogativa, ex levi cauſa decumbendi, & rurſus cito evadendi, gaudeat.

§. XXXI. Ex *febri* autem & *ſtranguria* non majus malum, quam ex *tuſſi* metuendum eſſe credimus. Nam ſicut hæc à ſolo robore naturæ ortum ducit, qua pulmo & arteria aſpera ab inundatione ſuffocante defenduntur; ita confidimus, per febrem haud minore energia ſerum, fauces puellæ gravans, reſolutum iri, quam *S.* 2. *Aph.* 26. & *S.* 4. *Aph.* 57. *in Convulſis*, *Sect.* autem 5. *Aph.* 5. *in mutis ex ebrietate*, & *S.* 6. *Aph.* 40. *in dolore hypochondriorum, ſine inflammatione*; nec non *S.* 7. *Aph.* 52. *in hepate dolente* per eam materia peccans tolli ſolet: cum inſuper ex Hippocrate diſcamus, per febrem etiam ſervari illos, *qui, cum capitis dolore repentino obmuteſcentes*, ῥέγχουσι, *ſtertunt*, quibus ſecundum *S.* 6. *Aph.* 51. *in ſeptem diebus pereundum eſſet, niſi febres eos apprehenderent.*

§. XXXII. Nec eſt quod ſtillatitiam & lacteam urinam vehementer timeamus. Nam quamvis, præter alia ſymptomata, ſtranguria affectos occupantia, periculoſa iſchuria eſſe ſoleat; per poriſm. 2. illuſtris Wedelii, Patroni noſtri maximi, *aphoriſmo* 44. *S.* 6. Hipp. ſubnexum, *eidem ingraveſcenti ac flatuoſæ paſſio iliaca ſymbolica conjungi & ſupervenire poſſit*: per febrem tamen noſtra ab omni formidine abſolvitur; cum illa, ſecundum *poriſma* 5. *aph.* 51. *ejuſd. Sect.* non ſolum citatiori *ſanguinis motu materiæ morbificæ obſtruenti disjiciendæ & abripiendæ*, ſed etiam *per poriſma* 3. *Aph.* 44. *urinæ citandæ inſervire* queat.

§. XXXIII. Quod ſi vero ſtranguria omnino plena eſt dolorum, haud tanti tamen illi ſunt, ut ſtatim metum calculi, à matre allegati, aut convulſivorum motuum incutere debeant. Exiſtit enim lotium turbidum & morſicans tenellis admodum familiare, cum quo natura partem ſeri maxime ſalinam & feculentam egerit, ut ſæpe matribus vanam calculi

ſuſpicionem faciat, quando infantes ſubſtantiam modo cretaceam, modo fulvam & areniformem, cum ploratu, crebraque interruptione, & niſu preſſorio emingere cernunt.

§. XXXIV. Cum itaque, quantum ex allatis intelleximus, naturæ robur adhuc fere integrum in noſtra vigeat, ut non modo peccantis cauſæ ſtimulos, per tuſſim, ſitim ac ſtranguriam potiſſimum & evidenter ſeſe exſerentes, adhuc diſtincte ſentiat, ſed quoque vario molimine ab illis corpus vindicare geſtiat: hinc brevi valetudine proſperiore eam potituram eſſe perſuademur; quamprimum ſcilicet per commoda, & indicationibus ſufficientia remedia adjuta fuerit.

§. XXXV. Videtur autem curam non ſolum *ad gnatam*, ſed ſimul etiam *ad matrem* ipſam eſſe dirigendam. Matri conducent pharmaca, quæ primas vias à cruditatibus, ex male ordinata diæta illuc congeſtis, purgant, & poſtmodum maſſæ ſanguineæ & lactis acrimoniam obtundunt & disjiciunt. Infanti autem uberiori medicatione opus eſt, quæ primaria intentione *faucibus*, hinc *viis urinariis*, & ſecundario labore *febris ſymptomatibus* ſuccurrat.

§. XXXVI. Eo redibit itaque medentis occupatio, ut hiſce *tribus indicationibus* ſatisfaciat: nimirum (1) ut *quantitas materiæ peccantis minuatur*, & tam ex faucibus, renibuſque & veſica, quam toto corpore eliminetur. Hoc fiet per cathartica & ſudorifera; illud per expectorantia, diuretica & alia, quæ derivantium ac revellentium funguntur munere. (2) Ut *lymphæ qualitas viſcida & acris infringatur atque obtundatur*, per diluentia, reſolventia & abſorbentia. (3) Ut *totius corporis vigor*, & *tonus naturalis affectarum partium inſtauretur*, *conſervetur*, & *augeatur*, ne nova vitia in illis generentur, ſed reliquiæ præſentium ad meliorem frugem redigantur.

§. XXXVII. Haud equidem ſum neſcius, quod recepta methodus medendi jubeat, ut ex tribus fontibus, & variis formularum loculis, remedia, ab indicationibus recitatis indicata, delibemus, libertatemque ſeligendi, cum prudente ſelectorum applicatione, utenti relinquamus. Enimvero, cum *juſta uſurpatio auxiliorum* recentiori Practico multo magis ardua, quam *inventio* eorumdem ſoleat exiſtere, & per *exempla* melius, quam per *præcepta* doceatur; hinc potius integram puellæ curationem, ex D. D. Præſidis *diario* excerptam, apponere placuit, quam variam medicamentorum ſeriem, ex libris practicis corraſam, huc tranſcribere.

CURATIO.

§. XXXVIII. Poſtquam D. D. Præſes ex parentum & adſtantium tumultuaria relatione, & omnium phænomenorum, ipſius ſenſibus ſe ingerentium, circumſpecta conſideratione, ſufficienter intellexerat, quæ ad ὅτι καὶ διότι affectus complicati cognoſcendum, & prognoſin cum methodo

thodo medendi conſtruendam, neceſſaria videbantur; curationis opus à remotione *cauſarum procatarcticarum, quousque hæ in poteſtate ægri & adſtantium verſantur*, & præſervatione ab ulteriori materiæ peccantis generatione inchoandum eſſe reputabat.

§. XXXIX. Hinc ut extantiora vitia diætæ ante omnia corrigerentur, matri non modo earum rerum intermiſſionem, quibus ſe ultra mediocritatem, & contra interdictum mariti, uſam eſſe, haud negare quibat; ſed colli etiam, atque pectoris, & brachiorum paulo curatiorem à frigore defenſionem ſedulo ſuadebat. Non minus porro, ut curas ac triſtitiam deponeret, & jurgia vitaret, ipſi autor erat; ne per mœrorem viſcerum vigorem imminueret, aut per excandeſcentiam humores acres adhuc magis exacueret; quin potius, ut per tranquillitatem animi & corporis auxiliorum vires, ipſius infantis conſtitutionem concernentes, adjuvaret.

§. XL. Infanti autem blande & æqualiter calens cubiculum, quod ſine pulvere ac fumo eſſet, commendabat, potumque cereviſiæ, quam hactenus perfrigidam lubentius, quam lac maternum, biberat, non niſi tepidum concedebat; ſimulque ſerio ancillis inculcabat, ne quicquam acidi, aut ſalſi acriſque puellæ deguſtandum traderetur; ſed juſculis potius avenaceis, jure pingui gallinaceo, ovo ſorbili & ſimilibus eupeptis ea ſuſtentaretur, cibique parciori mole, quam hactenus factum eſſet, & infra appetentium ægrotæ præberentur.

§. XLI. His ita conſtitutis, matri pilulæ dabantur, mox deſcribendæ, quibus miſtura balſamica, reſolvens ſubjungebatur: ut, ſi illarum ope ex primis viis ſaburra cruditatum, abſque tumultu, eliminata eſſet, per hanc concoctio & tonus viſcerum conſervaretur, acredo ſeri atque lentor, ex cibis mali ſucci reſultantes, emendarentur, & ſic lac ipſum medicamentoſum redderetur.

℞ ☿ *dulc. gr.* viij.
Diagrid. Trochiſc. alhandal, aa *gr.* jv.

M. & c. ſir. de ſtæchad. vel eſſent. jalapp. f. pilulæ, num. 9. D. S. *Pilulæ pro una doſi ſumendæ una hora ante prandium & involutæ in fruſtula mali toſti ſive in hoſtia madefacta & bibendum erit poſtea ſæpe aliquid calidi.*

℞. *Eſſent. lignor.* ℥ij. *myrrh. ſuccin.*
∽ * *aniſat.* aa ℥j.
Tinct. ♁ij *tartariſat.* ℥ß.

M. D. S. *Portio ad purificandum ſanguinem ſumenda erit, mane, meridie & veſpera ſingula vice 32 gutta in cereviſia & jam hodie incipiendum erit.*

§. XLII. De hiſce medicamentis ſequentia notamus: (1) Illepidum equidem pilulis nomen, *Trium diabolorum*, à Maetſio, *in collect. Leyd.* tribuitur; ſed per annos aliquot, ſub honeſtiori titulo *Pilularum ☿ialium de tribus*, à D. D. Præſide cum bono fructu uſurpatæ ſunt. Reſpondent enim multis indicationibus, & operantur ſine moleſtia. Ut adeo, quia ſerum viſcidum, ad obſtructiones ♀ronum, corrigunt, non minore jure

ſpleneticæ appellari queant, ac illæ, non quidem à Sylvio ipſo, ſed Sylvianis potius ita dictæ; quarum aliæ ſine aloë, *prax. lib.* 1. *c.* 14. *p.* 188. aliæ vero cum ea, *lib.* 2. *c.* 5. *p.* 402. deſcriptæ extant, (nam quæ *lib.* 1. *c.* 34. *p.* 271. abſque purgantibus leguntur, huc non pertinent) & non ſolum ineptam acquirunt molem, ſi ſecundum literam formantur; ſed inſuper ſæpius nimis ſegniter, nec ſine torminibus agere ſolent.

(3) Offerebantur pilulæ paulo ante prandium, ubi data opera à conſuetudine recepta declinabamus. Nam ſicut aloetica utplurimum ante vel poſt cœnam aſſumuntur, ut ſequente demum die alvum ſolvant; ita reliqua purgantia magis matutino tempore porriguntur, ut æger per tres horas minimum à cibis abſtinere queat. Enim vero, quia noſtræ præter virtutem *catharcticam*, etiam *alterantem* exercere debebant, hinc commiſtionem earum cum chylo neceſſariam cenſebamus, ut eo certius in M. Sean. penetrarent.

(3) Dabantur pilulæ purgantes, ſine ullo *præparante*, *digerente* vel *leniente*, quæ alias præmitti ſolent. Sed excuſabat nos (*α*) curationis feſtinatio, & quod nolebamus rem ſeriam in craſtinum differre. (*β*) Diſſenſus practicorum, quorum non pauci eadem libertate purgans ſine digeſtivo prævio aut leniente, ac leniens ſine inſequente ſolenni purgatione, pro re nata, ægrotis ſuis & ſine ullo damno propinant.

(4) Nos neutiquam ſuperbo *Purgatorii ſanguinis* vocabulo eo ſenſu utebamur, quo vulgus non tantum, ſed ultra eum quoque ſapientes uti ſolent; dum, forſan culpa quorundam medicorum, erronea eorum animis opinio inſedit, difficultate non majori, & uno quaſi ictu ſanguinem, e. g. a vitio ſcorbutico purgari poſſe, quam primæ viæ per unum pulverem aut pilulas evacuantur: ut crebro audias vernali tempore ſcabioſos in craſtinum *catharcticum* petentes, ut *ſanguipurgium* perendie aſſumi queant. *Qui volunt detergere ventriculum & poſtridie remedium ad ſanguinem purificandum.*

§. XLIII. Cum hiſce matri pro tempore proſpectum eſſet, mox gnatæ etiam ex fontibus reſiduis remedia paranda erant. Sed parum opis, præter *frictiones & clyſteres*, ex chirurgia poterat depromi: cum *ferri* atque *ignis*, h. e. *V. S. ſcarificationis*, ac *cauteriorum actualium*, ne quidem nomina allegare permiſſum eſſet. Nam quamvis hodie ejuſmodi juvandi media non amplius à ſolis incolis calidiorum regionum uſurpentur, & apud Anglos *venæ ſectio*, (ut ex Williſii & Sydenhamii, ſimilibuſque iſtius gentis ſcriptis, permulta nova, & à noſtratium medendi conſuetudine aliena afferentibus, cognoſcitur) in morbis catarrhalibus infantium ſimplicibus, & febri maritatis celebretur: ſecure tamen hæc & alia in noſtro caſu intacta linquebantur; notum cum eſſet, qua criſpatura frontis heroica auxilia excipiantur; nec etiam neceſſitas indeclinabilis ad ea deſcendendi flagitaret.

§. XLIV. Sed alia erat ratio *cauteriorum ſine igne*, ſeu *veſicatoriorum.*

Nam

Nam licet forſan, utrumque brachium infantis iiſdem ulcerare, adſtantibus non nimis durum eſſet viſum, (cum fœminæ tenerrimæ texturæ, & in his principes ac nobiles, ſubinde capitis, & dentium, oculorumque doloribus ita mederi ſoleant) & procul dubio egregium levamen noſtra ex revulſione & derivatione ſeri, ad guttur properantis, percepiſſet, ſimulque talia naturam, ne in febrili ſua deſtinatione extra orbitam abiret, ſalubriter coërcuiſſent: haud tamen prius, quam cuncta mitiora in ejuſmodi ſubjecto pertentata eſſent, ad vehementiora, cum periculo novorum accidentium, procedere conſultum ducebatur. Nam ſi cantharides adhibitæ fuiſſent, facillime ſtranguriam, quam alias plerumque excitant, in noſtra ægra adaugere potuiſſent, & reliqua veſicatoria, ex vegetabili materia parata, majore iſtis ac diuturniore ardore puellam cruciaſſent.

§. XLV. Fiebat itaque tranſitus ad mitiora; ubi præter medicamenta interna, *miſturam* ſcilicet, *potiunculam* atque *linctum*, ex operationibus mere chirurgicis *frictiones* verticis, nuchæ atque colli laudabantur; quibus etiam *clyſteres*, (reſpectu formæ quidem itidem ad χειρεργήματα, ſed ob materiam, quam cavitatibus injiciunt, ad pharmaceutica remedia trahendi) una cum *ſacculo pro collo*, & *litu ad renum & veſicæ regionem* ordinato, accedebant. Quæ ſingula jam ordine ſunt exponenda.

§. XLVI. Materia miſturæ non parum recedebat ab ea, quam mater acceperat; cum propter calorem febrilem non æque volatilis, & nihilominus tamen, præter vim balſamicam, ſuaviter ſimul expectorans ac diuretica expeteretur.

℞. *Eſſent. lignor.* ʒj. *myrrh. aniſ.*
—— ⦶ *dulc.* ʒ aa ß. M. D. S. Miſtur, *ſumendum mane & poſt prandium* 7 *v.* 8 *guttulas in cerevisia.*

§. XLVII. Potiuncula recipiebat (1) *abſorbentia*, quæ qualitatem acrem ſeri, tuſſim & ſtranguriam foventem, temperarent. (2) *Reſolventia*, à quibus non ſolum in faucibus ac viis urinariis, ſed ipſo quoque ſanguine viſcidiores ſeri maſſulæ inciſæ diluerentur; ut promptius per poros tranſeundo, nullibi ſubſiſterent, ſed à natura tam ex faucibus, per tuſſim, quam ex veſica, cum ipſo lotio, ſine mora poſſent exprimi. (3) *Bezoardica*; nam quamvis nemo forſan dubitet, quod febricula jam ſponte quaſi ſua modo recenſitis, pro qualitate inſita agentibus, ceſſatura ſit; haud tamen temere nulla ſpecioſi *bezoardicorum* tituli facienda erat mentio.

℞. *Ocul. 69. ppt.* ♁*diaph.* aa ℈j.
Rad. irid. flor. pœon. aa gr. 15.
Pulv. bez. Senn. ⦶ *tabulat.* aa ℈ʒ.
▽ *chœrefol. fœnicul. hyſſop. petroſel.* aa ℥j.
ceraſ. nigr. C. B. aa ʒij. *cinam. borrag.* ʒß.
Sir. de alth. de hyſſop. aa. ʒij. M. D. in vitro, *S. Potio febrifuga reſolutiva ſumenda, frequenter cochleatim phiala prius agitata.*

§. LVIII. Vi-

§. XLVIII. Videbantur equidem hæc ipſa ad internum uſum ſufficere; ſed quia extuſſio, ob lymphæ viſciditatem, non adeo expedita erat; hinc *linctus* præſcribebatur, quo ſolo plus ſimplici vice rhonchizantes antehac levati erant.

℞. *Sir. de hyſſop. de eryſim.*
Lohoch ad aſthma, aa ℥ij. *Oxymel. ſcill.* ℥ij.
Spermat. cet. non rancid. gr. 15. M. D. S. *Loch exhibendum ſæpe infanti ſuper extremitatem cultri.*

§. XLIX. Frictionis inſtrumentum erat pannus mollis calefactus, & fumo maſtichis, tacamahacæ, atque ſtyracis impræгnatus, quem fricantis manus, cum leni appreſſione, à vertice trans nucham atque collum deorſum aliquoties ducebat. Repetebatur hæcce operatio ter quaterve quotidie, ut deſcenſus lymphæ, ad cordis regiam tendentis, faciliraretur, & ſimul ſuperflua humiditas, cum ſordibus excretioni à natura deſtinata, per apertos poros promptius emergeret.

§. L. In eundem finem, poſt frictionem nucha, collum atque pectus ſacculis ſequentibus muniebantur:

℞. *Rad cyperi rotund. irid. flor.* aa. ℥iij.
Herb. majoran. ſalv. roſmar. thym. aa. Mj.
Flor. ſtoechad. arab. lavend. aa. P. j.
Sem. 4. *calid. maj.* aa. ℥ij.
Baccar. laur. ℥jß. *camph.* ℈j.

Inciſa contuſa D. in charta, S. ſpecies, *Ad implendum tres ſacculos lintei molliſſimi applicandos poſt frictiones ſuper collum & pectus.*

§ LI. Ab horum ſacculorum exhalationibus ſalino-ſulphureis non minus pro vitalibus humoribus, quam nervis ac ſpiritibus animalibus vigor ſingularis expectabatur; ut nec inunctionibus *ſpirituoſis*, ex ▽ Reg.-hung. apopl. ⏜ lumbricor. formicar. *, Eſſent. camph. &c. nec *pinguibus*, ex pingued. humana, canina, taxi, &c. ℴℴ item expreſſis deſtillatiſque & unguentis paratis; nec *emplaſtris* in præſente ægra opus eſſe videretur. Nam licet iſtiuſmodi medicamenta externa adultis exoptatum afferant auxilium; in noſtra tamen conſulto omittebantur; ne à ⏜ uoſis atque ℴℴ æthereis febris intenderetur, ac fibræ nerveæ ſubtiles laceſſerentur; ab unctuoſis autem & emplaſtris occulta tranſpiratio, cum pruritu & excoriatione cutis impediretur.

§. LII. Pro lumbis autem & regione renum ac veſicæ cum fructu pinguia ac demulcentia, una cum penetrantioribus ſulphureis commiſcebantur; ut criſpatura p. n. fibrarum, à vellicatione ſalium urinæ inducta, tolleretur; & contra ea verus motus tonicus, progreſſus liquidi adæquatus autor, inſtauraretur, unaque cum lotio materia tartre ea muſcoſa extruderetur.

℞. *Pingv. human. c. flor. hyper. & verbaſc. inſolat.* ℥ij.
ℴℴ *ſcorpion. hyoſc.* aa. ℥jß.

Ω ut.

Ol. ſtillat. aniſ. fœnic. aneth. aa. gut. viij. M. D. S. *Oleum compoſitum calefactum in cochleari ex quo fiat frictio ſæpius per diem ad coxes & lumbos.*

LIII. Clyſteris materia erat talis :

℞. *Herb.* ſ. *emoll.*

Flor. chamom. rom. aa Mj *melilot. ſambuc.* aa. Pj.

Sem. fœn. gr. ʒij. *lini* ℥ß. *Agaric.* ʒiij.

Inciſ. contuſ. coqv. c. ſ. q. ▽ſ. *Colatur.* ℞. ℔. *adde*

Elect. lenitiv. ʒvj. *Mellis* ☿ *rial.* ℥j.

☍ *aneth. chamom.* aa. ℥ß.

M. & divid. in 3. partes æquales ; S. *Clyſterium ter aplicandum tribus ſucceſſivis, vel una die interpoſita.*

§. LIV. Eligebatur autem *enema* præ aliis cathardticorum formulis, (1) quod per id ſecure, & abſque ulla præſentique ſtatui febrili minus tuta, humorum turbatione, quam (ſæpenumero etiam mediocria purgantia, ore aſſumta, ſua fermenteſcentia excitare ſolent) ventriculus & primæ viæ evacuari, & ſic *revulſio* ac *derivatio* humorum à regionibus ſuperioribus aptiſſime obtineri poterat. (2) Si prima vice negotium ex voto non ſuccederet, aderat ſecunda atque tertia clyſteris doſis, quas ſine ulla moleſtina ægrotæ repetere licebat. (3) Egregie ſic renibus atque veſicæ ſuccurrebatur, quorſum tam calor, quam virtus medicamenti pertingebat.

§. LV. Nec deſtituebat divina benedictio hanc curationis viam ingredientem. Cum enim d. 26. Novembris omnia ſecundum ordinem delineatum uſurparentur, & prima doſis clyſmatis tertia vice alvum recluſiſſet, lotiumque haud amplius guttatim prodiiſſe, linteamina & ſtragula, larga humiditate perfuſa, teſtarentur, nox ſatis placida ſequebatur, & die 27. mane febris mitior videbatur, remiſeratque inſuper chonchus & raucedo, ut puella fere acutum clamorem iterum edere valeret, & haud exiguam quantitatem juſculi avenacei aſſumeret.

§. LVI. Durabat exoptatiſſima hæc mutatio ægritudinis in melius uſque ad meridiem ; ubi ab honeſta matrona ſtiria panis ſaccharati, vino Gallico immerſa, ægrotæ offerebatur, ut ſcilicet corculum dulcis pupulæ paupulum confortaretur. Hanc illa quidem avidiſſime abſorbebat ; ſed haud diu poſt frequentius, quam præcedente nocte, & ante meridiem, tuſſire cogebatur ; ut, quia hoc modo pituita affluens in faucibus cumulata, nec à puella, modi exſcreandi ignara, foras ejiciebatur, ſed maxima pars deglutiebatur, & reliquum ex ore promanabat, hinc rhonchus & raucedo inſigniter augerentur.

§. LVII. Circa veſperam ægra nec linctum amplius, nec potiunculam admittebat, ſed ſtatim cum magna averſatione iterum exſpuebat. Ut proinde opus eſſet, quia mater, filiam nunquam dulcibus delectatam fuiſſe, referebat, iſtum plane ſeponere, & à pulveribus potiunculæ,

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1813
SCHOOL OF MEDICINE

in fundo vitri ſedentibus ▽ deſtillatas cum ſirupis effundere, hiſque alias puras ſubſtituere; quæ etiam ſine tergiverſatione bibebantur.

§. LVIII. Die 28. mane calor febrilis erat acrior heſterno, & nox abierat inquieta, ſomnum tuſſi, rhoncho, ploratu & jactatione corporis turbantibus, redibatque ſtranguria & alvus per 36. horas clauſa manſerat. Loquebantur igitur matronæ de neceſſitate quietis, unaque earum Sirupum de meconio, altera mithridatium adverſus agrypniam extollebat, & quam opportune horum ope plurimi infantes pavoribus & inſtantibus motibus convulſivis erepti eſſent.

§. LIX. Sed poſtquam veram cauſam recidivæ, una cum periculoſo opiatorum in taliſmodi affectibus uſu edoctæ erant, & per ſecundam clyſteris doſin, ac cæterorum medicamentorum ſedulam continuationem, univerſam corporis œconomiam tranquillari cernebant; non modo ingentem ſuperiorem partium cum inferioribus conſenſum dari, harumque diſpoſitionem p. n. iſtarum naturalem facile evertere poſſe diſcebant, ſed firmam etiam de reſtitutione ægræ fiduciam concipiebant.

LX. Die 29. ſtatus ægræ deprehendebatur mediocris. d. 30. nulla amplius veſtigia febris ſentiebantur. d. 2. autem Decembr. pulſus iterum celerior erat, & rhonchus auctus, qui hactenus valde remiſerat, & tantum per intervalla puellam infeſtaverat. Culpa rejiciebatur in alvi tarditatem, quam placenta heri data effecerat. Adhibebatur itaque ultima doſis enematis, cum ſucceſſu ſperato.

§. LXI. Die 3. conquerebatur mater de exiguis prurientibus puſtulis, paſſim quidem in corpore, ſed affatim magis in manibus erumpentibus & circa noctem imprimis ſcalturam exigentibus. Erant autem hæ ſcabiei initium; quia à miſtura ipſi nuper exhibita, pars materiæ acris ad peripheriam pellebatur commendabatur itaque ſcarificatio repetita & continuatio medicamenti, ſed abſque ⏜ ⚹ aniſ. cui pulveris ex ♁ diaph. & C. C. ulto aliquot doſes, ſomni tempore ſumendæ, jungebantur.

§. LXII. Die 6. offerebatur puellæ Emulſio purgans, ex Eſſent. jalapp. ℈j. mannæ ℥ß. & 3. vel 4. amygdalis c. ▽ roſar. concinnata, quam, optime operanteni, miſtura ex Eſſent. lignor. croc. aniſ. & anod. excipiebat. Tuſſierat enim imprimis nocta, & per tuſſim ſemper raucedini atque rhoncho anſam præbuerat. d. 10 videbatur plane priſtinæ valetudini reſtituta; quapropter matri, ut ocyſſime eam ablactaret, à Medico amiciſque ſuadebatur.

FINIS.

NICOLAI

XLIV.

NICOLAI ROSEN

ET

EBERHARDI NICOLAI FRATRIS

DE TUSSI DISP.

PARS PRIOR THEORETICA.

Upſal 14 Nov. 1739.

J. N. J.

§. I.

DOcet anatome corpus humanum ex ſolidis & fluidis ea lege conflatum eſſe, ut in illis hæc coërcita, per circulum non moveantur modo, ſed & in motu ſic determinentur, ut ſub ſingulis circumgyrationis actibus, a corde ut centro ad idem tendentibus, fluida eo in ſolida effectu agant, ut ſua hæc obire munia queant, quibus duret commercium inter animam & corpus *vita* dictum.

§. I I.

Hæc §. 1. in corpore durans, neceſſitate ſtructuræ cujuſvis partis continuatur, quare & quælibet pars propriam functionem h. e. vitam ſortita eſt. Hæ vero functiones quamdiu ſingulæ ſine impedimento ad unicum communem effectum, circulum nempe ſanguinis æquabilem perficiendum conſpirant; (quemadmodum illæ viciſſim ab hoc vi cordis motrici animantur) facile jucunde & conſtanter actiones hominum omnes cum perfecta *ſanitatis* uſura ire jubent.

§. I I I.

Eo vero ipſo, quod hæc ſic §. 2. optime fiant, ſe mutuo fluida & ſolida conſumunt; quapropter ingerendis ne minuatur vita opus erit. Illorum vero, ut & quibus de cetero vivit & afficitur homo, indoles; functionum, h. e. vitæ §. 1. ac ſanitatis §. 2. tenorem diverſimode intendere, nec minus ad quietem uſque minuere poteſt.

§. I V.

Mutatio, quam ex his, §. 3. quocunque demum modo, ſive intenſione ſive remiſſione, functiones ſubeunt ita, ut a ſanitatis §. 2. idea corporis conditio declinet, *morbus* eſt, ſicut illa eo uſque deducta, ut ceſſet plane functionum effectus §. 1. nec ullo modo ſuſcitari iterum queat, ſub *mortis* nomine comprehenditur.

§. V.

Circa hæc §. 1-4. per ſuas cauſas cognita, ceu primarium objectum totius ſcientiæ medicæ apparatus verſatur ita, ut vitam §. 1. ſic §. 2. perennantem ſuſtentet *medicus*, eidem vero ſi declinaverit §. 4. priſtinum reddat vigorem.

§. VI.

Atque ex his §. 1-4. quidem, hoc pacto §. 5. ſcientiæ in modum ivxicem connexis, ut particulam aliquam diſſertationis nomine ventilandam avellerem, rerum mearum ratio poſtulavit. Quapropter affectam *tuſſi* pulmonum præcipue functionem curatione olim addenda exponendam ſelegi. Cujus tanto majoris momenti viſa mihi conſideratio fuit, quo & ſæpius ſic affecti pulmones laborent, & minus, vitalis ſimul & tenerrimi hujus viſceris affectionem niſi valde ſufflaminetur, animalis vitæ rotatio ſuſtinere queat. Quemadmodum enim in genere, quod de exercitu Curtius [a] *dum partes* inquit, *labant ſumma turbatur*, ad vitam humanam potiori jure referimus, ita in ſpecie ex pulmonibus labefactatis, per quos continuo vitalis liquor tranſit, id tanto certius evenit. His ſi adjunxero, tuſſim præter ceteros pulmonum morbos fallaci magis & ſpecie ludere, in illis tantum non omnibus una adeſſe, & ſparſim fere illam a medicis tractari; eo ipſo, ut a veritate nihil alienum, ſic tractationis quoque dignitatem eviciſſe mihi ſatis videor. Dum igitur cœptam telam pertexere aggredior, organa prius, quibus tuſſis h. e. reſpiratio violenta perficitur, exponam, quo quid in illis fiat eo facilius percipiatur. Eſt vero actio pulmonum, reſpiratoria, ſanguinem tranſmittens & ſe vel excretoria; quæ ſingulæ ex anatomicis uberius explicabuntur.

§. VII.

Peragitur reſpiratio *inſpiratione* & *exſpiratione*; quarum I. natura quoque prior tum fit, ubi muſculi, ſerratus poſticus ſuperior, intercoſtales omnes pariter ac ſupracoſtales, verſus claviculam elevantes arcuatam præcipue coſtarum 9. ſuperiorum partem, thoracis capacitatem augent; quæ major adhuc fit, dum diaphragma, ipſum quoque muſculus, ſimul contrahitur, & a pulmonibus verſus abdomen planum factum ſecedit. Quapropter dum dilatatus ſic in omnem dimenſionem thorax, inter pleuram & pulmonum ſuperficiem vacuum relinquit, aër elaſticus & gravis, cui per os & nares glottidem quoque laryngem, aſperam arteriam & bronchia, aditus in pulmones patet, expanſiles illorum, ex trachearum ramulis natas veſiculas, racemos, lobulos, his intertexta omnis generis vaſa, immo v. ipſos, per quos intrat aër tubos, quaquaverſum expandit, donec, in utroque thoracis latere ſiti pulmones contigui ſint pleuræ & diaphragmati, actionemque aeris nixu ſuo thorax æquet. Et tum quidem 2. Ob hanc vel quietem vel æquilibrium, non ut prius ad recenſita modo organa influentibus ſpiritibus, actio eorum deſinit. Quamobrem ſegmenta cartilaginea coſtarum, proprio elatere, & infracoſtalium, ſternocoſtalium coſtas

[a] Libr. III. c. 8.

coſtas deprimentium, abdominalium quoque muſculorum, laxatum nunc diaphragma, inteſtinis mediantibus, ſurſum retrudentium ope, thorax coarctatus pulmones comprimit, qui ipſi, ut ſemper, tanto magis ex inſpiratione in ſtatu violentæ diſtractionis conſtituti, proprio nixu corrugantur, & aërem qua intravit via expellunt, id ipſum eo, quod *exſpirationem* dicimus efficientes.

§. VIII.

Habent vero hi actus §. 7. alias quoque fortiores, voluntatiſque partim arbitrio ſubjectas cauſſas, quarum id momentum eſſe conſtat, ut inſpirationem & exſpirationem pro lubitu ſæpius & ſiſtere valeant & violenter exercere. Fiunt vero hæ iiſdem fere ac diximus §. 7. organis, & ſicut earum actio vix niſi gradu differt, ita ex dictis maximam partem intelligi poterit [*b*].

§. IX.

Dum hæc (7. 8.) ita fiunt, tranſmittunt pulmones ſanguinem ex duplici arteria *pulmonali* & *bronchiali* ſcaturientem, per minores numero & capacitate, ejuſdem tamen nominis venas. Id quod ſic fieri obſervatur, ut quæ ex dextro corde oritur pulmonalis, ex intercoſtali vero ſuperiore [*] bronchialis arteria, in ramos innumerabiles fere diverſique ordinis prius diſpeſcatur, iique rami bronchiorum ramulis & cellulis agglutinati veluti, per Anaſtomoſin venis, quæ ab oppoſito arteriis latere bronchiis adhærent, infundantur, donec inde in ſiniſtrum cor pulmonalis vena, collectis in truncos ramulis, properet, in azygos vero venam bronchialis illa abeat.

§. X.

Sed & ſic §. 9. propagata vaſa, præter *lymphatica* ad thoracicum ductum abitura [*c*], in pulmonales veſiculas & pervia aëri reſpirationis organa cetera, emiſſaria ſua porrigunt; quæ ſive *glandulæ* fuerint, ſive nude hiantes vaſorum lymphaticorum *extremitates*, ſemper tamen ſanis partibus unctuoſum fundunt liquorem, quo aëreæ viæ lubricæ ſint flexiles, & a roſione denique attractorum forte acrium halituum ſemper muniantur.

§. XI.

Hi omnes actus §. 7-10. ſicut per ſua organa, ceu *cauſſas proximas formа-*

[*b*] Videſis Boerhaav. Inſt. §. 621. &c.

[*c*] Vid. D. Præſidis C. A. p. 288. & Nuckius in Adenograph. cap. 4. quem allegat & uberius exponit Joſ. Rega in meth. med. p. 26.

[*] Sunt tamen hæc non perpetua, ſed ejus origo in diverſis ſubjectis diverſiſſima eſt. vid. Winslow. Anat. T. III. p. m. 27.

males hactenùs fuerunt expoſiti, ita quoque alias remotiores cauſſas habent, per quas illorum cum aliis partibus in agendo conſenſus intelligi queat & explicari. Sunt vero illæ *nervi*, ex quibus huic operi velificantur par octavum vagum & intercoſtales dicti nervi. Quorum illi ad gulam quoque, & ventriculum propagantur [*d*], hi vero hepaticum conſtituunt plexum, meſentericos quoque & hypogaſtricum [*e*].

I. DEFINITIO.

§. XII.

Ex his datis principiis tuſſim definire poſſumus, quod ſit actio violenta organorum ſpirationis omnium §. 7. 8. in ſpecie vero exſpirantium pulmonum, quorum vehementi dilatatione aër ingeritur, larynx clauditur, moxque coarctatis pulmonibus, exploſi aëris vehementia laxatur, illum tranſmittit, qui ex veſiculis pulmonalibus prorumpens, obvia quævis in bronchiis aſpera arteria & larynge mobilia, foras ſecum abripit, ſonum egrediens edit, & eundem ſæpius repetit actum diverſis interpoſitis temporum intervallis, uſque dum deſinat, vel citra vel cum jactura virium, ſanitatis, vitæ.

II. DIFFERENTIA.

§. XIII.

Tuſſis hoc nomine §. 12. conſiderata, ex tranſitoria cauſſa orta, integris de cetero partibus §. 7-11, nec nimio ſanguine turgidis, ſanitatem §. 2. dum æquabilem ſanguinis circulum citatiorem reddit, mutat quidem §. 4. aliquantiſper: morbus tamen illa quam riſus vocari magis nequit. Quemadmodum enim hic, ſi modicus fuerit, humores conquaſſando, quicquid eorum tenax fuerit, fluidum reddit; ita tuſſis ſubnaſcentes in thorace vel vicinia obſtructiones, ſuccuſſatione ſæpe diſcutit. Id enim non ſine lætitia ſæpe experiuntur pleuritici; qui ſub venæ ſectione exercita, quæ a medico imperatur, voluntaria tuſſi, dolore ſæpe extemplo liberantur.

§. XIV.

Ubi vero dictis §. 13. contraria plane corporis conditio adeſt, individualis ſtatus hernia laborantium & gravidarum, vel & pertinax cauſſa ex ſuis effectis œconomiæ animali adverſis congnoſcenda; tum quidem ad ſui conſiderationem medicum provocat.

§. XV.

[*d*] Vid. D. Præf. C. A. p. 210.
[*e*] Ejuſdem C. A. p. 218.

§. XV.

Scrutanti vero de his §. 14. illi, ex phænomenis tuſſis illorumque rationali explicatione patebit, tuſſis cauſſam omnem vel 1 in pulmones primum agere ibique nidulari, vel 2. extra eoſdem per conſenſum §. 10. demum agere, vel 3. ab alius morbi cauſſa excitari; vel denique 4. ex his (N. 1. 2. 3. hujus) invicem, aut cum alio morbo, ex quo tamen tuſſis non pendet, complicatis fieri. Id quod pro certo hic, quo differentias tuſſium certas prævie deſignemus, dicimus.

§. XVI.

Sed & hæ cauſſæ §. 15. ſuo quævis modo ortæ id efficiunt, ut tuſſientium alii excernant aliquid, alii vero non. Hinc quæ cum excretione tuſſis fit *humida* dicitur, quæ vero ſine ea *ſicca* audit.

§. XVII.

Differunt igitur inter ſe tuſſes ratione *cauſſarum* §. 15. & *effectuum* §. 16. Sunt autem quædam quoque ratione *temporum*, *durationis* & *exitus*, quæ tuſſes invicem diſtinguunt circumſtantiæ, medico cognoſcendæ.

§. XIX.

Quia autem ſine his §. 18. non vero ſine illis §. 17. ſufficiens tuſſis cognitio haberi queat, prior *eſſentialis*, poſterior vero *accidentalis* appellanda erit differentia.

§. XV.

Atque hæc hactenus §. 15-19. quomodo differant tuſſes inter ſe innuunt; ſunt autem & alii, vel morbi; ut aſthma, catarrhus ſuffocativus, pleuritis, peripneumonia, vomica pulmonum, empyema, hæmoptoë, phtiſis; vel actiones non morboſæ, ut exſcreatio, ſuſpirium, oſcitatio, ſingultus, riſus denique & ſternutatio, quæ, quia æque ac tuſſis pulmones eiſque vicinas afficiunt partes, iiſdemque partim peraguntur organis, ne confundatur, aut ſaltem tuſſis cognitioni lucem affundant majorem, per propria ſigna & cauſſas diſtinguendæ a tuſſi erunt.

§. XXI.

Patet hinc §. 20. differre tuſſes *a ſe invicem*, *ab aliis morbis*, *actionibuſque non morboſis*. Quæ utraque differentia per ſpecialia eundo explanatior reddi debet.

§. XXII.

Tuſſis igitur cujus cauſſam innuimus §. 15. N. 1. *Idiopathica* nobis dicitur, quam definimus, quod ſit illa, cujus in ipſis pulmonibus fomes hærens, cauſſam habet a nullo alio morbo, hoc tempore in corpore cognoſcibili deducendam, quæque in corpore alibi, nuſpiam tanto, quanto in pulmones effectu agit.

§. XXIII.

Placuit medicis ſub hac tuſſi §. 22. Rheumaticam, convulſivam epidemicam vel ſporadicam, & catarrhalem denique tuſſim comprehendere, pro eo ac differat ejus cauſſa vel indole vel activitatis gradu; ita ut

1. *Rheumatica tuſſis*, ſive inflammatoria, illa ſit, quæ febrem comitem habet, & ab inflammatione leviori arteriarum forte lymphaticarum bronchialium vel pulmonalium §. 9. pendet.

2. *Convulſiva* iterum ſeu ferina tuſſis (Kikhoſta) illa eſt, quæ dum a communi cauſſa oritur *epidemica* dicitur; ubi vero ab aliis promiſcue cauſſis derivatur *ſporadicæ* nomen ſortitur, & ſola ſæpe vehementia ab aliis tuſſium ſpeciebus diſtinguitur. Prior, ut hujus præcipue loci eſt, ſic cum poſteriori in eo convenit, quod ejus cauſſa creberrimis motibus, organa tuſſientia ad omnem fere illis poſſibilem dilatationem, & reciprocam pluribus ſuccuſſationibus peragendam contractionem, eo uſque ſtimulet, ut reſpiratio ad ſuffocationis metum uſque inhibeatur.

3. *Catarrhalis tuſſis*, quæ mucoſa vel ſeroſa dici quoque poteſt, a perſpiratione impedita per ſuſceptum frigus, & inde facto glandularum præcipue trachealium §. 10. infarctu ut maxime oritur, ſic præ ceteris levior quoque eſt, & mimori cum diſcrimine ſtadium decurrit.

§. XXIV.

Sed eſt quoque quæ a conſenſu partium §. 15. N. 2. unice derivari tuſſis debet; cujus cauſſa ut extra pulmones & hæret & primum agit, ſic quoque per nervorum denique functionumque conſenſum, ſpiritalia ad tuſſiendum provocat organa. *Sympathicam* igitur illam ſeu conſenſualem dici debere natura rei poſtulat. Eſt autem hæc

1. *Stomachalis* vel œſophagea, quæ a ſtomachi vitiis oritur.

2. *Hypochondriaca* ab hepate vel vicinis læſis.

3. *Promiſcua*, quæ a laceſſitis nervis quibuſcunque cum ſpiritalibus communicantibus oritur. Ejuſmodi vero illa eſt, quam ex difficili dentitione infantes ſentiunt, ut & quæ excitatur tuſſis, læſo nervo vel tendine circa collum.

§. XXV.

Excitari quoque ab alio morbo ſymptomatis nomine tuſſim diximus §. 15. N. 3, cujus quidem cauſſa pulmonale viſcus æque ac idiopathica §. 23. afficit, ita tamen id agit, ut cauſſa mali ab alio morbo qui ſimul aderit derivari debeat. *Symptomatica* igitur hæc dici debet & in variolis, præcipue vero morbillis adeſt, præcedit, ſequitur. Urget quoque aliquando in febre catarrhali, pleuritide, peripneumonia, aſthmate, phrenitide & paraphrenitide, in catarrho ſuffocativo, quamvis valde illa debilis ſit, in hæmoptyſi, phthiſi, hectica, hydrope, hydatidibus pectoris & pericardii, lue venerea, rachitide, aphthis, tabe dorſali, ſcorbuto, in Hyſtericis denique convulſivis & epilepticis morbis.

§. XXVI.

Complicata tuſſis §. 15. n. 4. tum adeſt, ubi vel morbus a tuſſi quacunque §. 23-25. diverſus, vel & enumeratorum tuſſis generum, omnes ſimul vel binæ ſaltem diverſæ cauſſæ, ad tuſſis effectum producendum concurrunt. Prioris exemplum habetur in tuſſi convulſiva epidemica cum rubra vel alba purpura, & in ſtomachali cum febre tertiana continua, complicatis [*f*]; poſterioris vero in tuſſi phthiſica, cum catarrhali juncta.

§. XXVII.

Quas hactenus §. 15-26. intuitu ſuarum cauſſarum, differre & excitari tuſſes principes vidimus, ita fieri novimus, ut ſimul effectus edant, ſenſibus percipiendos §. 16. Horum vero alteruter, ut in omni tuſſi adeſt, ſic pro diverſa earundem indole, ipſe quoque variatis apparet phænomenis. Quapropter

1. *Humida tuſſis* (quæ tum fit, ubi organa tuſſientia ſuo impulſu, coarctatique aeris impetu, materiæ cujuſcunque humidæ in pulmonibus aut vicinis partibus hærentis, impedimentum, gravitatem & cum partibus cohæſionem, vincunt ita, ut ſupra glottidem elevata materia foras ſcreatu propelli queat) diſpeſci debet pro eo ac differat excretorum (*A*) *Quantitas*, eaque iiſdem temporum intervallis major vel minor (*B*) *Qualitas*; & tum quidem diverſa humorum corporis vel ſanorum vel corruptorum, excreta apparet *α ſpecies* & quidem (1) *Sanguinea* ut in hæmoptyſi & tuſſi quoque aliquando convulſiva. (2) *Purulenta* ut in ulcere pulmonum, vel phthiſi. (3) *Mixta* ex his n. 1 2. ut in peripneumonia & angina ſuppurata. (4) *Seroſa* ut in tuſſi catarrhali, hectica, convulſiva infantum epidemica &c. *β. Conſiſtentia*, ſic, quæ in phthiſi acuta & ſuppurantibus re-

[*f*] Hippocr. L. 2. Epid.

reliquis pectoris affectibus excernitur materia, tenuior eſt & ſpumida magis, quam quæ in chronica phthiſi & convulſiva tuſſi tenax extunditur colluvies. *γ. Color.* Flavum nempe & ſemicruentum peripneumonia & angina ſuppurata exhibent; dilute croceum vel & flavum convulſiva tuſſis infantum, ut & illa quæ in morbillis adeſt. Lividum, cinericium, pallide liveſcentem, atrum denique vel viridem phthiſis. Diſcolorem vomica pulmonum &c. *δ. odor.* Fœtorem ſpargunt, quæ phthiſi & vomica pulmonum laborantes tuſſiunt, inodorus autem ille fere humor eſt, qui ex catarrhali & hectica tuſſi pullulare ſolet. *ε. Gravitas ſpecifica.* Superant nempe albida phthiſicorum ſputa pondere, quæ appropinquante morte, cinericei coloris, argillæ inſtar mollia, extundere obſervantur iidem. Videantur ſuper his accuratiſſima experimenta Chr. Benneti in theatro tabid. p. 108. Edit. Anglic.

2. *Siccam tuſſim* adeſſe novimus, dum applicatis iiſdem ac in humida, organorum tuſſientium viribus, nihil, vel certe non ex pulmonibus aut larynge ortum, egeritur. Obſervari debet hujus tuſſis. (*A*) *Vehementia*, quæ ex vi & celeritate ſimul, qua ſe contrahunt organa reſpirantia, pro ſubjectorum temperamentorum cauſſarum denique & virium diverſitate aliis, æſtimanda erit. (*B*) *Sonus*, qui ut in genere ex vehementia pendet & ad humidam quoque tuſſim pertinet; ſic in ſpecie ex diverſa bronchiorum lævitate aſperitate & humiditate, ex glottidis elaſtica flexilitate, magnitudine naturali aperturæ ejus, lacunariumque denique, quæ in ore, egrediens aër ferit, diverſa lævitate, elaſticitate denique & figura modificatur [*f*]. Ex his enim, ut & pro eo ac magis vel minus arctentur vel dilatentur partes, præcipue vero glottidis rima, in aliis clangoſa tuſſis eſt, in aliis ſuppreſſa veluti, celer denique vel tarda in aliis.

§. XXVIII.

Expoſitis ſic §. 22-27. differentiis tuſſium eſſentialibus §. 19. accidentales, quæ illas diſtinguunt, circumſtantias ſignificare ordo poſtulat. Tum vero nomen ſortiri tuſſim deprehendimus,

1. Ex diverſis, quibus ingruit temporibus, ut *vernalis autumnalis* &c. *diurna* quoque dicatur & *nocturna*.

2. Ex duratione & recurſu paroxyſmorum. Hinc (*A*) *recens* tuſſis & *cito decurrens*, qualis eſſe catarrhalis ſolet. Illa tamen ſæpius recurrens & diutius durans in (*B*) *habitualem* abit vel *chronicam*. (*C*) Utraque vero (*a* & *b*) vel *periodica* eſt, & accurate diſtinguit periodos (*a*) horarum, ut

[*f*] Nec tamen diffitemur, differre tuſſim pro eo ac incipiat, vel determinetur motus ex profundiori vel elevatiori organorum tuſſientium loco. Nam ut in vulgus notum eſt, phthiſicam plerumque tuſſim ab intimis pulmorum penetralibus ſonum edere, velut ex vacuo profectum dolio; ita nec minus certum eſt, ortam a larynge ſtimulato tuſſim, abruptam velut eſſe, minuſque ſonoram.

ut quintana convulſiva Pariſienſibus medicis obſervata, ex numero indies recurrentium paroxyſmorum. (*β*) Dierum, cujuſmodi meminit Hoffm. [*g*] cum hemicrania ſiniſtri capitis & febre, quotidie, circa horam ſextam veſpertinam redeuntis: (*D*) vel *vaga* denique, certa, quibus redeat, non obſervans tempora. Cujus quidem ſub cenſum, maxima tuſſium pars venit.

3. Ab exitu, quem habet (*α*) *ſalutarem*, & critica dici poteſt, ut catarrhalis ſæpius, & quæ phrenitidem tuſſis ſolvit. (*β*) *Noxium* inque alium morbum tranſeuntem. Sic, quæ a variolis tuſſis fit, in phthiſin aliquando deſinit. (*γ*) *Lethalem*, ut convulſiva infantum, haud raro ſuffocans.

§. XXIX.

Duceret nunc tractationis filum §. 21. ad perſtringendas differentias morborum, ut & actionum tuſſi congenerum, illarumque diverſam a tuſſi naturam; ſed arctamus ſpatia, nec ultra, quam quidem antehac §. 20. ſuper his diffundi nos patimur. Exponenda enim infra, ſigna pariter ac cauſſæ, tuſſim ſpeciebus certos figendo limites, alios quoſvis morbos vel ſponte excludunt §. 22-24, vel & admittunt §. 25. 26.

III. SUBJECTA.

§. XXX.

Ex cognita partium reſpirationi æque ac tuſſi inſervientium, communi omnibus hominibus ſtructura §. 7. 8. patet illos æque omnes ad tuſſim in genere ſubeundum idoneos eſſe, modo acceſſerit cauſſa, motum iſtuc, dicto modo §. 12. determinans. Quatenus autem diverſis tuſſis nititur cauſſis §. 15. effectuſque diverſos habet §. 16; hæque ſive cauſſæ ſive effectus, neceſſitate ſpecialis temperiei & diſpoſitionis, cuivis individuo propriæ, oriri videantur & fieri, eatenus tuſſis quoque in diverſas ſpecies 22-17, abiens, hunc quam alium hominem frequentius invadit. Id quod ex temperamentis, ſexu & ætate diverſis ſic fieri obſervatur; ut

I. *Idiopathicam* §. 22. & quidem (*A*) *Rheumaticam* facillime incurrat temperamentum calidum, ſanguinei aut cholerici: ætas maxime maſcula, ob ſolidorum vim, humorum copiam, acredinem & in phlogiſticam diathesin pronitatem. (*B*) *Convulſivam* & quidem (*α*) *Epidemicam*, raro adultiores, maxime vero infantes, tenelluli æque ac provectiores experiri ſolent. Illi vero præcipue & gravius quoque decumbunt, quibus excitatior animus & lymphæ ubertas eſt. (*β*) *Sporadicam* ferinam, cholerici maxime & molles ſentiunt homines, quorum augent numerum infantes & deli-

H 3 catu-

[*g*] Medicin. R. S. T. IV. P. III. p. 399.

catulæ feminæ, morbis convulſivis & hyſtericis obnoxiæ, leviorem quamcumque tuſſim, mobilitate nimia nervorum ad hanc ſæpe enormitatem evehentes. (*C*) *Catarrhalem* incurrunt temperamenta præcipue humida, ſana tamen ceteroquin, ſanguineum & phlegmaticum, ſenes, pueri hominesque ſedentarii; ob laxitatem ſolidorum, humorumque copiam lentorem vel acredinem.

II. *Sympathica* §. 24. (*A Stomachalis*, infantes potiſſimum exercet & illos, quorum infirmus ventriculus cruda naſci patitur. *B.*) *Hypochondriaca* vero ſicciores, cholericos & melancholicos, hypochondriacos, ad hæmorrhoides proclives, præcipue vero cruentum vomitum paſſos, detinet.

III. *Symptomaticæ* tuſſis §. 25. ſubjecta, illa fere ſunt, quæ ad morbos, quorum eſt ſymptoma, inclinant. Quia autem hi morbi in aliis quandoque ſine tuſſi adſunt, videtur hæreditaria quædam diſpoſitio vel & al unde profecta labes, facilem ad pulmones aditum tuſſis parare cauſſæ.

IV *Complicatæ tuſſis* §. 26. ſubjecta, ex hactenus dictis (N. 1. 2. 3. hujus) intelliguntur; ſuntque in genere homines, qui plura participant temperamenta, h. e. quibus animus, pariter ac reliqua vitæ conditio, vaga eſt & inconſtans.

V. *Humidæ tuſſi* §. 37. N. 1. obnoxii eſſe ſolent, ſanguinei & plegmatici, quibus copia humorum, partiumque mollities familiaris eſt ita, ut ductus excretorii §. 10. ex levi quavis cauſa facile dehiſcant, fluidaque tranſmittant. Quare & feminæ præ viris, infantes pueri atque ſenes præ juvenibus ac robuſtis, ſic plerumque laborant.

VI. *Siccam* igitur §. 27. N. 2. experiri illi debent, quibus dictis (N. 5. hujus) omnia ſunt contraria. Strictioris nempe habitus homines, cholerici & melancholici, ob vaſa contracta, humida pauca, actiora tamen. Ita vero hæc non ſunt perpetua, ut præſentibus quibuſdam conditionibus alia eſſe nequeant. Fieri enim facile poteſt, ut, cujus ad humidam tuſſim temperamentum inclinat, idem ſiccam illam patiatur, & contra.

§. XXXI.

Hæc vero §. 30. omnia, evenire ſic poſſe videntur, partibus antea ſanis. Ubi vero ſtatus individualis, mala nempe conformatio organorum reſpirantium, gibboſitas, vel & à parentibus hæreditate accepta pulmonum adeſt labes, tum quidem latior tuſſi eique congeneribus malis §. 20. porta panditur, tragicæ ſpirationis materiam admittens perpetuam.

IV. SIGNA.

IV. SIGNA.

§. XXXII.

Ceterum tuſſis quælibet, quæcunque demum ſubjecta §. 30. 31. invaſerit, præter communem omnibus effectum §. 12. ex ſingulari & privata unicuique tuſſi cauſſa, ſingulares quoque & ab aliis diverſos producere debet effectus, qui ſimul ſigna erunt, unde præſentem eſſe judicari poſſimus, hanc vel aliam tuſſis ſpeciem. Illi vero, ſive effectus ſive ſymptomata, quoniam maximam partem in organis fiunt corporis, quæ intro abſcondita & à ſenſibus remota jacent; quumque illa, quæ foras manifeſtantur ſingularium cauſſarum, adeoque & tuſſium indicia, pluribus ejus ſpeciebus communia plerumque ſint; patet quam ſit difficile, ſingulis tuſſium ſpeciebus, propria invenire ſigna h. e. pathognomica. Facem tamen hic nobis, quantum fieri poteſt, lucidam præferent, obſervata antiquis pariter ac recentioribus tuſſis omnis phænomena, quorum cum veritate congruentiam, quoad nempe experiri licuit, nos quoque vidimus. Manifeſtatur vero

I. *Idiopathica A. Rheumatica* tuſſis, hoc fere modo. Horripilationes & febriles commotiones, cum ſicca tuſſi ab initio ſentiuntur, quæ veſperi præcipue cum pulſu & calore auctis ingraveſcunt. Pulſus interea celer eſt & duriuſculus; ac per incrementa ferox redditur tuſſis, dolens cum ſpirandi difficultate juncta, modo ſicca modo denique humida. Dolores alios Rheumaticos haud raro comites ſibi jungit, noctesque ſecum inſomnes trahit, cum periodico itu ac reditu affligens tuſſis. Qui ſecta vena ſanguis detrahitur, phlogiſticus aliquantum obſervatur. (*B. Convulſiva & Epidemica tuſſis*, vergente in autumnum æſtate haud raro incipit, malorumque ſcenam, infantibus, quos invadit, aperit inquietudine, vomitionibus, ſiccaque tuſſi in humidam mox tranſitura. Creſcit hæc tam vehementia, quam frequentia paroxyſmorum ita, ut miſellos, tuſſis, quam extreme horrent, quovis horæ quadrante, plus minus, exerceat. Tuſſiunt vero hoc modo, ut profundiſſimo ac ſonante hauſtu ſorbeant aëra, quem cum ſonitu iterum & queritante clamore extundunt, idque crebris ac alternis ſuccuſſationibus, quæ id efficiunt ut tenax & flaveſcens mucus in os elevatus, ibi ob debiles vires deſeratur, aut abſtergendus aut vi urgentis violentæ inſpirationis reſorbendus. Adſunt in quibuſdam ſub paroxyſmo ſternutationes, maxime vero omnium vomitus & vomituritiones, (*g*) aſſumta quævis ad atrophiam uſque rejicientes. Manibus pedibuſque tremuli geſtiunt & calcitrant, obvia quævis in auxilium velut arrepturi. Facies rubeſcit & livido ſuffocativoque rubore excandeſcit (*h*) venæ

[*g*] Ratio apparitionis vid. in D. Præſidis C. A. p. 189. Not. I.
[*h*] Vid. itidem loc. cit. p. 210. lit. X.

venæ intumeſcunt, cor palpitat, pulſuſque magnus & durus, initio præcipue obſervatur, appetitus vagus. Vehementia tuſſis tanta interdum eſt, ut anguli oris rupti, ſanguinem ſtillent, qui idem, ex pulmonibus quoque & naribus, ruptis vaſis haud raro emanat. Durat malum XII. vel & pluribus ſeptimanis, & pari ac increvit tenore temporiſque intercapedine, remenſis veluti ſpatiis remiſſiſque ſymptomatibus deſinit. *β. Convulſiva ſporadica* (§. 23. N. 2.) præter vehementiam, qua epidemicam vel æquat vel ſuperat, effera ſiccitate cognoſcitur. Rarius enim hæc tuſſis humida obſervatur. (*C. Catharrhalem* tuſſim, tum præcipue ingruere, dum vaga tempeſtas urget, de repente ex ſicca in humidam ex calida in frigidam tranſiens, cuivis fere expertum eſt. Adeſt plerumque raucedo vocis præcipue exaltandæ. Titillat aliquando & radit quaſi in pectore, (quod tamen in tuſſi morbillorum æque vidimus), præcipue ſi quod excernitur parum eſt, tenue & acre. Plures plerumque homines ſimul afficit, & coryzam quoque gravedinemque capitis comitem habet hæc tuſſis, quæ in eodem mox humida eſſe poteſt, mox iterum ſicca.

II *Sympathicam* (*A ſtomachalem α humidam* præcipue, digeſtionis vitium, ſenſus gravativus ventriculi & nauſea denique præcedunt. Tuſſiendi ſtimulus circa cordis ſcrobiculum primum ſentitur, & cardialgiam interdum efficit. Tum vero ſcreatu magis quam tuſſi mucidi quidquam, idque in copia, ceu lentum ſputum evcernitur. Tuſſis matutino tempore familiarior eſt, ſcreatus vero interdiu. De cetero, utrumvis ſit, ingruit vel poſt paſtum, idque cum vomitu, ut Junckerus ait (*i*), vel & cibis ventriculo vacuo, ut obſervaſſe ſe Hoffmannus aſſerit (*k*). *β. Siccam* ſtomachalem cum hypochondriaca conſpirare credimus, cujus quidem alia ſigna habemus nulla, niſi quidem incipientem ſtomachalem humidam, ſiccæ nomine inſignire placuerit. *B*) *Hypochondriaca tuſſis*, dolore circa ilia gravativo incipit, intortis hypochondriis ultra quod ſolita tuſſis vi fieri ſolet. Vehemens ceteroquin ita ſæpe eſt, ut eo nomine convulſiva mereatur dici. Vocem autem iſthæc tuſſis raro niſi ſicca forte raucedine lædit, nec reniſum in pectore, dum ſuſpiria h. e. ſpiritum profundius ducunt, ſentiunt; & ut frigidum aëra, quam alia tuſſis, minus ſentit, ſic ex frigido potu, deambulatione aſcenſoria cibiſque copioſius ingeſtis magis exacerbatur. Accedunt ſæpe tuſſi flatulentiæ, ſpaſmi inteſtinorum & cetera, quæ hypochondriacos divexare mala ſolent. Cinericium mucum valde viſcidum ex pulmonibus aliquando excerni tandem, ſine ullo tamen gravis pectoris levamine Hoffmannus (*l*) obſervavit.

III. *Symptomaticæ tuſſis* ſigna, alia quidem, quam tuſſis in genere §. 12. deſignari certa nulla poſſunt; quæ de cetero ex cognita morbi, ex quo pendet, præſentia noſcitur. Eminet autem ſymptomaticas inter *Phthiſica tuſſis*

[*i*] Tabula de tuſſi.
[*k*] Citat. libro p. 380.
[*l*] Citat. loco p. 416.

tuſſis, quæ dum morbi ſui comitatur initia, haud quidem facile ab aliis, præcipue vero humida habituali diſcernitur; niſi quidem prægreſſæ notæ cauſſæ, hæmoptyſis, violentia in pulmones externa, mora inter corroſivos vapores, ætas intra XXXV. annum hærens (*m*) maxime vero omnium diſpoſitio hæreditaria obnoxium phthiſi, hominem eſſe ſuſpicari merito jubeant. Ubi vero adolevit phthiſis, hujus farinæ tuſſim eſſe facile manifeſtatur ex tabida conſumtione, ex materia ſanioſa ſanguineis ſtriis mixta, ceteriſque memoratis §. 27. N. 1. proprietatibus, ex renisu denique in pectore, dum tuſſiunt vel ſpiritum altius attrahunt. In genere tamen tam incipientis quam provectioris phthiſicæ tuſſis ea eſt ratio, ut diuturna ſit, raro intermittens, ſicca magis quam humida [*n*].

IV. Ubi *tuſſis cum tuſſi complicatur* §. 26. ex ſignis propriis diverſarum tuſſium (n. 1. 2. 3. hujus) ſimul concurrentibus præſens eſſe noſcitur. Ubi vero *alius morbus* ex quo tuſſis cauſſa non pendet *complicatur*, ille ex ſuis ſignis aliunde habendis ſcitur. Sic e. c. tuſſis cum purpura complicatæ ſigna ſunt febris cum viribus dejectis; paroxyſmorum febrilium alternans intenſio & remiſſio, dolores artus affligentes, tuſſiſque effloreſcente purpura præcipue rubra plurimum mitigata; in alba vero ſudores ad ſenſum ſæpe aciduli.

V. Dum *ſiccam* quis aut *humidam* tuſſim nominaverit, ſigna quoque ipſa, præter jam data §. 27. ſatis videtur indicaſſe. Illius autem humidæ, quæ inſigniter ita dicitur, illæ ſunt notæ, ut ingens vis liquidi, intra nycthemeron binas ſæpe libras æquans, tuſſiendo extundatur; ut chronica ſit iſthæc, & in quibuſdam periodico recurſu affligens. Ubi vero ſic urget, phthiſica eſſe facile creditur. Levamen vero, quod ab opiatis & purgantibus, quæ phthiſicis nocent, laborantes ſentiunt, iſto illos metu liberare ſatis valet.

V. CAUSSÆ.

§. XXXIII.

Ex his ſenſu perceptis phænomenis §. 32. ſubjectis quoque §. 30. 31. & organis §. 7. 11. quibus fiunt per omnia cognitis, juſti ratiocinii lege ad tuſſis cujuſcunque perventum eſt cauſſas.

I. *Idiopathica* videlicet.

A. *Rheumatica*, ut & omnis alia tuſſis, in genere *cauſſam proximam* ma-

[*m*] Hippocrat L. V. aph. 9.
[*n*] Lommius in medic. obſ. p. 121. diſtingui tamen phthiſis acuta a chronica debet; ut enim prior continue urget & valde humida eſt, ſic poſterior aliquando intermiſſiones ſuas habet, nec humiditate adeo eſt conſpicua.

materialem agnoſcit omne illud, quod ſua præſentia, ceu ſtimulo efficere valet, ut animales ſpiritus per organorum reſpirantium nervos §. 11. copioſius influant, majoremque liquidi copiam in muſculos illorum derivent, quam ut imperante voluntate impediri commode poſſit, quo minus ut in ventriculo vomitus, ſic quoque hic pulmonum convulſio h. e. tuſſis fiat. In ſpecie vero rheumaticam tuſſim efficere videtur illud, quod vaſcula pulmonum ſeroſa & lymphatica, diſtendere valet & vellicare, inflammatione non adeo ſæva, ut in ſuppurationem abeat (*o*). Inflammari vero obſervantur

1. *Ex cauſſis peregrinis*, in pulmones vel exterius vi quadam, vel & interius per os & laryngem impingentibus. Prioris generis ſunt violentæ pectoris læſiones, ſive contundendo fiant ſive vulnerando. Ad poſteriora vero pertinent; aër quocunque modo vitioſus, ſolida ſtringens, fluida vero in maſſam cogens, quod quidem de illo, frigido nimis vel calido, præcipue affirmatur. Subire quoque idem cogitationem debet, quatenus vehiculum aliquando fit exhalationibus arſenicalibus, antimonialibus, mercurialibus & ſaturninis, nec non vaporibus ſulphureis, acidis mineralibus, calcis vivæ in actu extinctionis; quibus omnibus conſtringuntur, roduntur ſolida, incraſſantur, corrumpuntur & coagulantur denique liquida. Accedit & huc dives volitantibus moleculis aër pulmonibus allabens (*p*) & pulverulenta quævis cellulas pulmonum pneumatophoras opplentia. Atqui hæc quidem omnia, ut aſthma ſimul quoque gignunt, ſic maxime in opificibus, quibus in atmoſphæris fodinarum, moletrinarum lapicidinarumque ducendus erit ſpiritus, locum habere conſuerunt.

2. *Ex cauſſis domeſticis* ſeu internis & quidem (*A*) Ex *vitio ſolidorum* nimis elaſticorum §. 30. n. 1. vel ex iiſdem in initiis vaſorum nimis laxis, moleculas ſanguineas diametro vaſis ſeroſi majores admittentibus non vero tranſmittentibus; vel denique ex arctatis compreſſiſque ſolidis, per concretiones grandinoſas calculoſas & ſcirrhoſas, perque tumores apoſtematodes, vomicas, alia. Præterquam enim, quod horum contiguorum mole ac duritie, quam loquimur, inflammatio oriatur & obſtructio, iriritantur quoque hinc & atteruntur perpetuo, pulmonum nunquam quieſcentium mem-

(*o*) Ratio, & cauſſæ applicatio ad phænomena §. 32. quorum potiſſimum febris eſt, facile cognoſcitur. Dum enim quædam vaſorum pulmonalium obſtructa ſunt, neceſſe eſt non ſolum ipſa ex vibrantium continue arteriarum ictibus a tergo libere urgentibus diſtendi, & ſic iſtuc ex dolore liquidum nerveum copioſius manare, ſed etiam derivari in cetera ejuſdem generis vaſa majorem liquidi copiam, quam perviis obſtructis; unde, quia motu celeriori anguſtia loci compenſari debet, nil mirum, febrem cum calore oriri.

(*p*) Apparet hinc noxa plumularum, quæ, dum ſternuntur lecti, ex culcitris excuſſæ conclavia ſimul & pulmones replentes, in ſuperficie ſpeculorum & aquarum hærere obſervantur. Ut & idem malum, paleæ, ventilatis vel menſuratis frumentis, excitatæ, efficiunt; quomodo & nuper in viro, ex ſola fere hac cauſſa aſthma convulſivum exortum vidit D. Præſes.

membranæ arteriæ & nervi, unde tuſſis fit, concitatis iſtuc cum motu ſpiritibus. (B) Ex vitio *fluidorum* (α) *quantitate* peccantium. Humorum enim nimia opulentia, pulmones, qui omnes dextri cordis nixus, h. e. ejus, qui ex toto corpore affluit ſanguinis, ſoli ſuſtinent; facile ultra elaſticitatis ſphæram diſtenduntur, obſtructionesque pariuntur topicas, glandularum vaſorumque minimorum infarctus. Ex hac vero vel ſola diſtentione moleſtoque ſenſu, vel acredine forte ſimul contracta, vel denique eo ipſo, quod copiam ſui nimiam in bronchiales cellulas trachealeſve glandulas exonerent humores, tuſſis ſolet excitari (q). β Ex humorum *qualitate* depravata. Diverſa vero hæc eſſe ſolet, pro eo ac fuerit illorum vitium vel ex craſſitie vel acredine, eaque vel ſpontanea vel ſcorbutica vel aliunde nata. Ubique vero, quamdiu in extremitatibus vaſorum hærens, commode inde expediri nequit, moleſtat, vellicat, tuſſimque excitat. Referri quoque huc debet infelix iſta humorum ſentina, quæ per metaſtaſin ex podagra, arthritide, tumoribus ſtatariis, achoribus, cruſta lactea, tinea, gutta roſacea, ſcabie, ſudore pedum exanthematibuſque quibuſcunque retropulſis, peſſima ſcaturigine derivatur (r).

B. Tuſſis *Convulſiva.*

I. *Epidemica.* Eſſe hujus *cauſſam proximam* ſtimulum perpetuum diutius in pulmonibus hærentem, ex communi vitio ortum, ut certum eſt (s), ſic dubium manet utrum fermento veluti quodam humores corrumpat, an vero ſola roſione humores alliciente, ad oſcillationem hanc vehementiſſimam ſolida provocet. Fieri tamen æque utrumque poſſe vero videtur ſimile. Nec minus negari poteſt, nudam aëris annique temporum intemperiem huic excitandæ tuſſi ſufficere poſſe (t). Dum enim hic humido calidus vel frigidus ventoſus alternanſque tepidus eſt, quid dici verius poteſt, quam communicatam pulmonibus, tantæ intus ſuperficiei (u) ut & reliqui corporis cortici, hanc aëris indolem, ſolidis modo ſtrictis, modo laxatis, fluidis vero calore & frigore (x) in maſſam coactis; perſpirationem inhiberi, obſtru-

(q) Hujus exemplum evidentiſſimum illa præbet tuſſis, quæ ſuppreſſorum menſium redundantem ſanguinem haud raro cum ſpirandi moleſtia excipere ſuevit.

(r) Ratio autem, cur hæcce ex clauſtris ſuis quocunque demum caſu exagitata mala, pulmonibus deinde potiſſimum obhæreſcant hæc eſt; quod ſemel ex anguſtiis arteriarum in venas traducti humores, nuſpiam arterioſa trajiciant ora, antequam ex dextro corde pulſi pulmonalis arteriæ extremitates feriant Ibi autem reſtitent neceſſe eſt, ſive enim mole fuerit ſive figura, ineptos tamen illos eſſe arterioſis extremitatibus permeandis, niſi vi expellantur; ex prioris, quem conſtituerunt, morbi natura, ſatis fuit compertum.

(s) Patet hoc ex eo, quod tempore, quo exanthematicæ febres graſſantur, hæc quoque ſimul tuſſis ſæpe ingruat, vid. Cel. Hoffm. c. l. p. 379.

(t) Vid. Cel. Hoffm. Obſervationes circa ſævam hiemem Anni 1708 & 9. cit. loc. p. 413.

(u) Vid. D. Præſidis C. A. p. 284. n. 2.

(x) Frigus in pulmones quam in reliquum corpus fortius agere, cognoſcimus tenore regulæ, quæ in phyſicis demonſtratur; omne videlicet calidum fluidum eo citius refrige-

obſtructiones fieri vaſorum preſſoque pede tuſſes. Infantes vero hæ cauſſæ, cum ob cavendi incuriam, tum quoque ob mobile nervorum ſyſtema, quam adultiores facilius videntur adoriri. Et certe, ſi quod in aëre virus vel nebulæ obolentes perniciales, ut Hoffmannus aſſerit (*y*), hanc tuſſim efficiunt, facilius inde corrumpi videtur ſanguine minus mixta lympha, qua abundare infantes maxime ſolent.

2. Convulſiva *ſporadica* tuſſis. Quia ſola fere vehementia & enormis tuſſiendi impetus §. 23. n. 2. huic tuſſi nomen impoſuit, patet quam diverſæ ejus eſſe cauſſa poteſt. Præterquam enim, quod ſic diſpoſiti §. 30. n. I. lit. *A.* & *β*, hanc tuſſim incurrant, ut & ex difficili dentitione infantes, ex peregrinis quoque per glottidem in aſperam arteriam illabentibus ſæpe ſolet excitari [*z*]. Fiunt quoque quam ſæpiſſime, quas n. I. lit. A. n. 2. hujus), deſignavimus, hujus etiam tuſſis cauſſæ.

C. *Catarrhalis* tuſſis cauſſas ſatis expoſuimus, §. 23. n. 3. §. 30. n. I. lit. c. ut & §. 32. n. I. lit. c. ſi modo addamus, fieri aliquando in tempeſtate catarrhali vel alias, ut ex faucibus & capite acris liquor in pulmones defluat, & ad hanc tuſſim ſtimulet [*a*].

II. *Sympathica.*

A. *Stomachalis*, *cauſſa proxima* in ſaburra acri, quæ œſophagum, ventriculum, ejuſque orificium potiſſimum ſiniſtrum occupavit, hærere videtur. Id quod inde colligitur, quia tuſſiendi ſtimulus, primum circa cordis ſcrobiculum, ubi intus ſiniſtrum ventriculi orificium, plurimis obſitum nervis [*b*] latet, ſentitur. Tuſſim autem provocat, tam ob communes nervos §. 11. communem quoque efficientes motum, quam ob materiæ peccantis in glandulas bronchiales veroſimilem introitum, per aperturas ex gula illuc promotum [*c*]. *Occaſionalem* vero *cauſſam* præbet, infirmus ventriculus aſſumta non mutans, voracitas nimia, qui hanc maxime efficiunt, cibi incongrui, acres, acidi; nec non vomitus bilem in ventriculum movens, non vero inde promovens. Atqui hæc quidem apud infantes, qui ſic ſæpius decumbunt, maxime habere locum ſolent.

B. *Hypochondriaca* tuſſis ab humoribus atrabiliariis in hepate, liene &c. congeſtis, ſtagnantibus, corruptis, nervos prementibus, vellicantibus, diſtendentibus, ex ſcirrhis quoque aliiſque inflammationis & obſtructionis effe-

ſcere, quo in ſubtilioribus canalibus pellitur, ad quos aër immediate valet accedere. Affirmatur & hoc de calore, jure eodem verſa tantum vice.

(*y*) Cit. l p. 3 8.

(*z*) Exemplum ejuſmodi in fabro lignario novimus, cui dum veſceretur ridenti, faba in aſperam arteriam illapſa, immanem ſiccam tuſſim excitavit, quæ, quamvis fabam præterlapſis aliquot menſibus, rejecit, aſſociata vel excitata verius inde phtiſi, ad tumulum illum biennio poſt fuit comitata. vid. D Præf. C A. p. 280 lit. m.

(*a*) Ibidem p. 191. not q.

(*b*) Vid. D. Præf. C. A. p. 311. lit. y.

(*c*) Vid. cit. l. p. 286. n. 7.

effectibus . proxime derivatur. Hæ vero cauſſæ, quo propius a diaphragmate abſunt, eo quoque certius tuſſim cient. Quando enim harum partium nervi, vel & ſolum diaphragma vehementius afficitur, facile convellitur, & vel ſingultum efficit, vel ob communes nervos § 11. pulmones in conſenſum trahens, tuſſim excitat. Nec difficilis hinc eſt ratio, cur ex motu aſcenſorio, nimio cibo vel potu, hæc exacerbetur tuſſis, premitur enim in priori caſu per muſculos abdominis § 7. hepar &c. diaphragma & pulmones, in poſteriori vero per ventriculum, quumque per hypotheſin & hepar & ventriculus majoris quam antea voluminis ſint, tanto majori vi afficient vicina, quo magis eorum moles in præternaturalem magnitudinem excrevit. Negari tamen minime poterit, cum hypochondriaco malo junctam tuſſim, alio modo excitari poſſe, ex hac eadem materia atrabiliaria in pulmones ipſos traducta. Dum enim atra bilis omnes circumeuntes humores æquabiliter infecit, vel & ex hypochondriis ſimpliciter craſſus aut acris humor venis receptus refluat, pronius nihil eſt, quam ut in extremis pulmonum vaſis neceſſario trajiciendis, ſtagnet, tuſſimque excitet rheumaticam verius quam hypochondriacam [*d*], vel ex utraque forte, ſi mavis, complicata derivandam.

III. *Symptomaticæ* tuſſis cauſſam, cum eadem ac morbi §. 25. ex quo pendet ſit, & ex illis quæ in hac §. dicta modo ſunt intelligi queat; hic uberius nil attinet ediſſerere. De phthiſica autem, quia magnum ſui morbi momentum, & curationis impedimentum conſtituit, indicare liceat, fieri illam, dum per inflammatas ruptas & liquatas veluti pulmonales cellulas aliquas & vaſa, materia ad bronchia admittitur ulceroſa, ſanguinolenta, vellicans. Solutionem igitur continui hæc, ſicut hectica tuſſis, vel ſi mavis phthiſica incipiens, univerſalem ſolidorum atoniam, tracheales quoque glandulas laxantem, nimiumque humidi admittentem, vel & apoſtemata aut vomicas propriis folliculis incluſas quidem, acredinem tamen aliquam ſubinde plorantes, cauſſam agnoſcit [*e*].

IV. *Complicatæ* tuſſis cauſſæ, ex dictis § 26. & explicatis hic ſingularum tuſſium cauſſis, aliquatenus intelliguntur.

V. *Siccam* tuſſim efficit, quidquid cum ſtimulo aliquo glandulas ductuſque excretorios §. 10. natura §. 30. n. 6. vel caſu (n. 1-4. hujus) vel denique arte, ita vel ſtringit vel opplet, ut liquidum tranſmittere nequeant. Patet igitur hærere ejus cauſſam vel in fluidis nimium craſſis, vel in ſolidis ſupra modum arctatis, vel in utriſque ſimul §. 33. n. 1. lit. A. Si quando in fluidis vitium hærere contingat, apparet ratio, cur illi, qui ad humidam tuſſim natura §. 30. n. 5. inclinant, ſicca poſſint affligi.

VI. *Humida* igitur tuſſis cum ſiccæ plane ſit oppoſita, contrariis quoque oriatur oportet cauſſis. In ſpecie autem, quæ inſignite humidæ tuſ-

(*d*) Ejuſmodi quidem illa fuit cujus ſupra §. 32. n. 2. lit. b. ex Hoffmanno mentionem fecimus.

(*e*) Conf. Robinſons New Method of treating conſumptions p. 136. &c.

Prognoſis tuſſium in genere continuata.

4. TUſſis violenta in pulmonibus orta, capiti vero communicata, producere poteſt ſubitaneam memoriæ atque ratiocinii jactu-ram, nec non paralyſin manuum aliorumque membrorum [*g*].

5. In ſenibus tuſſis & moleſtior eſt & periculoſior [*h*]. Dum vero humida eſt, nec excretio admodum difficilis, tum ſalutaris eſt, & vitam ab aliis morbis immunem pollicetur. Hæc ſi ceſſat, ſcire licet alium & difficilem morbum ingruere. Non itaque tolli debet remediis, nec potu frigido aliove in diæta errore impediri.

6. Quæcunque tuſſis modico fit conatu, celerique ac facili materiæ eductione, cum multo levamento, & ſine dolore ſive oculorum rubedine, optima eſſe cenſetur: quæ contra fit, peſſima [*i*].

7. Quæ frequens eſt & diuturna, plerumque ad ſanguinis ſputum perducere diſpoſitos præcipue ſolet [*k*]. Sic quoque cum illos invaſerit tuſſis, quibus pulmones ab ortu ſunt infirmiores, omnino neceſſe eſt a repetitis tuſſiendi actibus illos adhuc magis debilitari, atque ita tandem affectos tabi vel phthiſi reddi obnoxios [*l*].

8. Quæ abſceſſu ſolvuntur tuſſes, tutius deſinunt, dum infra cavum thoracis ſecedit malum, quam dum ſupra [*m*].

9. Subſtantia cartilaginoſa per tuſſim excreta, aſperam arteriam affectam indicat vel bronchia pulmonum; carnis vero fungoſæ fruſtulum eliſum, pulmonem ipſum laborare oſtendit [*n*]. Atque hæc quidem rarius ſanationem recipere mala obſervantur [*o*].

10 Omnis tuſſis, dum vetus facta eſt, vix eliditur & in totum deſinit. [*p*].

11. Tuſſes aquilonia regnante conſtitutione & hyeme maxime ingruunt [*q*]. Si quoque ſicca & aquilonia æſtas fuerit, autumnus contra pluvioſus & auſtralis, tuſſes in hyemem incidunt [*r*]. Quin & vere, dum occluſa per hyemem terra, ſolis calore reſeratur, vapores excitati variæ in-

[*g*] Baglivus in pr. med. l. 1. p. m. 81. ex Boyleo. [*h*] Foreſt obſ. med. l. 16. obſ. 3. [*i*] Lemmius l. c. p. m. 120. & Foreſt.. l. c. [*k*] Sennert. med. pr. l. 2. p. 3. c. 5.

[*l*] Sydenh. proceſſ. int. de tabe. [*m*] Valeſius in Hippocr. epid. l. 2 ſect. 1. aph. 15 [*n*] River. inſtit. med l. 2. ſect. 2. p. m 62. [*o*] Exemplum habetur in Actis lit. Sueciæ An. 1738 p. 346. ubi exper. D. Lundberg refert, ex ipſiſſimis pulmonum bronchiis, una cum ſincero ſanguine quædam ejecta eſſe, ſubſequente nihilominus, debita adhibita cura, proſpera valetudine. [*p*] Cornel. Celſus p. m. 215 [*q*] Hippocr. Aphor. 5. l. 2. confer Joh de Gorter de perſpiratione inſenſibili Cap 12 aphor. 34 35. [*r*] Hippocr. Aphor. 13. l. 3. confer. Sanctorii medic. ſtat. aphor 200.

indolis, tuſſes ſæpe movent graves [s]. Atque his quidem temporibus, tuſſis alias mitior, reddi deterior ſolet [t].

Prognoſis tuſſium in ſpecie.

I. *Idiopathicæ.*

A. *Rheumaticæ.*

α. Si tuſſis cum febre pertinaciter afficiat ægrum, & nullis cedat remediis, in tabem migrat, etiamſi ſanguis non ſpuatur [u].

β. Quæ a tenui acri humore tuſſis fit, admodum moleſta eſt, quia valde irritat, atque ob tenuitatem per aëris impulſum in tuſſi foras humor elidi nequit, ſed diſſipatus tantum in tracheas iterum defluit. Proin nec ceſſat, donec acre fuerit delinitum, & materia defluens craſſa fiat & coćta, a colore cœruleſcente aquoſo ad flaviuſculum fere vergens. Tum quidem minore labore excutitur, ſenſimque tuſſis remittit [x].

γ. Quæ pulmonem aut aliorum viſcerum ſcirrhos conſequitur, omnem plerumque remediorum vim eludit [y].

δ. Quæ a repreſſis naſcitur exanthematibus his revocatis ſolvitur [z]. Quin & ſine noxa hæc abire tuſſis poteſt, ſi alia evacuatio, quod in vitio eſt, auferat.

η. Quæ ab arthritide aut podagra, retrogradis, emanentibus, aut repulſis œdematibus fit; plurimum habere periculi obſervatur [a]. Si vero ad artus reduci iterum materies queat, ſuapte tuſſis ſponte deſinit [b], remediis pećtoralibus fruſtra alioquin impugnanda.

B. *Convulſivæ.*

I. *Epidemicæ infantum.*

α. Infantibus infra trimeſtre conſtitutis, funeſta utplurimum eſſe hæc tuſſis ſolet [c]; ut & valeludinariis, rachiticis & hæreditaria pulmonum labe affećtis [d].

β. Quo diutius reſpiratio quieſcit, facieſque magis excandeſcit, eo certius catarrhus ſuffocativus, vel & ipſa metuenda mors erit. Sic quoque ſoporoſi, convulſivis motibus excepti, brevi mortem præſagiunt [e].

γ. Hæ-

[s] Frid. Hoffm. l. c. p. m. 379.

[t] Hæc quidem ex ventorum & aëris conſtitutione in genere, nobis quidem nota præſagia ſunt. Dantur autem ſpecificæ quoque climatum & locorum conſtitutiones, circa fodinas; quarum, ut in producendis aliis morbis, ſic quoque tuſſibus, ſpecialis vis eſt. Harum autem prænotiones, quæ non manifeſtæ ſunt, diligenti obſervatione in ſingulis climatibus fasta innoteſcere debent. conf Bagl. Pr. M. L. 1. cap. 15. §. 7. [u] Baglivi pr. med. l. 1. p. m. 81. [x] Plateri pr. med. t. 1. p. m. 402. [y] Fr. Hoffmann l. c. p. m. 381. [z] *ibid.* [a] Exempla vid apud Fr. Hoffm. l. c. p. m. 408. Apud Lanciſium de ſubitan. mort l. 1 cap. 18. §. 3. Muſgrave de Arthritide Symptomat. Cap. 12. hiſt. 1. [b] Muſgrave c. l. cap 11 art. 8. [c] Commerc. lit. Norimb. An. 1732. p. 288. ex H. Pelargo. [d] M. Alberti diſſert. de Tuſſi infant. Epidemica. [e] *ibid.*

γ. Hæmoptyſis levior ſuperveniens non adeo mali eſt ominis; ſi vero largior fuerit, ſubſecuturæ phthiſeos vel hecticæ juſtum metum habet [*f*]. Hæmorrhagia narium, quoſdam quidem ab hac tuſſi liberavit [*g*]. Quod ſi vero & hæc pertinacior fuerit, difficillimam reddi oportet ſanationem.

δ, Difficilis reſpiratio poſt tuſſim aliquandiu remanens, non adeo metuenda erit, quam ex muſculis thoracis & abdominis (§. 7. diſſert.) ad motum leniter dolentibus, maximam partem derivetur. Si autem ſicca tuſſis cum clangoſa & ſonora inſpiratione acceſſerit, indicio erit infarctos corruptoſque pulmones funeſtam inducturos cataſtrophen [*h*].

ε. Laxa alvus leniorem tuſſim, ſtricta vero graviorem reddit [*i*].

ζ. Qui gibbi facti ſunt ex tuſſi, ante pubertatem moriuntur [*k*].

η. Quod de variolis & morbillis, idem quoque de tuſſi hac infantum affirmatur; raro nempe plus ſimplici vice, homines illa ſolere laborare.

II. *Sporadicæ.*

α. Quæ ex difficili dentitione invadere infantes ſolet, emicantibus dentibus ſponte ſolet remittere [*l*].

β. Hyſtericarum dum urget, ſicca eſt & mere convulſiva, non tamen, qua terret ſpecie, tanta quoque ſemper obſervatur lædere. Anodynis enim hæc cedere feliciſſime tuſſis ſolet.

γ. Quæ ab illapſis in aſperam arteriam peregrinis cieri tuſſis ſolet; niſi ſuffocentur, illis denuo excuſſis, ſponte poſtmodum remittit. Si quoque remanſerit faucium quædam irritatio, lenientibus emendatur [*m*]. Interdum autem, quod illapſum eſt ſolidum, diutius in bronchiis moratur, & tum quidem diuturnam aleæque plenam tuſſim fieri ſæpius eſt obſervatum [*n*].

C. *Catarrhalis.*

α. Hæc quidem in noſtris terris tuſſium fere eſt frequentiſſima. Benignior plerumque, eſt & ultra 2. vel 3. ſeptimanas raro durat. Tum vero, vel & citius longe, cum ſanitatis commodo, rite tractata ſolvitur [*o*], Ubi vero in cacochymica offenderit corpora, vel & pertinaci intemperie

[*f*] *ibid.*. [*g*] Hiſt. morb. Vratislav. An. 1699. p. 21. [*h* M. Alberti l. c. [*i*] *ibid.*. [*k*] Foreſt. l. 16. obſ. 3. [*l*.] Hoffm. l. c. p. m. 415. [*m*] Plat. Pr. med. p. 1. p. m. 402. [*n*] Cfr. p. diſſert. 22. No. 2. nota z. Exempla videantur apud Sennert. L. 2. p. 3. cap. 5. ubi narratur ex illapſo nucleo ceraſorum vehementem excitatam tuſſim fuiſſe, quæ, elapſis 14 diebus, dum tuſſi excutiebatur nucleus, tandem deſiit. Apud C. St. van der Wiel in obſ. med. rar. obſ. 23. narratur ibi de armi vitulini oſſiculo, quod ſic illapſum tuſſim continuam ſputaque ſanguinolenta excitavit. Poſt quatuor autem menſium intervallum, rejectum tuſſi una cum purulento ſputo oſſiculum, tabem mox affuturam impedivit. Plures ibidem ex Dodonæo, Th. Bartholino, Miſcell. German. curioſis & Tulpio denique obſervationes recenſentur, quarum quidem ſingulæ tabem minitantia ſymptomata recenſent; reconvaluiſſe tamen omnes, rejectis tuſſi peregrinis affirmant. Quid, quod in uno putamen nucis avellanæ, unguis magnitudinem æquans, per ſeptem annos in gutture hærens, tuſſi eliſum; ſanitati laborantem reddidit. Sed & funeſti eventus hiſtoriæ habentur, confer. Burggravii lexic. med. tit. arteria aſpera. [*o*] Fr. Hoffm. l. c. p. m. 415.

tempeſtas urgeat, moleſta fit & rheumatica, immo, ad convulſivæ vehementiam uſque ſæpe aſcendit [*p*].

β. Raucitas cum tuſſi & liquida alvo pus edit. Hoc eſt, qui frequentius catarrhis, aſperitate vocis & ſicca tuſſi vexantur, tractu temporis in phthiſin ſolent prolabi [*q*].

II. *Sympathicæ.*

A. *Stomachalis.*

α. Sequitur hæc tuſſis conditionem affecti ventriculi. Si enim humorum acrimonia aliqua aut depravata indoles malum effecit, idoneis facile abigitur medicamentis. Si vero ſolidæ ventriculi partes laborent, tum majoris momenti res eſt. Sicca enim continua tuſſis poſt ſomnum invaleſcens, ſic orta, mortis aliquando cauſa extitit [*r*].

β. Infantum tuſſis in genere eandem quidem prænotionem habet. Si autem gravior fuerit & diuturnior, atrophiam in his vel præſentem indicat, vel futuram prænunciat [*ſ*].

B. *Hypochondriacæ.*

α. Sicca vehemens, frequenter cedens & recurrens, noctu vero exacerbata, ſcirrhum hepatis præſentem minatur. Hæc, quo magis certis recurrit horis, eo certius viſcerum obfirmatam indicare ſolet obſtructionem [*t*].

β. Humida purulenta ex abſceſſu jecinoris, ut lethalis fere ſemper eſt [u].

γ. Quæ hypochondriaco malo jungitur, chronica eſt & pertinax; quomodo & hæc tuſſis dicti mali cauſſa nonnunquam exiſtit [*x*].

δ. Tuſſes quæ per conſenſum fiunt, propter hepatis aut lienis tumorem, ſolent utplurimum eſſe prænunciæ hydropis [*y*].

C. *Promiſcuæ.*

Quæ a partium conſenſu oriuntur, per ſe periculoſæ non ſunt; & ſublatis cauſſis ipſæ quoque tolluntur [*z*].

III. *Symptomaticæ.*

α. Tuſſis aliis morbis ſuperveniens, non curatur, niſi curatis morbis, a quibus pendet [*a*].

β. Fa-

[*p*] Idem l. c. p. 378. [*q*] Duretus in coacas Hippocr. pr. cap. 16. ſect. 52. p. m. 293. & 378 [*r*] Ephemer. nat. cur anno 6. obſ. 6. [*ſ*] Junckeri Tab. de tuſſi. [*t*] Idem l. c. [*u*] Habentur exempla apud C. St. van der Wiel l. c. obſerv. 46. ubi in diſſecto cadavere ſic defuncti, ulcus fiſtuloſum ex hepate in pulmones penetrans, tuſſi multum fudiſſe puris obſervatum eſt. [*x*] Frid. Hoffm. l. c p. 416. [*y*] Remb. Dodonæus in pr. med. p. m. 295. [*z*] Sennertus. l. c. Exemplum ſubminiſtrant ephemer. nat. cur. cent. 3 obſ. 82. ubi narratur de tuſſi, quæ mulierem graviter detinuit, nec ulli remedio ceſſit, antequam expurgatum correctumque fuerit cerumen aurium acre, tuſſim hanc excitans. Sic quoque, quæ fœtum altius gerentes gravidas, invadere tuſſes cum anguſtia præcordiorum ſolent, anodynis leniri quidem, aſt non niſi partu tolli plane poſſunt. [*a*] Bagliv. Pr. m. l. 1 p. m. 81.

β. Facile extuſſire in morbis bonum, contra vero malum [*b*].

γ. Ut tuſſis cum omnibus affectibus pulmonis & thoracis fere ſemper copulatur [*c*], ita quoque illa omnes morbi thoracis ſæpiſſime judicantur, quia ſine tuſſi vix aliquid e thorace poteſt rejici [*d*].

δ. Si febris eſt, multum eam tuſſis exaſperat. Interdum autem cum febribus juncta eſt abſque manifeſto aliquo vel damno vel bono [*e*].

ε. Quibus ad febres accedit tuſſis, a febre liberari perfecte non ſolent, ſi tuſſis adhuc perſeveret [*f*].

ζ. Quæ cum latentibus intermittentibus jungitur, ſub quavis acceſſione febris; eadem nec alio remedio quam ſpecifico antifebrili tollitur.

η. In arthriticis, tuſſis paroxyſmi arthritici ſymptomata prænuncium aliquando exiſtit [*g*].

θ. In febribus acutis tuſſes ſiccæ, tanto magis vero humidæ, ſitim, quæ alioquin urgere deberet, præter rationem arcent, ſi modo, quam alliciunt, pituita, nec maligna putris ſit, nec ſalſa [*h*].

ι. Tuſſis, quæ in febre catarrhali urget, ſi cum gravedine & coryza juncta eſt, eventum morbi meliorem pollicetur. Quod ſi vero ſenes anteaque aſthmaticos, ſola ſine gravedine comite adoriatur, periculo non vacat, quum congeſtionem ſoli ſuſtinere debeant pulmones [*i*].

κ. Aſpera & aſſidua tuſſis cum difficili loquela & reſpiratione aſthmatis convulſivi incipientis ſignum eſt. Eadem vero longior & rarior cum humidiori ſputo miteſcentis affectus indicium [*k*].

λ. Tuſſis phthiſica incipiens ſeu hectica, ut ſuperari aliquando poteſt; ſic confirmata eadem [præcipue in juvenibus, quos & prehendere citius ſolet) [*l*] ſanationis ſpem fere omnem excludit. Tamen & hanc ſanatam aliquando legimus [*m*], & ſanari quoque debere probabile eſt, niſi quam vulnerum pulmonis [*n*]; deterior indoles phthiſiorum ulcerum eſſet [*o*]

 μ. Dum

[*b*] Valeſius in Hippocr. l. 1. ſect. 3. p. m. 27. Ita tamen hæc a nobis ſtatuuntur, ut & alia ſimul in partes vocare ſigna neceſſarium judicemus. Etenim in pleuritide cum ſphacelus jam partes occupavit, facile ſæpe tuſſi materiam emoliuntür affecti, morti quantumvis vicini. [*c*] Foreſt. l. 16. obſ. 1. [*d*] Valeſius l. c. l. 6. ſect. 5. p. 340. Habentur vero exempla v. g. in empyemate, ubi per alvum quoque cum euphoria pus ejectum fuit. vid. C. St. van der Wiel obſerv. 34. p. m. 135. Quin & per urinam, evacuationem puris criticam e thorace ſalutarem factam eſſe idem nos auctor docet c. l. obſ. 35. [*e*] Valeſius in Hipp l. 1. ſect. 2. Aph. 6. [*f*] Bagliv. l c. p. m. 81. confer Sennert. l. c. p. 503. [*g*] Muſgrave l. c. cap. 11. art. 8. hiſt. 2. [*h*] Valeſ. in Hippocr. l. 6. ſect. 2. p. 297. [*i*] *Bäumlers mitleidiger Arzt. p. m.* 57. [*k*] Fr. Hoffm. l. c. de aſthmate, ex Aretæo. [*l*] Lommius l. c. l. 2. p. m. 115. [*m*] Robinſons Treatiſe of conſumptions, part. 2. p. m. 147. habetur quoque hiſtoria ſanatæ phthiſeos in miſcellan. nat. cur. an. 6 & 7. obſerv. 95. [*n*] Exempla vulnerum ſanatorum Hildanus cent. 1. obſ. 46. refert. In uno quidem turundæ, vulnerato thoraci immiſſæ in cavitatem vero ejus delapſæ, per tuſſim cum euphoria ejectæ ſunt. In alio iterum fragmentum coſtæ eodem modo excretum fuit. Uterque autem ſanitati redditus, ſatis poſtea commode vixit. [*o*] Confer prolixe ſuper his differentem laudat. Robinſon l. c. part. 2. pp. 119.

μ. Dum in phthiſi confirmata deſinit expectoratio, pereuntibus interea magis viribus quam creſcentibus intra dies aliquot mors aderit [*p*].

ν. Tuſſis hydropicis infauſti eſt præſagii [*q*].

ξ. In phrenitide vehemens tuſſis ſuperveniens, ſæpe ſolvit malum [*r*].

ο. Quæ lui venereæ aſſociatur tuſſis, ex gradu læſionis pulmonum judicanda quidem erit; in genere autem ſemper aliquid periculi habet [*s*]. Eſtque illa ejus indoles, ut nec pectoralibus nec ipſi opio, ſed Mercurio tantum cedat.

π. Tuſſis menſes ſuppreſſos ſubſequens, quamdiu recens nudeque humida eſt, ſpes adhuc reliqua convaleſcentiæ manet; ubi vero pus ejectum phthiſin inde ortam indicat, lethalis obſervatur [*t*].

ρ. Tuſſis in variolis moleſta eſt, in morbillis vero pertinacior & frequentior. Utrinque autem importuna dum eſt, pulmonum labefactat tonum, febrem valde auget, vigilias inducit [*u*]. Solet autem quamvis perpetua ſit & ſicca, prodeuntibus exanthematibus remittere [*x*]. Si vero quis nitroſis pharmacis hanc delinire tuſſim tentat, fruſtra eſt. Exacerbatur enim inde, quæ rite tractata, periculo tuſſis caret. Sic quoque, quæ variolis & morbillis ſanatis, ipſa tamen manet, ſæpiuſque recurrit tuſſis; dum ut in catarrhali fieri ſolet, negligenter habetur, in phthiſin pulmonalem vel maraſmum haud raro degenerat [*y*].

σ. In pleuritide ſpuria, tuſſis dum eſt, ſicca eſt, nec periculi multum habet [*z*]. In vera autem pleuritide, atrociſſimum id genus tuſſis eſt, quod nihil movet; tolerabile vero & benignius, quod a primo invaſionis die ſpumoſa refert ſputa, ſanguineis diſtincta ſtriis. Aſt purulenta ſputa ab initio morbi educta, mali ominis ſunt [*a*].

τ. Si remaneat tuſſicula quædam ſanata pleuritide, & circa veſperam blandus excitetur calor, aut pleuritidis recrudeſcentiam aut ſuppurationem prædicere adſtantibus licet [*b*].

υ. Quæ malum iſchiadicum excipit purulenta tuſſis, lethalis eſt. [*bb.*]

IV. *Com-*

127. ſqq. Prætoriam vero ferre ſententiam videntur numeroſi phthiſici, qui medicina invita præmature quotannis demigrant ad plures.

[*p*] Wedelius in exercit. Semeiot. pathol. p. 67. *Moriuntur*, inquit, *phthiſici deficiente ſenſim expectoratione.* [*q*] Hippocr. aph. 35. ſect. 17. l. 6. & Valeſius in Hippocr. l. 2. ſect. 5. p. 102. [*r*] Bœrhav. aphor. 779. [*s*] Aſtruc. de morbis venereis. pp. 296. 318. 338. 339. [*t*] Freind. Emmenologiæ p. 103. ex Hipp. Neceſſarium vero hic erat, ut conditio adjiceretur phthiſeos præſentis. Etenim Pechlinus in obſ. phyſ. med. obſ. 43. exemplo affirmat, vitium hoc regurgitantium ad pectus cum ſanguinis tuſſi, menſium, naturæ quadam prærogativa feminis minus periculoſum eſſe, quam viris. Illam quoque addit epicriſin, quod laborioſo vitæ generi aſſuetæ, multos annos cum hoc ſymptomate tranſigere poſſint mediocriter incolumes. [*u*] Morton pyretol p. m. 76. [*x*] Bäumler l. c. p. m. 37. [*y*] Fr. Hoffm. l. c. p. m. 400. conf. nobiliſſ. Nordenheimi cogitationes de morbis morbillos ſubſequentibus, quarum habetur recenſio in act. lit. Sv. an. 1723. p. 367. & Morton in pyretol p. m. 25. [*z*] F. Hoffm. de febribus pneumonicis. *a* Corn. Celſus p. m. 226. & D. Triller de pleuritide pp. 2. 119. 137. [*b*] Bagl. pr. med. p. m. 52. [*bb*] a D. Præſide hoc obſervatum audivi.

IV. *Complicatæ.*

α. Dum ſtomachalis vel hypochondriaca tuſſis cum pectorali junguntur, difficulter eradicatur complicatum malum, vixque diu antequam in hecticam vel phthiſin abeat, durare poterit [*c*].

β. Tuſſes, quæ febres comitantur laborioſas, niſi evacuatio accommodata interveniat, ſanguis ex naribus fluat, aut urina multa ſit; finiri ſolent in abceſſus, circa partes quondam læſas & maxime debiles, in tumores quoque articulorum vel maxillarum [*d*].

γ. Quando purpurata febris tuſſi convulſivæ epidemicæ aſſociatur, levius malum rubra excitat, deterius vero alba. Utrobique tamen continuata diapnoë, efflorescentiæ non retrocedentes, & alvus copioſius ſemet exonerans, fidum eſt ſignum ſubſequuturæ convaleſcentiæ. Quamvis quoque ſub finem ſcabies fœda & exterioris cujuſdam partis inflammatio, in apoſtemata exſurgat, ſponte tamen natura hæc conſolidantur [*e*].

δ. Tuſſis ex acri latice per glandulas arytænoideas, tracheæ & bronchiorum affatim ſecreto (h. e. quæ cum catarrho ſuffocativo conſpirat tuſſis), ſi magno cum impetu identidem recurrat, mortem ſubitam portendit, præcipue ſi æger vel ſenex ſit vel languidus, vel in vitæ regimine aliquanto liberior [*f*].

V. *Humidæ.*

α. Sicut hæc diutius durans exulceratos tandem pulmones reddere valet, ita habitualis eadem vel periodica emanens, arte vel natura, ſolita excretione non compenſata, aſthmata, catarrhos ſuffocativos, affectus paralyticos & digeſtionis poſt ſe trahere vitia ſolet [*g*]. Ceterum in quibuſdam cum commodo ſanitatis fonticuli vice fungens per multos durat annos [*h*] conf. prognoſ. Gen. No. 5.

β. Tuſſi humidæ ſubito ceſſanti ſupervenire aſthma ſolet. Pari modo mali moris eſt, quæ humida fuit & in ſiccam tranſit, ut pectus tamen grave maneat. Etenim periculum febris vel hecticæ vel putridæ, vel exulcerationis pulmonum denique habet [*i*]. Permota vero intus tuſſi materia, nec ob imbecillitatem virium educta tamen, mortem minatur [*k*]. Quod ſi hiſce conditionibus accedat orthopnœa in ſenibus, morbus vero de ſua vi nihil remittat, improviſam utplurimum præſagit necem [*l*].

γ. Quæ ab atonia partium oritur tuſſis, ex frigore cibis acidis & vinoſis facile repullulat [*m*].

VI. *Sicca.*

[*c*] Pelargus in pr. Stahl. p. 1106. [*d*] Valeſ. in Hipp. l. 6. epid. ſect. 7. aph. 12. p. m. 367. [*e*] Alberti l. c. [*f*] Lanciſius de mort ſubit. l. 1. cap. 18. § 3 [*g*] Pelargus & Juncker c. l. [*h*] Exemplum refert Pelargus c. l. de ſene medico, qui per 40 annos ſic affectus, ſatis bene habuis; & Frid. Hoffm. l. c. p. 410 [*i*] Lommius l. c. l. 2. p. m. 120. [*k*] *ibid.*. [*l*] Lanciſius l. c. l. 1. cap. 18 §. 2. [*m*] Fr. Hoffm. l. c. p. 397.

VI. *Siccæ.*

α. Tuſſis ſicca inveterata ſine febre, vix ſolvitur niſi dolore forti, tumore vel abſceſſu, in coxam aut in crura aut in teſtem [*n*].

β. Quæ tuſſicula diutius durat, ita, ut qui affectus illa eſt, præter rationem videatur extenuari, tabis ſuſpicionem habet [*o*]. Sic quoque, quæ ſæpius de die ingruit, ex leviſſimo motu ſuſcitatur, perque menſes & annos, præcipue in juvenibus durat, haud obſcure indicat adeſſe in pulmonibus ſcirrhos, tubercula, vomicas vel exulcerationes [*p*].

γ. Scire licet ex vomica tuſſim ſiccam eſſe, ſi fœtorem cadaverinum quaſi educentes aërem ægroti ſentiant identidem; hisque repentina mors rupta vomica, niſi accuratiſſime vitam inſtituant metuenda erit [*q*]. Poteſt vero, ſi parva vomica fuerit, hunc caſum bona interdum valetudo ſequi [*r*].

δ. Quæ a calculis aſperæ arteriæ vel pulmonum orta tuſſis fuit; his excretis, cum ſuis ſymptomatibus alias evanuit, alias vero tabem induxit lethiferam [*s*].

ε. Quæ [*t*] hæmoptyſin ſedatam tuſſis excipit, non ſemper funeſti ominis eſt [*u*]. Sequitur enim tuſſis conditionem loci, unde ſanguis emanavit, eo modo, ut leviſſima illa ſit, quæ vaſa laryngis rupta ſequitur. Poſt hanc, quæ ex interiore membrana aſperæ arteriæ ortum trahit. Graviſſima autem, quæ ab ipſis arteriæ pulmonalis ſurculis ſuſcitatur, niſi quidem apices vaſorum arterioſorum nude dilatati (§. 10. diſſert.) ſanguinem tranſmiſerint. Tum enim ne iſthæc quidem, lethifera ſemper hæmoptyſis

[*n*] Valeſius in Hippocr. l. 2. ſect 5. p. 102. conf. Bagl. pr. med. p. m. 86. Hiſtoria vero tuſſis tumore in teſtem ſolutæ habetur in ephem. nat cur cent. 3. obſerv. 83. [*o*] Valeſius in Hippocr. l. 1. ſect. 1 p 4. [*p*] Pelargus in pr. Stahl. p. 1104. [*q*] Lanciſius l. c. l. 1. cap. 18 § 5. Exempla quoque habet C. St. van der Wiel in notis ad obſ 32. [*r*] Lommius l. c p. m. 107 Hiſtorias refert C. St: van der Wiel l. c. obſ. 32. Inter quas memorabilis eſt, quam e Fernelio nàrrat de juvene, qui poſt vehementiorem exercitationem, tuſſi ſuperveniente creberrima, vomicam integram membrana ambiente cinctam emolitus eſt, poſteaque convaluit. [*s*] Hiſtoria recenſetur in Ephem. nat. cur. Ao. 9 obſ. 55. de virgine, quæ dum tuſſi detenta fuerat gravi cum contabeſcentia, eliſis tuſſi calculis, mediocriter convaluit. Similis hiſtoria ibidem Ao. 6. obſ 132. recenſetur, ubi quoquæ vermem tuſſi ex pectore ejectum aſſeritur, cum aliis multis notatu digniſſimis. Refert quoque Pechlinus in obſ. phyſ. m. l. 2. obſ. 4. de ſtudioſo Anglo; quod ille tuſſi diu vexatus, calculos tandem tuſſi ejecerit, perfecte poſtea ſanus factus Sed habentur quoque infauſti præſagii exempla, quæ recenſet. C. St. van der Wiel l. c obſ 78. In his aſthma quoque ſimul grave cruciavit; calculi quoque excreti, plerumque vel numeroſiores vel & majoris molis exſtitere. [*t*] De hæmorrhoidibus orihic nobis ſermo non eſt, quum inde vix niſi exſcreatio quædam ſoleat. excitari. [*u*] Rosbinſon part. 2. p. m. 41 hiſtoriam recenſet, ubi ſicca tuſſis largiorem quoque hæmoptyſin excipiens, idoneis tractata remediis abſque noxa evanuit.

tyca tuſſis eſſe ſolet [*x*]. Si autem hæmoptyſis ſæpius recurrat, maxime vero ſi ſedatam illam, aſthma pertinacius cum macie & dejecto ſimul animo excipiat; tum quidem appropinquantis phthiſeos metum fovet juſtum [*y*].

§. XXXV.

Atque hæc (§. 34.) quidem tuſſium indoles, hic exitus obſervatur, dum vel ſuæ ſpontis natura fuerit, vel per medicum adjuta miniſtrum. Utriuſque ſeparatim poteſtatem in ſingulis tuſſium ſpeciebus tradidiſſe, artis quidem fuiſſe novimus, ſi modo vel imperata brevitas, vel quibus frui licuit, medicorum obſervationes pleræque, nec ipſæ hæc miſcere ſuo juſſiſſent exemplo. Etenim, hoc opus hic labor eſt.

VII. *Methodus medendi, cum remediis, diæta & prophylaxi.*

§. XXXVI.

Quomodo autem vita (§. 1.), in tuſſientibus, a diverſis cauſſis [§. 33], diverſo cum effectu [§. 34.], mutata quidem, at ſuperſtes adhuc, ita dirigatur, ut ſanitas [§. 2] redeat, therapia nunc docebit. Cujus quidem regulæ ejuſmodi erunt, ut cauſſis tuſſium tollendis operentur. Eum quidem in finem ex iiſdem his expoſitis tuſſium cauſſis, deductas formabimus generales theſes ſequentes:

1. Ubi ex anteacta vita, fluidorum & ſolidorum conditionibus, prædominans acrimonia aliqua percipi poteſt; oppoſitis ſenſim invertenda erit illa, medicamentis ſimul & victu.

2. Ubi ſpiſſi, tenaces & viſcidi humores, cum vel ſine aſthmate in vitio eſſe deprehenduntur; incidi debent illi & reſolvi. Cui quidem ſcopo e radicum familia efficaces illæ judicantur, quæ ab *aro, ſcilla, vincetoxico, iride Florentina, helenio* denique & *armoracia* nomen ſortiuntur. Proſunt ex herbis *arnica, hyſſopus, ſcabioſa, ſcordium*: e floribus vero illi, quibus ornata *bellis* eſt. E lignis *guajacum, ſaſſafras* eorumque cortices; e gummatibus vero *ammoniacum* & *benzoinum* laudantur, quibus & *mel* e vegetabilium numero accenſere liceat. Poſt hæc e chemicis ſumi poſſunt *terra foliata tartari, ſolubilis tartarus, ſulphuris flores* & *lac*; *balſamus ſulphuris* denique, & *ſpirit. ſalis ammoniaci vinoſus*, utrinque *aniſati.*

3. Si-

[*x*] Sic apud Tulpium l. 2. cap. 11. de pictore narratur, qui per 30. annos ſanguinem exſpuit, & indemnem quoque novem annorum hæmoptyſin menſtruam in nobili femina ex Hoffmanno refert Tralles in exam. rigor. p. 242. [*y*] Liquet hinc quouſque vera ſit, Prognoſis Seidelii in de morb. incur. p. 26. ex Ovidio, qui canit *cernis ut e molli ſanguis pulmone remiſſus; ad ſtygias certo limite ducat aquas.*

3. Siquidem tenuis & acris liquor, vel & rodens quodvis tuſſi ſtimulum addat, aut diluendum illud erit, aut incraſſandum, ut aiunt, vel involvendum ſimul. Prius effici commode poteſt, *ſero & vapore lactis, juſculis, decocto Coffé cum liquiritia, avenaceo* quoque & illo ex *raſura C. C. parato gelatiniformi.* Involvere autem & incraſſare ſolent parata, e *liquiritiæ radice*, & *floribus violarum*, *malva* & *althæa*, omnia: *amygdalæ dulces*, earumque *oleum recens*, *cremor lactis*, *ſperma ceti*, *ficus*, *gummi Arabicum*, *tragacantha*, *trochiſci becchici* albi & nigri, *baculi de liquiritia*, cetera.

4. Si oppleta ſunt muco pulmonalia vaſa, temperamenti vero torpor, ſolidorum inertia, aliique defectus tuto ſupplendi, tuſſim vel plane non, vel vegete minus exerceri impediunt, ſtimulantia exhibeantur cum reſolventibus [No. 2. hujus] dum viſum fuerit, mixta. *Zingiber cum melle*, *Enulæ radix & ari*, *ſcilliticum oxymel*, *balſamus Peruvianus*, *flores Benzoës*, *elixir pectorale Wedelii*; *emetica* quoque & *ſternutamenta*, hic quandoque egregie proſunt, ut & *piper nigrum*, quod prunis inſperſum, vaporibus per inſpirationem hauſtis, tuſſim excitat fortem.

5. Motus tuſſiculoſi, abſque materia in pulmonibus obſervanda, nimium exerciti, dum licet, anodynis compeſcantur. Si quoque evacuato quantumlibet craſſiori muco, tuſſis nihilo ſecius continuet, vel periculum hæmoptyſeos, abortus in gravidis, aliuſve majoris mali minetur, ſedantia in uſum vocare neceſſe erit. Quin & ſi ſpaſmus ſolida ita ſtringat, ut glandulæ, quæ vitiatum humorem dimitterent, coerceant illum pertinacius, hæc eadem ex uſu erunt. Sunt autem hic utilia, quæ ex *tiliæ floribus*, *papavere*, *croco* & *lumbricis terreſtribus* parantur. Bene quoque hic adhibetur *extractum opii* aquoſum, fermentatum, cum ſaccharo tritum, *extractum nicotianæ*, *pilulæ de ſtyrace* correctæ *Starckey*, & ipſum denique *nitrum*.

6. Quia ex pulmonibus nihil fere, niſi quod in illis infarctum hæret evacuari debet; ſuperfluam vero evacuationem efficiat, ſolidiorum fluidorumque reliquorum vis pulmonum ſuperans tonum; idcirco vis hæc minuenda utrinque erit, dum ſimul de cauſſarum quoque aliarum ablatione ſtudioſe laboratur. Efficitur autem illud

α. Venæſectione, quæ tanto magis indicatur, ubicunque inflammatio vel humorum nimia copia tuſſim effecit.

β. Alvi ſubductione vel ſimplici vel antiphlogiſtica.

γ. Frictionibus, fotu pedum partiumque inferiorum humido calido, phœnigmis, epiſpaſticis aut veſicatoriis. Quæ quidem diverſis locis, pro re nata, applicari debent.

δ. Revocatione excretionum ſolitarum ſanguinearum aliarumque, ſi forte ſuppreſſæ nunc fuerint. Id quod fieri debet & perfici, per eadem, quibus prius id effecit natura, emunctoria.

Cauſſæ

Cauſſæ tolluntur, partim iis, quorum hactenus [No. 6. hujus] meminimus, partim vero iis, de quibus in ſpeciali cura exponemus.

Dum vero ſic(n.6.hujus) aliquale inter pulmones & reliqua corporis noſtri ſolida conſtitutum æquilibrium fuerit, & ab humorum copia, inæquabili diſpartitione, ortum tuſſis traxerit; diapnoicis & diaphoreticis uti debemus, quo æquabilius ſic humores per corpus diffundantur, & in cutim quoque, quæ ut pulmones, lymphaticis quoque vaſis ipſa turget [x]. penetrent altius, minus ſic futuri pulmonibus oneroſi. Efficitur hoc infuſis vel decoctis calidis ex *lignis ſaſſafras* & *ſancto* cum *corticibus*; *floribus & rob ſambuci*; *eſſentia alexipharmaca Stahlii*, *ſcordii*, *vincetoxici*, *belenii*, *ligni ſaſſafras*, *balneis* denique, *lotura pedum* & *frictionibus* cum pannis calidis.

8. Liberati hoc modo (N. 1-7) a diſtendentibus humoribus aut vellicantibus particulis quibuſvis (§. 33.), pulmones vel per conſenſum lædentes partes, firmentur mox medicamentis idoneis. Sic enim fibræ earum in poſterum affectæ, haud facile cedent, vel a peregrinis movebuntur humoribus. Adhiberi hunc in finem poſſunt, quæ ex *caſcarilla* & *ſuccino* parari medicamenta ſolent. Proderit quoque *mixtura tonico nervina* Stahlii, ejuſdem vel & Hoffmanni *pilulæ polychreſtæ* balſamicæ, *equitatio*, & quæcunque demum laxatis fibris ſuum reddunt tonum.

§. XXXVII.

His igitur (§, 36.) fundamenti loco poſitis, ad medelam cuivis tuſſi propriam deſcendamus, & quidem

I. *Idiopathicæ*.

A. *Rheumaticæ*. In genere circa hanc tuſſim ea obſerventur quæ §. 36. N. 6. præcipit. Deinde vero pro eo ac diverſæ cauſſæ (§. 33. N. 1. lit. A) ad hanc efficiendam tuſſim concurrere obſerventur, alia ipſis atque alia opponi medela debet. Quod ſi enim

1. Ex *cauſſis peregrinis* (§. 33. No. 1. lit, A. n. 1.) & quidem

α. *Externis pectoris læſionibus* originem traxerit, præter venæſectionem & purgationem antiphlogiſticam, reſolventia §. 36. n. 2. commendata adhibeantur. Flores nempe bellidis & arnicæ in infuſo cum mellis quantitate juſta. Nec omittantur tum quidem externa reſolventia ex herbis diſcutientibus, vino & aceto. Proſunt leviter nitroſa ſi febris urgeat. Demulcentia vero & anodyna (§. 36. n. 3. 5) ſi nimium vexet tuſſis.

β. Quando autem *acria per os ingeſta* pulmones ad hanc tuſſim ſtimulant, optimam medelam faciunt demulcentia §. 36. No. 3. commendata, & in his quidem vapor lactis inſpiratione hauriendus.

Medicam. domeſticum hoc in caſu eſſe poteſt, butyri recentis pars una cum quadruplici portione cremoris lactis & ovi vitello mixta. Addatur Sacchari canthi quant. pl. ſuper ignem vero agitata ſimul omnia, leviſſime liquefiant & poſtea comedantur.

L 2 2. Dum

[x] Conf. J. Regæ meth. med. aphor. p. 32. 63.

2. Dum ex *cauſſis domeſticis* §. 33. N. 1. lit. A. n. 2. & quidem

α. A *vitio ſolidorum nimium elaſticorum* vel ſpaſtice conſtrictorum orta tuſſis fuerit, præter ſanguinis miſſionem illa uſurpentur, quæ §. 36. n. 3. & 5. indicant. Si vero *laxitas nimia* obſervetur, primum, quod infarctum hæret educatur. Quod ſi maturum fuerit impactum, expectorationi vero non ſufficiat natura, arte §. 36. n. 4. juvetur. Deinde vero diſcutientia & roborantia §. 36. n. 7. & 8. in uſum vocentur.

β. Quando *fluida* peccant, & quidem

1. *Quantitate* nimia pulmones invadunt, (congeſtionem ad pectus medici vocant) tum quidem quæ ſicca inde rheumatica maxime tuſſis oritur, ſecundum §. 36. n. 6—8. tractari debet: phlebotomia nempe larga, lotione calida pedum, laxantibus, paregoricis denique, reſolventibus lenioribus & roborantibus. Sit autem illud, quod *alvum leniter ducat*, *medicamentum* ſequens: R. Mannæ tabulat. unciæ *ij*; tartari ſolubilis & ſacchari lactis ſingulorum drachma. Solvantur hæc leni calore in aquæ font. unc. vi. Colat. add. elæoſacchari citri drachm. ſemis. Dr. c. regimine. *Paregoricum* autem, quod tum uſurpari debet, dum ad quietem ſe ſub noctem componere paratus eſt ægrotans, hoc modo paretur. R. ſemin. papav. albi ſemiuncia; melon. excortic. drachmæ *ij*, cum aquæ flor. tiliæ & papav. rh. ſingulorum unc. *iij*, in emulſionem artis lege redigantur. Addantur vero huic paratæ drachmæ *iij*. ex aqua roſ. vel flor. aurant. Sacchari vero canthi, quod ad gratum ſaporem ſatis eſt. Emulſionem hanc altero mane medicamentum excipiat reſolvens & diſcutiens. R. ſeri lactis ſimpl. libra, in qua ſolv. ſucc. cerefol. heder. terreſtr. ac urticæ minor. urentis, ex ſingulis uncia, addendo ſacchari lactis ℥ß, ex mixtis propinentur unciæ binæ quovis bihorio. Vel. R. herb. arnicæ, herb. ac flor. Bellid arv. herb. urtic. ur. min. heder. terreſtr. matriſylv. tuſſilag. ſingul. uncia ſemis, aniſi ſtellati drachm. ſemis. Ex mixtis fiant l. a. ſpecies pro infuſo, in quo juſta menſura modo laudati ſucci poſſunt diſſolvi, & cum ſyrupo de eryſimo propinari.

2. Quod ſi a *qualitate* humorum depravata §. 33. n. 1. lit. A. n. 2. lit. B. β. tuſſis oriatur, in genere quidem obſervanda erit regula §. 36. n. 1. in ſpecie vero ejuſdem §. n. 2. & 3. Si enim, quæ in vitio eſt materia, viſcida eſt & craſſa, per tuſſim vero facile educitur, nihil a medico movendum erit, ut ne ſponte currenti calcar videatur addere, & coctam ſemel vitæ viribus materiam recoquere (conf. progn. ſp. n. 1. lit. A. β.) Quod ſi autem viſciditas ſiccam tuſſim cum oppletione pectoris aſthmatica efficiat, tum quidem ex vaporibus lactis aniſati, diluentibus, lenientibus ac reſolventibus petenda eſt medela. Et, ſi quidem febriles motus leniores permiſerint, validior reſolvens pulvis expectorationem promoveat. Recipiantur nempe, pulveris radicis ſcillæ grana *iij*. vincetoxici ſcrupulus, nitri puriſſ. dimidium ſcrupuli. Miſceantur hæc invicem pro doſi, & ſumantur juſto cum regimine. Vel recipiatur ſaponis Veneti drachma; olei amygd. dulc. rec. & frigide expreſſ. uncia; ſyrupi pector. ed. ſeſquiuncia. Mixta den-

dentur. Quòd ſi acris & tenuis materia tuſſim excitet, quæ §. 36. N. 3. commendat uſurpentur. In ſpecie autem euporiſton ex butyro, cremore lactis &c. ſuperius commendatum, hic egregie proderit, ut & emulſio laudata paregorica. Si autem denique ex retropulſa *podagra vel arthritide* orta tuſſis fuerit, commoda ſunt, quæ §. 36. N. 7. præcipiuntur. His aſſocietur laxans ex manna ſuperius commendatum. Sub noctem vero, quia in hac tuſſi febris cum vigiliis maxime urget, primo hauſtui emulſ. paregoricæ, juſta doſi opiatum quoddam addatur correctum. Neque negligantur ea, quæ §. 36. N. 6. lit. γ & δ. indicantur. Ex his vero phœnigmum a Muſgravio [y] commendatum hic uſurpandum adjicimus. Rec. nempe fermenti vet. part. IV. ſem. ſinapi fimi columb. rad. radiculæ, cucum. herbæ rutæ ſingulorum pars una; aceti vini albi q. ſ. Applicetur hic, loco antehac a podagra vel arthritide affecto, & quidem calide, renovandus ſimulac refrixerit toties, donec ortus in loco tumor fuerit.

Atque hæc quidem methodus eſt *rheumaticam* tuſſim ſanandi, pro eo ac differunt ejus cauſſæ. Quæ, ut imperata eſt, per omnia continuetur capita, donec graviora remiſerint ſymptomata. Dentur vero tum roborantia ex iis quæ §. 36. n. 8. commendata ſunt ſelecta, pro eo ac diverſæ videantur requirere conditiones habituſque ægrotantium. Convaleſcentes autem ab uſu horum ſenſim remittant, nec prius plane abſtineant, quam ut antea ſpiritum ex facili ducere ſe animadvertant.

B. In *tuſſi convulſiva* & quidem

1. *Epidemica*, maxime infantum, [z] id circa prima tuſſis initia curandum erit, ut intra conclave calidum perpetuo maneant tuſſientes. Alvus quoque, quamvis aperta, una vel altera vice ducatur per mannam in decocto avenaceo ſolutam mane ſenſim ſumendam. Quod ſi adſtricta alvus fuerit, ſolvatur per clyſterem, parandum ex lacte, ſaccharo & oleo olivarum. Deinde vero tenuia etiam, ut modo dictum, inteſtina purgentur. Tum quidem ad præcavenda ſymptomata periculoſiſſima (conf. progn. ſpec.) in vegetioribus ſaltem ſecari venam debere, vix quiſquam negaverit [a]. Poſthæc, (ſi quidem ex viſcidi copia ac vomituritionibus, vehementia tuſſis nondum excitatis, indicetur) emeticum detur [b] ad cru-

[y] Cit. l. cap. 2. p. 98. hiſt. 6. [z] Ingruit quoque aliquando tuſſis epidemica nemini fere parcens, a conſtitutione febris alicujus prægreſſæ pendens, cujus tum quidem cura ad morbi iſtius genium dirigenda erit. Conf. J. de Gorter in hiſtoria morbi epidemici. Sed & tuſſes epidemicæ in adultis ad tuſſim puerorum convulſivam quam proxime accedere ſubinde obſervantur, & eandem quoque cum hac medelam poſtulant, maxime autem v. ſ. & catharſin. Confer. Allen in Synop. m. cap. 4. art. 17. e Sydenhamo. [a] Mos quidem noſtris in terris hoc vix permittit, ſed conf. hiſt. morb. Vratislav. A. 1699. p. 21 & Sydenh. proc. int. p. m. 34. Nec obſtat obſervatio Th. Bartholini in miſcell. nat. curioſ. an. 1. obſ. 51. lethalem multis fuiſſe venæ ſ. in tuſſi epidemica & pleuritide Ao. 1699. graſſante; plane enim hæc fuere ſingularia. [b] ſine vomitu vix ſanari poſſe ab Ettmullero refert Allen p. 43[illegible]. Interea tamen maxima habenda erit virium ratio, & efficiendum, ut inter has evacuationes temporis aliqua intercapedo ſit, quo vires colligere infantes poſſint.

ditates ventriculi evacuandas. Sit autem illud ex oxymelle ſcyllitico paratum, & ſumatur juſta doſi, eo modo, ut inſtante vomitu, ſeri lactis vel aquæ tepidæ plurimum, ad facilitandam evacuationem, bibatur. Incipiant, his ita præmiſſis, infuſo quodam infantes uti ex ſcordio, veronica, floribus bellidis, chamomillæ, ſambuci, aniſo ſtellato, ſeminibus denique aniſi & fœniculi. Quod quidem cum dimidia vel tertia parte lactis caprini mixtum, ſacchari q. ſ. palato infantum accommodetur, & ſæpius propinetur. Interponatur his, per ſeptimanam aliquoties, lene aliquod laxans ſimulque demulcens, quod hoc modo paretur. Rec. Amygd. dulc. pinear. excort. ſingulorum uncia; ſacchari canthi unciæ *ij.*; mannæ calabr. ſemiuncia, ſyrup. viol. de cichor. c. rheo ſingulorum q. ſ. ut fiat linctus, ſenſim ſumendus, donec alvum ſolvat. Atque hæc ita invicem tamdiu uſurpentur, donec lenior tuſſis in ſanitatem inclinari morbum indicet. Tum vero, roborandi ſimulque ſedandi ſcopo, ſequens ex uſu erit mixtura. Rec. nempe eſſent. aniſi ſtellati & ſuccini, ſingulorum drachma; ſpiritus C. C. drachmæ dimidium; extr. croci ſcrupulus; quæ mixta dentur aliquoties infantibus ad *gt.* X. vel XV.

Symptomata nimium acerba, quæ ſub ſignis & prognoſi indicata ſunt, ſuam quoque medelam poſcunt. Aſt hæc quidem omnia perſtringere longum nimis foret. Præſtat igitur malum in herba extinguere, h. e. vehementiam tuſſis ſecundum §. 36. n. 5, quoad ejus fieri poterit, moderari. Id quod internis ſimul & externis medicamentis effici debet. Interne quidem, ut ſimul palato infantum indulgeamus, optime nobis convenire videntur tabulæ ſic dictæ narcoticæ, quas ad imitationem Plateri concinnare docet Joſ. Rega c. l. p. 487. ex opio [*c*] in vino malvatico ſoluto, cinnamomo, moſcho & tragacantha. Tentare vero prius juvabit ſequens eclegma, quod raro feſeliſſe Foreſtus auctor eſt [*d*]. Sumi nempe jubet rad. Althææ bene mundatæ uncias tres; coquantur in libra lactis vaccini, vel melius in flore lactis ad optimam diſſolutionem; tundantur & cribro cremor excipiatur, addendo ſacchari cant. penid. ſingulorum unc. tres. Mr. & tempore tuſſis vehementis dr. cochlearis menſura. Recens autem hoc eclegma ſit, quia facile ſitum contrahit. Externe præcordiis illinatur unguentum rubrum potabile, vel & unguent. pector. pharmacop. Auguſtanæ, quod a cel. *Frid. Hoffm.* ut anodynum & expectorans majorem in modum commendatum, idem fere eſt cum unguento pector. quod in Stockholmenſi noſtra recenſetur pharmacopœa. Veſicatoria quoque, ſi neceſſitas poſtularet, & in infantes lenitas permitteret, hic optimo jure locum habere poſſent [*e*].

Reſtat, quid de medicamentis domeſticis in hac tuſſi ſperandum erit, indicare. Quorum eo acceptior uſus eſſet, quo frequentius in vulgus infan-

(*c*) Loco autem crudi opii ſumimus nos extractum ejus aquoſum ſuperius commendatum. (*d*) l. 16. obſ. 6. [*e*] Act. med. Vratislav. l. c. *p.* 21.

ſantum malum ſolet graſſari. Inſigni autem, inter euporiſta, hac in tuſſi laude fertur muſcus arboreus, maxime qui de quercu pendet [*f*]. Decoqui hujus muſci drachma in ſuffic. quant. lactis poteſt; colatura autem calida mane hauriatur pro doſi; veſperi quoque tantundem decoquatur & ut prius uſurpetur. Sed & in ſubſtantia, quod dicunt, dari poteſt hoc modo: recipitur muſci hujus & ſacchari canthi, ſingulorum drachma; terendo in pulverem rediguntur, mane autem & veſperi ex pulvere hoc, quantum capere cultelli cuſpis queat, in lacte vel juſculo propinatur. Sed & limacum (*g*) (ſcalmatkar, wagſnackor) mentionem facere, uſus, quem ex ſolis illorum teſtis [*h*] vulgus ſperat ſuadere videtur. Sumuntur videlicet limaces, exiguoque ſale conſperguntur, unde mucilaginoſi quid fundere mox obſervantur. Illud vero, quod ſic deſtillat, ad gt. X. vel ultra in lacte vel cereviſia communi propinatur, bis vel ſæpius de die. Ex incontinenti profuiſſe hoc auctor eſt Foreſtus [*i*]. Sed & alio modo in hunc uſum aptari poſſunt limaces. Contundantur nempe per piſtillum ligneum una cum teſtis ſuis. Soli vero tum in pertuſo vitro objiciantur. Deſtillans inde liquor cum ſaccharo edulcoretur, & ad gt. X. vel XII. infantibus porrigatur [*k*]. De *lacte* maxime vero *equino* hoc in malo quibuſdam in locis commendato, dicere nil adtinet; quum dubium ſit nullum, lac in genere, quo plus nutrit, eo magis hic, ad labaſcentes continue ſub malo vires reſtaurandas, prodeſſe. Ceterum externe axungia lucii piſcis pedibus affricata laudatur, præcordiis vero linteum calidum recenti madidum oleo, ſi opus fuerit, applicandum.

2. *Sporadica.* Patet ex diſputatis (§. 33. n. 1. lit B. n. 2.) in genere quidem hac in tuſſi indicari maxime illa, quæ enormes motus compeſcere quantocius medicamenta poſſint, (§. 36. n. 5.) ita ut vere hic cum poëta [*l*] dicere liceat.

Temporis officium ſolatia dicere certi eſt:
Dum dolor in curſu eſt, dum petit æger opem.

Sed ſimul quoque ad ſpeciales exſtirpandas cauſſas eundum erit, & quidem

α. Si ex difficili dentitione oriatur tuſſis, albeſcentes ex erupturo dente gingivæ, oleo perfricandæ erunt amygdalino, lardove recenti. Si quoque neceſſitas poſtulaverit, gingivæ ſcalpello chirurgico ſecandæ ita erunt, ut & ſic certius, quæ vis erupturo denti obſtitit, moliri nihil ultra poſſit.

β. Hy-

[*f*] Baglivi pr. med. p. m. 82. confer. Th. Willis. pharmacopæa rat. p. m. 62.
[*g*] Inveniri hujuſmodi limaces accepimus in horto regio Carlbergenſi & circa prædium Steninge & alibi. [*h*] Ex teſtis videlicet limacum (*Bikſkalor*) lac aliumve potum infantibus propinant. Quaſi quæ in poculis ex antimonio factis vis ineſt emeſin movendi, eadem quoque teſtis limacum facultas eſſet tuſſim infantum demulcendi. Quidam autem, qui paulo altius ſibi videntur ſapere, cultro pulverem ex ipſa teſta radunt, ſimulque propinant. Aſt quid ex terra hac in tanto malo ſperandum boni erit? [*i*] libro 16. obſ. 6. [*k*] Conf. Bäumler. l. c. p. m. 575. [*l*] Ovidius ex Ponto l. 4. c. 11.

β. Hyſterica tuſſis, præter generalia §. 36. n. 5. ejuſmodi poſtulat medicamenta, ut funditus eradicetur, quæ antihyſterica vulgato nomine dicuntur. Non autem eadem hoc in caſu omnibus proſunt. Expiſcari igitur oportet, quæ ferre antea commode medicamenta hyſtericæ potuerint, quæve minus, & ſic quidem ex juvantibus quoque & nocentibus in morbo hocce polymorpho indicationes erunt formandæ. Interea ex prius commendatis anodynis, in ſpecie propinari poteſt mixtura ad gt. XXX. ſingulis vicibus ex eſſent. caſtorei & liquore anod. miner. Hoffm. æqualibus partibus, eo modo, ut ſingulis hujus præbiis gt. VI. vel VIII. laudani liquidi Sydenhami admiſceantur. Eundem quoque in finem gr. V. vel VI. M. P. pacific. Ed. teri poſſunt cum ſcrupulo herbæ valerianæ ſylveſtris maj. & cum aqua flor. tiliæ, meliſſæ vel rutæ propinari.

γ. Dum ex peregrinis in aſperam arteriam illabentibus, non vero ſtatim rejectis tuſſis oritur, difficilis omnino cura manet. Numquid enim hic vel demulcentia valeant, vel pectoralia cetera dicta, determinari vix poſſe videtur. Optima quidem natura viam monſtraſſe viſa eſt (conf. progn.): eliminari nempe tuſſi id, quod in vitio eſt debere. Et hunc quidem in finem arte ſternutatio excitata, exemplo rejecti peregrini optime ſeſe comprobavit [m]. Quod ſi torpor ad tuſſim nimius ſit, quæ §. 36. n. 4. commendantur adhiberi poſſunt. In illis autem pulvis piperis nigri, prunis inſperſus, crebram obſervatur ciere tuſſim, dum fumis ejus impleri conclave incipit. Ab initio autem, dum quid ſic illapſum eſt peregrinum, videndum erit, num vel minima adeſſe plethoræ indicia videantur. Id ſi fuerit, vena ſtatim ſecetur, ut ne tuſſiculoſi motus vehementia febrim cieat, vel vaſa rumpat pulmonalia, ſubſequente hæmoptyſi aliiſque malis.

δ. Conſiderari quoque illa tuſſis debet, quæ cum aſthmate aliquando juncta a repulſa, præcipue ſcabie, fieri obſervatur convulſiva. Huic autem optime medetur æthiops antimonialis ad grana VI. X. vel XV. pro doſi ſumendus, vel & flores ſulphuris cum pulvere Bezoardico temperato ad gr. IV. vel V. mixti. Utrumque hoc medicamentum tutiſſime, quod e ſcabie in pulmones divertit malum, extricat, ut vel ad cutim redeat, vel per lyſin materia morbifica evaneſcat. Tamen & hic ſimul adhiberi poſſunt, quæ §. 36. n. 3. commendat. In primis autem ex iis uſurpari meretur juſculum vitulinum, mane una cum flor. ſulphuris ſumendum. Id tamen ſimul obſervandum, potentiorem ſulphure æthiopem eſſe, majorem autem in diæta ab acidis & ſalinis cautionem poſtulare.

C. Sequitur nunc *catharrhalis tuſſis*, quam quidem, dum mitior eſt, ſanantis naturæ imperio ſubjiciunt affecti, quum, quod medicam opem flagitare malum poſſet, non ſentiant. Sunt quoque plurimi, qui ad medica-

ca-

[m] Refert Burggrav. in lex. med. tit. aſp. arter. Volckamerum uſum fuiſſe pulvere liliorum convallium naribus inſufflato, in puerulo bimulo, quem cruciabat illapſum in aſperam arteriam oſſiculum, & ortam inde ſternutationem fortem oſſiculum excuſſiſſe felici eventu.

camenta domeſtica ſibi familiaria hoc in caſu confugiunt. Et certe quidem, cum ex tempeſtate minus commoda (§. 33. N. 1. lit. C.) tuſſis hæc ſæpiſſime oriatur, corpore ceteroquin ſano, idoneo regimini feliciſſime quoque cedere ſolet. Bona igitur cenſenda erit, quieta in conclavi calido commoratio, dum ſimul linteo calido pectus munitur, ceteræ corporis partes perfricantur, & pedes balneo aquæ tepidæ immerguntur. Prodeſt cubitum eunti, ſi frigidum natura corpus eſt, vini cujuſdam dulcis generoſi, ſupra quod ſolitum eſt pluſculum bibiſſe. Calidioribus vero commoda eſt aquæ libra, in qua calida adhuc albumina ovorum bina cum ſaccharo & pauxillo croci conquaſſata fuerint. Mane vero ſi acrior tuſſis exſtiterit, decocti coffé, cum pulvere rad. liquiritiæ tantillo parati, quantum placet bibatur, vel & ſupra N. 1. lit. A. n. 1. lit. β. in hac §. commendatum aſſumi poteſt medicamentum domeſticum. Laudatur quoque vitellus ovi crudus cum pulvere ſacchari canthi mixtus, dum cubitum itur ſumendus, & altera quoque tertiaque veſpera, ſi viſum fuerit iterum uſurpandus. Quin & pomum aliquantum excavatum, melle roſato tum impletum, & ſic quidem poſtquam prunis aſſatum fuerit vivis comeſtum, egregie prodeſt. Atque hæc eo confidentius commendare pharmaca ne dicam an bellaria auſim, quo & tutiora ſunt, & palato affectorum magis videantur arridere. Dum vero acriori ſtimulo corpus tuſſis quatit, vel copioſiori frequentiorive appulſu undiquaque pulmones opprimit, majorem adhibere valetudinis curam ipſa ſuadere videtur neceſſitas, & tum quidem ſequentes obſervari regulas debere neceſſarium judicamus, quas tamen & in dictis conſuluiſſe neminem pœnitebit.

1. Si quidem tuſſis hæc humida eſt a catarrho ſic dicto humido ſeu debilitate, quod aiunt, partis recipientis pendens [*n*], ſecundum §. 36. Reg. 6, 7 & 8. tractanda erit, eo modo, ut indicata ſubordinatione medicamenta exhibeantur. In ſpecie autem ſequentem mixturam ut tonicam ſimul & diaphoreticam h. eſt diſcutientem (*o*) commendare liceat. Recipiantur nempe eſſentiæ alexipharm. Stahl. ℥*ij*. tinct. ♁ii tartarus vitriolatus Ω CC. aà ℥*ß*. Eſſentiæ ſuccini ℥*j*. Ex mixtis his ſumantur mane & veſperi *gt.* 40, debito cum regimine. Præcipue autem mane epoto ſimul infuſo calido, in lecto requieſcat æger, nec prius inde ſurgat, quam qui ex aſſumtis exſtiterit udor, in ſolitum corpori teporem remiſerit. His ita uſurpatis robur relaxatis glandulis concilietur, per gargariſma ex hyſſopo ſalvia & floribus roſarum rubrarum cum vino parandum. Quod quidem præ-

[*n*] Coincidit hæc fere cum humida phthiſica incipiente, & differentiam formant ſubjecta diſpoſita §. 32. N. 3. Eſt autem in his catarrhus vel perpetuus, ſcreatione ſæpe ſola pituitam elidens, vel per intervalla recurrens crebra (confer. prognoſis). Curatio quidem in genere eadem fere manet. [*o*] Sudores moventia in perſeverantibus fluxionibus adhibita, purgato prius corpore, plurimum prodeſſe, inter alios auctor eſt Platerus pr. med. p. m. 404.

præcipue dum ex capite pituita, ut aiunt, defluens ad tuſſim ſtimulat prodeſſe obſervatur. Quin & ſola frigida gargariſmatis loco uſurpata ſæpius, vi qua ſolida arctat, effectu roborantia alia æquare nonnunquam obſervatur.

2. Quod ſi autem a catarrho ſic dicto ſicco tuſſis derivetur ſicca fere, videndum erit

α. Num ex copia ſanguinis nimia oriatur. Id ſi fuerit, quæ ſuperius in rheumatica tuſſi Lit. A. N. 1. Lit. β. N. 1. medicamenta commendantur, proſunt [*p*].

β. Si quidem fluida in pectore coacervata quidem, ſed ad excernendum inepta, tuſſim hanc efficiant, ſecundum §. hujus lit. A. N. 2. lit. β. N. 2. tractanda erit.

γ. Dum autem ſpaſmodica glandularum vaſorumque affectio, & ex tenui acri pauco orta oſcillatio, tuſſim hanc excitat, anodyna ſecundum §. 36. N. 5. & demulcentia (§. 36. No. 3.) optime conducunt.

II. In Tuſſi *Sympathica.*

A. *Stomachali* diligenter obſervetur regula §. 36. n. 1. Remedio autem cognitæ acrimoniæ oppoſito aſſocietur pulvis radicis ari, cum æquali portione ſalis cujuſdam medii mixtus. Sumatur hic 3 vel 4 de die ad ℈ß, ſingulis vicibus, & ſic pergatur uſque dum inciſum malum ad exitum ſatis eſſe judicetur aptum. Tum vero niſi ſponte ſua ſatis vegete prodeat, vel tuſſis ſileat, pulvis Ipecacuanhæ ad ℈*j*. cum granis aliquot ſalis abſinthii acuatus, ſurſum illud ejiciat; vel ſi vomitus tuto non cietur (qui tamen tantum non ſemper neceſſarius eſt [*q*] pulvis Rhabarbari ʒ*j*. vel mannæ ℥*ij*., in decocto avenæ ſumtæ, per alvum illud expediant. Infantibus vero uti conchæ citratæ reſolvendi ſcopo ad cultelli cuſpidem commendantur, ſic iiſdem laudatum ſupra ſcilliticum oxymel vel manna ad evacuandum inſerviant. Quod ſi autem altius in inteſtinorum canale malum hæreat, glanduliſque meſenterii obſtructis atrophiam minetur, ☿ dulcis inſtar omnium eſſe poterit, ſequentem in modum ſumtus: R. Extracti card. B. ſucci liquirit. inſpiſ. ſingulorum ℈*j*. calomel. *ppt*. gr. XV. aloes gummos. gr. *vijß*. Ex mixtis fiant pilulæ ad pondus gr. *ij*. Atque ex his quidem tres ſingulo mane ſumantur per octiduum aut ultra. Removeantur interea cibi acidi ſaliti, & in conclavi calido perpetuo maneant affecti, uſque dum remiſerit malum. Tum quidem, ſive in infantibus ſive adultis, expugnata tuſſis fuerit, expurgato ſtomacho, per propria remedia priſtinus reddatur vigor; qui victu

[*p*] Hanc quidem tuſſim ad catarrhales non eo nomine referimus, quaſi proprie ad illas pertineret; ſed tantum ut indicemus, quanta opus ſit circumſpectione in dignoſi tuſſium vera. Etenim quæ ex congeſtione ſanguinis ad pectus oritur tuſſis, quæque hæmoptyſin præcedit, vel ſuppreſſos menſes excipit, illa mentiri catarrhalem tuſſim ſolet; quæ a materia non mobili vel cocta ſicca eſt. In hac quidem expectorantia, in illa vero V. S. auxilio eſſe poterit. [*q*] Confer. Allen. 151.

tu tenui nutriente auctus aliquandiu & ſuſtentus, pilulis balſamicis Hoff. vel Stahlii, ad gr. X. vel ultra ſumendis, ſubinde veluti acuetur.

Inter medicamenta domeſtica ſpir. vini ad cochlearia 2 vel 3. ſumendum non aſſueto, cubitumque eunti *Junckerus* [*r*] commendat. Externe vero ſevum candelæ ardentis calidum ſcrobiculo cordis illinendum, vel etiam diſſectum panem ſuper prunis aſſatum, ſpir. vini & aromatibus tum aſperſum, itidemque ſtomacho applicandum, egregie prodeſſe auctor eſt *Baumler* [*s*]. Horum quidem ultimo eo majorem habemus fidem, quo certiori experientia conſtat, roborantia externa in ventriculi infirmitate plurimum prodeſſe.

B. *Hypochondriacæ* tuſſis curatio differt pro eo ac magis vel minus obfirmatæ fuerint cauſſæ §. 33. No. 2. Lit. B. Eadem enim, qua in malo hypochondriaco utimur, hic quoque methodus valet. Hinc, quæ §. 36. regul. 1, 2, 3. & ſextæ lit. *γ. δ.* monent diligenter erunt notanda. A mitiſſimis autem reſolventibus ad fortiora ſemper in hoc malo fiat progreſſus. Provectiori autem tuſſi facta, & in ſcirrhos, tumores folliculatos [*t*] vel & ulcera degenerante obſtructione, in caſſum fere omnis hic medicina abit. [conf. prognoſis]. Palliativa igitur tum adhibenda methodus per anodyna (§. 36. No. 5.) erit, & illa in uſum vocanda medicamenta, quæ, pro re nata, urgentia demulcere ſymptomata queant. Tentari autem primum debet reſolutio materiæ obſtruentis, externis ſimul & internis pharmacis. Balſamica vero tum, ubi exulcerationem conjicere licet, adhibeantur.

Domeſticum hic remedium recenti præcipue malo eſſe poteſt, ſerum lactis cum melle mixtum. Motus inſuper lenis frequens ſit, inprimis vero vectio & equitatio ſæpius inſtituantur. Hæc enim medicatio in malo hypochondriaco, dum obſtructiones ſolvit, fibris vero robur addit, effectum ſæpe ſaluberrimum præſtitiſſe deprehenſa eſt. Quo & cura ſic dicta avenacea, virtute, qua cichorei radix in hujuſmodi malis pollere deprehenditur, præcipuo jure referenda erit [*u*].

C. *Promiſcua* v. g. gravidarum cum cauſſis ceſſat (conf. progn.). Aſt ad præcavendum abortum V. S. cum anodynis §. 36. n. 5. neceſſaria. Quocirca hypogaſtrio proſpiciendum roborantibus erit, ſimulque videndum num alia tuſſis cauſſa conjuncta ſit. Illa enim tum ſecundum hactenus tradita ſanari debet [*x*].

III. *Symptomatica tuſſi* præter illa, quæ initio prognoſis pronunciat, audire liceat Foreſtum: *Cum conſtat*, inquit, *tuſſim ſymptoma eſſe, illius nulla eſt curatio, cum curatio ad morbum referatur.* Sed & paulo infra idem auctor

M 2 per-

[*r*] Tab. de tuſſi ſub cautelis. [*s*] Mitleidiger Arzt p. 220. [*t*] Exemplum hujuſmodi tuſſis vid. apud Lanciſ. de ſubit. mort. libr. 1. cap. 2. ubi in hepatis parte qua diaphragmati adnectitur, tumor æruginoſa velut argilla plenus obſervatus fuit.

[*u*] Exemplum refert Rhodius Cent. 1. obſ. 44. Profeſſoris Patavini, qui irritis aliis ab ipſa melancholia hypochondriaca ſolis juſculis cichoraceis eſt liberatus. [*x*] Lib. 16. obſ. 4.

pergit: *Tuſſis ex his eſt, quæ ad ſe aliquando vertunt curationem, etiam neglecta cauſſa non ſecus ac dolores.* Teſte quoque *Boerhaavio* [*y*] mitigando ſymptomata, ſemper etiam aliquid de morbo primario tollitur. Hoc autem

α. Maxime in tuſſi *phthiſica* valet. Quod ſi enim tuſſim, febrem, copioſumque ad pulmones pituitæ adfluxum impedire quis poſſet, nullum eſt dubium ait *Robinſon* [*z*], quin & phthiſin ſanare ipſam poſſet. In genere hic, quæ humores alio divertunt (§. 36. n. 6.) & ſpeciatim anodyna (ib. n. 5.) uſurpari debent. Quocirca tamen cavendum erit, ut ne opiata dentur niſi leniſſima. Quippe ſuppreſſa inde expectoratio, laxata ſolida, viſcidiora vero facta liquida; dyſpnœa & copioſiori pituitæ affluxu breves mulctabunt inducias. Tutius obſervatur extractum de Peto rite paratum, cum guttula ₒ°ₒ cinnamomi, croco & liquiritia in pilulas redactum ad gr. *ij.* vel 3 pro doſi ſub noctem ſumendum. Si vehementior tuſſis fuerit, emplaſtrum veſicatorium inter ſcapulas applicandum, ex uſu eſſe poterit, & magis adhuc diuturnum levamen fonticuli ad cervicis regionem utramque ſuper ſcapulis excitati adferunt [*a*]. His quidem jungi poteſt, ad mitigandam acrimoniam & facilitandam expectorationem bellarium ſuperius commendatum (N. 1. lit. A. n. 1. lit. *β*.) ita tamen ut & hic reſpiciantur aliæ conditiones humorum, ſecundum §. hujus N. 1. lit. A. n. 2. lit. *β*. n. 2.

Quod ſi phthiſica incipiens tuſſis eſt, vel imminentis potius phthiſeos prænuncia; prodeſt laudata methodus N. 1. lit. A. n. 2. lit. *α*. *β*. [*b*].

β. In febribus anodyna & demulcentia (§. 36. n. 5. 3.) dentur mitiſſima, præcipue vero gelatinæ & nitroſa. Peracta autem criſi, & perſeverante nihilo ſecius tuſſi, emulſiones papaverinæ cum ſyrupo de meconio egregie proſunt [*c*]. Speciatim autem in febre catarrhali propriam catarrhali tuſſi (N. 1. lit. C.) medelam tutius adhibere licet, ita tamen, ut & hic febris habeatur ratio. Pomum excavatum, uvis paſſis minoribus & maſtiches pauxillo impletum in °ₒ° recenti olivarum tunc aſſatum & comeſtum, contra tuſſim hanc *Bäumler* [*d*] commendat.

γ. In variolis & morbillis, quæ ante eruptionem exanthematum tuſſis urget aliis fere nec opus habet, nec tuto tractatur, quam demulcentibus §. 36. No. 3. & in ſpecie quidem gelatina C. C. in ſero lactis, aliove idoneo liquore diluenda. Vel recipiantur ſyrup. capill. veneris, althææ, de meconio aà ℨ *ij.* °ₒ° amygd. dulc. rec. ℥*β*. Lingatur ex his, exacte ſemper mixtis, ſæpius, portiuncula nonniſi lente deglutienda. Prodeſt quoque, ſi urget ſimul ſiccitas & ardor faucium, vaporem aquæ calidæ in os admittere. Atque hæc quidem ſub ipſo morbo tenenda erunt. Quod ſi finito hoc tuſſis nihilo ſecius adſit, lene quidem laxans primum detur & demulcentia §. 36. No. 3. Deinde quidem, ſi vires ferant, V. S.

[*y*] Inſtit. §. 1244. [*z*] c. l. p. 2. p. 144. [*a*] Conf. Robinſon c. l. parte 2. p. 71. [*b*] Confer differt. Exp. doct. Bæck de imminente phthiſi pulmonali præcavenda. [*c*] conf. Mortoni Pyretol. p. m. 129. [*d*] l. c. p. 61.

S. in pede inſtituatur & ſub veſperam lene anodynum detur v. g. M. de ſtyrace in vino Hiſpanico ſoluta. Quibus quidem ni ceſſerit, phthiſica inde imminens tuſſis oritur, ſuo modo (lit. α. hujus) tractanda.

δ. Tuſſis in pleuritide & peripneumonia ſi ſputa rite procedunt, (conf. prognoſis) ſibi reliquenda. Neque ab initio, quamvis parcius vel plane non appareant, ſputa moveantur. Sed venæſectione lenienda tuſſis eſt, & expectandum, uſque dum inflammatio diſcuſſa & materia fuerit cocta. Tum quidem commendata §. 36. No. 3. ſpeciatim vero linctus (lit. γ. hujus expectorationem ſatis commode promovent, Ex quo tamen excludatur, niſi vehemens tuſſis fuerit, ſyrup. de meconio. Quod ſi vero illa ceſſaverit, ſpirandi moleſtia aucta, veſicatoria bina femoribus vel cruribus applicata, eandem iterum excitare, malumque levare ſolent [*e*]. Ita quidem cum ipſo morbo evaneſcere ſenſim tuſſis ſolet. Quod ſi vero remanſerit, ſanato morbo, moleſta quidem eſſe & periculoſa ſolet (conf. progn. uſu autem aquæ fontis ſelterani, cum lacte caprino permixtæ, & hanc ſiluiſſe auctor eſt *Triller* [*f*].

ε. In hæmoptyſi, cujus inſeparabile ſymptoma tuſſim eſſe *Tralles* affirmat [*g*[, eo juſtior illius animadverſio eſt, quo certius habendum, ſine hac ſedata, nec ipſam quieſcere facile hæmoptyſin poſſe. Poſt ſectam igitur largius pedis venam; poſt datum nitrum; adhibita pediluvia cum clyſmatibus emollientibus & laxantibus; anodyna §. 36. No. 5. non plane leniſſima adhibeantur. Sic quidem ſedata tuſſi, ad ſpecialis cauſæ ablationem eatur [*h*], & roborantibus §. 36. No. 8. metus redituri mali tollatur [*i*].

IV. *Complicatæ tuſſis* ſanationem, cum ex dictis intelligatur, uberius hic nil adtinet ediſſerere, Ut autem in genere ſemper majoris mali potiſſima habenda eſt ratio, ſic in ſpecie, dum catarrhus ſuffocativus complicetur, methodus valet §. 36. No. 6. commendata. Quando vero ob tuſſim nimis debilem ab irruente pituita. opprimuntur quaſi pulmones, tum excitantia [§. 36. No. 4.] potiſſimum adhibeantur. In his autem maxime ſternutamenta, quæ experientiæ pariter ac rationi reſpondere obſervantur egregie.

V. De tuſſi *humida* pariter ac *ſicca* vix agere quicquam opus eſſe videretur, quum ſit effectus ex ceteris tuſſium cauſſis dependens (§. 16), atque ſic quidem quomodo ſanari oporteat ex diſputatis pateat. Sed quia in obſcuro quandoque ſunt ſigna tuſſium pathognomica (§. 32), & inveteratæ per longas moras tuſſes (§. 28. N. 2.) cauſſarum ſæpe memoriam in affectis aboleverunt; quid & in his ſic cognitis tuſſium ſpeciebus prodeſſe conſuevit exponemus. Primum quidem humida tuſſis dum eſt [§. 32. No. 5.], quantum in illam medico liceat ex progn. gen. No.

M 3 4, &

[*e*] Conf. Triller l. c. p. 54. [*f*] L. c. p. 118.

[*g*] p. 244. [*h*] Conf. Tralles p. 243. ſeq. [*i*] Remedium ruſticanum, decoctum nempe ſeminis cannabini, cum lacte quotidie uſurpatum, hemoptyco, cui jam tabes interitum minabatur, vires reddidiſſe modicas Pechlinus refert. Libro 1. obſ. 43.

& ſpeciali No. 5. videatur. Tum vero abolitio ejus tentanda erit, ſecundum §. 36. N. 6-8. ita quidem ut & ſemper mutandorum humorum conditiones reſpiciantur. §. 36. No. 1-3. §. 37. No. 1. lit. A. n. 2. lit. *B*. Quod ſi tolli nequit tuſſis, bina lenire oportet incommoda ejus maxima. Unum quidem, exceſſum excretionis cum debilitate virium conjunctum; alterum vero defectum ejus per aſthma ſpirandique difficultatem moleſtum. Nimiam hic *excretionem* ſiſtunt revellentia, (§. 36. N. 6. 7.) commoda, & inter hæc allii bulbi, qui pedibus affricati alvum ſolvere, tuſſim vero ſedare ſolent [*k*]. Jungantur his anodyna, ſi opus fuerit, v. g. M. P. de ſtyrace, quæ, cum pil. Stahlianis a. l. mixta, ita propinetur, ut alvum hæ ducant eo tempore, quo maxime moleſta tuſſis eſſe ſolet. *Aſthmati* pituitoſo ſubvenire poſſunt, quæ §. 36. No. 2. exhibet, præcipue vero ſuccus armoraciæ cum ſaccharo mixtus, vel in ſyrupi formam redactus [*l*], & ſulphuris flores ad ℈*ß*. cum ovi vitello ſaccharoque mixti, & ſub veſperam aſſumti. Adhiberi quoque rapæ poſſunt, cum pauxillo aquæ coquendo in pulpam redactæ, per colum tunc trajectæ, cum ſaccharo mixtæ & ſic comeſtæ. Vel etiam in lamellas tenues conciſæ rapæ, cum æquali portione ſacchari ollæ vitreatæ immitantur, eo modo, ut ſtratum quidem unum raparum, aliud ſacchari excipiat. Tum vero charta cooperta iſthæc in clibano ponantur, & dum percocta ſatis omnia fuerint, eximantur. Succus autem expreſſus ad cochlearia bina ſæpius per diem ſumatur [*m*].

VI. In omni tuſſi *ſicca* videndum erit, utrum a congeſtione ſanguinis nimia proficiſcatur (N. 1. lit. A. n. 2. lit. *B*.)? an a ſolidis ſpaſtice conſtrictis (ib. lit. *B*.)? an ab humore acri pauco, vel multo quidem, ſed ad excernendum inepto (ib. lit. *B*. n. 2.)? an denique a re quacunque acri vel moleſta pulmoni (§. 33. N. 1. lit. A.) originem ducat? ſua enim tum cuique medela ex citatis locis depromi poteſt. Sic quoque illa, quæ poſt hæmoptyſin remanet ſicca tuſſis, ex vulnuſculis perfecte non ſanatis (conf. prognoſ. ſpec. N. 5. lit.) ſecundum §. hujus N. 1. lit. A. n. 1. vel etiam pro eo ac differant circumſtantiæ, ſecundum N. 1. lit. A. n. 2. lit. *B*. tractanda erit. Quod ſi, ut in humida (No. 5. hujus) cauſſam aliquando percipere non liceat, demulcentia (§. 36. N. 3) lenimen adferunt, & ex his quidem ſyrupus violarum cum ptiſana avenacea, vel ex rapis paranda, ſuperius (N. 5.) laudata. His quidem ſi tuſſis gravior ſit, ſub veſperam jungantur anodyna §. 36. N. 5. maxime vero, quod ſuperius N. 5. eſt commendatum. Magnum quoque uſum ex fuſi, non vero accenſi ſulphuris exhalationibus, reſpiratione hauſtis, etiam in hecticode tuſſi Junckerus [*n*] ſperat & pollicetur.

§. XXXVIII.

[*k*] C. Neumanni prælect. chem. p. 551. [*l*] Conf. Allen. p. 151. Sunt qui ex rapis parata in tuſſi tantum non omnia commendant, conf. Allen l. c. & Fr. Hoffmann. l. c. Tuſſis decocto raparum ſanatæ meminit Tulpius in obſerv. l. 4. cap. 20. [*n*] Tabula de phthiſi & tuſſi.

§. XXXVIII.

Dum ita (§. 37) medicamentis cauſſas tuſſium tollere laboramus, tempus perit, & cum hoc tumores, qui ſuo circulo vitam continuabunt (§. 1). Idcirco hos continuo ſuſtentari oportet alimento. In his enim vis ineſt actiones vitales naturales & animales invicem connexas diverſimode afficiendi (§. 3.). Hinc, cum in therapia is intenditur finis, ut hæ actiones medicamentis perficiantur; alimenta vero cum reliquo regimine, in eundem dirigi queant ſcopum; patet quam neceſſaria ſit, quæ inde reſultat curatio *diætetica*. Hanc quidem per omnia tuſſium genera ſæpius diverſam, exponere non patitur brevitas. Sufficiat itaque monuiſſe in graviori tuſſi & plurimis ejus ſpeciebus, evitari debere acria quævis [*o*], acida auſtera, nimium ſalita, carnes [*p*] præcipue fumo induratas, vina acida, auſtera, quæque humores fortius commovent. Veſci autem licebit juſculis, cibis gelatinoſis, omnibuſque iis, quæ ſine acrimonia calore & ſtimulo bene nutriunt. Potus loco eſſe poſſunt decocta ex hordeo & avena cum radicibus tuſſis genio accommodatis. Vinum autem vix niſi convaleſcentibus conceditur. Tum quidem maxime Canarienſe dulce, vel Hiſpanicum parca doſi ſæpius & cum aqua ſubinde ſumtum, vires egregie reficit. Quibus in caſibus domi ſe continere tuſſientes debeant, ſub curatione indicatum eſt. De cetero in tuſſi, præcipue vero chronica, utilis eſt, ſecundum C. Celſum [*q*], peregrinatio, navigatio longa, loca maritima, natationes. Quibus & alia motuum genera & in his equitatio cenſenda erunt commoda. Sed ſimul quoque animi affectus reſpiciendi, tuſſim enim ex indignatione atque ex abuſu tuſſiendi exercitam, facillime in phthiſin prolabi *Bagliv.* affirmat [*r*]. Sed nec animum deſpondeant tuſſientes, & præcipue quidem phthiſici, quique cauſſaria una cum tuſſi obnoxii ſunt valetudine ejuſdem Baglivi [*ſ*] monito auſcultent, dum cum Virgilo canit:

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito;
Quam tua te fortuna ſinet - - -

§. XXXIX.

Qui ſic medicamentis & diæta (§§. 37. 38.) facti ſunt ſani, neceſſarium quoque eſſe ſciant ſibi in futurum proſpicere, ut ne quod ſublatum eſt malum iterum redeat. In hoc *prophylaxis* ſita eſt, quæ ſimul docere debet, quo

[*o*] Excipiuntur caſus in quibus illa proſunt medicamenta, quæ §. 6. n. 2. indicata ſunt. [*p*] Confer. Allen ex Sydenhamo, qui ex abſtinentia a vino & carnibus in tuſſi phthiſica nondum conſummata, optima ſibi pollicetur quævis. At exiſtimamus nos de lenioribus v. g. vitulinis & gallinaceis carnibus cel. Auctorem hæc non intelligere. [*q*] Libr. 4. cap. 4. de tuſſi phthiſica in ſpecie hæc valere putamus. [*r*] In pr. med. l. 1. p. m. 136. [*ſ*] Tractatus de fibra motrice & morb. ſolid. p. m. 179.

quo pacto diſpoſiti (§. 30.), tuſſimque antea non paſſi, immunes ab illa degere vitam queant. Fit hoc in utriſque (ut ſummatim rem attingamus) dum fugiuntur cauſſæ antea (§. 33.) enarrata, ſimulque efficitur, ut perſpiratio præcipue inſenſibilis [*t*], ceteræque excretiones, additionibus hoc eſt ſumto cibo ac potui, in adultis quam proxime reſpondeant. Hoc autem tum bene procedit, quando aër, cibus & potus, motus & quies, animi affectus, ſomnus denique & vigiliæ, ita in ſingulis ſubjectis agunt, & ne quid nimis. Quæ quidem enumerata capita arctioribus adhuc contineri limitibus poſſe exiſtimare videtur exper. Bagliv. *Qui moleſta*, inquit, *quæque patienter ferunt*, *exercitiis utuntur tempeſtivis & in victu ſobrii ſunt, difficillime in morbos incident* [*u*]. Scire autem quis poteſt hæc ita a ſe obſervata eſſe, dum vitam quomodo diximus (§. 2.) tranſigere poſſe ſe experiatur. Hæc ut in genere obſervari debent, ſic præcipua cura eorum, qui tuſſi antea laborarunt, in eo erit, ut caveatur refrigeratio omnis, inprimis vero thoracis, pedum [*x*], dorſi [*y*], cervicis & capitis [*z*]. Nec minori ſollicitudine cruditatem evitent, hæc enim, ut Celſus ait, *corpus maxime lædit*, *& quoties offenſum corpus eſt*, *vitioſa pars maxime ſentit* [*a*]. Nocent autem hæc non obſervata eo certius in tuſſi, quo tardius ſolidis ſemel labefactatis robur accedit, reparatum vero facilius perit. Quod ſi autem incuria in tuſſim iterum incidere accidit prius affecto, traditam hactenus repetere neceſſum habebit ſanandi methodum, & cum poëta [*b*] tædioſum animo carmen volvere:

- - - *Nunc retrorſum*
Vela dare, *atque iterare curſus*
Cogor relictos - - -

FINIS.

[*t*] Exiſtimat cel. J. Keil in tentam. med. phyſ. p. 179. &c. perſpirabile retentum in tuſſi a ſuſcepto frigore non provocare tuſſim, ſed ex particulis frigorificis ſanguini admixtis illam oriri. Nos autem, cur non horum utrumque ſimul locum habere queat vix videmus, ſi modo particularum frigorificarum certa eſſet cognitio. Liceat igitur huic opponere alterum de perſpiratione inſenſibili bene meritum J de Gorter, qui, in ſcholiis ſuper aph. 200. Sanctorii, tuſſis originem a perſpiratione diminuta deducit. Conf. progn. Gen. n. 2. not. q. r. [*u*] In prax. med. l 1. p. m. 137. [*x*] Vid. D. præſidis comp. anatom. p. 218. lit. d. [*y*] Vid. Fr. Hoffmann. l. c. p. 379. [*z*] Fr. Hoffm. l. c. ex Piſone refert, tuſſiiſſe illum, quotieſcunque hyeme verticem capitis circa ſuturam coronalem detexit. [*a*] P. m. 42. [*b*] Horat. l. 1. ode 34.

NICOLAI

XLVI.

THEODORI FORBES,

DISPUTATIO

DE

TUSSI CONVULSIVA.

Edimburg. 22 April. 1754.

INfantes, tot morbis eorum teneræ ætati propriis, præter alios, qui illis cum provectioribus ætate communes ſunt, vexantur; ut mirum certe videri poſſit, morbos hoſce tantum negligi ab illis, qui de re medica ſcripſerunt.

Tuſſis Convulſiva, quæ infantibus fere peculiaris eſt, quæque raro occupat adultiores, ſi non perniciofiſſimus, pertinaciſſimus fortaſſe eſt, ac ſæviſſimus morborum omnium, quibus laborant infantes: pauci tamen auctores eum tractare aggreſſi ſunt, præter ſyſtematicos, qui de eo aliquid proferre ex inſtituto coacti ſunt.

Morbus hic, ut plerique alii, multa nomina obtinet. A Græcis appellatur βὴξ θηριώδης, κοπιώδης & πνιγμώδης, i. e. *Tuſſis Ferina*, *Delaſſans*, & *Suffocativa*; quibus nominibus apud Latinos deſignatur: iidem Tuſſim convulſivam, perennem, Pertuſſim puerorum & Tuſſedinem, eam etiam nominant; Angl. *The convulſive cough*, *hooping cough*, *a cough attended with draughts or croops*, *the chincough*, quod fortaſſe corruptio eſt vocis, qua morbus hic melius exprimitur, viz. *kink-cough.*

MORBI DEFINITIO.

Tuſſis convulſiva definiri poteſt, ſæva, cita, violentaque tuſſis, quam acuta quædam ac ſonora inſpiratio galli cantui ſimilis, una cum vomendi niſu comitatur.

DIAGNOSIS.

Cum primum tuſſis convulſiva infantes invadit, leniter tantum tuſſiunt, veluti cum ex frigore male afficiuntur. Tuſſis primo interdum ſicca eſt, donec æger ſeri aliquid pertenuis & acris eructet; quo tempore nonnullis, una cum aliis febriculoſis ſymptomatibus, pulſus celerior eſt; alii vero febrem minime ſentiunt. In utriſque autem, ſonus gallicinio perſimilis, tuſſi ſæpius redeunte, aut cum primum aërem pleno hauſtu accipiunt, aut cum, poſt paucos tuſſis impetus, inſpirare nituntur, exaudiri incipit. Thorace lente admodum, & haud ſine magno molimine ſeſe erigente, dum ſonus ille & tuſſis durat, quod plerumque fit, donec nonnihil viſcidi muci ex bronchiis expellatur, in quo nihil præter naturam obſervandum eſt, ægerrime reſpirant.

Paroxyſmi hujus tuſſis, brevioribus vel longioribus intervallis redeuntes, ſemper præſagiuntur titillatione quadam, aut ſuffocatione, a quibus æger ſeſe defendit, quamdiu materiæ copia non tanta eſt, ut convulſionem excitet. Sub paroxyſmo venæ tument; arteriæ fortius celeriuſque moventur; caput dolet; oculi prominent; effunduntur lacrymæ, palpe-

UNIVERSITY OF MARYLAND
LIBRARY
Founded 1813
SCHOOL OF MEDICINE

bræ intumeſcunt; & tota facies ſanguine turget, rubet, & nonnunquam livida vel nigra apparet; & æger, tunc temporis, quaſi ſuffocatus eſt; & cito moreretur, niſi ruptura alicujus vaſculi ſanguis ejiciatur, uti ex naribus, oculis, ore aut pulmonibus; quo plerumque ſummopere levatur æger; vel ventriculus nervorum ſympathia quoque afficiatur, unde vomitus excitatur. Hicce vomendi niſus aliquando in medio, nonnunquam in fine paroxyſmi oritur: ſed, quocunque tempore evenit, ad finem tuſſi imponendum multum juvat: iique, qui facile evomunt, optime ſeſe habent in intervallis, alii vero, per hoc tempus, haud prorſus ſani ſunt: at ſi paroxyſmi pertinaciores permanerent, neque hæmorrhagia neque vomitu ſuperveniente, infantes debiles in convulſiones vel apoplexias conjiciuntur.

Ex morbi diuturnitate, ſæpiſſime generatur phthiſis pulmonalis: præterea, morbi duratione, adeo debilitatur corpus, & varia organa tantum læduntur, ut multi alii morbi ab hac cauſa oriri poſſint.

Tuſſis hæcce apte ſatis Latine convulſiva appellatur; quod ea, pulmones, diaphragma, muſculi abdominales, ut & aliæ partes reſpirationi inſervientes, in convulſiones periodicas impelluntur; ac provenire videtur ab materie quadam acri irritante, dum reſpiramus, in ſanguinem aſſumpta, quæ, cum muco naturali permixta, tuſſim excitat; ſed & per deglutitionem in ventriculum ingeri videtur acris hæc materia: nam ibi, & per totum fere inteſtinorum decurſum, magna adeſt copia muci hujus acris; quod abunde patet ex vomitione, qua multum levantur ægri.

Tuſſis Convulſiva merito quidem contagioſa habetur: infantes enim, qui inter hoc morbo vitiatos degunt, eo facilius inficiuntur, quam alii a contagione procul amoti. Inter infantes, certis temporibus, ut variolæ & morbilli, præcipue graſſatur; &, ut alii morbi epidemici, ex particulis quibuſdam vel miaſmatis in aere fluctuantibus, quæ corpora penetrantia morbum hunc gignunt, originem ducere videtur. Earum autem in aere particularum naturam, & quomodo morbum hunc pariant, homines adhuc ignorant, & ſemper forte ignorabunt. Æque etiam incertum eſt, in quas partes fluidorum noſtrorum particulæ iſtæ, ad morbidum hunc effectum producendum, agere debent. Cum autem homines in morbum hunc plerumque ſemel tantum in vita, tenella nempe ætate, incidere ſoleant; veriſimile admodum eſt, particulas haſce primum in nobis naſci, ac permanere, donec e corpore morbi criſi expellantur. Qualiſcunque ſit earum, vel in aere, vel in corporibus noſtris, particularum natura, vel quomodo ſingulæ in ſingulas, vel in fluida noſtra aut humores agant; earum, unde oritur tuſſis convulſiva, magnitudinem talem eſſe patet, ut facilius in bronchiorum vaſis, ubi fibras ſenſiles irritant, quam in ulla alia parte, obſtruantur. Cum paucæ & raræ ſunt, communem tantum tuſſim; at cum major earum numerus colligitur, & ſimul acres ſunt, pulmonum convulſionem violentam magis

ac

ac diuturniorem, aut ipſas expellendi niſum concitant: vel forte veriſimilius videtur, morbi violentiam, a particularum numero in corporibus noſtris hunc morbum gignentium, pendere; quamvis enim plura ſint in aere miaſmata una quam alia tempeſtate, morbus, pro numero particularum in nobis ab origine natarum, lenior vel fortior erit.

Vere & autumno, infantes in hunc morbum procliviores ſunt, quam æſtate & hyeme. Tempeſtate frigida ac pluvioſa maxime ſævit, & in campis ac paluſtribus, violentior, ut plurimum, ac diuturnior eſt, quam in aridis locis, & ubi cœlum purum eſt ac ſerenum. In ſeptimanas aliquot, vel menſes, vel totos interdum annos, protrahitur; &, quod mirum eſt, in uno eodemque ægro, cauſa prorſus ignota, nunc magis nunc minus ſævit. Denique, quoties cœlum, ab æſtuoſo in frigidum, vel ab arido in humidum, ſubito mutatur, malum hoc fere ſemper ingraveſcit.

Morbus hic, pro corporis habitu, & anni tempore, multum variat. Nunc enim maxima ex parte nervoſus & ſatis lenis, nunc autem violentior eſt; dum febris nempe, ac pulmonum inflammatio, eum comitatur, quod ſane hujus morbi peſſimum genus eſt.

De ſede ejus, multum inter ſe diſcrepant auctores; quam alii quidem in ventriculo, alii in larynge & pharynge præcipue collocant; alii vero in pulmonibus, qui veriſimiliter vera hujus morbi ſedes ſunt, quippe qui prius afficiuntur; & probabile admodum videtur mucum iſtum, qui inter tuſſiendum expuitur, in ipſis pulmonum cellulis pariter ac in ſuperiore bronchiorum parte, ac aſpera arteria, contineri; hoc quidem abunde patet ex diris pulmonum ſpaſmis, & ſumma, qua mucus iſte eructatur, difficultate; aliaſque corporis partes, quas nonnulli hujus morbi ſedem eſſe ſomniant, poſtea tantum magis minuſve affici.

RATIO SYMPTOMATUM.

Si nobiſcum reputemus morbum hunc eſſe ſemper magis aut minus nervoſum, & octavum par nervorum in laryngem, pharyngem, tracheam arteriam, fauces, œſophagum, ventriculum, pulmones, cor, aliaque viſcera in thorace & abdomine diſtribui, pleraque in hoc morbo phænomena, quæ certe multa & varia ſunt, facillima erunt explicatu.

Tuſſis lenis & modica.... Quod exinde oritur, quod adhuc morbida materies parva tantum copia colligitur.

Sunt qui principio febre corripiuntur.... Idque morboſæ materiæ, e ſanguine haud ſatis expulſæ, tranſitu ejus in bronchia minus juſto patente, attribuendum; ea enim libere expulſa, febri æger non adeo obnoxius eſt.

Tuſſis frequentior reditus.... Atque hoc ex eo provenit, quod morbida materies majore copia colligitur.

Sibilus vel ſonus gallicinio ſimilis.... Sibilus iſte (*Hooping*) ſemper fere exauditus, quando ægri poſt paroxyſmum aërem denuo inſpirare conantur, procul dubio haud ab ulla alia cauſa provenit, niſi ſpaſmodice conſtricta glottide, unde aër per anguſtiorem rimam irruens hujuſmodi ſonum edit.

Difficillima inſpiratio, thorace lente admodum aſſurgente.... Cum pulmones in ſpaſmos conjiciuntur, vi dilatanti aëris incluſi fortiter reſiſtunt, rimaque contracta minorem aëris quantitatem excipit; itaque thoracis organis, quæ reſpirationi inſerviunt, minus ſolito aëre intra pulmones adjutis, ad aëris pondus cartilagines elaſticas, *&c.* ſuperandum, thorax lentiſſime elevetur omnino neceſſe eſt; adeoque infanti ſumma erit reſpirandi difficultas.

Paroxyſmi brevioribus vel longioribus intervallis redeunt.... Atque hoc ex majore vel minore morbidæ materiæ copia, breviore vel longiore temporis ſpatio collecta, proficiſcitur.

Paroxyſmi per duo vel tria horæ minuta, vel etiam diutius durant.... Paroxyſmi duratio partim pendet a materiæ viſciditate & acrimonia; donec enim materies illa expellatur, paroxyſmus haud deſinit: præterea paroxyſmorum duratio & ſævitia non ſolum pendent a materiæ viſciditate & acrimonia, ſed etiam a mobilitate generis nervoſi, & ſenſilitate membranæ bronchia & veſiculas pulmonales ſuccingentis, quæ in diverſis infantibus diverſæ admodum ſunt.

Caput dolet, oculi prominent, lacrymas emittunt, palpebræ intumeſcunt, & tota facies ſanguine turget, rubet, *&c.* ... Omnia hæc ſymptomata oriuntur ab impedito ſanguinis per pulmonem compreſſum circuitu, corde in arteriam pulmonalem jam ſanguine turgidam ſeſe evacuare minus valente; unde accumulatur ſanguis in vena cava ſuperiore & jugularibus, quippe quæ ſeſe in cor jam plenum exonerare nequeunt; & ſi paroxyſmus pertinax ſit, tota facies colore livido vel nigro, tincta apparet.

Æger quaſi ſuffocatus eſt.... Quandoquidem in hoc morbo pulmones tamdiu in eodem prope diſtenſionis ſtatu detinentur, ſanguinis maſſam tranſmittere nequeunt; in iis igitur accumuletur neceſſe eſt, unde orietur ſenſus ſuffocationis.

Ruptura alicujus vaſculi.... Per vim paroxyſmi vaſa ad ſuperiores corporis partes tendentia adeo ſanguine turgent, ut haud mirum videatur quin tunc temporis vaſa minima rumpantur.

Vomitus excitatur.... Hoc oritur ex ſympathia nervorum: octavum enim par nervorum diſtribuitur in ventriculum, pariter ac in pulmones & laryngem, adeo ut cum ille convellitur aut irritatur, hæc facile in eundem ſtatum perducantur; ideoque ſpaſmus ſæpe partem prius occupatam relinquit, aliaſque partes aggreditur. Ita perſæpe quidem vomitus operationem Tuſſi impeditam, ac Tuſſim vomitu ſublevatam videmus;

mus; & ſicut vomitus purgat ventriculum a materie morboſa, multumque juvat ad eam ex bronchiis expellendam, paroxyſmus hoc modo brevior evadit.

Optime ſeſe habent ægri in intervallis.... Quamvis vomitus, tempore paroxyſmi, haud parum concludit ad ægrum in intervallis ſublevandum, ob cauſas ſupra memoratas; obſtructiones tamen, vi morbi, in diverſis corporis partibus, fieri poſſunt: atque hinc quidem in iſtis partibus orietur dolor, inflammatio aut debilitas, &c. vel ſi quæ morbidæ particulæ in ſanguine ſuperſunt, aut humores quovis modo, celeri motu, tempore paroxyſmi, vitiantur, pulſus citus permanebit in intervallis.

In convulſiones & apoplexias conjiciuntur.... Hæc quidem proveniunt ex venis, vi morbi, ſanguine diſtentis; quæ propterea ſanguinem ex parvis arteriis recipere nequeunt: unde tenera cerebri vaſa multum diſtrahentur, ac diverſi fient obſtructionis gradus, quibus haud dubie ſymtomata hæc attribuenda ſunt.

Phthiſis pulmonalis producitur.... Adeſt in morbi hujus initio ſæpiſſime, una cum aliis ſymptomatibus, febricula, & poſtremo pulmonis aliqua inflammatio, quæ interdum in ſuppurationem abit, præſertim ſi debitæ evacuationes non præmiſſæ fuerint: nam materia morboſa, durante paroxyſmo, rami extremi vaſorum pulmonalium obſtruuntur; hinc peripneumonia vel obſtructio pertinax formatur, & ab hiſce orietur phthiſis pulmonalis; utque vaſa pulmonum ſæpius rumpuntur, exinde in hunc morbum procliviores reddentur ægri. Pulmones in hoc morbo ita affici, ex cadaverum apertorum plurium ægrorum Tuſſi Convulſiva violentiſſima, quæ nonnullis temporibus maxime ſæviit, extinctorum diſſectione, abunde patet; iique haud raro peripneumonia, & poſtea pulmonis ſuppuratione, correpti fuerunt; in hiſce enim ſemper plurimæ parvæ vomicæ, piſa, fabas & juglandes magnitudine æquantes, per totum pulmonem diſperſæ inventæ ſunt. Et ſi hi ægri Tuſſi convulſivæ ſuperſtites fuiſſent, neceſſario tamen phthiſi pulmonali ſuccubuiſſent.

PROGNOSIS.

Hanc pro cauſæ, ex qua morbus hic naſcitur, violentia, proque ægri ætate ac temperamento, ac majore vel minore ſymptomatum ſævitia variare conſtat. Si febris primo ſæva eſt, eamque magna reſpirandi difficultas comitatur, neceſſe eſt morboſa materies ſit acris, & in tranſitu ejus per bronchia impediatur; & hac quidem de cauſa morbus certe ſævus erit.... Si ſibilus, aut ſuffocatio inter tuſſiendum magna fuerit, periculoſa obſtructio eſt metuenda. Qui in paroxyſmis evomunt, minus quam alii periclitantur, iiſque paroxyſmi breviores ſunt; & illi, quibus hiſce temporibus ſanguis ex naribus & oculis effluit, facilius multo quam

alii

alii ex hoc malo emergunt: nam hoc pacto vaſa eorum magis vacua ſervantur, eoque capita minus afficiuntur. Si ægri pondus quoddam ſentiunt circa caput & pectus, & ſimul pulſus eorum, per illa tempora, quæ inter tuſſiendum interveniunt, citus ſit, peripneumonia & morbi capitis metuendi. Si qua pulmonum infarctione laborabat æger, antequam morbus hic eum invaſerat, tunc quidem prognoſis magis infauſta erit. Quando Tuſſis Convulſiva pueros variolis aut morbillis laborantes occupat, multum periculi ſecum adfert; nam in Tuſſi Convulſiva infarctio ſatis notabilis eſt, ideoque ſi illis morbis conjungeretur, ex quibus ſemper metuenda eſt peripneumonia, ab materie varioloſa vel morbilloſa pulmones obſtruente, apta admodum erit, qua augeatur pulmonis infarctio. Si paucas haſce obſervationes, una cum ægri ætate ac temperamento, ſeu corporis habitu, & anni tempus quo morbus ſævit, accurate animo perpendamus, hujus morbi eventus prædictu facilior erit.

MEDENDI METHODUS.

Ad morbum hunc ſanandum diverſa proponuntur ſpecifica, ut vulgo dicuntur a diverſis auctoribus. Immo unaquæque anicula putat ſe quidem hoc efficere poſſe, in quo ſane plurimum decipiuntur: & hoc mihi ejus erroris cauſa eſſe videtur, quod ſtolidæ iſtæ hujus morbi curationem adſcribunt certis remediis, quibus, tanquam tot incantationibus, nonnunquam uſæ ſunt, quo tempore morbus ſua ſponte decreſcebat; nulla enim eorum adhuc cognita eum radicitus curare poſſunt. Quum enim epidemice graſſatur, curriculum certe perficiet, quæcunque ei remedia adhibita fuerint, ægrumque ſerius ocius relinquet, prout anni tempus favebit; nam propter anni mutationem ceſſat potius quam a remediis ſuperatur. Si enim tempore autumnali quenquam aggreditur, perraro eum relinquit, antequam calor inſequentis veris redierit; ſi vero tempore verno epidemicus ſit, ad *Junium* uſque aut *Julium* plérumque perdurat, & tunc, ut plurimum, æſtiva aura morbo huic finem imponente, ſtatim ceſſat.

Quoniam haud puto morbum hunc medicamentis ſolis radicitus curari poſſe, ſequentes indicationes proponere libet.

Prima eſt, novum morbi hujus incitamentum, quantum poteſt, effugere.

Secunda, præſentia ſymptomata mitigare & pejora præcavere.

Ut primum ſcopum attingamus, infantes a campeſtribus locis, quæ paludibus multis irrigua ſunt, ad loca aridiora, ubi aer purior ac magis ſerenus, ſubmovendi; & omnis, cum iis qui eodem morbo laborant, conſuetudo, ut & frigidum cælum, præcipue autem ex calido in frigidum tranſmigratio, ſedulo vitanda. Quæcunque pulmones ad tuſſiendum

dum provocant, qualia ſunt, vociferatio, exercitium immodicum, cantus, irritantes vapores, *&c.* ſumma cura effugienda ſunt.

Antequam ad ſecundam indicationem progrediamur, haud abs re erit obſervare id quod a natura ipſa monſtratur.

Medici ſagaciores, obſervantes ægros ſæpius hæmorrhagiis ſponte ſupervenientibus & vomitu materiæ viſcidæ maxime levatos, indicia hinc deſumpſerunt ſanguinem mittendi, præſertim ſi ægri plethorici fuerint, & emetica exhibendi. Medici, ita natura ipſa monſtrante viam, tuto illius veſtigiis inſiſtunt; & poſt has evacuationes purgantia mitiora optimo cum ſucceſſu dant. Medicus itaque, hac in re tantum naturæ imitator, eo ſemper ſagacior, quo magis ejus operandi modum, ad ſeſe liberandum, perſpectum habet.

Methodus hæc haud dubie omnibus pectoralibus ac mucoſis medicamentis eſt anteponenda; ea enim morbum augent, ſanare autem nequeunt, ſi quidem in hoc morbo violentiſſima ſymptomata proveniunt a debili ac molli textura in hiſce infantibus ſolidorum, quæ facile irritantur; ideoque medicamenta leniora corroborantia ad ejus curationem omnium maxime conducere videntur.

Quod ad ſecundam indicationem attinet; primum omnium venæſectio perquam neceſſaria videtur, quamvis æger ſit neque plethoricus nec robuſtus, ſi morbus alioqui pertinax ſit; in hoc morbo, Medicus præcipue curare debet, ut vaſa ſerventur vacua, ne obſtructiones aut inflammationes, in cerebro, pulmonibus aut aliis corporis partibus, fiant. Cum autem ſymptomata ulla inflammatoria apparent, methodo antiphlogiſtica extemplo utendum eſt.

Poſt ſanguinis miſſionem, ſi a materia viſcida proveniant paroxyſmi, eam, quo facilius expellatur, diluere & attenuare neceſſe eſt, ad quod nihil magis conducit quam potiones aquoſæ, quales ſunt illæ, quæ e glycirrhyza fiunt, vel pulegio, vel hyſſopo in aqua decocto, infuſio pomorum pro potu ordinario ſumpta, adhibitis ſimul quibuſdam lenioribus attenuantibus, qualia ſunt expreſſio millepedum in vino albo, ſpiritus Minder. acet. ſcillit. aut lac ammon. Dum hæc medicamenta adhibentur, lene vomitorium oxymel. ſcillit. per ſe, vel cum tinct. aut decoctione ipecacuanæ alternis diebus mane ſumptum, magno uſui erit, ut & parva doſis tinct. ſacræ, aut rhabarbari, aut lenis alicujus hujuſmodi purgantis bis in ſeptimana: quo tempore etiam parvæ aliquot doſes jalapii, cum uno vel duobus gran. mercurii dulcis ſecundum infantis vires, multum ſæpe profuerunt ad ægrum ſublevandum.

Si vero paroxyſmi a pertenui & acri materia proficiſcuntur, lenia vomitoria ſupra memorata oxymel. ſcillit. una cum ſyrup. althææ. ægro ſunt adminiſtranda. Parvæ etiam rhabarbari doſes, una cum blanda diæta quæ facile concoquitur, qualia ſunt lac & jus pullorum, *&c.*

haudquaquam negligendæ.... In potum æger uti poteſt emulſione communi & aqua, in qua ſaccharum candidum diſſolutum eſt, una cum ſucco limonum: ad materiam acrem obtundendam, emollientium decoctio, qualia ſunt tuſſilago, althæa, capillus veneris, vel infuſum lini, aut alia leniora pectoralia & emollientia, cum corticis Peruviani decoctione parciore doſi, adhiberi poſſunt: hæc enim emollientia nunquam ſola, ob rationes ſupra memoratas, adminiſtrari debent; & quemadmodum libera ac facilis reſpiratio & expectoratio perquam neceſſaria ſunt, julapium ſcilliticum, aut ſolutio gummi ammoniaci, in expreſſione millepedum ex aqua hyſopi aut pulegii interdum parca manu, dari poteſt.

Violenti in hoc morbo ſpaſmi perſæpe mitigantur ſtimulo ita applicato, ut nervi inde etiam procul afficiantur. Atque optimus hic ſtimulus ſunt veſicatoria, quæ vulgo inter ſcapulas applicantur; ſed propter connexionem inter intercoſtales ac ſecundum ac tertium nervum cervicalem, veſicatoria per collum quam inter ſcapulas applicare magis confert. Irritatio enim facta in remota parte ſpaſmos ex nervis affectis expellit, nec veſicatoria illa ſinent acrem humorem juſta copia in pulmones deſtillare; æger quoque veſperi pediluvio tepido uti poteſt, quo pulmonis ſpaſmi nonnihil ſedabuntur, atque hoc modo noctem aget tranquilliorem: ſi vero hiſce applicationibus factis, tuſſis ac ſpaſmi ægrum adhuc vexant & fatigant, parva doſis elixr. paregoric. viz. quinque, decem, quindecim, vel viginti guttæ, pro ægri ætate, tuto ei præberi poſſunt; atque hoc quidem tali tempore optimum eſt ac tutiſſimum opiatum; nequaquam enim uti vellem diacodio aut opio ſolo, quamvis nihil magis confert ad ſpaſmos ſedandos, niſi cum morbi impetus ægrum nimis urgent, & non niſi cum cætera medicamenta nihil proſunt; his enim materies in bronchiis magis obſtruitur, ac propterea, quamvis Tuſſim aliquantiſper ſupprimant, paroxyſmi poſtea magis ingraveſcent.

Haud alienum erit a propoſito noſtro paucis hic verbis explicare, quo potiſſimum modo periculoſiſſima ſymptomata in paroxyſmo & intervallis mitiganda ſunt.

Si quando ſupervenerit febris, præſertim cum peripneumonia conjuncta, V. S. purgantia refrigerantia, veſicatoria, potiones aquoſæ, ac tenuis cibus, ſunt perquam neceſſaria: quum vero æger diuturno ac ſævo implicetur morbo, cavendum, ne viribus nimis diminutis, impar febri reddatur ac morbo ſuccumbat.

Methodus jam memorata utenda eſt, quoties æger ſenſu aliquo ſuffocationis laborat, unde periculoſæ obſtructiones metuendæ.

Cum in paroxyſmis facies manifeſte tumet ac livida eſt, quæ vaſorum plenitudinem indicant, venæſectio, & leniter purgantia, una cum tenui ac diluente diæta, digeſtu admodum facili ac frequenter, ſed parca copia data, adhibenda ſunt.

Si

Si epilepſia aut apoplexia, Tuſſis violentia, corripit infantem, cujus vaſa plena ſunt V. S. & purgantia haud parum proſunt. Ubi vero æger plethoricus non eſt, ſtimulantia, qualia ſunt ſpirit. lavendul. comp, ſpt. ſalin. aromat. ... c. c. ſinapiſmi & veſicatoria ſunt applicanda. Si, durante paroxyſmo, violenta ex pulmone hæmorrhagia correptus fuerit æger, tunc ligaturæ extremitatibus rite applicari poſſunt, quæ ad eam ſiſtendam multum conducunt; ſed ſi nihilominus adhuc pertinax permanſerit, vena quamprimum ſecanda eſt: ſi vero æger hæmorrhagia nimis violenta ex partibus exterioribus corripiatur, tum ſtypticis refrigerantibus utendum; ſed raro eo uſque perveniunt, ut eas ſiſtere opus ſit; nec unquam ſiſtendæ, niſi cum modum prorſus excedant, quippe quæ tantum proſunt ad ægrum ſublevandum.

Strepitus materiæ in pectore per intervalla, aut nauſea, vel appetitus proſtratus, emeticis, ac ſtomachicis leniter purgantibus, ſunt abigenda. Maxime lenia ſint, quæcunque in hoc morbo emetica ac purgantia adhibentur; ſi enim illa ſint nimis acria, ſpaſmos, & in pulmonibus & in glottide, concitant; & hæc ſi nimis fortia exiſtant, ægri vires diminuunt, fluidaque nimium diſſolvunt.

Nunc eorum medicamentorum pauca enumeremus, quæ ad morbi hujus curationem multum conducere exiſtimantur, quæque ſilentio hactenus de induſtria præterii, ut quæ haudquaquam mihi utenda videantur, donec methodus ſupra memorata per breve aliquod tempus in praxin redigeretur.

Longum nimis foret, ſi omnia commemorem, quæ in hoc morbo ſpecifica habentur; itaque tria tantum proferam, quæ celeberrima ſunt, ac a Medicis plurimi æſtimantur. Atque eorum primum eſt, muſcus pyxidatus, qui aut in lacte decoqui, aut in pulverem redactus dari poteſt; quandoquidem hæc planta vi quadam adſtringente prædita eſt, utque nonnihil conducere poteſt ad ſolida laxa corroboranda, tuto admodum adhiberi poteſt.

Secundum eſt, ſal Jovis Londinenſis, quod certe ſaccharum Saturni eſt, cui alia ſpecies inducitur. Atque hoc quidem in Tuſſi Convulſiva ſpecificum habetur, ſi per duos dies a duobus ad ſex grana adminiſtretur; ac die tertio rhabarbaro leniter purgandus eſt æger. Hoc vero medicamentum minime hic operatur ut antidotum adverſus materiem morboſam; eſt autem præcipuus ejus uſus ad ſanguinem condenſandum, atque ita, ad magnam illam rarefactionem minuendam, quam ſanguis nonnunquam in hoc morbo patitur; atque hoc quidem pacto devitatur magna illa vaſorum diſtenſio, quæ in tuſſi Convulſiva perſæpe pernicioſiſſima eſt. Hoc medicamentum quoque partim ad fibras & vaſa corroboranda conducere videtur; nam in hoc morbo ſem-

per plus minuſve adeſt ſyſtematis vaſculoſi laxitas, vaſorum autem corroboratio copioſiorem ſecretionem muci hujus acris prohibet.

Tertium eſt, cortex Peruvianus, qui optimo huic morbo remedio habetur. In aliis tempeſtatibus, quando ſal Jovis haud minimo cum ſucceſſu exhibetur, cortex Peruvianus doſibus parvis frequenter datus optime ſuccedit; is enim ad ſolida in hoc morbo laxiora corroboranda multum prodeſt.... Ex ſupra dictis patebit, medicamenta hæc omnia tantum profore, ubi fluida diſſoluta, ac ſolida laxa, morbuſque maxima ex parte nervoſus eſt; ſi qua enim infarctio ſit ex materia viſcida orta, ægris maxime nocebunt: ut & cum Tuſſim convulſivam inflammatoria ſymptomata comitantur, quod quidem periculoſiſſimum hujus morbi genus eſt; ſiquidem una adeſt febris violenta atque pulmonum inflammatio, hæc medicamenta haud minus lethalia eſſent quam totidem venena; ideoque tali tempore methodus antiphlogiſtica ſola tanquam optimo huic morbo remedia utenda eſt. Ac poſtquam vis febris minuitur, veſicatoria haudquaquam negligenda. At meo quidem judicio, omnia hæc adſtringentia ac corroborantia medicamenta, quantumvis laudata, incipiente morbo, parce admodum adhibenda ſunt, nec donec particulæ morboſæ magna ex parte expulſæ fuerint. Æque enim periculoſum eſt Tuſſis Convulſivæ, ac febris intermittentis, paroxyſmos impedire: & hæc medicamenta, ſi in morbi initio adhibeantur, cum pulmonum cellulæ ac bronchia magna hujus materiæ morboſæ copia replentur, pertinaces forte infarctiones parient, quod ſumma cura evitandum; ſed morbo remittente, nonnulla eorum, ob virtutes ſupra memoratas, magno uſui fieri poſſunt.

Si morbus ex viſcida materia naſcatur, nonnulli putant ſequens medicamentum nunquam non bene vertere; ℞. extract. cort. peruv. drach. iii. camphor. pulv. cantharid. ana ſcrup. i. M. Hujus mixturæ octo vel novem grana infantibus præbent, tertia quaque vel quarta hora in cochleari ſimplicis cujuſdam aquæ vel julapii pleno, in quibus paululum balſami capivi diſſolutum fuit; eoque illos quinque aut ſex dierum ſpatio in ſanitatem reſtituunt. Hic tamen de medicamenti hujus virtute experientia judicandum eſt: cum vero morbus a tenui & acri humore proficiſcitur, medicamentum hoc, aiunt, haud ita convenit.

Ut vero infans admodum debilis ac imbecillis erit, poſtquam morbus pene diſceſſerit, lac aſininum, caro vitulina, pulli, aliaque corroborantia leniora ei danda ſunt; & ſi hæc parum proficiunt, amara, corticem peruvianum, frictionem, balneum frigidum niſi quid adverſetur, aerem ruſticum & equitationem, præſcribere haud alienum erit; hiſce enim corroborantur ſolida, fluidaque propriam indolem acquirunt, & ſic æger paulatim convaleſcet, ac priſtinam valetudinem recuperabit.

Quando

Quando Tuſſis Convulſiva aliquem variolis laborantem occupat, ne peripneumonia ſuperveniat, & ut tuſſis mitior redditur, epiſpaſtica ut & medicamenta ſcillitica, decocta ex tamarindis cum manna vel aliis antiſepticis leniter purgantibus, enemata forte ex lacte & aqua calida, &c. & pro potu ordinario ſerum acetoſum potus aquoſi cum ſpir. minderer. vel alia hujuſmodi optime conducunt.

Si poſt morbillos ſævit, tum compeſcenda eſt ſanguinis miſſione, leniter purgantibus, miti vomitione & molli diluente diæta.

Cum vero Tuſſim Convulſivam phthiſis pulmonalis, aut quivis alius morbus excipit, morbo illi medendi methodus omnino accommodanda eſt.

FINIS.

XLVII.

GEORG. DAN. COSCHWITZ

ET AUCTOR

JOANNES BUBBE,

DE

SPADONE HIPPOCRATICO

LAPICIDARUM SEEBERGENSIUM HÆMOPTYSIN

ET

PHTHISIN PULMONEM,

vulgo *der Seeberger Steinbrecher Krankheit*

PRÆCEDENTE.

Halæ Julii 1721.

PROOEMIUM.

Quot quantiſque morborum ac ſymptomatum generibus corpora noſtra humana ſubjecta ſint, ſi non omnibus ſatis cognitum ac perſpectum, ipſumet tamen experientia quotidiana comprobatum edoceri credo. Confirmant hoc & eruditiſſimorum practicorum docta ſcripta, in quibus non ſolum eorum cognitio, ſed & legitima ac ſolita curandi traditur methodus. Major & plurima pars hominum moritur cum febri, non minima crudeli vulnere; hic propria culpa, ille alterius; omnes ac ſinguli ſua experiuntur fata, quiſque ſuos patitur manes. Cæterum ſi rectius inſpiciamus omnia, quæ fatalitatis terminum attingunt, vel in fluidorum vel partium ſolidarum labem reſultant, unde labefactatur machina, & periculum vitæ inſtat, niſi reparetur. Ex hac, ut ita dicam, caverna, & prolixa morborum ſerie, iis, qui de thematibus pro Diſſertationibus publicis cogitant, ſeſe offert largus materiarum campus, ut potius de abundantia, quam penuria conquerendi occaſio detur. Placuit nobis loco ſpeciminis inauguralis affectum ſelectiſſimum pertractare, nempe ut rubrica Diſſertationis indicat, Spadonem Hippocraticum Lapicidarum Seebergenſium hæmoptyſin & phthiſin pulmonalem, *Germanico idiomate die Seebergiſche Steinbrecher-Kranckheit, vocatum, præcedentem & inferentem. Ut vero prælibate innoteſcat, loci, cujus morbum ſpecialiſſimum pertractaturi ſumus, ſitus, & lapicidinarum naturalis conſtitutio, ex hiſtoria Topographica ſequentia tanquam in prodromo edocenda veniunt. Seebergia eſt præfectura quædam Thuringiaca, Superioritati Sereniſſimi Principis Schwartzburgico Rudolſtadienſis, a multis retro, imo non numerandis, annis, ſubjecta. Monti adjacenti hanc ſuam denominationem debere ſuadet ratio, & homonymica expreſſio. Mons vero ipſe, an nomen ſuum accepiſſe dicendus ſit a lacu, einer See, qui pagos Siebleben & Tüttleben, item campum majoris ſpatii, ceſpite nunc obſitum juncoſo, ſub nomine carecti Sieblebienſis venientem, & pro paſcendis alendiſque pecudibus uſitatum inundaſſe, tandemque in radicibus hujus montis defeciſſe, refertur, cujus veſtigia in libris, qui pro deſcriptionibus agrorum aſſervantur, vulgo Fluhr und Feld Bücher, nuncupatis, adhuc loquuntur hinc inde terminis ſuis technico-marinis; an vero a Dea Sieba, in monte aliquando ab ethnicis culta; an tandem a videndo vom ſehen, quia montis cacumina longiſſimo & latiſſimo proſpectui inſerviunt, apud autores non conſtat, nec certis argumentis corroborare poſſum.*

Accola eſt celebri Gothanæ urbi, adeo ut mons iſte Seeberg dictus, cum radicibus ſuis occidentalibus terminos Gothanos attingat. A natura loci hujus ſitus amœniſſimus factus eſt, viſui enim in plaga, quam habet ab Oriente & Septentrione, agrorum & pratorum imo urbium & pagorum magnum numerum oſtendit; a meridionali autem & occidentali ſphæra habet montem, ob varios

 quos

quos Seebergenſibus præſtat uſus, non ultimæ laudis; in latere præcipue iſto quo hanc præfecturam tangit, exhibet florentiſſimos & cum multis arboribus fructiferis infarctiſſimos hortos, in apice vero & ſuperiori ſui corporis parte, ſylvas concatenatas ex pineis partim, partim fruticibus avellanaceis, quercinis, tiliaceis conflatas atque compoſitas. In hac laudata regione Botanophilis occaſionem ſimul porrigit optatam, herbas medicamentoſas, in diſſitis alias regionibus vix reperibiles, per compendium quaſi inviſere & colligere. In medio montis, ſecundum ſcilicet latitudinem conſiderati, præter compaſcuos agros pro ovibus & pecude majori proficuos, a provida natura, in terrarum abyſſis abſconditæ jacent lapidicinæ, Seebergenſibus pro comparanda pecunia & inde pro conſumptione quotidiana neceſſitates acquirendas maxime accommodabiles. Ex his nempe fodinis multo quidem labore & periculo ſæpius etiam vitæ, effodiunt lapides, ad uſum mechanicum valde acceptabiles. Ex hiſce lapidicinis ſumunt urbes pretioſiſſima & artibus mechanicis ad apicem uſque elaborata ſua ædificia. Inde videas Erfurdiam, Gotham, Arnſtadiam, Ohrdruſiam, Iſenacam, aliaſque accolas proximas & remotiores ædificiorum ſuorum ſplendidiorum compoſitionem huic monti debere, & inde conflatam oſtendere. Mehliſenſes, Rhulenſes, Schmalkaldenſes non potuiſſent ferreis ſuis fabrificiis aciem & ſplendorem ſeu expolituram, das Poliren uti nuncupant, addere, niſi ex hiſce fodinis ipſis ſuppeditarentur cotes majores, in diametro 8 ad 9 pedes continentes, quas aquis & equis rotant, & ſic exactiſſimam polituram imo elegantiam & exacuationem, ad multifarios uſus domeſticos ac mechanicos proficuam, armaturis, forficibus, forcipibus, malleis, ſecuribus &c. addunt. Non eſt hujus loci ſecundum digitorum numerum recenſere & enumerare, quid ſtatuariis pro conficiendis ſtatuis, quid epithaphiſtis pro erigendis epitaphiis, quid lapicidis aliis pro exſtruendis puteis, Altaribus, Baptiſteriis, & ad ſacros ac publicos uſus deſtinandis exſtructuris, lapidicinæ Seebergenſes pro uſu ſint, cum quilibet, qui per Thuringiam & accolas provincias profectus, propriis oculis videre poterit, quod non facile urbs, pagus, villa aut mola ſit, quæ non ex hiſce Seebergenſium labore ſibi proficuos pro exſtructione exhibeat lapides. In molis hæc ſuper quibuſdam carillus & meta ex hiſce lapidibus confecta obſervantur, molitori pinſendo frumentum auxiliatrices. Quoniam autem ad multifarios uſus hi lapides proficui proſtant, fit inde quod ex multis aliis locis avolent homines, & præfecturæ Seebergenſis incolæ fieri deſiderent, partim quia in effodiendis lapidibus, partim pro tranſportandis ad alia loca negotiantes, occaſionem nanciſcuntur pecunias & alimentum comparandi, & hanc quidem facilius, quam in aliis finitimis locis, non morboſum ac periculoſum huic labori inſequentem indignantes neque verentes eventum ac ſtatum. Agunt nempe ut ſolent homines, pecunias quærunt & mortem quærendo inveniunt, ſcilicet pecuniis nunquam ad ſatietatem corraſis, oneroſo labore vitam finiunt, aut morboſo corpore impediuntur corradere. Quemadmodum enim per experientiam conſtat, quod illi homines, qui metallorum ac mineralium effoſſioni, variæque tractationi continuo inſerviunt, familiarius phthiſi laborent; & quemadmodum regiones

giones ac civitates integræ, aëre denſo ſemper refertæ, aut copioſis carbonum foſſilium acido ſulphureis exhalationibus plenæ, plures alunt phthiſicos incolas, quod inprimis de Anglorum metropoli Londino, compertum habemus, ubi tertia fere pars hominum hoc malo rapitur; imo quemadmodum ex aëris ſingulari diſpoſitione quibuſdam regionibus phthiſis endemia fit, ac quadam perpetuitate fovetur, uti Fernelius de abdit. Rer. cauſ. cap. 11. refert de Luſitanis; ita & his noſtris Seebergenſidus lapicidis & effoſſoribus idem contingit, quippe qui multas ob cauſas, quæ partim in exhalationibus ſulphurearum particularum, quæ ex colliſione lapidum & ferreorum inſtrumentorum, cum quibus findunt & aptant ſuo ſcopo lapides, proliciuntur; partim vero accedentibus vitiis motus ac diætæ, a longo tempore dicendi morbi incurrunt cenſuram. Experientia nempe eorum anteceſſores edocti, viderunt, hoc labore multos ſuorum onus, nempe morbum quendam, cæteris incolis Seebergiæ enutritis, (alio tamen opere, agrorum videlicet cultura & aliis negotiis occupatis) non ita frequentem reportaſſe, lapicidis hiſce vero magis proprium & ſingularem, ſingulare quoque nomen excogitarunt, quo inſignivere lapicidarum hanc obſervabilem labem. Quæ iſtorum denominatio ad noſtra tempora perduravit, ſub notione der Seeberger Steinbrecher Kranckheit. Cujus naturam & conſtitutionem, itemque curationem, cum pertractare animus ſit, faxit numen divinum, cujus auxilium humiliter imploramus, ut omnia fiant feliciter.

Te vero B. L. obnixe rogamus, ſi quædam minus exacte ob properantem calamum, & ingenii tenuitatem elaborata ac conſcripta ſint, in meliorem partem interpretari non graveris.

Melioris ordinis & perſpicuitatis gratia, tractatio noſtra erit trimembris, reſpiciendo nempe ad tres fontes, conſiderabimus morbi hujus

I. Nomen.

II. Naturam.

III. Curationem.

Hinc ordine præſuppoſito:

MEMBRUM I.

Definitionem ὀνοματώδη *docet.*

Cum ex methodo philoſophandi recepta, nomen rei, de qua acturi, recenſere teneamur; & ſi ſecundum Scaligerum, nihil cordato viro dignius, quam definire, & profecto ſapientis ſit proſequi definitiones; nomen prius noſtri affectus delibare omnino opus videtur.

Spado ſeu ſpadon, originem debet Græcis, quibus audit Σπάδων, a verbo Σπάω; qualis vero ſit affectus, vix ac ne vix quidem apud Lexicographos, alioſve invenias. Notum imo notiſſimum eſt, quod ſpado apud

lexicographos latinos plerumque pro caſtrato, ſeu eo cui teſticuli abſciſſi aut evulſi ſunt, accipiatur, unde germanice vertunt, *ein verſchnittener*; it. *ein unfruchtbarer ſchoß der bäume.* Inter Græcos quidem Johannes Scapula, in lexico Græco-latino, ſub verbi, σπάω derivatis vocabulum σπάδων ex Hippocrate citat, ſub ſignificatione ſpaſmi & contractionis, aſt de reliquo ipſe, ut alii, ſenſu receptiori, pro τῷ cui teſticuli evulſi ſunt, ſeu cui nervus membrum genitale erigens eſt convulſus, ſpadonem accipit: legatur quoque de ſpadone Bruno, in lexic. Caſt. ſpadonem per ſpaſma, ſeu ſpaſmum explicans, & in hujus ſenſus authoritatem Erotianum, ac Hippocratem citans. Qualem interim Scapula convulſionem indicatam velit, num criſpatam contractionem in pulmonum vaſis, quam Hippocrates reſtrictive exprimere voluit; an vero de membri genitalis convulſione ſolum loquatur, me dubium relinquit, quia expreſſe præter verba: *exponitur etiam ſpaſmus contractio apud Mic. in Alexiph. & Hippocrat.* nihil addat. Cum ergo apud lexicographos plurimos altum ſit ſilentium, in qua ab Hippocrate ſignificatione adhibeatur, ex ipſius ſcriptis, ſeu ex autore ipſo ſapere, intelligere atque eruere libet. Vocatur vero ita lib. I. de morbis, cap. 10. t. 59. & cap. 15. tit. 5. item cap. 17. t. 3. & 11. His citatis locis lectis & probe examinatis, patet Spadonem ab Hippocrate aſſignari potiſſimum (1) pulmonibus. (2) Eorum vaſis ſanguiferis, venis, laxiori ſignificatu, veteribus & ipſi ſolenni, non excluſis arteriis. Et quidem non tam rupta venula, ὅταν ῥαγῇ, cap. 10. t. 43. & 45. ubi ſtatim ſequitur ſputum ſanguinis, vel ſaltim extravaſatio; item ὅταν σπαϑῇ trahitur & vellitur, cap. 17. t. 3. ibi fit Σπάδων ipſi dictus, ſeu οἷον κίρσος, velut varix. Cap. 17. t. 11. addit porro, & manifeſto hoc loco σπάσματα vocat, fieri hæc a laboribus & lapſibus, a plaga, ſublatione oneris, violentia externa, per mechanicam tenſionem ſequente dilatatione. Verbo Hippocrates exprimit ſpadonis termino, morbum quendam ſeu affectum internum, ſub varicis aut aneuriſmatis interni notione venientem, *einem ader-oder pulsader kropf* vel *bruch.*

Nos Hippocratis veſtigia legentes, vidimus hujus ſpadonem tanquam ovum ovo ſimilem eſſe noſtro Seebergenſium morbo endemio, ſub rubrica, *die Seeberger ſteinbrecher kranckheit*, indicato, præcedentem horum hæmoptyſin & phthiſin pulmonalem; placuitque hujus termini primi auctoris ac uſurpatoris nominalem quoque auctoritatem pro ſcopo noſtro adhibere, & quidem ob ſequentes potiſſimum rationes, primo: hoc modo Hippocratis ſpecialiſſimus affectus hiſce noſtris temporibus adhuc viſibilis, in memoriam ac perſcrutationem de novo venit, & ingenioſiſſimi auctoris cognominatione inſignitur; deinde cum de internis hiſcemodi dilatationibus vaſorum ſermonem facturis nunquam a priori, a poſteriori hæc ſuper non ſemper occaſio veniat demonſtrare, an venæ (& ſic varicoſa dilatatio facta ſit); an vero arteriæ, ſive aneuryſmatica contingat læſio; rectius hinc feciſſe judicavimus, ſi ſpadonem utramque dilatationem exprimentem

adhi-

adhibendo, operoſam explicationem & odioſam repetitionem an arterioſa an venoſa contingat labes, evitaremus. His præſuppoſitis, terminus ſpado, nobis præ cæteris aptus & accommodatus viſus eſt, morbum Seebergenſem ſub capite ὀσίας uberius explicandum, ad noſtram memoriam revocare.

Explicavimus nunc, ut ſperamus, quid remotive & poſitive terminus noſter velit, pergamus ergo ad

MEMBRUM II.

Quod definitionem ὀσιώδη explanat.

Eſſentia ſpadonis, ut omnibus innoteſcat, neceſſe eſt, ut poſt definitionem nominalem, recenſeamus quoque realem. Ponimus ergo ſpadonem definiri poſſe ſequentibus:

Eſt tumor mollis, concolor & cedens internus a diſtenſione vel ruptione arteriæ aut venæ, ſanguine localiter velut in ſinu congeſto, endemice contingens iis operariis, qui in lapicidiis Seebergenſibus lapides effodiendo & aptando occupati ſunt.

Genus ſeu ratio formalis, ſub tumoris notione generali indicatur, non enim tuberculis, nec excreſcentiis, vel indurationibus, adnumerari poteſt. Una ſic quoque ſtatim liquet, qualiſnam ſit tumor, imprimis ſi reliqua etiam jungantur prædicata addita. Potuiſſemus quidem ad abſceſſus eoſque ſanguineos cum aliis referre, cum & Hippocrates lib. 2. epid. ſect. 1. t. 45. videatur varices ad ἀποςάσεις ſeu abſceſſus referre: ſed cum abſceſſus ſi non ſuppurationem factam, ſaltim diſpoſitionem ad hanc proximam, ſic tantum latiori ſenſu, ſeu in fieri proprie hodie notet, præſtat ſub tumoribus potius locare. Reliqua definitionis noſtræ aſſerta ad differentiam ſpecificam faciunt eruendam & conſignandam, modificantia tumoris acceptionem, ut adeo qualis & quid ſit idem, quomodo a reliquis diſtinguendus, patet a ſubjecto, materia contenta, cauſis & aliis non difficile eſt concipere.

Subjectum nempe ſpadonis *principale indefinitum* ſunt vaſa ſanguifera, & ſic principaliter venarum non excluſis arteriis. Interim probe noſcimus, hæc vaſa per externas partes æque quam internas locata inveniri, quia mechanica hominis ſtructura ex neceſſitate vaſorum horum uſu indiget per omnes corporis ſtructuras; ſubjungimus tamen amphiboliam evitaturi, nos præeunte Hippocrate imprimis loqui & intellecta velle vaſa ſanguiflua internarum partium, præcipue circa & in pulmonum ſubſtantia jacentia. Arteriarum quidem ſitus reſpectu venarum eſt profundior, ut ex anatomicis haurire, & oculis obvium dare quilibet poteſt; non tamen hæc differen-

rentia a venis impedit, quod non æque ac hæ poſſint dilatari: eſt potius utrobique dilatatio infieri & poſſe, ſed alia in venis cum criſpatura, alia in arteriis, & hæc magis æquali ſitu.

Definitum ſubjectum & locum magis exprimunt ac exhibent læſiones ipſæ factæ. Sunt qui oſculorum horum vaſorum magis meminere, quæ in aneuriſmate & varice præcipue affici argutantur, ſed cum communi anatomicorum edicto hæc in extremitatibus capillaribus radicentur, ubi aut nunquam, aut non facile fuere obſervata, ita non facile niſi novis & extraordinariis oſculis præſuppoſitis, poterunt concipi & formata præſupponi, ubi ordinaria nulla obſervantur. Potius vero locus læſionis deſignari poteſt, & intra & extra thoracem, pro ut caſus fert diverſus, hinc & obſervantur in extremis artubus, v. g. in brachiis & pedibus, quorſum ſpectant obſervationes aneuryſmatum ſpecialiorum, tam factorum, quam huc referendorum, paſſim tamen apud autores obſervatorum; conferatur ex recentioribus Palfyn, *in Abhandlung der vornehmſten* chirurgi*ſchen* operatio*nen*, pag. 409. ſeq. Imprimis tamen pro noſtra ſpadonis tractatione, ex internis vaſa circa cor & pulmones, ſede cum polypis fere communi, magis huic malo ſunt obnoxia. Hinc notatu digna, quæ Hippocrates lib. I. de morbis, cap. 10. t. 59. ſequent. habet, ita edocens: quando in pulmone vena omnino quidem rupta non fuerit, fiat tamen maxime velut varix, accidere non una in perniciem vitæ tendentia ſymptomata.

Subjectum adæquatum, nobis ſuppeditare videntur integumenta vaſorum, nempe tunicæ & cætera integumenta integerrima, quæ dum diſtenduntur & dilatantur, ſpadonis fiunt propagatores; quoad movens ipſum idque remotius, partes muſculoſæ, ad pulmonis quemcunque motum, maxime hoc paſſu depravatum, concuſſivum, concurrentes, primario diaphragma, muſculus penſilis & muſculi intercoſtales, ipſiuſque abdominis, non erunt prætereundæ.

Cauſæ, quæ huic malo ſuppetias dant, ſi inveſtigantur, ſunt vel proximæ, vel remotæ; ex *proximis*, accuſanda venit: (1) Extravaſatio ſanguinis, in latitudine conſiderata, qua elaſtica ſua virtute expanſus vel in vaſa irrumpit præter naturam, eaque diſtendit, aut quandoquidem diſrumpit. (2) Irritatio naturæ paſſive & active conſideratæ, quandocunque enim talis irritatio adeſt, & quidem ab objecto, hoc loco ſanguine, ponitur ad ſpadonem diſpoſitio. (3) Tanquam antecedens, ſpaſmoque anſam materialiter præbens conſiderari meretur. Pulvis ille a lapidibus eſfoſſis ſub illorum effabricatione ad uſus mechanicos ſecedens, ac ſub reſpiratione in pulmones attractus, ibique indole ſua terrea & adſtringente tunicarum ſtricturas efficiens, varieque vaſa quoque interſperſa afficiens, ſanguiniſque legitimum circulum impediens.

Ex *remotioribus* cauſis cenſenda veniunt *temperamenta*, hinc ſolertiori animadverſione deprehenditur, quod habitu ſeu temperamento corporis ſanguineo, cum cholerico aut melancholico ſymbolizante præditi, præ aliis

aliis huic affectui ſint obnoxii, utpote qui rarioris ac tenuioris texturæ partium ſubſunt; imprimis tamen cholerici, qui habent venas & vaſa ſanguiflua latiora, hæc ſuper ſalino-ſulphureo mobili ſanguine gaudent, ſæpius ut ſanguinis fluxu afficiuntur, præcipue ex internis partibus. Item *Plethora*, nam abundantia ſanguinis laborantibus & oneratis ſemper plus ineſt, quam dirigere & capere queunt vaſa, natura autem provida, quæ nihil quicquam abundantis in ſtatu naturali tolerare ſolet, motibus ſuis inſurgendo contra iſtud quod excedit, & legibus expulſionis, vel critice vel ſymptomatice qua data porta e corpore humano conatur expellere ſuperflua, unde non mirum, cur hac occurſione data plethorici ad ϛάσιν humorum non ſolum inclinent, ſed & conſequenter ad ruptiones ac dilatationes admodum proni fiant.

Porro ex *ætatibus* huc referendi veniunt, adoleſcentioris ſeu juvenilis gradus, non plenarie excluſis reliquis, obſervationis enim eſt in juvenibus ſanguinem maxime exitum quærere e pulmonibus, inde etiam eſt, quod hæmoptyſis & præcedentes ſpadones huic ætati ſint familiariſſimi. Hippocrates, libro de morbis I, editore Fœſio, pag. 13. ſequentibus hanc noſtram ſententiam confirmat ſuo calculo: & quibus quidem junioribus, quæ affectiones fieri dictæ ſunt, contingunt, ii magis & vehementius afficiuntur, pluſque cæteris dolent, & confeſtim iis manifeſtæ fiunt, ita, ut ſanguinem aut ſputo, aut vomitione rejiciant. Seniores vero raro quidem & debilius afficiuntur.

Reſpectu *quadrantis anni*, notandum hæc ſuper & non obiter inſpiciendum, quod in quamplurimis individuis, hæ ſanguinis excretiones, certis temporum periodis, vernali ac autumnali, æquinoctialibus aut ſolſtitialibus punctis, curſum ſuum ſoleant repetere, niſi convenientibus remediis, vel ſanguinis artificiali emiſſione, vel alio modo per convenientia imminuentia, aut certa vivendi ratione avertamus; vernale tamen tempus præ cæteris aliquid ſuſpecti alit, hinc novi aliquot, lethali ſpadone affectos fuiſſe.

Ratione *ſexus*, fœminæ reſpective, nempe ſalvis menſibus, præ maribus, rarius hos manes patiuntur, quippe magis quietiores, nec motibus adeo inordinatis aſſuetæ; non exemptæ tamen ſunt penitus, quia in partus circumſtantiis plethoricæ ex difficultate parturiendi poſſibiliter hoc malum acceſſere valent.

Facit aliquid *diſpoſitio hæreditaria*, quæ quemadmodum ad phthiſin, ſputum cruentum, proclives reddit, ita & ad ſpadones.

Aër nimis calidus ac frigidus ſuum ſymbolum etiam afferunt.

Item *cibus* ac potus, hoc paſſu piper & ſpirituoſa potulenta non omni culpa carent, præſertim ſi ex malo ordine & inconſiderata aſſuetudine pro ſudore proliciendo, cochleatim piper, & ſpiritus frumenti adhibent noſtri loci ſpadonum candidati. Quid potus frigidus, æſtuante corpore hauſtus, nocere poſſit, quotidiana experientia conſtat. Hinc ante paucos annos non

ſatis

ſatis deturpanda adhuc apud noſtros aſſuetudo fuit, quod poſt pro eximio gradu habito ex labore motu, nempe poſt lapidum tranſportationem ad plauſtra & vehicula alia, datas pro more recepto, *nach dem alten böſen herkommen*, cereviſias, a vectoribus promiſſas, *auſlade Bier*, in cryptis ſuis huic fini aptatis, ex lapidum fragmentis effabrefactis, epotando, corpus algens ſubitæ refrigerationi ab extra & intra admiſſa exponendo, & pro peſſimo ſui genii indultu peccando, ingurgitando nempe frigidam, axioma illud: omnis ſubita mutatio eſt periculoſa, ſuo damno comprobarunt. Vidimus autem poſt hujus vitii demonſtrationem & obtentam omiſſionem, nunc minus crebriores eſſe iſtos inſultus ſpadonicos.

Non eſt noſtri ſcopi recenſione dignari, quid tuſſis vehemens, ſternutatio, vomitus, ſaltus, vociferationes, inflatio immodica illorum, qui tubis canunt, item nimius conatus in excernendis fæcibus conferant, potius præeunte Hippocrate ex *vitæ generibus* & *vivendi rationibus* adhuc paucis addimus, in libro de affectionibus internis, juxta Foeſii editionem pag. 91. ita argumentante: pulmonis arteria ſi exulcerata, aut quædam ex tenuibus venulis, quæ in pulmonem dependent rupta fuerit, aut fiſtulæ per pulmonem diſtentæ & inter ſe confringantur, & ſanguine compleantur (his vero de cauſis præcipue divelluntur & perrumpuntur, vehementi exercitatione, curſu, caſu, per plagas, per violentos vomitus & febres) hæc quidem primum contingunt. Tuſſis ſicca detinet, deinde non multo poſt ſputum cruentum, interdum vero pus expuit. Item confirmant, quæ libro I. de morbis, Sect. V. pag. 7. habet; ejuſdem tenoris ſunt, quæ ibidem pag. 9. & 11. proſtant, nempe pag. 9. fiunt etiam cum ex immoderato labore, aut exercitatione, aut quavis alia occaſione ruptio ita facta fuerit pag. 11. Ex laboribus quoque etiam oriuntur, cum vena aliqua divulſa rupta fuerit, neque tamen penitus rupta fuerit, ſed ita, ut in ipſa convulſio facta ſit. Siquidem igitur rupta fuerit, confeſtim ſanguis ex vena effuſus putreſcit, & in pus vertitur. Quod ſi convulſio in vena facta ſit, hæc quidem per exordia dolorem excitat, & pulſat, progreſſu vero temporis, ſanguinem ad carnem tranſmittit, qui in carne putreſcens, in pus vertitur.

Verbo, cenſendi imprimis veniunt homines, durioribus vitæ negotiis adſueti, ut: qui geſtationibus & ſublevandis oneribus majoribus occupati ſunt. Quæ, qualia, de noſtris Seebergenſibus & dici, & optimo jure aſſeverari poſſunt.

Cauſas reliquas, quas multum conferre novimus pro ſpadone generando apud lapicidas Seebergenſes, in tractatione pathologica annectendi occaſio dabitur.

Audivimus hactenus, quod & quid ſit, item ex quibus cauſis proveniat ſpado; reſtat ut noſtræ κάτ ἄρσιν & κατὰ θέσιν Diſſertationi quoque addamus quomodo fiat. Modum fiendi explicaturi, non perperam feciſſe putamus, ſi prius viſceris primario affecti, ejuſdemque partium ſtructuram

turam artificioſiſſimam æque ac operoſiſſimam conſideremus & inſpiciamus. Primo igitur ex anatomicis repetenda veniunt, (omiſſis pro intentione noſtra non primario inſervituris vaſis lymphaticis, ac magna nervorum copia a Williſio obſervata,) illa e corde oriunda, & in viſcus hoc ſororium ejuſdemque ſubſtantiam intime deducta vaſa ſanguinem vehentia, arteria ſcilicet pulmonalis & vena; illa evehens e corde, hæc revehens. Arteria ſcilicet pulmonalis ex legibus & mechaniſmo circulationis ſanguinis, e dextro cordis ventriculo duabus magnis propaginibus, hinc in minores divaricatis & diſtributis, procedit. Vena vero pulmonalis e ſiniſtro cordis ſinu veniens, per totum ejus corpus numeroſa ſerie diſpergitur; utraque lateraliter ad dextrum & ſiniſtrum pulmonem ejuſque lobos dirempta. Præſtant nempe hæc vaſa ſanguifera & perficiunt circulationem ſanguinis, tam particularem, a corde in pulmones, & a pulmonibus ad cor immediate, quam mediate ipſam quoque juvant & promovent univerſalem, ex corde in totum & omnes partes, & a partibus ad cor. Taliſmodi venæ & arteriæ non ſolum in ipſos pulmones, verum quoque in laryngis, glandularum & veſicularum tunicas ramulos ſuos capillares, mittunt, & per totam veſiculoſam ſubſtantiam, inſtar artificioſiſſimi retis decurrunt, mutuis exoſculationibus innumeris inter ſe hiantes.

Pulmonum vaſis ſanguifluis perſpectis conſideratu etiam digni ſunt pulmones quoad reliquam ſubſtantiam. Subſtantia eorum modo carnea audit, ex diviſione carnium recepta; modo parenchyma, quamvis hoc nomen minus videatur congruum rei recentioribus quibuſdam. Veteres carnes dixerunt ſed ſui generis, ob analogiam quandam & ſubſtantiam mollem; parenchymata vero vocarunt, quod textura certa gaudeant, non ſolum vaſorum complexui adaptata, ſed & maxime poroſitati, & tubulis quaſi infinitis. Hoc ſenſu nempe pulmo eſt ſubſtantia diſſimilaris, ex variis compoſita ſimilaribus, membrana, carne, vaſis. Membrana, qua cinguntur, a pleura originem ducens, ſi ſeorſim ſpectetur, in ſpadone quidem principaliter non concurrit, niſi ſymptomatice, in ſputo tamen cruento præcipue afficitur. Caro ejus parenchymatica, cum ſit fungoſa, mollis, glabra, rara, levis & lævis, concreta quaſi ſecundum veteres, e ſanguine ſpumoſo, vel ut preſſius exprimamus, exprimit mechanica ſua ſtructura folles & ſpongiam, vel utrumque potius conjunctim, follem ſpongioſum ſeu ſpongiam follicoſam.

Quo nunc tenerior & elegantior eſt pulmonum ſubſtantia, eo facilius infirmatus undecunque, minus firmiter continere contenta fluida, ſanguinem nempe præcipue poterit, imprimis cum ſit perpetuum quoddam mobile; ex pari ratione eluceſcit, quod tenerrima ac ſenſibiliſſima eorum textura, non par ſit dilatationes expanſorias in vaſis aut ſubſtantia propria factis abſque gravi læſione fovere aut tolerare, unde non mirum, cur tot tantiſque injuriis ac læſionibus, apud practicos inveniatur ſubjacuiſſe.

Quemadmodum autem in generalioribus pulmonum affectionibus certo credimus neminem obloquentem inveniri poſſe, ita & in ſpecialioribus,

nempe pro ſpadonis Seebergenſis fiendi modo edocendo pergimus addere, nequaquam per tranſennam inſpiciendum eſſe, quantum ipſorum pulmones ac diaphragma concutiantur, quando ſub majorum ponderum geſtationibus & elevationibus ex anhelitus cohibitionibus ac contentionibus quotidie ſuſtinendis, imprimis iſta circumſtantia concurrente, dum malleis ferreis eximii ponderis *ungeheur groſſen Schlegeln, daran mancher zu heben und zu tragen hat*, lapides findunt, potius rationis ductu inducimur ſtatuere, hoc motu repetito, ſanguinis quoque motum fieri citatiorem, majorique niſu in pulmonum vaſa & pulmonum ſubſtantiam irruere, imo eorum vaſa diſtendere atque disjicere, & tandem rumpere. Sanguis enim abundans expanſione, generali naturæ intentione ad excretionem in & per pectus deſtinatus, aut alia ex circumſtantia ad viſcus hoc derivatus, ac invitatus, nonne ab univerſo corporis habitu tonice magis conſtricto, aut viſcerum internorum tono majori affectorum, ad pulmones ſolito magis regurgitando congeritur; ecquiſnam negaret ſequi inde ex regulis mechaniſmi neceſſariis in his ſanguinis contentionem, vaſorumque diſtenſionem ac oppletionem, quia plus ſanguinis appellitur & retinetur etiam, quam ob ſtricturam & condenſationem viſcerum & partium corporis muſculoſarum & his interpoſitas, imo ſubjacentes indeque ab his ſimul compreſſas vias ſanguis, & cum eo reliqui humores per venas ad præcedentem illum appulſum, proportionate revehi poſſint. Ob hunc nimium ſanguinis infarctum, in his partibus, ejus motus localis ſufflaminatur, & ſtagnatio oritur. His ſtagnationibus factis, preſſo pede, auctiore appulſu & acceſſu humorum fiente & continuante, ſpadonica dilatatio, aut actualis ruptio vaſorum, ſuccedit, idque tanto certius, ſi natura viæ huic inſiſtit, crebriuſque eam repetere invitatur atque excitatur.

His ſuppoſitis atque conceſſis, ulterius conjicere licet, ſpadonem differre a ſpadone, adeo ut alius ſit in fieri, alius in facto, alius verus, ſtricte & proprie talis, alius improprie talis; alius exquiſitus, gravis, major, alius ſpurius, minor; alius urgens vel in præſens, vel in futurum; alius graviſſimus, confertim ac cum impetu fiens. Tacemus alium in venis, alium in arteriis, alium ſubſtantia pulmonum ipſa læſa, uti nonnunquam viſum eſt ægros tota quaſi vaſa, vel eorum ramenta analogica exſpuiſſe, vel ipſius pulmonis putrefactas particulas; alium tantummodo dilatatis vel diſruptis vaſis, fieri poſſe.

Ex iiſdem allatis variantibus differentiis, porro ex connexione & ſubſumtione concludimus, diagnoſin & prognoſin eodem modo variandam eſſe. Ex ſignis *diagnoſticis* ſpadonem factum eſſe, indicat dolor, laborans enim tali, ſentit dolorem dorſi circa ſcapulam ſiniſtram, thoracem, ipſumque cubitum, pulſum etiam (non tamen omnis pulſus locis inſolitis ſtatim ſpadonem notat, ſed ſæpe ſolum ſtagnationem aut obſtructionem) loco inſolito, ſuperiori ſcilicet regione thoracis, circiter circa ſecundam vertebram, ſub clavicula ſiniſtra. Succedit titillatio pruriginoſa per longitudinem aſperæ arteriæ, anguſtia circa thoracem, ſpaſticæque compreſſiones. Has ſequitur

tuſ-

tuſſicula ſui moris, dicunt *der Steinbrecher Huſten*, tuſſis nempe cum dolore, in principio ſicca, ſi vero longius duret & negligatur, ſequitur hinc ſanguis ſinceriſſimus. Conſentientem habemus Hippocratem, qui Fœſio eloquente, in Libro I. de morbis, p. 8. dicit: ſi vena quidem non omnino rupta fuerit, ſed ea præcipue velut varix diſtenditur, quod etiam confeſtim quidem ubi factum fuerit, dolorem quendam tenuem & tuſſim ſiccam exhibet. Si vero diutius traxerit & neglecta fuerit, primum quidem paucum & ſub atrum ſanguinem tranſmittit, mox etiam copioſiorem & maxime ſincerum, deinde pus.

Accedit & inquietudo, ſæpe anxietas, vigiliæ, virium debilitas, ſtupor quidam a compreſſione partium, appetitus proſtratus, aliaque. Adeſt porro caloris & frigoris alternatio, in febrem tandem inflammatoriam degenerans. Quandoque vero ſilent hæc omnia, donec opinione citius ludatur fabula, ſeu de corio potius humano, non niſi a poſteriori vel ipſa facta ſectione deprehendendo morbo.

Quod *prognoſin* ſeu eventum ſalutis & mortis attinet, ſpado internus eſt graviſſimus morbus, ſeu tumor pernicioſiſſimus, qui plures interimit. Non omnis tamen eſt incurabilis, ſed magnus magis, ſubitaneus nimis. Arteriarum hæc ſuper eſt multo pertinacior, indeque ut plurimum mors ſequitur. Hippocrates hæc habet, ſecundum editionem Fœſii. Sect. V. p. 10. Qui morbis hujuſmodi detinentur, ab his quidem intra breve tempus pereunt, quidam etiam diutius trahunt. Præſtat enim corpus corpori, ætas ætati, & affectio affectioni, & anni tempeſtas tempeſtati, in qua ægrotarint. Quidam enim morbos facile tolerant, quidam vero omnino tolerare nequeunt. Non igitur certum tempus, in quo pereunt dari poteſt, neque ſi longum, neque quod quidam prædicunt, cum plerumque & anni tempora differunt. Verum qui rectius de his decernere ac prædicere volet, ſic judicabit, quovis anni tempore & perire & ſupereſſe, & quæ patiuntur evenire.

Qualiſnam ſpadoni cura adhibenda relinquatur ex modo dictis & adductis liquet, nimirum ſi ſubitaneus & magnus nimis, nulla ad therapiam eſt indicatio; ſi inveteratus & hæmoptyica phthiſi concomitatus, unice palliativa cura; ſi recens & non adeo magnus reſpectu vaſorum dilatatorum, neque exacerbationem nactus fuerit, & tolerabilior maneat, imo vita patientis protrahatur, aliquid quidem faciendum & curatione promittendum relinquit. Nos breviter ſaltim, quæ facienda & omittenda indicare volumus, ordine præſuppoſito, ſequente.

MEMBRO III.

De Therapia.

Hippocrates, in libro ſupra citato de affectionibus internis, juxta Fœſii editionem Sect. V. p. 94. Methodum ſequentem edocet curandi ſpadones:

dones: ſi varix in pulmone gignatur, per morbi quidem exordia tuſſis ſicca, rigor & febris vehemens admodum invadit, erectæ cervicis ſpiratio detinet. Huic quidem cum ſic habeat & dolor maxime urgeat, primum quidem ſanguinem detrahito, deinde multa & calida lavato, & cum ſitis detinet, cyceonem ex vino nigro auſtero quam ſuaviſſimo, æquali aqua temperatum, potui exhibeto, quem maxime frigidum bibere oportet. Ptiſana cremore cocto, optimo melle affuſo, pro ſorbitionibus utatur. Quæ primis 14. diebus offerenda ſunt. Quod ſi diutius morbus detinet, dolorque major in corpore & virium impotentia adſit, huic ſane ſic habenti ea exhibeto, quæ ei qui pulmonem purulentum habet, cum 14. dies præterierint. Hic morbus cum ſit difficilis multa curatione indiget, alioquin ægrum non relinquere fereque multos ad mortem uſque comitari ſolet.

His breviter, ſed non incongrue, Hippocratem totam methodum ſanandi Spadonem, edocere in propatulo eſt, intendit nempe vel diſcutere ac derivare; vel demulcere; vel tandem ſelective appropriatis traumaticis, conglutinantibus vitia iſta reſtituere. Et ſane tribus hiſce gradibus contraire licet damnoſo affectui, aliud faciendo in principio, aliud in medio, aliud in fine. In principio, quando vel eſt in fieri vel in facto, præſuppoſito ſanguinem proprio motu affectare his locis (puta in pulmonibus) exitum, aut conceſſum ſequi ob rarefactionem infarctoriam, vel injuriam externam, Medicus & æger omnem operam impendere debent, ut eruptionem ſanguinis mature avertant, & ſubſiſtentiam in pulmonibus ſollicite præcaveant, quod idem Hippocrates expreſſis verbis pag. 9. cit. loc. inculcat: *ſi inter initia morbi curationem adhibeant, rurſus venulæ ſuo loco ſubſident & humiles fiunt.* Adhibitis enim, attamen cum grano ſalis, derivatoriis evacuationibus, & vel ſponte ſymptoma evaneſcit omne, aut ad minimum levioribus medicamentis auſcultare cogitur. Convenit apprime ex fonte chirurgico V. S. baſilicæ aut medianæ in brachio, ſi nihil obſtiterit, patienſque nihil interloquatur. (Interloquitur autem, quando jam in limine ſtat hæmoptyſeos, & in ſequentibus phthiſicis labefactationibus, ex multo jam tempore paſſis, cenſuræ adnumerari, quo caſu dato, conſultius auctor ac ſuaſor fuerim ut V. S. in pede, cæteris ſcilicet paribus, ad unc. 4, 6. aut 8. pro virium indicatione inſtituat.) Cæterum V. S. in brachio quantitatem tam continuam quam diſcretam prudentis Medici, Chirurgique ϛοχασμῷ committimus. Melius tamen eſt ut non nimis in defectu peccemus quam in exceſſu.

Spectant huc & alia revellentia, ſanguinis majorem fluxum ad partes remotiores producentia, qualia ſunt pediluvia & immiſſiones manuum in decocta calida, frictiones, ligaturæ partium extremarum. Non ſpernendum uſum afferunt clyſteres emollientes & leniter alvum ſubducentes, quatenus laxata alvo, nimiæ quoque vaſorum conſtrictiones ceſſant, ut hoc modo affluxus humorum in viſcus aliquatenus comminuatur.

Conferunt multum circa æquinoxiales ſolis periodos, laxationes, apud

eos

eos præcipue, qui per harum periodorum ſymbolum ſentiunt, aut moleſtam tuſſim, aut alia incommoda exacerbantia, & aliquoties exacerbata.

Quemadmodum etiam tutiores ſe ſentiunt, qui circa haſce temporis mutationes, quietiori vitæ generi ſtudent; motus corporis excedentes vitando, ſeu non facile ultra poſſe audendo.

Interponantur nitroſa cum abſorbentibus & ſal. neutris, v. g. nitrum depuratum, antimoniat. arcan. duplic. methodo Illuſtris Stahlii præparat. cum conchis præpar. & ocul. cancr. citratis, & ut eo certius ſanguinis impetus infringatur cinnabarinis debita proportione admixtis. Accedat pro leni adſtrictione & tono reſtituendo, eſſent. millefolii cum tartari tinct. & ſpirit. C. C. itemque Eſſ. ſuccin. ac caſcarillæ admixta. Si ſpado per vices redierit, & annue recurſum fecerit, pulmonibus jam dum ad exulcerationem proclivibus, decoctum veronicæ, ſaniculæ, egregiam opem ſpondent. Item nutrientia ex Gelatinis, C. C. pedibus vitulinis, lacte ipſo, idem decocto avenaceo vulgo *die Hafer-Cur.* Ab extracto Veronicæ, debito modo parato, non empyreuma olente, cum eſſentia Card. bened. & Millefolii diluto, novi aliquoties non pœnitendos fructus expectatos fuiſſe. Novi & multum uſum herbæ Millefolii ac Scordii ſub decocto, & pulvere quoque adhibitæ, valde proficuum fuiſſe. Certe qui circumſpectam ex his allatis concinnabit methodum, habebit de efficacia adjutricis manus, certiſſimum argumentum.

In malo inveterato, pulmonibus exulceratis, & a longo tempore jam dum ingruentibus phthiſicis depravationibus habitualibus, nihil boni aut perpetui ſpondere poſſumus, potius ad effectus mitigationem, & ſymptomatum remotionem tenemur reſpicere, imo facere tantummodo debemus, ut morbus tolerabilior maneat ac vita protrahatur. Quoniam autem ad præſens noſtrum inſtitutum proprie non ſpectet, quæ, qualia facienda, ſtudio omittimus, & B. L. ad Autores de hac materia ex profeſſo agentes remittimus.

Interim ne aliquid circa tractationem ſpadonis Seebergenſium omiſiſſe videamur, famoſam adhuc formulam, quam a multis ab hinc annis in uſu habent, & deſperantes de recuperanda valetudine adhibent, paucis recenſione dignari & ſuperaddere placet; eſt autem ſequens:

Rec. herb. ſcord. millefol. chamædr. an. mij. lingu. cervin. mij. marrub. alb. fumar. acetoſ. fragar. hyſſop. borragin. abſynth. rom. ſalv. meliſſ. pulmonar. hepat. veron. matr. ſylv. betonic. ſanicul. flor. cheir. an mj. rad. ireos florent. unc. j. ſcrophular. pimpinell. alb. leviſtic. an unc. j. rhabarb. optim. unc. ſem. ſem. fœnicul. unc. ij. aniſi unc. j. ſem., cort. citr. Glycyrrhizæ. an. unc. ij. ceraſor. exſiccat. mj. conc. cont. groſſe M. D. in capſula, ſ. ſpecies *zu einem halben eymer bier.*

Sacculo nempe incluſæ iſtæ ſpecies, claviculis affiguntur infimæ regioni dolii, ne attollantur cereviſia ſuperfuſa. His peractis affunditur cereviſia recens, defecata tamen, reponuntur invicem pro extractione virium medicamentoſarum, ad 3 dies; his tranſactis ſumunt quadrantem congii, 1 *halbes nöſel*, mane & veſperi, calefaciunt ac butyro non ſalito addito, ebibunt;

per reliquas diei horas quaslibet, hauſtulum hujus cereviſiæ medicamentoſæ, non autem ſemper calefactione & butyro additis, aſſumunt.

Candori B. L. relinquimus, quid de hac formula ſentire volet, per fidem tamen omnem teſtor, me vidiſſe & videre quemlibet poſſe, conſummatiſſimos & pro derelictis habitos hiſce ſimplicioribus reſtitutos.

Ob chartæ anguſtiam, brevem apponimus regulam diæteticam ex Ciceronis lib. 4. de officiis: ſuſtentatur valetudo notitia ſui corporis & obſervatione eorum, quæ ad prodeſſe aut obeſſe ſolent, continentia in omni vita atque cultu corporis tuendi cauſa. Syracides hæcce brevius etiam inculcat, quando inquit: proba quid ſanitati conducat. Atque his noſtræ Diſputationi imponitur.

F I N I S.

XLVIII.

ABRAHAMI VATER,

ET

JO. OTTONIS ARNOLD,

CASUS SINGULARIS

ASTMATIS A DEPRESSIONE STERNI EX FEBRE PURPURATA, CUM ORTHOPNOEA AFFLIGENTE REPORTATI SOLA THORACIS ARTIFICIALI CONSTRICTIONE CURATI.

Witteberg. 27 April. 1730.

CASUS.

Vir juvenis Anno 1728. Menſe Octobris in civitate non adeo a nobis remota degens, febre epidemica, tum temporis ibidem cum purpura & Anhelatione graſſante, & ſtragem edente, correptus fuit, quacum non tantum per tres integras ſeptimanas conflictatus eſt, ſed etiam poſt breve temporis ſpatium recidivam paſſus, tot ſeptimanas, iiſdem Symptomatibus afflictus, tranſegit, & ægre mortem effugit. Poſt Venæ Sectionem mox in principio adminiſtratam, acceſſit Purpura rubra & alba cum Orthopnœa tam violenta, ut omnes nervos ad thoracem dilatandum contendere, ac multa temporis momenta inſpirationi unicæ impendere debuerit, ac non niſi erecta cervice ſpiritum trahere potuerit. Hunc morbum eluctatus, mortiſque faucibus ereptus, reportavit reſpirationem difficilem, antehac nunquam perceptam, quæ quidem continuo, magis tamen nocte, imprimis in dorſum decumbendo, maxime Hyeme præterlapſa, ipſi moleſtiam creavit. De hujus affectus moleſtiſſimi nullis remediis cedentis, cauſa ſollicitus, nihil invenire potuit, donec corpore nudato, pectoris figuram immutatam, & aliam, ac illam antea obſervavit, aut ſaltem ſe obſervaſſe reminiſcitur, deprehenderet. Sternum nimirum quoad mediam & infimam partem depreſſum eſt, aut potius, quia nulla externa vis acceſſit, ita intra thoracem receſſit, ut foſſa profunda in medio pectoris appareat, in qua pugnus fere occultari poteſt, coſtis a latere, mammarum muliebrium turgidarum inſtar, prominentibus. Ob hanc ſterni depreſſionem, pondus pectori incumbens percipit, quod inſpirationem difficilem reddit, ac pulmonis expanſionem ad anteriora cohibet. Eam ob cauſam in inſpiratione forti, preſſionem in lateribus & dorſo ſentit, ac ſi Pulmo eo loco perrumpere conaretur. Anxium hoc non ſine cauſa reddidit noſtrum, imprimis cum affectus hic incrementa indies caperet, ac ſuffocationem & ſubitaneam aliquando mortem minaretur. In Conſilium itaque unum vel alterum Medicum vocavit, corporiſque vitium ipſis monſtravit, qui quidem ſingularem ac extraordinariam ſterni depreſſionem pro merito admirati ſunt, ſed quo pacto eidem occurrendum ſit, dubii & ancipites hæſerunt. Cum tandem & me conſuleret, diſſimulare non poſſum, me parum auxilii ſupereſſe perſuaſum fuiſſe, imprimis quia malum hoc in infantia contractum, adeoque inveteratum credebam. Ille tamen conſtanter negat, ſe unquam quicquam hujus ſenſiſſe, aut injuriæ alicujus paſſæ comminiſci, ut potius ſemper liberrima reſpiratione, etiam ſtrenue currendo & clamando, gaviſus fuerit. In caſu hoc dubio, in quo alia, quam palliativa, cura noſtro promitti vix potuit, auctor ſuaſorque ipſi fui, ut thorace artefacto latera pectoris conſtringere tentaret, an forſan hac ratione ſternum extrorſum urgeri poſſet, ut Pulmoni dilatando ſpatium ſe expandendi relinqueret. Voto reſpondit ſucceſſus, nam applicato vix corpori thorace hoc artificiali, inconti-

nenti levamen percepit, ac poſtquam & quamdiu illum die nocteque geſtavit, nil incommodi amplius ſentit, ſed libera ac naturali reſpiratione fruitur, quamprimum vero cingulum laxat aut exuit, ſtatim difficilius Spiritum trahit. Utut autem hæc medela non niſi palliativa eſſe videatur, tamen eam ad correctionem ſitus vitioſi ſterni, ſucceſſu temporis ſperandam, illudque in ſitum magis naturalem reſtituendum, atque in eo confirmandum, profuturam, ſpes haud levis arridet, quia hac ætate cartilagines, ſternum cum coſtis conjungentes, molles adhuc & flexiles ſunt, quæ demum in ætate provecta majorem duritiem adipiſcuntur. Quod enim notatu digniſſimum eſt, poſitis thoracibis limitibus, & viſceribus abdominis, cum diaphragmate connexo, conſtrictione ventris verſus ſuperiora propulſis, ut diaphragma ſinuoſum ſuum ſitum, intra pectoris cavum prominentem, recuperet, in actu inſpirationis nullam amplius preſſionem laterum a pulmone inflato ſentit, potius hunc ſub ſterno anteriora verſus ſerpere, illudque magis magiſque elevare conari, accurate percipit.

Thesis I.

Habes Lector Benevole, hiſtoriam caſus, ob plurimas circumſtantias rariſſimi & plane ſingularis, qui ſibi ſimilem in obſervationibus Medicis non agnoſcit, ſaltem nos nullibi parem invenire potuimus. Meretur adeo hic, ut publico communicetur, & Speciminis inauguralis loco Tibi exponatur. Notatu digna eſt, depreſſio ſterni in noſtro, hac præprimis ætate, qua dislocationes oſſium, thoracem ambientium, jam ſatis firmatorum, non adeo facile fieri obſervantur, quibus ætatem puerilem magis obnoxiam eſſe, experientia docet. Notabilis eſt origo hujus mali, non ab injuria quadam externa & violentia ab extra illata, ſed ex morbo interno, febre nempe, quamvis non tam huic, quam Aſthmati conjuncto, & conatui in inſpiratione adhibito, hæc dislocatio adſcribenda, adeoque non omnis violentia excludenda ſit. Sed forte quis hic objiciet, ſterni depreſſionem huic febri prægreſſæ non adjudicandam, ſed longius repetendam eſſe, ab injuria quadam in pueritia ab extra illata. At enim vero talis injuriæ paſſæ noſter memor nullatenus eſt, quantum ætatis anteactæ reminiſcitur. Potuit hoc ſane contingere in prima infantia, ubi, quid de ſe actum ſit, neſcivit, aut ſaltem id in memoriam revocare nequit. Obſtat tamen liberrima reſpiratio, qua noſter abſque omni impedimento ad illud uſque tempus, quo febre iſta laboravit, uſus eſt, adeo, ut pleno ſpiritu, quod ipſe ſerio teſtatur, clamare, cantare ac curſu forti ſe exercere poſſet, ſine anhelatione aut pectoris anxietate, quod certe fieri non potuiſſet, ſi ſternum pravum illum ſitum jam habuiſſet. Equidem non ignoro, Auctores obſervare, gibboſitatem non neceſſario inducere Dyſpnœam, quia exempla a Scriptoribus obſervatio-

num

rum conſignata teſtantur, gibboſos quandoque non fuiſſe Aſthmaticos. Apud *Bonnet. Sepulchret. Lib. III. Sect.* 12. *Obſ. VII.* notabilis obſervatio his verbis recenſetur: *nimirum Antonio Santoro puero Neapolitano, quidem puſioni, ſed quatuordecim jam annos emenſo, viſos a me eſſe gibberes omnes mire complexos, ad cervices inquam & lumbos & coccigis repanditatem, ad dorſum & pectus Cyrtoſes, a ſupremo dorſo ad lumbos uſque ſcolioſin, præter quas gibboſes eſt ne alia quæ ſuperſit. Quod autem ſumme dignum notatu viſum eſt, nulla puero reſpirandi difficultas aut tum fuit, aut antehac, de qua quidem re certos nos idem fecit, propterea quod Pulmo huic purior viſus eſt.* Quicquid hujus ſit, communiter gibboſi ſunt quoque Aſthmatici, adeoque noſter aliqualem ſpiritus difficultatem experiri debuiſſet, ſi ab infantia hoc vitio thoracis laboraſſet, & Aſthma ſenſim augmenta cepiſſet, non vero una & ſemel in ipſa febre illum invaſiſſet.

Thesis II.

Ut hoc clarius pateſcat, examinanda ante omnia eſt febris antegreſſa, in qua primum impetum Aſthmatis, antehac nunquam experti, percepit, a quo tempore iſtud continuavit. Fuit hæc non tantum continua & acuta, ſed etiam ex earum numero, quæ certo tempore unam vel plures civitates aut nationes invadunt, & epidemicæ vocantur. Hæ febres, uti ſubito integrum populum adoriuntur, ita a cauſa quadam communi eaſdem oriri, manifeſtum eſt. Harum cauſarum communiſſima eſt ipſe aer atmoſphæricus, in quo vivimus, quique nos ambit, ac inſpiratione & tranſpiratione continuo intra corpus penetrat. Quemadmodum vero idem univerſale, omnibuſque commune, vitæ pabulum merito audit, quoniam nulla viventium creaturarum eodem carere poteſt, ita vitiatus & inquinatus fertiliſſima multorum morborum mater eſt. Prout enim iſte vel denſior ac frigidior, vel ſubtilior aut rarior evadit, aut variis effluviis e globo terraqueo inficitur, corpus noſtrum ejuſque ſuccos vehementer mutat, poros cutis modo aperit, modo comprimit, humores nunc condenſat nunc rarefacit, aut noxiis effluviis introductis varie commovet, eorum temperiem & craſin alterat, atque ſic varios morbos excitat. Imprimis circa ſolennes atmoſphæræ mutationes, vere & autumno contingentes, morbi Epidemici graſſari obſervantur, quoniam tum temporis effluvia hyeme in globo terraqueo a frigore quaſi incarcerata, ab aere calidiori cumulatim elevantur, aut hactenus ſole æſtivo exaltata, confertim ad terram & atmoſphæræ regionem infimam reprimuntur, de qua plura legi poſſunt in *Veneraud. Parentis Inſtit. Med. Judic. Prognoſt. de anni temporibus & tempeſtatibus.* Interim non quotannis morbi Epidemici ſæviunt, nec ſi tales oriuntur ubivis locorum æqualiter graſſantur, quia multum ſitus locorum, ventorum & tempeſtatum variationes ad effluvia concentranda vel diſſipanda faciunt. Interdum tamen ſat

magnus terrarum tractus Febribus Epidemicis obruitur, de quo inſigne & novum exemplum in literis illuſtris Conradi Sprengelii, Equitis Aurati, Societatis Regalis Londinenſis membri ac Medici celeberrimi accepi. Ita enim ille in Epiſtola d. 25. Nov. 1729. S. V. ſcripta: In principio hujus Menſis in Anglia acutiſſima febre cum tumoribus colli & tuſſi ferina &c. afflicti fuimus, a quo morbo vix centeſimus liber extitit, multique eodem perierunt, ita ut per XIV. dies Medici hujus urbis dies noctesque in viſitatione ægrotorum occupati fuerint. Hujus rei cauſam ab aere repetendam eſſe, exinde patet, quia morbus totam Angliam ab ortu in occaſum peragravit, loca vero ſeptentrionalia & remotius ad meridiem ſita, omnino ab hac clade libera extiterunt. Obſervantur proinde tales febres præ aliis magis contagioſæ & mali moris eſſe, quia effluvium ex aere hauſtum ſuccos corporis noſtri confeſtim diſſolvere & craſin eorum dirimere conatur, ad putredinem ſubitaneam eos diſponendo, circulationem & ſecretionem turbando, viſcerum nobilium inflammationes inducendo, unde etiam malignæ, contagioſæ & putridæ audiunt. Hoc exempla, febribus ejuſmodi demortuorum, eorumque ſectiones poſt mortem teſtantur, in quibus ſanguis aut totaliter diſſolutus, aut coagulatus, & grumoſus, & viſcera nobiliora inflammata, aut plane ſphacelata & corrupta reperta ſunt, de quo hiſtorias copioſas *apud Bonnet ſepulchret Lib. IV. Sect. 1. obſerv. VII.* legere licet. Variant tamen hæ febres tum ratione malignitatis, ut aliæ magnis vel minus malignæ ſint, tum ratione ſymptomatum ſingularium. Interdum tales cum inflammationibus, quæ inflammatoriæ, interdum cum Angina & Pleuritide, unde pleuriticæ & anginoſæ, interdum cum Diarrhœis, ſudoribus, Hæmorrhagiis nimiis, a quo colliquativæ, ſubinde cum exanthematibus variis quapropter varioloſæ, morbillares, petechiales, ſcarlatinæ, purpuratæ, &c. audiunt. Sic in febre noſtrum affligente, præcipue purpura alba & rubra ac Aſthma in omnibus ægris, tum temporis eadem decumbentibus obſervata fuerunt, quam ob rem iſta merito a nobis ad Epidemicarum claſſem relata eſt.

THESIS III.

Ante omnia Purpura conſideranda a nobis eſt, utpote quæ primum apparuit, & quidem rubra cum alba admixta, in recidiva vero tantum rubra rediit. Sciendum eſt, dictam febrem ſtatim ab initio tantum æſtum in noſtro excitaſſe, ut totum quaſi corpus exarſerit, quam ob rem iſte in lecto durare nequivit, ſed ex eo proſiliens, in terram ſe projecit, ibi refrigerium quæſivit, altero ſtatim die leviter delirare cœpit. Facta venæ ſectione, calor quidem exceſſivus quodammodo remiſit, ſed purpura mox prodiit, qua licet expedite & largiter erumpente, nihiloſecius poſt unum vel alterum diem Orthopnœa illa violenta ſupervenit, & per totum morbum

bum duravit. Purpura, haud ſecus ac alia exanthemata, ac præ illis, frequentiſſime abſque malignitate, imo abſque febre in ſcorbuticis, hypocondriacis, & cachecticis erumpit, ob acredinem & impuritatem ſanguinis, & obſtructiones viſcerum, vitioſaſque ſecretiones. Cum febribus tamen acutis epidemicis, inflammatoriis & malignis juncta, niſi critice excernatur, ſumme periculoſa & extreme maligna eſt, adeo ut petechiis non cedat, cum quibus etiam ſæpe conjungitur. Sunt enim in ſe nihil aliud maculæ iſtæ rubicundæ, quam tot quaſi inflammationes cutis, a ſanguine intra vaſa cutis, præter morem turgida, ſtagnante, uti ad oculum monſtrare poſſum in pede fœtus ſeptimeſtris, Ruyſchiana methodo præparato, qui totus purpura affectus apparet, ſed microſcopio inſpectus, nil niſi vaſa minima monſtrat. Puſtulæ vero conjunctæ, a ſero acri extra limites vaſorum tendente, & cuticulam erodente, oriuntur, a qua ſquamulæ poſtmodum ſecedunt. Hæ puſtulæ minores vel majores purpuræ nomen rubræ ac albæ dederunt. Alba vero præ rubra communiter magis maligna obſervatur, quia majorem maſſæ ſanguineæ diſſolutionem atque putredinem, cum inflammatione viſcerum nobiliorum denotat, unde talis puerperis frequenter fatalis exiſtit, qua etiam eo tempore, quo febris epidemica purpurata ibi locorum ſæviit, multæ earum perierunt. In his vero retentionem lochiorum & ſecundinarum, læſionem gravem & inflammationem uteri ac putredinem ſanguinis in eo ſtagnantis, purpuræ albæ præcipuam cauſam eſſe, probatione non indiget, quia apud omnes Medicos in confeſſo eſt. Purpura igitur alba cum rubra in noſtro, febre epidemica laborante, apparens, qualis conſtitutio ſanguinis ac reliquorum humorum, ipſorumque viſcerum in eo fuerit, abunde teſtatur.

THESIS IV.

Sed nunc de Orthopnœa in febre iſta ſimul accedente, diſpiciendum, quia hæc, non tantum durante & repetente febre, præcipuum Symptoma urgens, ſed etiam poſt febrem, aſthmatis continuati cauſa fuit. Antequam autem de hoc agamus, prius de Aſthmatis cauſis in genere videndum erit, ut tranſitus ad ſpecialia eo facilior evadat. Hoc vero priuſquam fieri queat, primum reſpiratio examinanda, in quo conſiſtat, & quomodo quibuſque organis illa peragatur. Duplex nimirum actio in ea concurrit, inſpiratio, qua dilatatione thoracis aer intra pulmonem recipitur, ac exſpiratio, qua aer contractione thoracis rurſus expellitur: Dilatatio thoracis peragitur primario actione Diaphragmatis, quod ſitum fornicatum & ſinuoſum in planum mutat, viſceraque abdominis, in ſinuoſa excavatione recondita, ad inferiora propellit. Juvant hanc actionem muſculi thoracis elevatores ac intercoſtales externi, quorum ope coſtæ, quæ arcus inclinatos efficiunt, revolutione circa polos in ſterno & vertebris mobiles, elevantur ac extrorſum moventur, quo ipſo cavitas pectoris in

longum latumque ampliatur, ac pulmoni, ab aere per fauces irruente, inflando & expandendo ſpatium relinquitur. Sed actione muſculorum conſtrictoriorum pectoris & intercoſtalium internorum, ac reſilitione coſtarum ad ſitum inclinatum, nec non retropulſione diaphragmatis intra thoracem, a viſceribus abdominis, conſtrictione muſculorum ejuſdem ad ſuperiora propulſis, thorax, iterum coarctatur, aerque, juvante ſimul conſtrictione veſicularum pulmonalium propria, ex pulmone rurſus expellitur. Hujus actionis reciprocæ tanta eſt dignitas, tantaque neceſſitas, ut eadem ſalva vita omnimode carere nequeamus, quia cum circulatione ſanguinis vitali pari paſſu ambulat, & ad hujus conſervationem & continuationem apprime facit. Ad iſtam vero naturaliter & expedite perficiendam, confert maxime influxus ſanguinis ſuccique nervei ſufficiens, tum in muſculos ſingulos, tum in pulmonem ipſum atque tracheam, hujus præterea ac bronchiorum & veſicularum pulmonalium debita apertio pro receptione aeris, & ſpatium quoque ad expanſionem neceſſarium, quibus omnibus non rite ſe habentibus, reſpiratio non poteſt non lædi ac difficilior reddi.

THESIS V.

Quilibet nunc facile videbit, quam late pateat affectus, qui Aſthma, Dyſpnœa, Anhelatio, aut reſpiratio difficilis & laborioſa vocatur, & a quot & quam variis cauſis idem proficiſci queat. Quæcunque enim quovis modo liberam actionem muſculorum inhibere, aut diaphragmatis depreſſionem & coſtarum revolutionem & elevationem impedire, aut aeri viam in Tracheam, bronchia & veſiculas pulmonum intercludere poſſunt, illa inter cauſas difficilis reſpirationis referenda ſunt. Hinc varia vitia humorum, ſanguinis ejuſque ſeri, ſuccique nervorum tum quantitate, tum qualitatibus, tum motu peccantium, anſam huic affectui dare obſervantur. Quem enim latet, ſolam plethoram ſeu abundantiam ſanguinis, difficilem ſpiritum reddere, vaſa ſanguifera tam in pulmone quam reliquis viſceribus internis, & ipſis quoque muſculoſis partibus nimium diſtendendo, nervos ac fibras premendo, ac ſpaſmos excitando, unde etiam unica venæ ſectione, vel critica ſanguinis evacuatione ceſſat. Ita etiam ſolam pinguedinem nimiam in obeſis anhelationem producere, nemo ignorat. Quemadmodum vero plethora diu ſine vitio ſanguinis ſubſiſtere nequit, ita ſanguinis ejuſque ſeri nimia viſciditas atque craſſities, ſive etiam tenuitas & acredo irritans & conſtringens, ſæpius in culpa eſt, unde ſcorbutici, phlegmatici, cachectici, catarrhis faucium, pulmonum laborantes, hoc malum ſentiunt. Sic inflammationes faucium in angina, pleuræ & pulmonum in pleuritide & peripneumonia Dyſpnœam comitem habent. Pariter ſucci nervei vitium, aut motus impeditus & irregularis, in-

deque

deque paralyſis aut ſpaſmi in faucibus atque pulmonibus & partibus circumjacentibus, ſive per ſe orti, ſive per conſenſum communicati, iſtum affectum generant. Inde eſt, quod non tantum in Apoplexia & Epilepſia aliiſque affectibus ſoporoſis, ſed etiam in malo hypochondriaco, paſſione hyſterica idem ſymptoma conjungatur. Idem contingit, quando ſanguis aut ejus ſerum plane extravaſatur, & in cavitatem thoracis, abdominis, aut ipſas veſiculas pulmonales colligitur. Accedunt organorum ſolidorum, ſive ad reſpirationem facientium, ſive his tantum proxime accumbentium vitia varia, tumores, ſcirrhi, calculi, tophi, ulcera, & alia id generis plura, quæ non poſſunt non reſpirationis negotium valde alterare, illudque difficile reddere. Teſtantur id ſcirrhi, nodi, tophi, ulcera, vomicæ in pulmone non tantum, ſed etiam in hepate, ventriculo, liene, pancreate, aliiſque hærentes, item cordis magnitudo, polypi in vaſis hærentes, valvulæ arteriarum oſſificatæ, & alia id generis, de quibus omnibus obſervationes, ex ſectionibus cadaverum collectas, videre licet in citato *Sepulchreto Bonett. L. II. S. I.* Tandem huc etiam faciunt dislocatio & pravus ſitus vertebrarum colli & thoracis, ac lumborum, diſtorſio coſtarum, & uti in noſtro caſu, depreſſio ſterni, quibus ſpatium internum pectoris anguſtius evadit, pulmo contentus comprimitur, atque ſic reſpiratio difficilior redditur, eo magis, quo gravior eſt læſio horum omnium organorum. Tot tamque variæ ſunt Aſthmatis cauſæ in quibus evolvendis Medici occupati eſſe debent, ſi curam felicem ſibi promittere velint.

THESIS VI.

Redimus nunc ad ægrum noſtrum, febre epidemica purpurata laborantem, ut videamus, unde orthopnœa violenta, in febre accedens, repetenda ſit. Ipſum nunquam antehac aſthmate laboraſſe, ſuperius in hiſtoria caſus vidimus, ut adeo hoc unice febri adſcribendum ſit. Nulla conjuncta fuit Angina aut pleuritis, a qua alias in febribus acutis pariter Dyſpnœam oriri, antea vidimus. Non plethoræ aut copiæ ſanguinis tribui poteſt hic affectus in noſtro, quia venæ ſectione licet præmiſſa, tamen acceſſit. Neque adfuit hoc ſymptoma ante purpuræ eruptionem, a qua difficilius erumpente, anxietas præcordiorum cum reſpiratione laborioſa ſæpiſſime dependet, eadem vero prompte erumpente, ceſſat vel ſaltem immuinitur. Hic vero orthopnœa demum largam purpuræ eruptionem ſecuta eſt, & cum hac per totum morbi decurſum duravit. Totum ergo fundamentum in vitioſa ſanguinis ejuſque ſeri, ipſiuſque ſucci nervorum conſtitutione, a febre hac inducta collocandum erit. In horum autem ſuccorum inquinatione, degeneratione, ac ad deſtructionem & putredinem eorum tendente agitatione, præcipua febrium acutarum, imprimis epidemicarum & malignarum ratio conſiſtit, uti ſupra vidimus. Quæ ſit

præ-

præcipua incandeſcentiæ febrilis cauſa, & unde illa turbatio vehemens circuli vitalis ac fervoris ſanguinei ſit primario repetenda, an a ſanguinis alteratione, ſalium heterogeneorum admixtione, ejuſque motu inteſtino putrido, an vero a ſpiritu ſeu ſucco nerveo acriori reddito, indeque cor nervoſque irritante, pluribus diſputat ingenioſiſſimus *Borellus de Motu animali P. II. Cap. XXI.* Tutiori tamen via incedit, qui utriuſque vitia accuſat, ob arctam circuli ſanguinis cum influxu liquidi nervoſi connexionem, & mutuam unius ab altero dependentiam, ob quam uno graviter affecto & perturbato, alter non poteſt non in conſenſum trahi. In febribus vero epidemicis, contagioſis atque malignis cerebrum, genuſque nervoſum, cum liquido contento graviter affici, docet languor, lapſus virium ſubitaneus, deliria, convulſiones aliaque ſymptomata. In noſtro itaque Aſthma, in febre accedens, convulſivum fuiſſe, a ſanguine ſeroque, ac ipſo quoque nervorum ſucco, ſtagnatione & acredine ſua nervos irritante ac vellicante, ratio ſuadet. Tales enim humores in corpore ejus peccaſſe, abunde teſtatur purpura tam alba, quam rubra conjuncta.

Thesis VII.

Alia eſt ratio Aſthmatis ab illo tempore, febre ceſſante, in noſtro remanentis, quod licet ab orthopnœa febrili ortum trahit, ab alia tamen & diverſiſſima cauſa dependet. Unice enim hoc depreſſioni ſeu tractioni ſterni ad interiora, a conatu reſpirandi, durante orthopnœa febrili, adhibito, abſcribendum eſt. Docet id Aſthmatis, ante febrem nunquam experti, hac licet remota, noſtroque præterea optima ſanitate fruente, conſtans poſt illud tempus duratio. Monſtrat illud pectoris nudi inſpectio, manifeſta ſterni circa medium ſubſidentia, qualem ego nunquam in ullo corpore humano vidi, uti vel ipſa deſcriptio, ſuperius exhibita, teſtatur. Confirmat iſtud penitus medela extemporanea per conſtrictionem laterum thoracis & abdominis, qua applicata, extemplo malum remiſit, & indies in meliorem ſtatum mutatur. Sed nunc oritur quæſtio præcipua & maxime ardua, quo pacto & quibus viribus, ſine acceſſu injuriæ ab extra illatæ, ſternum ad interiora cogi potuerit? Sane ad hanc quæſtionem tanto difficilius eſt reſpondere, quanto magis rarus, inſolitus & plane inuſitatus eſt noſter caſus. Dabimus tamen operam, ut huic difficultati occurrere queamus. Notum autem eſt ex Anatomicis, ſternum etiam in adultis in duo aut tria fruſta diviſum eſſe, ac cum coſtis ope cartilaginum flexilium, quæ ſenſim magis indurantur, conjungi. Sterno juxta longitudinem alligatur mediaſtinum, cujus ope thorax in duas cavitates aut cylindros diſpeſcitur, corque in pericardio incluſum, in medio pectoris ſuſpenſum firmatur, & pendulum ſuſtinetur. Pericardium in homine, magnæ diaphragmatis parti conjungitur, ut illud in ſitu fornicato conſervetur, nec pondere viſcerum abdominis, ad inferiora nimium trahatur. Hunc nexum atque conſenſum partium

partium internarum thoracis, ſi paulo attentius conſideremus, nullus dubitationi locus eſt relictus, a conatu, durante Orthopnœa febrili, in reſpiratione ſumme laborioſa, hanc ſterni depreſſionem, aut potius retractionem ad interiora induci potuiſſe. Diaphragma ſane in inſpirationis actu principalis cauſa eſt, cujus actione ſtatus ejus ſinuoſus, verſus cavitatem pectoris exporrectus, conſtrictione fibrarum ejus, mutatur in planum, quo ipſo detruſis abdominis viſceribus, cavitas interna thoracis in longitudine augetur, quæ accedente revolutione coſtarum, a muſculis thoracis & intercoſtalibus externis, ſimul elevato ſterno, juxta latitudinem ampliatur. Læſo enim gravius diaphragmate, aut reſectis ejus nervis, reſpiratio difficilis oritur, aut penitus perit, omnibus etiam reliquis organis, eidem inſervientibus, integris & illæſis, quemadmodum reſectis muſculis abdominis & thoracis, reſpiratio manet, quamdiu diaphragma integrum ſervatur, uti experimenta circa hanc rem in animalibus brutis confirmant. Quando ergo in noſtro, laborioſa orthopnœa in febre affecto, diaphragma inter inſpirandum, nimium tenſum & ad inferiora tractum fuit, hoc ipſo, pericardii & mediaſtini violentiori tractione, ſternum alligatum ad interiora duci potuiſſe, quis dubitet? Illud vero in reſpiratione forti & laborioſa contingere poſſe, pulchre probat obſervatio *Borelli loc. cit. Cap. VII. Prop. LXXXIV. ego vidi*, inquit, *in cuniculo Indico ob dolorem tanta violentia diaphragma verſus abdomen deſcendiſſe, ut ultra planitiem excurrendo, ſinuoſam figuram deorſum exporrectam acquireret.* Imo huic cauſæ unice depreſſionem ſterni adſcribendam eſſe, confirmat penitus inſpectio pectoris nudi in noſtro, ubi etiamnum ſingulis inſpirationibus, ſternum non, uti per naturam debebat, elevatur, ſed verſus interiora ducitur, & fovea in pectore major evadit. Præterea ſeptum tranſverſum ſitum naturalem in eo non habere, ſed verſus cavitatem abdominis depreſſum eſſe, docet tumor in hypochondriis, ſub coſtis ſpuriis manifeſtus, ob has, a viſceribus abdominis propulſis, extrorſum preſſas. Conſtrictis vero lateribus, ope thoracis artificialis, & interpoſitis ſub hypochondriis ſpleniis, coſtæ ſpuriæ introrſum coguntur, diaphragma ad ſuperiora urgetur, & naturalem magis ſitum recuperat, ſicque reſpiratio libera & facilis ex tempore reſtituitur. Hæc omnia itaque confirmant, & extra omnem dubitationis aleam ponunt, ſterni mediam & infimam partem, eo loco, quo alias, ut ſupra monuimus, diviſionem habet, ad interiora tractam eſſe, idque ſolum a fortiori tenſione diaphragmatis, propter violentiam in inſpiratione laborioſa, durante Orthopnœa febrili adhibitam. Mirum itaque non eſt, ob preſſionem cordis ſubjecti, & impeditam pulmonis ad interiora expanſionem, ortam fuiſſe reſpirationem difficilem, anxietatem circa præcordia, palpitationem cordis, metumque ſuffocationis, id quod erat demonſtrandum.

Theſis VIII.

Manu quaſi hoc nos ducit, ad Aphoriſmum Hippocratis L. VI. 45. ubi dicit: Qui gibboſi fiunt ex Aſthmate vel tuſſi ante pubertatem, moriuntur. Mire torſit hic Aphoriſmus ingenia interpretum, quia difficile eſſe videtur explicare, quomodo gibboſitas, quæ oritur a luxatione vertebrarum dorſi, a tuſſi & Aſthmate induci queat; plerique in pueritia hoc vitium contrahunt, nec tamen omnes tuſſi & Aſthmate laborant, aut moriuntur, ſed provectam interdum ætatem attingunt, utut ipſo Hippocrate L. III. de articulis obſervante, pauci ex iis ad ſexageſimum annum perveniunt, plerique citius moriuntur. Ingenioſam ejus interpretationem commentus eſt *Severinus*, *Lib. de abſceſſibus*, exiſtimans, ita intelligendum eſſe hunc Aphoriſmum: Qui præter anhelationem & tuſſim gibbi quoque fiunt, eos ante pubertatem mori. Quæ interpretatio quidem rationi eſt conveniens, verus tamen ſenſus magis eluceſcit, ſi conſideremus, gibboſitatem in infantibus interdum non Aſthma & tuſſim ſequi, ſed luxationem vertebrarum potius antecedere, & illos affectus inducere, compreſſione pectoris, quamvis dislocatio iſta in principio non ſtatim percipiatur, ſed demum poſt aliquod tempus, tumore manifeſto ſe prodat. Ubi vero luxatio thoracis oſſium tanta eſt, ut in infantia jam Aſthma & tuſſim producat, ibi malum cum annis incrementum ſumit, taleſque raro annos pubertatis attingunt vel ſuperant, quia vitium pulmonis, cordis, & ipſa Phthiſis communiter accedit, quæ pueros ſeneſcere non permittit. Nihilo tamen ſecius ab Aſthmate aut potius labore, conatu, tenſione & torſione varia thoracis, in reſpiratione, propter Aſthma præſens, adhibita, diſlocationem oſſium thoracis fieri poſſe, probat noſter caſus, quo ſternum in orthopnœa ad interiora tractum fuiſſe, demonſtravimus. Quis igitur, hoc in infantibus tenerioribus contingere poſſe, dubitabit? In noſtro tamen nulla conjuncta eſt dislocatio vertebrarum ſeu gibboſitas, ſed vertebrarum dorſalium ſitus eſt æqualis & naturalis, ſolæ coſtæ a ſubſidentia & inclinatione ſterni ad latera preſſæ, & ſpuriæ extrorſum actæ deprehenduntur, in hypochondriis, a diaphragmate cum viſceribus abdominis ad inferiora nimium propulſo. Plura quo minus hic addamus, impedit temporis anguſtia, quamobrem in præſenti huic tractationi impoſitus ſit.

FINIS.

XLIX.

J. HENRICI SCHULZE

ET

CAROLI AUGUSTI SCHRÖTER

DISSERTATIO SISTENS

ÆGROTUM ASTHMATICUM USU RADICIS SCILLÆ SUBLEVATUM.

Halæ 1735 menſ. Sept.

PROOEMIUM.

Mihi, quodnam Diſſertationis Inauguralis argumentum eligerem, meditanti; illud viſum fuit optimum, quo caſum medicum per ſuas cauſas explicarem. Quum enim in eo ſim, ut auſpice divino numine, praxin medicam adgrediar, & ſic ea, quæ a meis Præceptoribus, e quibus Illuſtrem Virum, Fridericum Hoffmannum, *Patronum ad cineres uſque colendum, maxime veneror, didici, ad ægrotantium adplicem emolumentum: conſultum fore duxi, ut tentarem, num generalem, quam de morbis hauſi cognitionem, ad ſpeciales ipſe adplicare valerem caſus. Adii igitur Illuſtrem Virum, & ab eo, conatibus meis annuente, caſum mox recenſendum accepi. In quo explicando ea ſum uſus methodo, quæ viſa fuit accommodatiſſima: neque enim eam pro demonſtrativa illa, hodie tam celebri, venditare auſim, ne ſummum demonſtrandi rigorem, in morborum explicatione vix ſemper adplicabilem, forſan minus obſervans, cenſuram incurrerem. Bono itaque cum Deo opus adgredior, lectoremque rogo, velit benevolum de meorum laborum primitiis ferr judicium, & ſi quædam occurrerint, eruditæ & eleganti minus ſapida linguæ, ea in bonam interpretari partem.*

HISTORIA MORBI.

Vir quinquagenarius temperamenti ſanguinei, ſartorio addictus opificio, animi adfectibus, maximeque iracundiæ, nimis obnoxius; diæta lauta ac irregulari, vino rubro vulgari, & fumo tabaci ultra modum uti ſolitus, ſedecim abhinc annis ex hæmorrhoidibus, præſertim cœcis, multa ſenſit incommoda. Quæ moleſtia poſtquam ſenſim evanuit; factum eſt, ut ſpirandi difficultate, poſt corporis motum ingraveſcente; & cum auditu difficili ſtipata, corriperetur, eaque per aliquot annos, ceterum bene ſeſe habens, vexaretur. Continuantibus in hoc rerum ſtatu quotidianis ferme mentis perturbationibus, victuque irregulari, tandem reſpirationis anguſtia tantas ſumſit vires, ut cum ſumma præcordiorum anxietate per intervalla, quin in ipſas aliquando erumperet convulſiones, omnique fere ſomno privaret oculos. Neque enim in lecto ſupinus, neque in dextro præſertim latere abſque ſuffocationis metu decumbere valebat æger; ſed in paroxyſmo ſomnum non niſi in ſella, capite prono, erectoque pectore ſedens capere cogebatur: nec hoc ſatis delectabatur; quippe ſi per unum alterumve horulæ quadrantem dormiverat, ſubito expergefactus ſuffocari videbatur, tumque ſurgens & per cubile diſcurrens ſpiritum anhelabat anxius. Accedebat etiam œdematoſus pedum circa malleolos tumor;

& ſub hoc auditus gravitas penitus evaneſcebat. Conſulti medicorum bini multa moliebantur, variaque ordinabant medicamina: cumprimis eorum alter, quum ægro ſanguinem, qui ſpiſſus admodum ac viſcidus erat, e vena in pede aliquoties detrahendum curaſſet, ſolam humorum dyſcraſiam & aſthma tantum pectorale, pulmonum vitio innixum ſubeſſe ratus, præter varios pulveres pectorales, & infuſa theiformia ordinavit mixturam ex elixirio prop. parac. eſſ. lignorum, liquiritiæ, ſpirituque ſalis ammoniaci aniſato conflatam. Quæ cum votis minus reſponderent, tertius in auxilium vocatus medicus ad aſthma flatulento convulſivum reſpexit, idque a ſuppreſſo vel non rite ſuccedente hæmorrhoidum fluxu derivavit. Pugnavit igitur reſolventibus cum diſcutientibus & antiſpaſmodicis remixtis; veluti erant mixturæ ex arcano tartari, eſſentia gummi ammoniaci, pimpinellæ, helenii, ſpiritu ſalis ammoniaci, & extracto caſcarillæ concinnatæ; pulveres ex ſalibus aperitivis, antimonio diaphoretico, atque cinnabari confecti; hiſque mannata interponebat laxantia. Inde quidem aliquod mali ſecutum eſt levamen; id vero breve. Quare conſulturus negotio hæmorrhoidali, pilulas dedit Beccheri balſamicas; quibus vel unica vice ſumtis præter ſpem eruperunt hæmorrhoides, perque decem dies, reddito valde atro & viſcido cruore, promanarunt. Verum ſymptomatibus nullum hinc acceſſit allevamentum; tantum abeſt, ut potius ciborum adpetentia prorſus dejiceretur, ſomnus oculis eriperetur, pedum tumor increſceret, & ad ipſum ventrem aſcenderet, urinæ redderentur parciores, vires mirum in modum proſternerentur, & aſthma ad metum ſuffocationis invaleſceret. Quo in rerum ſtatu medicus conſilii inops, & de infauſto eventu veritus, adhuc ſquillæ radicis meminit, eamque cum radice vincetoxici permixtam, ex juſculo ægrotanti dedit. Hic, ea ſumta, lecto ſe commiſit, & præter ſpem ſomnum ſupinus per tres fere horas cepit; quo antea vix ſedens, vixque per quadrantem horæ frui potuit. Quare expergefactus alteram adhibuit pulveris doſin, indeque tribus rurſus horis ſupinus dormivit; nec, cum evigilaret, habuit, ut de ſpirandi anguſtia aut alio quodam ſymptomate conquereretur. Hinc lætiſſimus tertiam aſſumſit portionem; & inde leviori correptus nauſea, evomuit inſignem muci viſcidi ac tenaciſſimi quantitatem, eo effectu, ut diebus abhinc quatuordecim ab omnibus liber ſymptomatibus, in publicum rurſus prodire, ſuiſque fungi potuerit officiis. At vero multis mœroribus, iracundiæ, curiſque domeſticis implicitus, ſenſim in priores recidit affectiones, eadem ac antea ferocitate adfligentes. Clyſteres bis vel ter quotidie infuſi levabant quidem, ſed non tollebant malum; mannatæ potiones & Becherianæ pilulæ ne quidem movebant amplius alvum; hæmorrhoides mox profluebant, mox iterum ſilebant; tumor pedum revertens ad abdomen uſque aſcendebat; & demum apoplecticus inſultus, cum relicta linguæ lateriſque dextri reſolutione, accedebat. Hac per convenientes medicinas brevi tempore feliciter debellata, remanebat tamen aſthma cum reliquis ſymptomatibus,

mul-

multamque figebat crucem. Omnibus fruſtra uſurpatis, ventum denuo eſt ad pulveris ſquillitici uſum, ex quo, mirum dictu! intra paucos dies omnes abigebantur moleſtiæ, perfectaque redire videbatur ſanitas. Sed nec hac diu gaudere licebat; ſiquidem paucis poſt hebdomadibus priſtina ludi cœpit ſcena: quæ tamen tertia vice ſupradicto pulvere tam feliciter finiebatur, ut æger egregia gauderet ſymptomatum vacuitate. Verum anguis ſemper ſub herba latebat; namque ſanitas cum recurrente aſthmate alternabat, & hoc nominato remedio ſemper expugnabatur. Invadebant inſuper per intervalla acceſſiones apoplecticæ leviores, quas venæſectio ſtatim profligabat: ſed corporis totius ſenſibilitas ſimul increſcebat adeo, ut tandem nulla remedia, nec leniſſima temperantia, abſque præcordiorum inſigni ſumere potuerit anxietate; niſi quod ſquilla ſacra ſemper fuerit anchora, nullaſque moverit moleſtias. Denique cum vita mœrorum ærumnarumque plena continuaret, nec remedia ad exſtirpandum prorſus malum præſcripta convenienti adhiberentur ordine, accidit, ut paralyſi lateris ſiniſtri rurſus percelleretur, ſub qua aſthma prorſus remittebat, ſed ſoporoſi quid, cum pulſu magno & pleno aderat, & pungitivi hypochondrium ſiniſtrum obſidebant dolores. Medicus ſuadebat venæſectionem; ſed quum ea omitteretur, paucis poſt diebus æger attonitus exſpirabat. Ceterum notabile eſt, per totum hujus morbi decurſum pulſum intermittentem ac cordis palpitationes nunquam adfuiſſe.

RESOLUTIO.

§. I.

QUi ſunt temperamenti ſanguinei, apti ſunt præ reliquis ad fovendam ſanguinis & humorum adundantiam.

SCHOLION.

Sanguineorum proclivitatem ad fovendam humorum abundantiam ex ipſa corporis ſtructura licet demonſtrare. Sanguinei quippe dicuntur, qui corporis habitu ſpongioſo, fibris ac venis mediocriter laxis, hiſque exilibus quidem, ſed valde copioſis ſunt inſtructi. vid. Illuſtr. *Hoffmannus Phyſiol. pag.* 438. §. *6.* Laxum autem corpus plus humorum fovere poteſt quam ſtrictum; quoniam laxa vaſa irruentibus ſuccis non adeo reſiſtunt, quam ſtricta. Deinceps per laxas venas tardius movetur ſanguis; hinc minor hujus attritus, conſequenter parcior ejus per tranſpirationem, aliaſque excretiones, conſumtio; & inde major accumulatio. Denique in ſanguineis mens obſervatur indolens, tranquilla, & a curis libera: præſen-

ſente vero tali mentis conditione , omnes corporis functiones , ideoque etiam ſanguificatio optime ſuccedunt ; motus vitales exercentur moderate, conſequenter minus attenuantur humores , ſed increſcendi amplam habent occaſionem.

§. II.

Sanguinei, ad fovendam humorum abundantiam, quæ medicis plethora audit , idonei , hanc actu ſibimet contrahunt, ſi nimis indulgent cauſis plethoram generantibus ; veluti ſunt diæta lauta , vita otioſa , ætas media, & id genus alia.

SCHOLION.

(1) Sub lauta diæta illum intelligimus victum ; ſi alimenta, præſertim eupepta , quæ levi negotio in perfectum ac copioſum chylum commutantur, quantitate juſto majori comeduntur. Quantitas cibi aſſumendi adcurate quidem determinari nequit ; attamen egregia veterum medicorum eſt regula : *ne ad ſatietatem uſque comedamus.* Quantitate vero juſto majori aſſumtos cibos dicimus , quando vires animi & corporis inde non reficiuntur, ſed opprimuntur. Opprimuntur ſcilicet corporis vires , quoniam plus chyli, quam ad nutriendum corpus requiritur , pluſque ſanguinis , quam ad vegetam ejus circulationem opus eſt , generatur. Sanguinei vero dum voluptati gulæque nimium ſolent indulgere ; ideoque ciborum quantitatem juſto majorem aſſumere, ex hoc etiam fundamento facile fiunt plethorici.

(2) Vitam otioſam agere dicimus hominem, qui motus corporis voluntarios parcius exercet, quam aſſumtorum quantitas alimentorum requirit. Quemadmodum vero corporis motus, dum partibus ſolidis ac muſculoſis robur addit, & ſanguinis vegetiorem per vaſa circumvectionem, majorem attritum , & per poros cutis imminutionem juvat, plethoræ remedium eſt: ſic idem intermiſſus, vel non ſufficienter inſtitutus, contraria efficiendo, ad generandam contribuit plethoram.

(3) Ætas media vocatur ea, in qua omnes corporis partes ad convenientem longitudinis dimenſionem pervenerunt , adhuc tamen ſatis ſunt flexiles , & ad fovendos circumagendoſque ſuccos habiles : velut eſt ab anno 25. ad Lmum & ultra. Ætatis dictæ homines , ſi eandem alimentorum menſuram retinent, qua adhuc juniores , & dum corpus creſceret, uſi fuerunt , neceſſario fiunt plethorici : ille enim chylus , illeque ſanguis, qui antea in corporis quoad longitudinem augmentum , impendebatur, jam ſupereſt & abundat.

§. III.

§. III.

Ægrotus noſter fuit temperamenti ſanguinei, ætatis mediæ, lautam amavit diætam, vitamque otioſam: ergo fuit plethoricus.

SCHOLION.

Si ætatem ægrotantis mediam vocamus; non eam ſolum intelligimus, in qua, dum noviſſimo percelleretur morbo, vixit; ſed ad eam potiſſimum referimus, ubi male habere, & hæmorrhoidibus vexari cœpit. Otioſam ejus vitam colligimus ex opificio, cui addictus fuit, ſartorio; cum quo ſufficiens corporis exercitium haud conjunctum eſſe ſolet.

§. IV.

Sanguinei, iique plethorici, inclinant ad ſanguinis excretiones criticas; eaſque, accedentibus præſertim hæreditaria diſpoſitione, diæta regulari, & abſtinentia ab animi adfectibus, non ſine inſigni ſanitatis emolumento ſolent experiri.

SCHOLION.

Sanguinis excretiones ſive hæmorrhagias criticas dicimus, quæ ſponte, ob ſolam ſanguinis ſeroſioris redundantiam, per loca convenientia, legitima quantitate fiunt. Loca convenientia pro ætatis & ſexus ratione variant; in fœminino enim ſunt uterus, in virili autem & quidem juniori nares, adultiori inteſtinum rectum. Legitima quantitate factam ſanguinis excretionem credimus, ſi poſt eam corporis & animi vires reficiuntur. Sanguinei & ſimul plethorici fovent ſanguinis magis ſeroſi abundantiam: Ill. *Hoffm. Syſt. P. IV. T. II. Prol.* §. 8. vaſa & fibræ eorum laxe cohærent: *Id. Phyſiol. p.* 438. §. 6. Ergo præ aliis ad excretiones ſanguinis criticas inclinant. Præterea vero ad horum legitimum ſucceſſum requiruntur (1) hæreditaria diſpoſitio: per experient. vid. Ill. *Hoffm. Syſt. Part. III. pag.* 204. §. 13. *P. IV. T. II. Prol.* §. 6. quæ conſiſtit in certa vaſorum & partium ſolidarum ſtructura, ad hæmorrhagias proclivi; nobis autem ob ignoratam minimorum fabricam ignota. (2) Diæta regularis, ſub qua hoc loco præſertim intelligimus convenientem corporis motum, & in cibis pariter ac potibus, iiſque accommodatis aſſumendis mediocritatem. Cibi ac potus, prout cuivis ætati ac temperamento ſint accommodati, ideoque ſalubres, fuſius docet *Illuſtr. Hoffman* in *Hygieine.* Requiritur talis diæta ad criticas ſanguinis excretiones; propterea quod per eam ſanguinis fluxilitas, & ad excretionem habitudo conſervatur: ſpiſſi enim vel impuri cruoris ex-

cretio fit difficilius, & plerumque ſymptomatice. (3) Abſtinentia ab animi pathematibus; quibus nimirum & ſolidæ partes vel debilitantur, vel ad ſpaſmos incitantur, & fluidæ in motu regulari turbantur.

§. V.

Ægrotus noſter non habuit nativam ad hæmorrhagias criticas diſpoſitionem, & uſus eſt diæta irregulari, animique indulſit affectibus: ergo non potuit legitimum hæmorrhagiarum criticarum experiri ſucceſſum.

SCHOLION.

Nativa diſpoſitio ſe exſerit per effectum, & in hoc quidem paſſu eam ſignificare ſolent, primum narium hæmorrhagiæ, in pueritia ac juventute evenientes; tum hæmoptyica molimina, adoleſcentibus familiaria, & denique in virili ætate hæmorrhoides rite fluentes; *per exper. vid.* Hoffm. *Syſt. Tom. III. p.* 203. §. 11. Neutrum omnium in præſenti caſu fuit obvium: ergo nec diſpoſitionem nativam ſuſpicari licet; nec, hac quamvis præſente, optatus evenire potuit effectus. Indulſit enim animi adfectibus, & diæta uſus eſt irregulari; in qua præſertim taxamus (1) nimium potum vini rubri vilioris. Hoc enim adſtrictivam vim in ventriculo & inteſtinis ſolet exſerere, quam horum atonia ſequitur, & deinceps multas craſſiores, terreſtres, ac vaporoſas fovet particulas, quæ ad humorum craſſitiem, & ſolidorum debilitatem diſponunt. (2) Abuſum fumi tabaci. Hæc enim herba principio vaporoſo ſolida debilitat, ſale vero volatili acri humores valde commovet.

§. VI.

Qui otioſam in luxu agunt vitam, adſtringentibus abutuntur, animique pathematibus indulgent, ii vim ventriculi ac inteſtinorum concoctricem debilitant.

SCHOLION.

Vim ventriculi ac inteſtinorum concoctricem vocamus, alternantem illum conſtrictionis & dilatationis motum, qui a ſummo œſophago incipiens per totum ventriculi ac inteſtinorum volumen progreditur, & audit periſtalticus. Hujus motus vigor dependet a debita tenſione fibrarum canalem iſtum alimentarem cingentium, quæ a medicis etiam earum elater, tonus ſeu robur adpellatur, & a convenienti ſanguinis tenuioris arterioſi propulſione fovetur. Hæc tenſio ſi minuitur, periſtalticus motus ſuccedit languidior, & ſic atonia inteſtinorum oritur, ſeu, quod idem eſt, vis eorum con-

concotrix debilitatur. Jam vero (1) cum motus corporis robur addat partibus ſolidis, & ſanguinem per eas vegetius propellat (*vid.* §. 2. *Schol. n.* 2.) ſequitur, quod vita otioſa robur inteſtinorum debilitet. (2) Alimenta & potulenta ultra modum aſſumta nimis diſtendunt parietes ventriculi & inteſtinorum; hi ultra ſphæram elaſticitatis diſtenti, debitam vim ſeu tenſionem alimentis ſubigendis reſiſtendi amittunt; cujus amiſſione debilitatur vis concoctrix: ergo nimia ciborum repletio, quam nomine luxus in theſi ſignificamus, vim concoctricem debilitat (3) Animi pathemata vel debilitant partes ſolidas, maximeque canalem alimentarem, vel ſpaſmum i. e. tenſionis fibrarum naturali majus augmentum producunt, (*vid.* Hoffm. *Phyſ. p.* 89. §. 11.) quod idem faciunt adſtringentia: omnem ſpaſmum ſequitur partis affectæ atonia; *Hoffm. Syſt. T. II. p.* 81. §. 31. Ergo animi pathemata, & adſtringentium abuſus, vim concoctricem debilitant.

§. VII.

Qui atonia ventriculi & inteſtinorum ſunt affecti, ſimulque plethorici; facile ſanguinis in venis inteſtinorum patiuntur ſtagnationem.

SCHOLION.

Cuncta corporis noſtri vaſa tunica muſculari ſunt prædita, cujus ope pollent elatere, & vi contenti ſanguinis reſiſtunt. Adjuvatur hæc vaſorum reſiſtentia ab ipſis partibus, per quas tranſeunt, ſive ſint membranaceæ (*vid.* Hoffm. *Phyſ. p.* 108. §. 13. ſive muſculoſæ (ibid. §. 16.) Si potentia movens eadem eſt, fluida in eas partes copioſius ruunt, quæ minorem habent reſiſtentiam: (per leg. *hydr. Hoffm. l. c.* §. 27.) In debilitatis vero inteſtinis minor eſt reſiſtentia; ergo in ea copioſius ruunt humores. Ubi minor reſiſtentia, major autem fluidi quantitas adeſt; ibi curſus fit lentior ac tardior: (*Hoffm.* ibid.) tardior ſanguinis copioſioris per vaſa curſus vocatur ejus ſtagnatio: ergo in venis inteſtinorum debilitatorum ſanguinis fit ſtagnatio; quoniam in venis minor etiam in ſtatu naturali eſt reſiſtentia, quam arteriis. Quo major in corpore ſanguinis adeſt copia; eo facilior ejus fit ſtagnatio: ergo plethorici in partibus debilitatis præ aliis patiuntur ſtagnationem.

§. VIII.

Quemadmodum ſtagnatio ſanguinis in venis inteſtinorum generatim longe fit facilius, quam in alia parte: ita ſpeciatim contingit facillime in inteſtini coli & recti venis.

SCHOLION.

Sanguis vi cordis in arteriam aortam pulſus, ex hac in meſentericam ſuperiorem & inferiorem truditur, & harum per totum inteſtinorum volumen diſperſarum ope, cum omnibus inteſtinis communicatur: ex his vero ope ramorum venoſorum, qui omnes ſunt venæ portarum propagines, revehitur in truncum venæ portæ hepar ingredientem. Venæ inteſtinorum reſpectu non modo ad eorum arterias, verum etiam alias corporis venas ſunt ampliores ac capaciores: (*Winslow Anat. Part. III. p.* 519.) fluida vero tardius moventur per vaſa capaciora, quam per anguſtiora (*Hoffm. Phyſ.* §. *no.* §. 17.) Ergo ſanguis per venas inteſtinorum naturaliter tardius movetur; unde etiam redux ex inteſtinis ſanguis actu deprehenditur craſſior. (*Hoffm. Phyſ. pag.* 135. §. 11.) Sanguis in hepar per venam portæ delatus, in eo reſpective tardius movetur, quam in alio viſcere; nam truncus venæ portæ fungitur arteriæ officio, & tamen ſyſtole eſt deſtitutus. Quo tardior in hepate eſt circuitus; eo minus redeuntis in illud recipitur ſanguinis; hinc eo plus remanet in vaſis inteſtinorum venoſis (quod vocatur regurgitatio ſanguinis), quo plus in aliqua parte remanet ſanguinis, eo facilius in ea fit ſtagnatio. Hinc, ſi ſanguis in venis inteſtinorum tardius movetur, & major illius ibi eſt copia; ſequitur, in venis inteſtinorum facillime fieri ſanguinis ſtagnationem. Vena, quæ ſanguinem ex inteſtino colo & recto recipit, vocatur meſenterica minor, ſeu hæmorrhoidalis interna, & ſitum habet perpendicularem: (*Hoffm. Phyſ. p.* 136. §. 15.) Omnis vero fluidorum in linea perpendiculari adſcenſus eſt difficillimus: hinc etiam motus ſanguinis per colon & rectum eſt difficillimus. Ex his omnibus ergo patet, quod ſtagnationes ſanguinis omnium facillime in inteſtino colo & recto fiant.

§. IX.

Stagnatio ſanguinis in ramis venæ hæmorrhoidalis internæ eum parit affectum, quem ſignificamus nomine hæmorrhoidum ſymptomaticarum atque cœcarum.

SCHOLION.

Per hæmorrhoides in genere illa denotatur ſanguinis excretio, quæ ex vaſis in extremitates inteſtini recti explicatis contingit. Hæc vaſa dicuntur hæmorrhoidalia, & dividuntur in externa & interna: illa conſtituit arteria hæmorrhoidalis externa, ex hypogaſtrica enata, vena hæmorrhoidalis externa, ex vena hypogaſtrica oriunda, & per externum ani limbum diſcurrens; hæc ſunt arteria & vena hæmorrhoidalis interna, quarum hæc

a

a vena portæ, illa ex arteria meſenterica inferiori proficiſcitur. Si ex uno horum vaſorum ſanguis actu effluit, ſortitur hæc excretio nomen hæmorrhoidum fluentium: ſi vero non effluit, ſed ſtagnans diſtendit vaſa, eaque reddit varicoſa, emergunt inde hæmorrhoides cœcæ. Sanguis actu rariſſime fluit e vaſis hæmorrhoidalibus externis; (per exper. vid. *Hoffm. Syſt. Tom. IV. P. III. p.* 38. §. 5.) Ergo hæmorrhoides fluentes plerumque fiunt ex vaſis hæmorrhoidalibus internis. Cæcæ hæmorrhoides ſunt varicoſæ diſtentiones vaſorum hæmorrhoidalium, & quidem vel internorum vel externorum; in priori caſu cæcæ internæ, poſteriori cæcæ externæ vocantur. Hæ exterius in ano conſpectui ſe ſiſtunt; illæ altius intra rectum hærent inteſtinum, & ſub alvi depoſitione a præterlabente ſtercore compreſſæ, inſignem exhibent dolorem. Fluentes ſunt vel criticæ, vel ſymptomaticæ: criticas dico, quæ ex minimis arteriæ hæmorrhoidalis internæ ramulis, prope horum cum vena hæmorrhoidali anaſtomoſin, certis temporum periodis, legitima quantitate, abſque ullis vel vix notabilibus moleſtiis, in ſubjectis diſpoſitis (*vid.* §. 4. *Schol*) fiunt. Symptomaticas voco, quæ mox ex arteria, mox vena hæmorrhoidali interna, incerto tempore, vel nimia & excedente, vel parciori quantitate, & in forma ſtillicidii, cum variis doloribus ac morboſis moleſtiis in ſubjectis, quorum inteſtina ſunt debilitata, ac in quorum abdomine circulus ſanguinis eſt irregularis, eveniunt. Criticarum cauſa proxima eſt ſanguinis ad vaſa ſedalia congeſtio: per congeſtionem intelligo ſanguinis ad partem quandam, omni labe vacuam, majorem compulſionem, ope roboris partium nervoſarum aucti eo factam. Symptomaticarum hæmorrhoidum vero cauſa, debetur ſanguinis copioſi ſtagnationi in inteſtino maxime colo & recto; qua horum vaſcula adeo infarciuntur, ut vel in varices abeant & cœcas efficiant hæmorrhoides, vel in extremis tandem dehiſcant, cruoremque effundant. Quod vel ea obſervatio teſtatum facit, qua in eorum, qui hæmorrhoidum fluxu perierunt, corpore, illum venæ hæmorrhoidalis ramum, qui juxta coli tractum ad anum excurrit, triplo naturali majorem ac ampliorem oſtendimus. vid. *Hoffm. Syſt. T. IV. P. II. p.* 89. §. 6.

§. X.

Ægrotus noſter fuit plethoricus (§. 3.) ad legitimum hæmorrhoidum criticarum ſucceſſum haud idoneus, diætaque irregulari uſus. (§. 5.) Ergo ventriculi inteſtinorumque debilitatem ac hæmorrhoides ſymptomaticas atque cœcas pati debuit.

SCHOLION.

Fuiſſe ſymptomaticas, quas toleravit, hæmorrhoides, facile patet non ſolum exinde, quod ad criticas proclivis haud fuerit; ſed etiam, quod

cum iis varia ſenſerit incommoda; quæ tamen a criticis aliena eſſe ſolent. *vid.* §. *præced. Schol.*

§. XI.

Reſtituto ſanguinis, per vaſa abdominis, æquali circulo, inſtauratoque inteſtinorum robore, hæmorrhoidales funditus curari poſſunt moleſtiæ.

SCHOLION.

Sublata cauſa tollitur effectus; ſtagnatio ſanguinis nihil eſt niſi tardior & conſequenter inæqualis ejus circulatio, cauſamque præbet hæmorrhoidum ſymptomaticarum (§. 9. *Schol. fin.*) ergo reddito ſanguinis circulo æquali, & hinc ſublata ſtagnatione, tamquam cauſa hæmorrhoidum, tolli ac curari debent hæmorrhoides. Sicut ad æqualem ſanguinis circulum requiritur ſanguinis juſta quantitas, debita fluxilitas, & conveniens partium ſolidarum robur (per leges hydraulicas, quibus docetur, inter fluidum movendum, & partem moventem, legitimam eſſe debere proportionem) ita in reſtituenda, ſi amiſſa fuit, circuli ſanguinis æqualitate, ad hæc tria reſpiciendum eſt momenta.

(2) Ergo in curatione hæmorrhoidum ſymptomaticarum primum ad quantitatem ſanguinis attendere, eamque in plethoricis, ubi abundat, imminuere decet. Conſequimur hunc finem (1) Venæſectione in pede quidem inſtituenda, ut ſcilicet ventilatio ſanguinis in vaſis partium infernarum eo citius obtineatur. vid. *Hambergeri diſſ. de Venæſectione* §. 36. (2) tranſpirationis augmento, ut nimium ſerum præſertim in ſanguineis, ſanguine ſeroſo præditis, (§. 4. *Schol.*) per cutis poros imminuatur: cui ſcopo præter alia ſubſidia plethoricis convenientiſſima judicamus (*a*) motum corporis moderatum, & (*b*) infuſa theiformia; quoniam utroque ſanguinis fluxilitas, & vegetior circulus ſimul promovetur.

(3) Quo tardius movetur ſanguis, eo fit ſpiſſior; ſub omni vero ſtagnatione tardius movetur; ergo in hæmorrhoidariis, in quibus locum habet ſtagnatio, ſanguis eſt ſpiſſior; ideoque diluendus & fluxilis reddendus. Id præter ſubſidia numero præc. dicta impetramus per ſufficientem potum, cui convenientiſſima cenſemus decocta diluentia præ cereviſiis, niſi hæ tenuiores ſint, & promte per urinam ſecedant.

(4) Si atonia inteſtinorum eſt cauſa ſtagnationis, & ſymptomaticarum hæmorrhoidum; (7.) oportet eam tollere, & inteſtinis robur addere. Potimur hoc fine (*a*) decenti corporis motu (*b*) uſu elixirii balſamico nervini, velut eſt Illuſtr. Præſ. Viſcerale; (*c*) ſi ſordes intra canalem inteſtinorum collectas, eumque gravantes, blando educamus laxante; & (*d*) denique ſi cauſas vitemus, quæ vim concoctricem debilitant, & §. 6. recenſentur.

§. XII.

§ XII.

Quod ſi igitur ægrotus noſter, eo, cum ab hæmorrhoidibus incommoda ſenſit, tempore, poſt præviam, & ſubinde bis quotannis circiter repetitam, venæſectionem corpus probe exercuiſſet, ab animi pathematibus ſibi caviſſet, a vini rubri & nimio Tabaci uſu abſtinuiſſet, victum geſſiſſet ordinatum, pro potu decoctum ex cornu Cervi, radice Scorzoneræ, & ſaſſaparillæ adhibuiſſet, mane infuſum ex herba meliſſæ, floribus tiliæ, corticeque citri bibiſſet; ſub epulis 60. guttas Elixirii viſceralis, & interdum lene laxans mannatum, ſaltem ab aloe liberum, ſumſiſſet: nullum eſt dubium, quin perfectam ſanitatem recuperare, in eaque conſervari potuiſſet.

§. XIII.

Ex ſanguinis ſtagnatione in inteſtinis diutius perſiſtente, horum atonia augetur, & ſpaſmi generantur.

SCHOLION.

Quemadmodum atonia partis ſolidæ ſtagnationem fluidorum poſt ſe trahit (§. 7.) ita viciſſim fluidorum ſtagnatio atoniam ſolidorum & generare & augere valet. Per ſtagnationem enim, tanquam ſanguinis ultra modum accumulati tardiorem per vaſa ſanguinea circuitum, horum latera diſtenduntur & relaxantur; vaſa vero ſanguinea inſtar retis inter tunicas inteſtinorum, maxime nerveam & muſculoſam diſperſa ſunt. (*Garengeot anat. p.* 161. § 35. *& p.* 165. §. 6.) quo ergo magis expanſa ſunt, eo magis expandunt inteſtinorum tunicas, & harum expanſionem ſequitur atonia, vel jam præſens magis augetur. (2) Stagnatio ſanguinis, & inde pendens diſtenſio tunicarum nervoſarum, ſicut ad harum atoniam contribuit: ita eas ad naturali majorem & vi fluidi prementis proportionatam conſtrictionem proritando, earum quoque ſpaſmum generat; veiificante ipſa atonia, quæ ſpaſmi ſæpius eſt cauſa: (*Hoffm. Syſt. Tom. III. pag.* 81. §. 44.) Talem ſpaſmum, qui a ſtagnatione abundantis ſanguinis originem traxit, a repletione proveniſſe dixerunt veteres. Ne vero, dum atoniam & ſpaſmum, tanquam invicem contraria, ab unica cauſa derivantes, contradictionem commitere videamur, ſcire licet, (1) a ſanguinis ſtagnatione in ſubjectis elanguidis atoniam, in junioribus & vegetioribus ſpaſmum pullulare: (*Hoffm. Syſt. T. II. p.* 99. §. 21.) (2) nec niſi in partibus nerveo muſculoſis, velut maxime ſunt inteſtina, ex ea cauſa ſpaſmum gigni; qui in aliis viſceribus, utero, hepate, liene, rarius occurrit. (*Id. ibid. p.* 436. §. 13.) Et ſic per experientiam innoteſcit, Colon potiſſimum ac Rectum inteſtinum ſpaſmis adeo conſtricta fuiſſe, ut nec

nec clyſterem admiſerint, & craſſitie vix medium digitum adæquaverint. (*Id. ibid.* §. 14. *Schol.*)

§. XIV.

Per inteſtinorum ſpaſmos excretio hæmorrhoidalis ſupprimitur; & humores vitales ex toto abdomine majori copia & impetu ad ſuperiora pectoris nimirum vel capitis cavitatem; compelluntur.

SCHOLION.

(1) Spaſmo comprimuntur vaſa humores vehentia; compreſſa vaſa non poſſunt tantum fluidi continere, quantum continent patula; hinc in compreſſis vaſis ſtagnatio locum habere nequit, nam ſtagnatio eſt ſanguinis copioſioris tardior in vaſe quodam curſus. Ubi non adeſt ſanguinis ſtagnatio, ibi ne eſſe poſſunt hæmorrhoides ſymptomaticæ; quoniam hæ nituntur ſtagnatione. (§. 9. *Schol. fin.*) Ubi vaſa comprimuntur, ibi nec datur humorum per ea exitus; hinc nec hæmorrhoides criticæ per vaſa ſpaſmo conſtricta contingere poſſunt: & per conſequens omnis excretio hæmorrhoidalis per ſpaſmos inteſtinorum ſupprimitur. (2) Fluidum multis canalibus contentum, eorum quibuſdam obſtructis vel compreſſis, copioſius ruit ad alios adhuc apertos, & a reſiſtentia liberos (per leg. hydraul. *Hoffm. Phyſ. p.* 115. §. 38. *& ſyſt. Tom. II. p.* 67. §. 4.) A ſpaſmis quam maxime venæ, ob debiliorem reſiſtentiam, compreſſionem patiuntur; (*Id. T. II. p.* 71. §. 12.) venis quibuſdam compreſſis ſanguis copioſius ex anguſtioribus in capaciores ruere debet, quoniam ex capacioribus in anguſtiores, ob interjectas valvulas, regredi nequit. (*Hoffm. Phyſ. p.* 106. §. 10.) Venæ, quo magis a trunco remotæ, eo anguſtiores ſunt (per anat. inſpectionem) truncus venarum capacior eſt ramis; ergo compreſſis ramis, ſanguis copioſius ruit ad truncum. Venarum inteſtinalium truncus eſt vena portæ: ergo compreſſis inteſtinorum venis, ſanguis neceſſario ſurſum verſus venam portæ compelli debet. Ex vena portæ ſanguis ingreditur ramificationes venæ cavæ in hepate; & ex hac in venæ cavæ truncum effunditur, qui perforans ſeptum tranſverſum, dextram cordis auriculam ingreditur, & hujus ope allatum ſanguinem dextro cordi communicat. Quo plus ſanguinis in venam portæ pervenit; eo major ejus copia, durante a tergo affluxu & vi premente, in venam cavam, conſequenter pectus fertur: & hinc patet, quod per ſpaſmos inteſtinorum ſanguis majori copia ad pectus cogatur; id quod etiam ad caput fieri, infra docebitur.

§. XV.

Humores copioſius pectus irruentes, juſto majori quoque copia pulmones

mones ingrediuntur, & faciunt ad difficilem reſpirationem, quæ a motu corporis ingraveſcit, & appellari tunc meretur aſthma ſanguineum ſimplex.

S C H O L I O N.

Sanguis e vena cava cor dextrum ingreſſus, ab hoc conſtricto per arteriam pulmonalem in pulmones effunditur; in iis per arterioſas ramificationes undique diſpergitur; tunc in minimos venarum ramulos tranſprimitur, ab iis in venam pulmonalem, & denique cor ſiniſtrum vehitur. Eadem quantitas, quæ cor dextrum ingreditur, ex hoc in pulmones fertur; hinc ſi copia juſto majori e vena cava in cor dextrum vehitur, juſto quoque majori copia ad pulmones pervenire debet.

(2) In reſpiratione, & hujus priori actu, qui vocatur inſpiratio, aër atmoſphæricus per aſperam arteriam, ejuſque ramos, per totum pulmonem ſub nomine bronchiorum diſperſos, in veſiculas ſeu cellulas ſub dilatato pectore pulmoneque recipitur; & has cellulas undique expandit æqualiter. (*Hoffm. Phyſiol. L. I. Cap. VII.*) Si cellulæ non undique ſufficienter expanduntur, ſenſus reniſus in pectore percipitur; unde ſpirandi difficultas naſcitur, quæ generali nomine aſthma nominatur. Aſthma igitur eſt ſenſus reniſus in pectore ſub inſpiratione perceptus, a cellulis pulmonum aëre non undique ſufficienter expanſis formatus.

(3) Cellulæ iſtæ a quacunque cauſa, vin aëris irrumpentis ſuperante compreſſæ, non poſſunt ſufficienter expandi; ideoque tunc efficiunt aſthma. Vaſa pulmonum ſanguinea cellulas undique ambiunt; (*Hoffm. Phyſ. p.* 122. §. 15.) & ſanguine ultra quantitatem naturalem infarcta, cellulas comprimere poſſunt. Quando ſanguis juſto majori copia pulmones ingreditur; vaſcula pulmonum ultra quantitatem naturalem infarcit: Ergo ſanguis juſto majori copia pulmones ingreſſus, aſthma producit.

(4) Per corporis motum ſanguinis circuitus fit velocior (*Hoffm. Phyſ. p.* 496. §. 3. *&* 4.) Ergo etiam e corde in pulmones intenſior. Quo plus ſanguinis in pulmones ingreditur, eo gravius fit aſthma: ſed ſub circulo ſanguinis velociori, qui per motum fit, plus ſanguinis pulmones ingreditur; ergo ſub motu corporis aſthma fit gravius.

(5) Aſthma, quod a ſola ſanguinis quantitate, copiaque juſto majori pulmones irruente, proficiſcitur, vocamus ſanguineum ſimplex. Hoc leviſſimum aſthmatis genus eſt, & familiare deprehenditur obeſis atque plethoricis, maxime ſi corpus movent, vocaturque etiam diſpnœa (*Hoffm. Syſt. T. IV. P. III. pag.* 315. §. 3.) Dicimus illud ſanguineum ſimplex, ut diſtinguatur a ſanguineo ſpaſmodico; quod deſcribit *Illuſtris Hoffm. loc. cit.* §. 10.

§. XVI.

Humores ob abdominis ſpaſmos copioſius ad caput compulſi, & in

membrana internos auris meatus cingente ſtagnantes; auditum reddunt difficilem.

SCHOLION.

(1) Sanguis copioſus in pulmones actus, cor quoque ſiniſtrum copioſior ingreditur; nam in pulmonibus citra ſanitatis labem manere nequit. E corde ſiniſtro pelletur in aortam, perque hanc deſcendentem ad omnes corporis inferioris partes, per arterias vero carotides, ex aorta reſultantes, ad caput vehitur. Regula eſt hydraulica, quod fluida in eum locum copioſius ruant, ubi minor eſt reſiſtentia; contra parcius, ubi vis reſiſtens major eſt. Quando vaſa inteſtinorum arterioſa ſpaſmos ſunt compreſſa, præbent curſui ſanguinis naturali majorem reſiſtentiam; ergo minor ſanguinis quantitas ad abdomen poteſt pervenire. Contra arteriæ carotides, quæ ſanguinem ad caput vehunt, antequam calvariam ſubeunt, craſſiores deponunt tunicas, & ex tenuioribus tantum, more venarum, ſunt contextæ; (*Hoffm. Phyſiol. p.* 132. §. 4. *Schol.*) ergo in iis minor eſt reſiſtentia, & per conſequens major ſanguinis appulſus.

(2) Sanguis ex capite redux per venas jugulares in dextram auriculam deſcendit; nec aliam ſuæ directioni contrariam vim ſentit, quam ſanguinem ex aliis venis, ut cava, in eandem auriculam decurrentem. (*Hamberger diſſert. de VSne pag.* 20. §. 39.) Venis inteſtinorum ſpaſmo compreſſis major ſanguinis copia per venam cavam cordis dextram ſubit auriculam: (§. 14. *Schol.* 2.) ergo majorem præbet reſiſtentiam ſanguini per jugulares deſcendenti. Jugulares carent valvulis, adeoque fovendo ſanguini, eique retropellendo ſunt aptiores: Si igitur habent reſiſtentiam, & per arterias carotides major ad caput fit affluxus (no. præc.) ſequitur, quod venis imi ventris ſpaſmo conſtrictis, humores copioſius ad caput poſſint compelli.

(3) Auditus ſedes primaria eſt membrana illa ſubtiliſſima, a portione paris nervorum ſeptimi, auditorii dicti, molli producta, quæ auris internæ cavitates, fornices ac labyrinthos inveſtit. (*Hoffm. Phyſ. p.* 292. §. 28.) hæc membrana innumeris conſita eſt vaſculis; (*Winslow Anat. P. IV. p.* 348. §. 408.); ſtagnantes in hac membrana ſucci, illius tonum labefactant (§. 13. *Schol.*) Quo plus laxatæ ſunt membranæ, eo hebetior eſt ſenſus: *Hoffm. Phyſ. p.* 281. §. 9.) Hinc a copioſiori ſanguinis ad caput impulſu, ejuſque in aure ſtagnatione, oritur auditus hebetior ſive difficilis.

§. XVII.

Quum in noſtro ægrotante, a ſanguinis ſtagnatione in inteſtinis diutius perſiſtente, ſpaſmi inteſtinorum produci debuerint: (§. 13.) non mirum eſt, quod moleſtia hæmorrhoidalis in eo ſponte evanuerit (§. 14.) &

& ſubinde aſthma ſanguineum, a motu corporis ingraveſcens (§. 15.) cum auditu difficili (§. 16.) acceſſerit.

SCHOLION.

Quum in præſenti caſu ſtagnatio inteſtina occupavit (§. 10.) & æger juvenis ac vegetior fuit: facile patet, cur a tali ſtagnatione ſpaſmi inteſtinorum produci debuerint. (§. 13. *Schol.* 2.)

§. XVIII.

Quum cauſa aſthmatis ſanguinei & auditus difficilis ab humoribus, propter abdominis ſpaſmos ad ſuperiora compulſis, ſit arceſſenda; ſequitur, ſedatis & curatis ſpaſmis, ea vitia funditus debellari.

SCHOLION.

Spaſmi ſedantur tuto (*a*) per antiſpaſmodica, nitroſa & blanda anodyna, (*b*) clyſteres emollientes, (*c*) pediluvia. Sed dum ſpaſmi ſedantur; non ſimul curantur. Sicut enim curare generatim nihil eſt, niſi morborum cauſas tollere: ita ſpaſmos curare nihil aliud involvit, quam eorum cauſas tollere. Cauſæ vero ſpaſmorum in præſenti caſu ſunt ſanguinis ſtagnatio (§. 13.) hinc ſpaſmos hos curaturum oportet ſanguinis ſtagnationem tollere, juxta methodum §. 11. traditam.

§. XIX.

Si igitur ægrotus noſter, tum temporis, quo aſthmate ſanguineo audituque difficili laboravit, præter ea, quæ §. 12. ſuaſimus, pulveres temperantes nitroſos, & liquorem anodynum Illuſtris *Hoffmanni* nonnunquam ſumſiſſet, veſperique pedes in tepida pediluvia immiſiſſet: facili negotio integræ reſtitui potuiſſet valetudini.

§. XX.

Si motus ventriculi & inteſtinorum periſtalticus eſt languidior, omnes quoque earum partium functiones langueſcunt; hinc multæ ſordes & flatus in iis colliguntur, & humores demum vitales ſpiſſi redduntur ac impuri.

SCHOLION.

Functiones ventriculi ac inteſtinorum ope motus potiſſimum periſtaltici peraguntur, quippe qui adjuvat aſſumtorum concoctionem, (*Boerhave*

inſt. med. §. 83.) eorundem per inteſtina propulſionem, & Chyli in vaſa lactea ſeceſſionem (*Hoffm. Phyſ. p.* 194. §. 15. & 24.) ſubſtantiæ vero craſſioris, terreſtris, mucidæ, bilioſæ &c. ex alimentis relictæ, quæ nomine fæcum venit, per alvum excretionem (*Id. ib. p.* 203. §. 13.) Quodſi igitur motus ille periſtalticus, tanquam inſtrumentum, languet; omnes hæ functiones langueant, neceſſe eſt. Hinc ob languentem alvi excretionem ſordes remanent intra canalem alimentarem. At ventriculus, duodenum & colon, ob innumeras plicas ac anfractus, quibus præ reliquis inteſtinis pollent, præ reliquis etiam ad fovendas illas ſordes ſunt idonea: (*Hoffm. Syſt. T. II. p.* 117. §. 12. *Schol.*) Ergo in iis facillime ſordes obhæreſcunt. Mucidæ ac viſcidæ ſordes calori, qualis in ventriculo ac inteſtinis eſt, expoſitæ, reſolvuntur in tenues halitus, quos vocamus flatus: (*Hoffm. med. Syſt.*) ergo languente periſtalſi ſordes ac flatus in primis viis generantur.

(2) Si ſordes diutius ſub alvo ſegniori in inteſtinis commorantur; per experientiam docemur, fæces tum eſſe exſuccas, aridas, fœtoris expertes: unde concludimus, fœtidum illum liquorem, qui ordinario excrementis immixtus eſt, per vaſa lactea, facta ſcilicet ſub alvi difficiliori egeſtione majori inteſtinorum ſtrictura, ad ſanguinem tranſiiſſe; uti *Hoffmannus Phyſ. p.* 201. §. 6. experimento *Hombergii* illuſtrat. Si partes craſſæ, impuræ, bilioſæ &c. ad humorum maſſam perveniunt; humores redduntur craſſi ac impuri, ergo, periſtalſi languente, humores generantur impuri.

§. XXI.

Ventriculus flatibus expanſus, inſignem ſpirandi difficultatem poſt ſe trahit; quæ vocari ſolet aſthma flatulentum.

SCHOLION.

Quando inferiora inteſtina, veluti Colon, ſpaſmis coactantur, non tranſmittunt flatus: ſicut videmus in hypochondriacis, flatus excernere haud valentibus. Hinc præcluſo inferius exitu, ad ſuperiora aſcendunt, ipſumque ingrediuntur ventriculum. Quodſi forſan accidit, ut ſuperius ventriculi orificium quacunque de cauſa ſpaſmo ſit conſtrictum, impeditur flatuum per os eruptio, quæ ructuum venire ſolet nomine. Nullibi igitur exitum invenientes, incarcerantur quaſi in ventriculo, eumque magnam & ſæpe immenſam in molem expandunt; unde oritur ſenſatio, quam præcordiorum dicimus anxietatem. (*Hoffman. Syſt. T. III. p.* 168. §. 55.)

(2) Ad reſpirationem requiritur pectoris dilatatio; quæ præcipue juvatur per diaphragmatis fornicati expanſionem in figuram planam. (*Hoffm. Phyſiol. p.* 120. §. 6. *Schol.*) Si diaphragma in planam figuram explicari nequit;

nequit; pulmones, aut potius veſiculæ illorum, ab aëre, reſiſtentiam inveniente, non poſſunt undique expandi; unde ſuboritur aſthma (§. 15. *Schol.* 2.) Ventriculus flatibus expanſus reſiſtit reductioni diaphragmatis ad figuram planam; ergo contribuit ad aſthma: quemadmodum teſtantur & ii, qui nimium ciborum aſſumſerunt, & inde ſpiritum difficulter trahunt. Tale aſthma dicitur flatulentum.

§. XXII.

Ventriculus ſaburra acri viſcida obſeſſus, flatibuſque vellicatus, ſpaſmodicas patitur conſtrictiones; quas vi conſenſus nervorum ad vicinas partes, maximeque diaphragma, & reſpirationi dicata organa, propagat; atque tunc excitat aſthma, quod vocatur ſpaſmodicum.

SCHOLION.

Omnes nervoſæ corporis noſtri partes magnum invicem alunt conſenſum, adeo ut una affecta plures afficiantur: (*Hoffman. Syſt. Tom. III. p.* 82. *ſqq.*) imprimis ventriculus cum omnibus nervoſis partibus, *ibid.* §. 15.) & ſpeciatim diaphragmate & pulmonibus, arctiſſimum fovet connubium (*ibid.* §. 28.) Nam pulmones, diaphragma & ventriculus nervos ſuos a pari vago, & nervo intercoſtali mutuantur. Ergo conſtricto ventriculo facile & diaphragma, & nervoſæ membranoſæque partes conſtringi poſſunt; unde aër non ſufficiens in veſiculas pulmonales admittitur, & hinc ſuboritur aſthma; quod, accedente ventriculi a flatibus expanſione, vocatur ſpaſmodico flatulentum. (*Hoffm. Syſt. Tom. IV. P. III. p.* 321. §. 11.) Hæc ita contingere poſſe, confirmat inter alia obſervatio, quam *Raygerus M. N. C. dec. I. ann. IV. obſ. XI.* inſeruit, quod femina per triennium aſthmate periodico vexata, poſt mortem nihil in pectore ac pulmonibus vitii exhibuerit, ſed nullam, præter calculum in veſicula fellea, oſtenderit mortis, & per bonam conſequentiam, prægreſſi aſthmatis cauſam: quod ſcilicet procul dubio ſpaſmo viarum biliferarum per conſenſum ad diaphragma propagato, ſuos debuit natales.

§. XXIII.

Circa flatulento-ſpaſmodicum aſthma obſervamus; (1) quod per intervalla remittat, (2) quod cum ſumma præcordiorum anxietate, & ſuffocationis metu ſit conjunctum, (3) quod ſomnum oculis omnem eripiat; & (4) quod a ſupino corporis ſitu mirum in modum invaleſcat.

SCHOLION.

(1) Omnes motus ſpaſmodici ejus ſunt indolis, ut per intervalla remittant

mittant vel prorſus intermittant (*Hoffm. Syſt. Tom. II. p.* 80. §. 29.) Remittente ventriculi ſpaſmo, & conceſſo ſic flatibus exitu, cauſſa ceſſat aſthmatis ſpaſmodico-flatulenti. Si omnes ſpaſmi per intervalla remittunt; remittit quoque ſpaſmus ventriculi: Ergo aſthma flatulento-ſpaſmodicum etiam per intervalla remittit.

(2) Unde præcordiorum anguſtia aſthmati noſtro jungatur, §. 21. *Schol.* 1. explicuimus. Metus ſuffocationis oritur, ſi ſanguinis circuitus ex uno cordis in alterum ventriculum retardatur: quo anguſtius pulmonibus ſeſe expandendi relinquitur ſpatium; eo magis circulus ille ſanguinis retardatur: Ergo quo gravius aſthma, eo major oritur ſuffocationis metus.

(3) Quicquid celerem ſanguinis per vaſa cerebri curſum efficit, & fibras in motu & actione conſervat; id continuas inducit vigilias: (*Hoffm. Phyſ. p.* 304. §. 11.) Conſtrictis præcordiis ſanguini a capite ad cor deſcendenti nullus obex eſt poſitus; ille vero ex abdomine redux, ob conſtrictam, quæ diaphragma perforat, venam cavam libere aſcendere nequit; ergo deſcendens per jugularem minorem habet reſiſtentiam. (§. 16. *Schol.* 2.) Ex corde pulſus celerius ac copioſius fertur in Carotides, quam in Aortam deſcendentem, quoniam in hac major eſt reſiſtentia; & hinc per caput etiam celerius movetur. Quum ergo tali ratione in aſthmate noſtro ſanguis per cerebri vaſa celerius fertur: patet, cur in illo ſomnus oculis eripiatur.

(4) Quo major verſus diaphragma eſt preſſio, eo magis ejus explanatio impeditur; eo anguſtius pulmonum expanſioni relinquitur ſpatium, & hinc eo gravius aſthma cum metu ſuffocationis emergit. In ſitu ſupino cuncta abdominis viſcera magis verſus diaphragma premunt; ergo a ſitu ſupino aſthma noſtrum neceſſario invaleſcit.

§. XXIV.

Porro aſthmati ſpaſmodico flatulento, ob retardatum ſanguinis per partes corporis inferiores curſum, tumores pedum imique ventris hydropicos ſupervenire; his vero imminutiorem urinæ fluxum jungi, crebra compertum habemus experientia.

SCHOLION.

Tumor mollis, pallidus, aquoſus pedum & abdominis nomine hydropis aſcitis ſalutatur; quem per factam venæ cavæ prope ſeptum tranſverſum ligaturam protinus generari poſſe, & *Lowerus* oſtendit, & cuivis experiri licet. Ratio in promtu eſt: quanquam enim noſtrum haud ferat inſtitutum, ut generationem hydropis fuſe deſcribamus; paucis tamen annotari licebit, illum ex humorum ſegni per viſcera abdominis circuitu, & in vaſis laxatis reſtagnatione, indeque pendente ſeri per poros ac orificia

cia vaſorum receſſione oriri omnino poſſe. Jam ſi ſanguis ex corpore inferiori, cunctiſque imi ventris viſceribus, ad cor redux, per venæ cavæ ligaturam in ſuo curſu intercipitur, neceſſario in venoſis potiſſimum viſcerum imi ventris vaſis copioſius colligi, hinc ſegnius moveri; ideo in remotiorum partium, uti pedes ſunt, vaſis, deinceps in ipſo abdomine ſtagnare, vel ſeroſam portionem dimittere, & ſic partem in tumorem attollere debet. Quum igitur cauſa hujus hydropis, in ligatura venæ cavæ ſit collocanda; facile patebit, cur idem affectus aſthmati ſpaſmodico superveniat, ſiquidem vena cava, dum diaphragma perforat, hoc per ſpaſmum corrugato, utique anguſtari ſimul atque coarctari debet. Quum vero in hydrope humor ſeroſus in ipſarum partium cavitates copioſius colligitur; non poteſt ſufficienti renes ſubire quantitate, & hinc petenda ratio, cur tumoribus hydropicis urinæ parcior fluxus ſuperveniat.

§. XXV.

Præſentibus pedum ac abdominis tumoribus, frequentius fit, ut morbi capitis ex ſeri receſſione, ſanguiniſque ſtagnatione oriundi, velut eſt auditus difficultas, ſponte ſanentur.

SCHOLION.

Si humores copioſius in vaſis imi ventris colliguntur; parcius eos caput ingredi debere neceſſe eſt. Si parcius caput ingrediuntur; ſtagnatio in vaſis capitis locum habere nequit; nam ſtagnatio eſt ſanguinis copioſioris tardior motus (§. 13. *Schol. I.*). Ergo nec morbi ex ſtagnatione humorum in capite producti locum habent. Auditus difficultas oritur ex ſtagnatione humorum in vaſculis internæ auris. (§. 16. *Schol.* 3.) Ergo auditus difficultas per tumores pedum & abdominis hydropicos depelli poteſt.

§. XXVI.

In ægrotante noſtro ob non latam medelam, periſtalticus ventriculi ac inteſtinorum motus ſenſim languidior fieri debuit. (§. 10. 13.) ergo in aſthma flatulento-ſpaſmodicum incidere potuit. (20-23.) Incidit autem, teſtante morbi hiſtoria, in aſthma, quod per intervalla intermiſit, cum ſumma præcordiorum anxietate & ſuffocationis metu conjunctum fuit, ſomnum oculis ademit, a ſupino corporis ſitu invaluit, ac primo pedum, dein abdominis tumorem, cum parciori urinæ fluxu poſt ſe traxit. Hoc vero aſthma nec pulmonale, nec convulſivum ſtricte ſic dictum, nec ſpaſmodico-cachecticum, nec a cordis polypo, nec a pectoris hydrope ſubortum eſſe potuit: ergo fuit flatulento-ſpaſmodicum.

SCHO-

SCHOLION.

Aſthmatum variæ dantur ſpecies, quas tamen ad duas potiſſimum claſſes redigere licet: aut enim cauſſæ in ipſis ſolum pulmonibus, aut conterminis ſimul hærent partibus. Prioris generis aſthma vocatur pulmonale, & ſuboritur a materia craſſa, ſanguine, pituita, pure, ſcirrho, calculis &c. pulmones obſidentibus: quæ cauſſæ cum ſint continuæ; aſthma etiam, tanquam effectum, oportet eſſe continuum. Præſens autem habuit intermiſſiones; ergo non fuit pulmonale.

(2) Ad aſthmata, quorum ſedes in conterminis pulmoni partibus ſimul hæret, pertinet (a) convulſivum ſtricte ſic dictum, quod a ſpaſmodica ſepti tranſverſi, membranarum cellulas pulmonales, aliaſque partes ſpirationi dicatas cingentium conſtrictione, per materiam ſubtilem ac fere cauſticam, iis partibus incumbentem producta ſuboritur, & excretionum ſeroſarum vel exanthematum ſuppreſſionem ſequitur (*Hoffm. Syſt. T. IV. P. III. pag.* 321. §. 12. & 13. In præſenti caſu nec ſeroſarum excretionum, nec exanthematum ſuppreſſio anteceſſit; ergo præſens aſthma convulſivum ſtricte ſic dictum non fuit. (2) Spaſmodico cachecticum, quod in perſonis cachecticis a retropulſo pedum œdemate, & hinc tranſlato ad ſpirationis organa ſero, naſcitur. (*Hoffm. ibid.* §. 16.) Ægrotus noſter nec fuit cachecticus, nec œdematis præſentia, multo minus retropulſio adfuit: ergo nec ejus aſthma fuit cachecticum. (3) Suffocativum, quod fit vel a cordis polypo, quem deſignant (a) pulſus intermittens, (b) cordis palpitatio, (c) animi deliquium: (*Hoffm. Syſt. T. III. p.* 153. §. 43.) vel a pectoris hydrope, cujus ſigna ſunt tumor pedum ac manuum, aquarum in pectore fluctuatio, tuſſis ſicca, ſerum pellucidum, ſanguine intermixtum, ejiciens &c. (*Hoffm. Syſt. Tom. III. p.* 46. §. 33. *T. IV. P. III.* 326. §. 18.) anguſtia præcordiorum a corporis inclinatione ad anteriora exacerbata. (*Ettmüller Coll. Pract. pag.* 698.) Cuncta vero hæc ſigna in noſtro caſu non fuerunt præſto; ergo nec aſthma noſtrum a polypo cordis, nec pectoris hydrope originem traxit: & cum non dentur aſthmata, quibus §. 23. recenſita ſigna competant; juſtiſſime colligimus, aſthma noſtrum fuiſſe flatulento-ſpaſmodicum, quod partim a flatibus ventriculum diſtendentibus, partim a materia viſcida, acri, plicis ventriculi impacta, & hunc cum connexis partibus ad ſpaſmodicas ſtricturas proritante, ſuos mutuatum eſt natales. Quæ ſententia eo magis veritati videtur conſentanea, cum ex antecedentibus luculentum ſit, haſce cauſas in ægrotante noſtro locum omnino habuiſſe. Non minus patet ex ante dictis, ſymptomata in caſu noſtro obvia accurate ex morbo primario, aſthmate ſcilicet flatulento-ſpaſmodico, derivari poſſe; præſertim incipientem hydropem aſciten, tumore pedum ac abdominis, parciorique urinæ fluxu ſeſe prodentem (§. 24.) & auditus difficilis curationem per ſupervenientem pedum tumorem, (§. 25.).

§. XXVII.

§. XXVII.

Quum convulſiones ex graviori ventriculi ac inteſtinorum ſpaſmo ſubobiri poſſint : clara fit ratio, cur ægrotus noſter complicatas cum aſthmate convulſiones fuerit paſſus.

SCHOLION.

Ex primarum viarum vellicatione atque ſpaſmo convulſiones produci, experientia docet (*Hoffm. Syſt. T. IV. P. III. p.* 62. §. 13.) Cauſa eſt, conſenſus, quem ventriculus ſicut cum omnibus nervoſis partibus, ita etiam membranis ſpinalem medullam cingentibus, quarum ſtrictura parit convulſiones, fovet. (*id. T. III. p.* 97. §. 15.) At in aſthmate flatulento-ſpaſmodico adeſt vellicatio ac ſtrictura ventriculi; (§. 22.) ergo facile accedere poſſunt convulſiones.

§. XXVIII.

Quum præſens aſthma fuit flatulento-ſpaſmodicum; cenſendi ſunt medici, qui illud pro pectorali ac pulmonali habuerunt, & ſolis pectoralibus oppugnaverunt medicinis.

§. XXIX.

Rectius egit, qui a perſpecta ſpaſticarum conſtrictionum, & ſaburræ viſcidæ acris in ventriculo præſentia, dimicavit antiſpaſmodicis & reſolventibus, cum mixtis laxantibus.

SCHOLION.

Non aliæ medenti hoc in caſu ſupereſſe potuerunt indicationes, quam ut demulceret ſpaſticos motus, & horum cauſſam, ſaburram in ventriculo hærentem, corrigeret & evacuaret. Tenax enim ac viſcida materia, firmius ventriculi plicis impacta, abſque reſolventium efficaciorum ope, quæ illam mobilem reddant, ſolis evacuantibus removeri nequit. Quare ſi reſolventia primum adhibita, tantæ fuiſſent efficaciæ, ut mobile reddidiſſent tenax ventriculi coagulum; non dubium eſt, quin aſthma per ſolum eorum, antiſpaſmodicis nuptorum, uſum debellari potuiſſet : quæ ſpes eo majori nititur fundamento, cum in morbi hiſtoria relatum legamus, ægrum ab uſu dictorum remediorum aliquod ſui mali levamen percepiſſe.

§. XXX.

Hæmorrhoidum autem fluor, qui ob magnam ſanguinis in vaſis hæmorrhoidalibus ſtagnationem, ac inteſtinorum inſignem debilitatem, per leviſſimum proritari potuit ſtimulum, malo noſtro levamen ferre nequivit, eo, quod tollendæ iſtius cauſſæ minime ſufficiens fuit.

SCHOLION.

Quum in ægrotante noſtro humores ob conſtrictam per diaphragma venam cavam in viſceribus imi ventris, maximeque hepate (§. 8. *Schol.*) ſegnius moveri debuerunt (§. 24. *Schol.*), ex tardo autem ſanguinis per hepar circuitu, ejus regurgitatio ad vaſa inteſtinorum & præſertim hæmorrhoidalia provocatur: (§. 8. *Schol.*) juſtiſſima eſt ſuſpicio, ægrum ſub aſthmate ſpaſmodico flatulento magnam humorum in vaſis hæmorrhoidalibus paſſum fuiſſe ſtagnationem. Deinceps cum omnia mala, ſi primam ſpectes originem, ex inteſtinorum debilitate propullularint, (§. 6.) huic vero nulla medela fuit lata, prona ſequitur conſequentia, quod debilitas illa majora in dies incrementa ſumere, & ſub aſthmate præſenti inſignis eſſe debuerit. Jam vero, cum partes debiles ad ſuſcipiendas irregulares motiones admodum promtæ ſunt; (*Hoffm. Syſt. T. III. p.* 440.) & aloë, quæ pilulas Becheri ingreditur, vim venas ani irritantem, & per has ſanguinem ejicientem poſſidet: (*id. ibid. T. II. p.* 245. §. 6. *Schol.*) facile patet, cur unica doſis pilularum aloëticarum in noſtro ægrotante, ubi inteſtina inſigni debilitate affecta, & vaſa hæmorrhoidalia ſanguine atro viſcido, ad rupturam fere infarcta fuerunt, hæmorrhoidalem fluxum proritaverit. Quum vero cauſa mali præſentis in ventriculo hæreat, & pituita viſcida ipſi impacta nitatur: talis ſymptomaticus autem hæmorrhoidum fluor eam cauſam tollere nequeat: clarum eſt, cur malo nullum tulerint levamen.

§. XXXI.

Pulvis, qui ex radice ſcillæ, vincetoxici, & nitro componitur, vi gaudet egregia pituitam viſcidam incidendi, & ſpaſmodicas partium ſtricturas laxandi.

SCHOLION.

Radix ſcillæ fovet principium ſubtile ſalinum, acre, ac velut cauſticum: (*Hoffm. Syſt. T. IV. P. III. p.* 346. & 358.) Sed tali principio prædita ſubjecta, facultate potenter incidente pollent. (*Hoffm. T. III. p.* 473.) Ergo radix ſcillæ vi pituitam viſcidam incidente pollet. Idem ipſi principium eandem facultatem tribuit *Dioſcorides Lib. II.* 202. quando perhibet *vi acri*

&

& urente præditam. *In aromaticis compoſitionibus*, porro inquit, *prodeſt iis, quibus urinam ciere volumus, itemque hydropicis & ſtomachicis, torminoſis, tuſſi veteri infeſtatis, ſuſpirioſis.* Eadem eſt ſententia *Hermanni in cynoſura mat. med. p.* 37. 38. neque mihi notus eſt, qui in hac parte diſſenſum prodiderit. Antiquiſſimum eſſe remedium, & e Pythagoræ ſchola profectum oſtendit D. D. *Præſes in hiſt. med. pag.* 171. §. 27. Quum autem ſcilla ob nimiam acrimoniam facile nervoſas partes lædat; ea eſt temperanda: quod adjecto nitro optime fieri docet *Illuſtris Hoffm. Syſt. T. IV. P. III. p.* 346. Radix vincetoxici per omnia mitior ſcilla, æque tamen ac illa, ſi copioſe & recens detur, vomitoria, inſuper principium ſulphureum vaporoſum poſſidet vimque leniter anodynam (*id. ibid. p.* 431. §. 3.) Ergo pulvis ex his ſpeciebus compoſitus vim incidentem & anodynam poſſidet. Plura hujus rei teſtimonia ex ſcriptoribus medicis poſſemus allegare, ſed ſufficiat ex *Zornii botanol.* commemorare, quod p. 618. ſcillam mirificæ virtutis in omnibus morbis, qui ex lenta pituita ſuboriuntur, prædicet; & p. 702. de vincetoxico aſſerat, eam in doloribus præſertim ac torminibus inteſtinorum ſedandis magnam poſſidere efficaciam. Ceterum notamus pulverem hunc, ſi nitrum demas, ipſiſſimum eſſe illum, qui in *diſpenſatorio Regio & Electorali Boruſſo-Brand.* legitur ſub titulo: *pulvis ſquillæ compoſitus* D. D. *Stahlii.* Celeberrimum ac meritiſſimum hunc virum ſcillæ multum tribuiſſe ex ſcriptis ejus intelligimus: ſed pulveris hujus mentionem invenire nullibi licuit: ut & viri doctiſſimi, qui ad mentem ejus ſcripſerunt, illius non meminerunt in ſcriptis, quæ ante duo forte luſtra prodierunt, ne illis quidem locis & capitibus, ubi ex inſtituto ſcillam laudant: unde colligimus, non ante adeo longum tempus in uſum fuiſſe vocatum ab illuſtri viro hunc pulverem: de quo plenius nos edocebit D. D. *Præſes* in ſuis ad laudatum diſpenſatorium prælectionibus, quæ jam prelum exercent.

§. XXXII.

In curando præſenti aſthmate opus ante omnia eſt medicina potenter incidente, cum antiſpaſmodica mixta (§. 29.); qualis cum ſit pulvis brevi ante deſcriptus; ratio patet, cur ab eo tam ſubitaneum acceſſerit auxilium.

SCHOLION.

Si effectus, quos pulvis dictus in noſtro affectu exſeruit, preſſius rimamur; inveniemus, quod æger poſt primam & ſecundam doſin ſomnum ſupinus per aliquot horas capere, expergefactus aërem libere trahere potuerit, & nullo amplius ſymptomate affectus, poſt tertiam doſin multum tenaciſſimæ pituitæ vomitu reddiderit, indeque per quatuordecim dies ſanus vixerit. Quum vero cuncta ſymptomata, maximeque ſomni defectus, aſthmatis exacerbatio a ſitu corporis ſupino, aliaque non niſi a ſpaſmodica præ-

cordiorum ſtrictura pullulaverint; (§. 23.) & pulvis noſter polleat vi anodyna, incidenteque: (§. 31.) haud alienum a veritate videtur; ſi ſtatuamus, quod virtute anodyna ſpaſmos ſopiverit, incidente pituitam viſcidam mobilem reddiderit, ac ab adhæſione ad plicas ventriculi liberaverit, indeque dictos effectus ediderit. Tertia vero vice ſumtus pulvis, ſale ſuo acri vellicavit ventriculi fibras, vomitumque movit; quo dum remota fuit morbi cauſa; liber quoque ab ipſo morbo manere potuit ægrotus.

(2) Ex hoc pulveris tam ſubitaneo effectu confirmamur etiam in noſtra ſententia, quod præſens aſthma non aliud quam ſpaſmodico-flatulentum fuerit, & nec cordis polypum, nec pectoris hydropem comitem habuerit. (§. 26.) Namque ſi talia præſto fuiſſent vitia; nullo concipi poteſt modo, quod tam ſubito penitus fugari potuerint.

(3) Ad confirmandam pulveris noſtri in aſthmate ſpaſmodico, ex ventriculi vitio nato, efficaciam, operæ videtur pretium præter caſum ab *Hoffm. in Syſt. T. IV. P. III. p.* 343. *enarratum*, ſequentem, quem celebris quidam medicus nobiſcum communicavit, allegare: ancilla quædam viginti & quod excurrit annorum, temperamenti ſanguineo-melancholici incidit in ſcabiem humidam: qua per unguenta ſulphurata repulſa, aſthmate tali ſpaſmodico, cum ſuffocationis metu & raucedine corripitur. Medicus ordinat laxantem ex mercurio dulci pulverem; eoque per excretiones alvinas pariter ac per vomitus votis ſatisfaciente, diaphoreticis pugnat. Sed cum invaleſceret aſthma; propinat pulverem noſtrum ſcilleticum. Quo prima vice ſumto, validæ & per ſuperiora & inferiora ſucceſſerunt excretiones; eodemque tertium repetito, omne evanuit aſthma, perfectaque rediit ſanitas.

§. XXXIII.

Si remota proxima aſthmatis flatulento-ſpaſmodici cauſſa, eo directa fuiſſet curatio, ut ventriculus ac inteſtina naturale robur, & humorum circulus legitimam æqualitatem recuperaſſent: nullum eſt dubium, quin æger perfecta potitus eſſet ſanitate.

SCHOLION.

Methodum hiſce ſcopis obtinendis convenientem non opus eſt, ut iterum deſcribamus; quippe quæ §. 10, 11, 18, 19. explicata ſatis invenitur. Unicum id adhuc inculcamus, quod ſcilicet ad motum periſtalticum in naturalem ordinem redigendum, frequens tam clyſterum, quam laxantium mannatorum uſus maxime fuiſſet neceſſarius.

§. XXXIV.

Quum autem ægrotus palliativa ſui aſthmatis curatione contentus, hanc ſolidiorem & fundamentalem inſuper habuit; ac ſubinde in conſueta diæta irregulari permanſit, nec non mœroribus, iracundiæ, curiſque domeſticis, ni-

nimium indulſit : non aliter fieri potuit, quin non ſolum novæ in primis viis cruditates colligerentur, novumque adeo aſthmatis paroxyſmum provocarent; verum etiam univerſalis humorum dyſcraſia generaretur, & totum nervoſarum partium ſyſtema debilitaretur. Unde ſanguinis ſpiſſi ac viſcidi per venam educti, & ſenſibilitatis, qua nulla remedia ſine præcordiorum anxietate aſſumi potuerunt, petenda eſt ratio.

SCHOLION.

Cur paroxyſmi aſthmatici ſæpius redierint in noſtro ægroto; ex ipſa ſit luculentum theſi: explicandum reſtat, quomodo humorum dyſcraſia, & generis nervoſi debilitas acceſſerint. Si ob languentem inteſtinorum periſtalſin, omnes etiam eorum functiones languent: non alii quam impuri ac ſpiſſi produci poſſunt humores: (§. 20.) eoque magis, cum eorum ſegnior per viſcera ſecretoria circulus acceſſerit (§. 24. *Schol.* & *Hoffm. Syſt. Tom. II. p.* 63. §. 26.) Hinc naſcitur ſanguis craſſus ac viſcidus; ac lympha terreſtrior. (2) Debilitas generis nervoſi nobis audit ea omnium nervoſarum, vaſculoſarum ac membranacearum in toto corpore ſtructura, qua ex cauſa leviſſima in violentas aguntur motiones; quæ ſtructura laxiori particularum minimarum, fibram ultimam conſtituentium cohæſione nititur. (*Hoffm. Syſt. T. VI. P. III. p.* 98. §. 9.) Omnes ſolidæ, adeoque etiam nervoſæ corporis noſtri partes ob continuum motum ſenſim atteruntur, adeoque nova quotidie opus habent reparatione; (*Hoffm. Phyſ. p.* 161. §. 3. *ſeqq.*) reparatio fit per ſuccum gelatinoſum, qui lympha audit. Quo terreſtrior lympha eſt, eo laxior partium ſolidarum fit cohæſio, & per conſequens ex lympha terreſtri generis nervoſi naſcitur debilitas.

§. XXXV.

Si partes nervoſæ ac vaſculoſæ in cerebro ſunt debiles; ſi ſanguis craſſus & viſcidus, & majori copia ad caput compulſus: facile in minutiſſimis cerebri vaſis ſtagnare, quin ea diſrumpere, adeoque extravaſari poteſt.

§. XXXVI.

Ea ſanguinis in vaſis cerebri ſtagnatio, quæ adeo tubulos nerveos comprimit, ut non ſufficiens fluidi nervei in illos contingere queat influxus, parit inſultus apoplecticos & paralyticos, adhuc curabiles, inprimis per venæſectionem: ejuſdem vero plenaria in cavitates cerebri extravaſatio producit apoplexiam lethalem (*Hoffm. Syſt. T. IV. P. II. Sect. I. c.* 7.)

§. XXXVII.

In noſtro ægrotante præſto fuerunt (1) generis nervoſi, adeoque cerebri debilitas, (2) ſanguis craſſus ac viſcidus, (3) hujus major in capite

accumulatio: (§. 34.) ergo ſuboriri in eo potuit ſanguinis in capite ſtagnatio, & hinc apoplecticus inſultus; qui, cum ultima vice venæſectio fuit neglecta, deſinere tandem debuit in extravaſationem, atque apoplexiam lethalem.

§. XXXVIII.

Ea tandem, quæ hactenus diximus, in compendium reducturis patebit: ægrum noſtrum, ut ut plethoricum (§. 3.) ad criticas hæmorrhagias nullam habuiſſe proclivitatem (§. 5.), attamen ex diæta inordinata debilitatem inteſtinorum, indeque ſanguinis in iis ſtagnationem, atque hinc pendentes hæmorrhoides ſymptomaticas paſſum; (§. 10.) his non debite oppugnatis inteſtinorum ſpaſmis, & hinc ſuborto aſthmate ſanguineo, cum auditus difficultate, correptum; (§. 17.) tum increſcente primarum viarum atonia, indeque collectis in ventriculo flatibus & cruditatibus, aſthmate flatulento ſpaſmodico cum hydrope incipiente affectum; (§. 26.) ac denique, accedente nervoſi generis debilitate, apoplexia peremtum fuiſſe. (§. 37.).

FINIS.

L.

J. GERARDI WAGNER

OBSERVATIONES CLINICÆ.

I°. DE FEBRE QUADAM ACUTA IN TRACTU GERMANIÆ MARI BALTHICO VICINO AC PRÆSERTIM LUBECÆ OBSERVATA.

II°. DE ADMIRANDIS QUIBUSDAM SCILLÆ IN PULVERE EXHIBITÆ VIRTUTIBUS.

AD VIR. EXPERIENT.

PAULUM GOTTL. WERLHOF.

Lubec. 1737.

SECTIO PRIMA.

DE FEBRE QUADAM ACUTA &c.

I.

ATque ut ad inſtitutum plenius expediendum nunc propius accedamus, illa ordine proponemus, quæ partim apud animum dudum commentata, partim in adverſarias ſchedulas horis ſubſecivis, ex noſtra qualicumque obſervatione & experientia (*a*) relata, de hac febris ſpecie an-

(*a*) Qui norunt, me nondum plenum Lubecæ exegiſſe quinquennium, illis mirum forſan videri poſſet, unde nobis tanta obſervationum copia enata ſit, quæ ſufficiat illis, quæ jam ſumus propoſituri, ex arte explicandis, quum ad hujuſmodi concinnanda non ſatis ſit quaternionibus aliquot hac febre ægrotantium medicinam feciſſe, ſed potius copia illorum numeroque opus ſit. Sed mirari deſinent iidem, ſi bona fide & ad omnium illorum, qui me propius norunt, teſtimonium provocans, dixero, me numeroſioris praxeos clinicæ (quæ divina benedicente gratia nos jam inde a triennio, (ου καυχαζομαι) ultro ſectatur & ambit) numquam tæduiſſe, ſatiſque habuiſſe, ſi experientia inde novis acceſſionibus mactaretur, etiamſi illud in nummos minus valeret. Nec ex propria ſolum praxi (uti in aliis, ita in hujus febris hiſtoria,) profeci. Symbolam ipſimet adeo empirici contulerunt, magno numero Lubecæ in hominum vitas, & impune, (quod tamen perpetuum non fore ampliſſimi Senatus æquitas ſpem facit) graſſantes atque hi quidem de juſta medicatione cogitandi anſam præbent, dum perverſa, ac jumentis magis quam hominibus debita, medendi methodo, frequenter ad manes elyſiumque nemus ſuos ablegant, aut ex morbo, ſi rite tractetur, unius, ad ſummum, menſis ſpatio plene judicando ac perſanando, poſt integros menſes, pallidos, luridulos, elumbes, umbrarumque ſimiles in publicum dimittunt. Quod quidem tolerabile eſſet, niſi ſycophantæ iſti quaſi re bene geſta adhuc exultarent, ſuiſque artibus orci faucibus ereptos gloriarentur, quos artificio nugivendulo & crumenimulgo, ac publicis flagellis in roſtrum digniſſimo, excarnificaverant. Sed hi quemadmodum perverſa methodo juſtam non aliter illuſtrant, quam vitia virtutem; ita juſtioribus modis theorias noſtras inſtruximus ex ſucceſſibus felicioribus praxeos medicorum Lubecenſium, collegarum meorum honoratiſſimorum, ex analogia morborum adfinium, huic, licet nondum deſcripto, morbo, mitiſſimam methomethodum feliciter adhibentium. Quæ res ut citius in notitiam noſtram perveniret, fiebat conjunctione Viri clariſſimi experientiſſimique, *D. Caroli Sibethi.* Etenim is quum ultra octennium jam lubecæ medicinam faciens, me nuper Lubecam delatum, amicitia complexus eſſet ſingulari animorum conjunctione conflata, quæque omnes praxeos ſtudiorumque communium curas cogitationeſque miſceret: crebrius de febre hac mentionem injicere ſolebat, atque ex me quærere, numquid illam alicubi deſcriptam meminerim? Jam tametſi illo tempore plenioris ſciagraphiæ ejuſdem propriæque experientiæ defectu, non penitus differentiam ſpecificam a congeneribus agnoſcerem; fiebat tamen exinde, ut curatius ad ſingula animadverterem, experientiamque ſtudioſius inſtaurarem, ampliores dubio procul fructus nunc daturam, niſi præmaturo optimi viri obitu ante hos duos jam annos cum dimidio fata vinculum diſſo-

annotavimus. Et primo quidem ſilentio non prætereundum videtur, illam ejus eſſe generis, ut ſimiles, niſi rarius forſan, in mediterranea Germaniæ regione non obſerventur, quum in his oris frequentiſſimæ ſint, adeo ut ab initio, quum Lubecæ medicina facturus, conſediſſem, & frequenter admodum audirem commemorari, fato functum hunc vel illum ex iracundia periiſſe, aut ſi de mortis vel morbi ancipitis cauſſa quæreretur, nihil prius in quæſtionem veniret, quam, an ipſi obtigerit iracundia? (ſeu ut phraſi vulgari rem efferam, *ob der Verſtorbene oder gefährlich darnieder liegende etwa eine ſtarcke* alteration *gehabt?*). in illam opinionem non raro adducerer, iracundias in mortis vel morbi cauſſam tam crebro allegari ſolitas, in acutis morbis idem ignorantiæ aſylum forſan præbere, quod in chronicis præbet ſcorbutus. Ubi enim medicaſtris in morborum chronicorum vel denominatione & ratione reddenda, vel in curatione, aqua hæret, proteiformis ille & rebellis ſcorbutus ſacræ inſtar anchoræ eſt. Verum enim vero, quum ad curationes frequentius adhiberer, inque Lubecenſium notitiam medicus perveniſſem, non plane de nihilo eſſe reperiebam, quod ab initio precarium valde, & mulierculis quam medicis dignius, exiſtimaveram. Etenim, quam per Dei gratiam Lubecæ mirifica fruamur immunitate a morbis epidemice graſſantibus, contagioſis & malignis, ita ut numeroſior etiam praxis clinica rarius decimam vel octavam partem circa morbos unius ejuſdemque ſpeciei ſit occupata, tum non raro eveniſſe teſtor, ut quartam adeo partem illorum, qui noſtræ ſemet curæ tradiderant, conficerent, qui hac, de qua modo agimus, febre, decumberent, licet illa ex contagio numquam contrahatur. Hinc quum ab initio ſtatim animadverterem, habere hanc febrem differentias quaſdam ſpecificas, (tum qua pathemata & ſymptomata, tum qua criſes, imo & ſucceſſus methodi medendi ad illas adhibitæ, ab omnibus illis quas congeneres dicere poſſemus, catarrhali tam benigna, quam (quæ multo magis ſimilis) maligna, ardente, ventriculi inflammatoria, cholera, & ſi quæ aliæ huic adfines cenſeri poſſent; data opera, ſimpliciſſimaque & Hippocratica obſervatione adhibita, illa, quæ modo ſum expoſiturus, obſervavi.

ſolviſſent, cujus commemoratione labitur ex oculis nunc quoque gutta meis. Habes, lector, rationem, cur febrem *Lubecæ obſervatam*, adpellaverimus. Quod autem illam *in tractu Germaniæ mari balthico vicino obſervatam* dixerimus, factum eſt relatione fautoris amiciſſimi, *Jo. Georgii Hoffmanni*, Phil. & Med. D. collegæ quondam æſtumatiſſimi, nunc ſereniſſimi Reverendiſſimique Ducis, & Epiſcopi Lubecenſis, néc non ſereniſſimi Ducis Plœnenſis Conſiliarii aulici, diverſorumque Principum Archiatri, urbis & Ducatus Plœnenſis Phyſici, medicique in his oris fama non minus noti, quam ipſi earum ingenium perſpectiſſimum eſt, qui coram, facta ſciagraphiæ hujus noſtræ commemoratione, febrem hanc qua legitima, qua etiam anomala Theſ. VII. & VIII., adcurate in hoc Germaniæ tractu, imo copioſe obſervari, fidem fecit.

I I.

Eſſet nunc forſan de definitione morbi diſpiciendum, deque differentia ſpecifica. Sed quemadmodum de differentia ſpecifica vix obſcurum eſſe poterit viris doctis, hiſtoriæque morborum gnaris, ſi mox exhibendam hiſtoriam (qua pathemata & ſymptomata primo, dein qua criſes, tum qua ſucceſſus methodi medendi,) ad congeneres contulerint; ita definitionem a nobis haud exhiberi vix gravabantur medici ſolide docti, dum ipſius hiſtoriam atque ſciagraphiam pleniorem (nec perfunctorie ut arbitror) dedimus. Definitionem enim ex his conflare cuilibet erudito medico erit integrum, ſuo maxime ingenio adcommodatam. Atque utinam a prima inde medicinæ adoleſcentia medici ſatius habuiſſent, adcuratas morborum & ad lectum ægroti conflatas hiſtorias, ſchemataque illorum ſimpliciſſima, exhibere, loco definitionum nimis fidenter atque præcipitanter in muſeo & ex ingenio natarum, ad quas deinceps obtorto veluti collo omnia morbi phænomena, omnemque curationem, adcommodabant. Auſu ſane præclaro, ſi modo ipſis naturæ humanæ, quum divino fingeretur artificio, legislatoribus eſſe contigiſſet. Preſſius tamen de definitione & differentia ſpecifica explicabitur, ſi pleniori de hoc morbo tractationi Deus vires, ſanitatem, otiumque ſaltem aliquantulum olim conceſſerit.

I I I.

Quod igitur ad morbi ſciagraphiam, atque illa pathemata, quæ ſi concurrant ac junctim & ſimul adſint, (*b*) pathognomonica fere audire poſſunt, (1) poſt *prægreſſam gravem iracundiam*, queruntur hac febre correpti vel corripiendi de

(2) difficili aliquantiſper *reſpiratione*, quodque toto pectore ſpiritum trahere abſque moleſto ſenſu nequeant; *Es ſtehe ihnen ſo vor der Bruſt*, dolorque obtuſus per tractum coſtarum ſpuriarum tranſverſim, potiſſimum tamen a regione cartilaginis xiphoidis verſus dextrum latus, protenditur.

(3) Languet ſtatim, imo penitus profugit, *ciborum adpetitus*, adeo, ut vix odorem ciborum, & inprimis carnium, ferant (*c*), & quod pejus adhuc

Y 2 (4) *Vires*

(*b*) Majorem in modum hoc loco rogatos volumus medicos hæc lecturos, ne, (quum in his pathematibus ſint, quæ ad alia notabilia & bene ab obſervatoribus deſcripta morborum genera accedere, vel toto die videant, vel præceptorum inſtitutione teneant) novum morbi genus a nobis conſtitui cernentes, præcipitata ſententia nos multiplicationis entium præter neceſſitatem ſuſceptæ, reos peragant. Niſi enim tota hujus morbi hiſtoria ad totas aliorum adfinium hiſtorias conferatur, nihil facilius, quam ut proprio memoriæ & doctrinæ lapſu nos lapſos eſſe bona fide ſibimetipſis primum, & deinceps aliis quoque, perſuadeant.

(*c*) Inde eſt, quod nihil prius expetant a medico, quam ſtomachum ſibi curari, vel conſilio proprio domique nato, vel ab empirico accepto, Elixiria ſtomachica in-

(4) *Vires* ſubito labaſcunt atque proſternuntur, ita, ut non ſolum erectum corpus gerentes vertigine & ſcotomiis corripiantur, ſed in lecto quoque ſedere volentes, lipothymiis ſtatim infeſtentur.

(5) *Dolor capitis* adeſt, non tam lancinans & acutus, quam preſſorius utplurimum & gravativus.

(6) *Lingua* leviter alba ſolum æſtumque prodens mediocrem, nec de *ſiti* magnopere conqueruntur, adeo ut non raro ipſos ad bibendum invitare, imo (quum juſtum potus genus hic in medelæ locum cedat) adigere opus ſit, quod minus bonum. Simulatque enim in urina & reliquis ſigna ſolutionis incipientis accedunt, ſitis etiam accedit. Sputatio frequens, ſed coacta nonnihil, quum ſputum parcum ſit, album & ſpumoſum.

(6) *Pulſus* parvus, debilis, & frequens, nec in toto corporis ambitu magnus æſtuantis ſanguinis ſenſus (*d*).

(8) *Cutis* ſicca & ſtricta, & ſi quando *ſudoribus* madeat, illi ſunt particulares, ſtatim frigeſcentes, & ſine ulla euphoria, dyſphoria potius inſequente.

(9) *Somnus* vel nullus, vel parcus, & ſi quoque protractior ſit, tamen nullo modo vires inſtaurat, eſtque potius horroribus, membrorum ſubſultibus, & terrificis inſomniis, in omnibus interruptus.

(10) *Urina* interdum, minus bono omine, alba & tenuis, utplurimum tamen pellucida, rubra, flammeique coloris, primiſque diebus raro ſedimentum deponens (*e*).

(11) *Alvus* utplurimum adſtricta, cum borborygmis & flatibus ἀνω- contra naturæ ordinem turmatim tendentibus, qui cum ob cardiam, ſi non penitus clauſam, adſtrictam tamen, libere eructari nequeant, ventri-

gurgitent, ſive etiam emeticis aut purgantibus, quibus ſe vel vomere vel purgari ſentiant, morbum aggrediantur, peſſimo tamen conſilio.

(*d*) Hæc una cum illis, quæ de ſiti no. 6, ut & quæ no. 5. & 4, dicta, utut medicum doctum ſagacemque numquam fallant ſeu decipiant, tum certe ipſis primum ægrotis, dein adſtantibus, imo & medicis indoctis & empiricis, vehementer imponunt, quibus ultra ægroti relationes ſapere non datur, (Conf. *Das Bedencken* contra *Wind-Müller* p. 41. n. 5.) *Und da der Patient ſelbſt nicht mercket, wie ſchwehrlich er kranck iſt, mercken es die andern noch weniger.* Sed hinc illæ lacrymæ, quod morbus illo tempore, ubi potiſſimum obſervare & cito ſuccurrere oportebat, (dum ἀκμάζειν primis diebus ſolet), negligatur, imo artificioſe perdatur, adeo ut juſtæ deinceps medelæ vel nullus, vel ægerrime, concedatur locus, machinæque utplurimum poſt bellum adferantur.

(*e*) Si adhibitis per aliquot dies juſtis medicaminibus urina ſedimentum deponere non incipiat, vel funeſtos eventus, vel morbum longum, & ægre cum ſanitate in gratiam rediturum ægrotum, prædicunt. Interim coctionis ſignis in urina adparentibus, ſi reliqua non reſpondeant, rem in vado eſſe minime exiſtimabit medicus doctus & ſagax, ad convaleſcentiæ enim ſpem, ut plura ſigna bona concurrant, opus eſt.

triculi diſtenſione (imo & non raro in externa parte ſentienda intumeſcentia,) ægros valde exercent.

(12) Verſus veſperam accedit *horror febrilis*, quem inſequitur æſtus continuæ febris, altero & ſequentibus crepuſculis denuo (niſi morbus confeſtim & valde miteſcere incipiat) expectandus. Hæc febrilis commotio non tam dolore tenſivo in regione vertebrarum dorſi (uti in intermittentibus tam veris quam nothis & catharrhalibus) quam in hypochondriis, & quod profundius ac ſuſpirioſius ſpiritum trahant, ſeſe manifeſtat.

(13) Ceterum *triſtes animo ſunt* hanc febre correpti, & quum nihil eorum, quæ ſani ceteroquin in ſummis deliciis habere ſolent, magnopere curent, tum id ſtudioſe curant & exquirunt, ut habeant de quo iraſci & ſuccenſere queant.

IV.

Hæc fere ſunt, quæ primis diebus, morbo vel ſibi penitus relicto, abſtinentiaque & quiete ſuſtentato, vel mitiſſima quoque & convenienti methodo tractato, attento obſervatori ſeſe obferunt. Generatim de his tenendum eſt, quod quoad magis vel minus differant. Quo enim impuriora corpora, aut ad commotiones, ſeu ataxias potius, nervoſi generis prona, quo ferocius antecedens iræ pathema, eo graviora ſymptomata, & contra. Prognoſis horum eſt, quod morbus periculo vix umquam vacet. Tametſi enim *protenus* adhibita juſta medicatione; & ægro in omnibus morigero, quovis pignore decertaverim, ex centum hujuſmodi ægris, nonaginta, ut leviſſime dicam, ſervari opportere, tamen incredibile eſt dictu, quam facile in lethiferum morbum abeat, vel certe in ſummum diſcrimen adducatur. Niſi enim quietam in lecto & aëre temperato continentiam, in potus leviſſimo genere exquirendo, illoque calidiuſcule parviſque hauſtibus ſumendo, temperantiam, in animi pathematibus, ac ira præſertim, ſummam moderationem, obſervent, & rigoroſe quidem obſervent, præcipiti gradu omnia in pejus runt. Febris (Theſi III. n. 12.) typum admittit, accedunt vomendi conatus & nauſea, imo vomitus, moleſtus in faucibus ſenſus, ſingultus, mentis turbationes &c. quibus deinceps non niſi ægerrime ſuccurritur. Quæ omnia eo certius ſuperveniunt, ſi medicamentis ſic dictis alexipharmacis & ſtomachicis calidis, imo purgantibus & vomitus moventibus, res peragatur.

V.

Recenſebimus nunc illa, quæ in legitimo & felici morbi decurſu eveniunt, eo quo utplurimum ordine ſeſe manifeſtant. Ac primo quidem (α) reſpiratio Theſ. III. [num. 2.) fit liberior, (β) febrilis horror, ſive horripi-

ripilatio [num. 12.] vel levius ut antea, vel plane non, ſentitur. (γ) Urina [num. 10] ſedimentum deponit. Cutis (δ) [n. 8.] udore univerſali calidiori, ſub quieta inprimis in lecto continentia, madere incipit. (ε) Pulſus [n. 7.] liberior & major, & major in corporis ambitu, quam antea, æſtus. Accedit (ζ) ſitis [n. 6.] exquiſitior, & ſentire incipiunt, ſe ægrotare, quam antea obtuſior ſolum fuerit ægritudinis ſenſus. (η) Somnus [n. 9.] tranquillior, & licet vires non magnopere inſtauret, expergefactique mentis leviorem & tranſitoriam quaſi emotionem ſentiant, tamen [ϑ] ſubſultus membrorum [num. 9.] ceſſans, bonam ſpem facit. Ceſſat (ι) ciborum nauſea, [n. 3.] & licet ſumto ciborum tantillo ventriculum doleant, tamen adpetentia hæc bono omine venit. (κ) Sputa [num. 6.] nunc liberalius exſcreantur, & borborygmi ac flatus inferiora petunt. Utut autem hæc omnia bene ſuccedant, tamen lento gradu, & ſucceſſiva potius ac parva, quam ſubitanea criſi & in melius converſione.

V I.

Quod enim nunc ad criſin ſpeciatim adtinet, illam (niſi vehementer me fallet memoria) numquam notabilem vidi & ſimplicem (*f*), ſed compoſitam magis, & ſucceſſivam, hoc eſt, per diverſa corporis emunctoria, idque numquam confertim, ſed ſucceſſive ac placide, contingentem. Quod quidem mirum non eſt, quum hic morbus, non magis fluidarum quam ſolidarum humani corporis partium morbus ſit. Criſis, quæ per urinam fit, tantum non ſemper notabilior eſt reliquis (*g*). Proximum locum occupat ſudor, qui quantum de catharrhali febre hic morbus participat, criſis fluidarum adpellari poteſt, quantum vero remiſſionem ſpaſmi cutis, & cum hoc ſpaſmi membranarum univerſi corporis, indicat, criſis partium ſolidarum (hoc eſt reditus fibræ ad juſtum tonum) merito audire videtur (*h*). Quæ

(*f*) Manet tamen nihiloſecius & in his canonem Hippocraticum, *Nihil paucum eſt criticum*, ſua veritas. Etenim nec urina, leviter, aut uno ſolum vel altero nychthemero, ſedimentum deponens, aut unius diei ſudores, aut ſingulæ quædam alvinæ dejectiones, morbum ſolvunt, ſed hæc omnia per plures dies durare neceſſum eſt, donec plenaria euphoria ægri ſequatur. Et tum quidem, ſi in ullo alio morbo acuto, certe in hoc, in medici poteſtate poſitum eſt, velitne citius an tardius, haſce criſes prudenter adjuvando, ægrotum ad ſanitatem perducere.

(*g*) Quum vix aliquis ægrotus in his terris ex morbo acuto, utut aliis modis judicato, (imo naturæ legibus judicando) abſque notabili per urinam criſi convaleſcat, mirum non eſt, illa, quæ diximus, contingere. Ac ampliſſimus quidem hic ſe campus aperiret obſervationum practicarum circa hujuſmodi criſes. Sed hoc tempore non eſt inſtituti noſtri illum emetiri, licet in eo ſint quæ vix aliqua ex parte deſcripta.

(*h*) Valeret hoc forſan in urinam quoque. Et ſane multi admodum hoc loco eſſe poſſemus in theoria hujus morbi pathologica, ex philoſophia corporis humani ſolidiori & mechanica deducenda, ſimpliciſſimaque illorum, quæ ad lectum ægrotorum, non phan-

Quæ per alvum ſuccedit criſis, tametſi aliquo modo de eſſentia morbi in melius converſi eſſe videatur (*i*); tamen quod rariſſime ex ſeipſo ſuccedat, medico autem ſerio de ægrotorum ſuæ curæ ſe tradentium ſalute cogitanti vix ſatis tutum hanc expectare, hinc illam merito ultimo loco reponimus.

VII.

Eſt & aliud, ſed non crebro occurrens, criſeos hujus morbi genus, ubi nimirum vel ex ſeipſo [quod rarius,] vel juſta medicatione adhibita [quod non adeo rarum], nunc citius nunc tardius, in alium morbum, ſed tutiorem, morbus tranſit. Nimirum in intermittentem legitimam, eamque vel tertianam, vel quotidianam [quæ utplurimum hic tertiana duplex eſt] febrem. Hæc intermiſſionis tempore [utut ex priori morbo non poſſint non adhuc languere] medicis practicis doctis & ſagacibus non adeo fucum facere poteſt, quin ſtatim perſpiciant ſecurius quam antea cum ægrotis agi, qui utplurimum hac, quaſi novo terrore, percelluntur. Hæc abſorbentibus & ſalibus fixis ex arte datis, cum vel ſine caſcarillæ cortice, &, interpoſitis ad ſummum lenioribus ſtomachicis eſſentiis, qualis v. g. illa quæ ex corticibus aurantiorum paratur, aut tinctura corticis peruviani, brevi diſparet, cum exanthematibus in labiis, & pinnis quoque narium haud raro, qualia exanthemata poſt febrem hanc, etiamſi non acceſſerit intermittens, non raro ſolutioni morbi accedere cernimus.

VIII.

Habet præterea, febris de qua hac diſſertatiuncula agimus, anomalias quaſdam ſilentio non involvendas, & quidem

Quod in principio morbi interdum accedat paroxyſmus febrem intermittentem legitimam ad integras horas mentiens, & vel altera vel tertia die denuo invadens, unde fit ut tam ægrotis, quam medicis ανιηλεοις imponat, minime vero ſagacibus & doctis, quum hujus intermiſſionis tempus malignitatis notis [Theſi III. num. 4, 7, 8, ut & num. 3.) abun-

phantaſia ſed ſenſibus, percipiuntur, obſervatione, conflata, & admirabili nexu cum omnibus, quæ in hujus morbi vel ſibi relicti, vel juſta, vel perverſa etiam methodo tractati, decurſu eveniunt, conſpirantia atque cohærentia Sed hæc ſi vitam Deus ſanitatemque fuerit largitus juſtiori occaſioni ſervabuntur.

(*i*) Patet hoc (1) exinde, quod ſi pertinax alvi obſtructio accedat, omnia pejora, quod (2) clyſteres mirifice levent, (3) quod convaleſcente pauliſper ægro & debita circumſpectione exhibito leni abſtergente, res longe citius non ſolum conficiatur, quam ſi alvum ad officium redire expectamus, ſed & (4)illioſa mucoſa &, adeo non raro acria, ut inteſtinum rectum inde quaſi erodatur, quæque ſine inflammationis metu in inteſtinorum canali diu ſubſiſtere non poterant, excernantur.

abundet non ſolum, ſed & brevi tempore vel plane jugulet, vel non, niſi ægerrime & tardius, ad ſanitatem redire permittat (*k*).

II. Alterum anomaliæ genus eſt, quando poſt n. 1, 2, 3, & 12 Theſ. III, altera tertiaque die ſtatim inſequitur aſthma, (nunc ſimplex, nunc convulſivi aſthmatis paroxyſmis interſtinctum) horizontalem corporis decubitum vix ferens, ſed hemiorthopnoicum, cum ſubitanea œdematoſa pedum intumeſcentia, a pedibus ad crura & femora ſine mora ſerpente (*l*), accedentibus non raro etiam auriginis ſignis.

III. Notanda venit anomalia morbi ad alias jam præſentes ægritudines accedentis, illaſque in novas pejoreſque turbas concitantis, adeo ut morbus inde naſcatur complicatus. Verbi cauſſa, ſi calculo laborantes hac febre corripiantur. Symptomata enim in ejuſmodi caſu longe vehementius urgent. Pari modo comparatum eſt, ſi cephalalgiis chronicis periodicis laborantes hac febre corripiantur (*m*).

IV. Eſt quoque quartum anomaliæ genus his forſan jungendum, dum in fine morbi, ſeu declinatione ſaltem, illi qui morbis arthriticis tam vagis quam fixis periodice adfligi ſolent, veteres morbos, in principio febris de qua agimus, non animadverſos, denuo perſentiſcunt. Sed quum ejuſmodi bono potius quam malo omine, imo quaſi critice, non huic ſolum, ſed aliis quoque acutorum morborum generibus ſuperveniant, illa non morabimur.

I X.

Ventum nunc eo eſt, ut de medendi methodo verba facere recepta illa nec ſpernenda methodus tractandi morborum cum therapiis doctrinam ſua-

(*k*) Obſervavimus hanc utplurimum in corporibus impuris, multo ſpirituoſorum potui & nicotianæ fumo aſſuetis, curarum & iræ pathematibus exagitatis, & peſſimæ eſt indolis. Poſt aliquot enim hujuſmodi paroxyſmos, (utut mitiſſima methodo ac debita cura tractetur,) in continentem abit, cum linguæ fauciumque ariditate, ſiti inexhauſta, atque ab aſſumtis potulentis ingraveſcente magis quam miteſcente, cum mentis emotione; apthtis, ac ſingultu tandem, ſcenam claudentibus.

(*l*) Hoc genus præcipiti utplurimum periculo vacat, (ſi aſthmatis convulſivi ſymptoma eximas) niſi perverſiſſima methodo tractetur, & nothus Hippocratis accedat, hydropis medicamina huic morbo adcommodans. Norunt hoc adeo mulierculæ, ut bona ominentur exinde quod ad pedes migret morbus; (dicunt: *die Sucht ziehe nun ſchon nach den Beinen*,) in cujus curatione medicus pro feliciori eventu ad incunabula morbi reſpiciat neceſſe eſt.

(*m*) In hujuſmodi caſu duplex requiritur medici circumſpectio, & quidem (*a*) ut curate diſtinguat quæ & quanta ſint pathemata morbi acuti? quæ chronici? (*b*) dein ut potiorem febris acutæ, quam mali chronici curam gerat, & urgentibus non raro hujus ſymptomatibus ita occurrat, ut ne illi obficiatur Laboret potius, ſi fieri poſſit, ut una fidelia duos dealbet parietes. Ad quam rem hoc in caſu nihil præſtantius enematibus emollientibus, lenientibus, oleoſis, gelatinoſiſque & abſtergentibus, imo (urgente neceſſitate, & poſt prægreſſam eccoproſin) leviter anodynis. Pari modo utrique ſcopo inſerviunt potus leviter calefactus, ſæpe, ſed parvis hauſtibus, ſumtus; quieta in lecto continentia &c. &c.

ſuadeat. Atque ut verum fateamur, hæc ab initio ſicco pede præterire decreveramus, quum nec temporis, nec inſtituti quoque, ratio, permittere videretur, primo medicamenta hujus morbi probatiora, dein modum adplicandi, tum obſervationes particulares hujus morbi, [juſta methodo feliciter vel infeliciter tractati, aut empirica ita corrupti, ut juſtæ medelæ vel vix, vel nullus, locus ſupereſſet] ac denique cautelas practicas, in medium adferre. Utpote ſine quibus manca mihi ſemper viſa eſt, quæ de morbis pro inſtruendis practicis ſuſcipitur tractatio. Accedebat, quod hæc partim matureſcenti, ſi Deus voluerit, praxi noſtræ ſervaverimus, partim nobis perſuaſerimus, nos nihilo plus acturos hac opera, quam ut Athenas portaremus noctuas, nihil præter noſtram qualemcunque de hoc morbo experientiam adferentes, viris nobis benigniorem uti in fingendo ingenio naturam, ita in tribuenda doctrina fortunam, expertis, quum noſtro adeo ingeniolo [ex analogia morborum adfinium bene a practicis deſcriptorum, medendi methodo generali, cum cautelis circa indolem medicamentorum, ſociata] in curatione hujus morbi hucuſque practice haud deſcripti, non infeliciter verſari operamque collocare contigerit. Attamen ne plane aſymboli hinc diſcedamus, generalia ſaltem de medendi methodo proponemus. Ac primo quidem ſtatim ab initio nitrum (*n*) omne fert punctum, àbſorbentibus, levioribus præſertim, junctum, qualia ſunt cancrorum lapides, C. C. philoſ. ppt. ungul. alcis ppta. oſtracodermata atque conchylia ppta, & acido præſertim citri ſaturata ac quaſi intimius ſoluta, hinc ſtomacho faciliora, quibus demulcendi ſine lucii piſcis mandibulæ cum percarum lapidibus jungendæ. Hæc crebrius, omnique ſemihorio, parvis doſibus, obferenda, curate ſemper adtendendo quantum hæc ferat æger abſque nauſeæ [ſaltem gravioris] aut vomitus concitatione. Hæc propinanda ex aquis ſtillatitiis leniſſimis non nauſeoſis, v. c. bugloſſi, borraginis, rubi id. fl. til. meliſſæ, ac præſertim illa quæ ex C. C. cum citriis paratur, & pro ſymptomatum urgentia cum aqua papav. rhoeados ejuſdemque ſyrupo ex arte compoſitis. His interponenda emulſiva ex amygdalis, pineis mundatis, ſeminibus quatuor frigidis majoribus, [ſi anni tempeſtas recentia illa fœneretur] adjunctis prudenter pro agrypniarum ratione papaveris albi vel ſemine, vel ſyrupo, vel utroque. His inſiſtendum, donec ſymptomata Theſ. III. N. 2, 7, 8, 10. miteſcant nec perfunctorie. Et quum alvus vix umquam ſatis officio faciat, ſimulatque ad alterum nychthemerum vel tertium hæc ſigni-

(*n*) Puta depuratum, ſeu cryſtalliſatum, imo & ſalia ſic dicta digeſtiva. Sed de his, imo & de illo, in primis tenendum, quam rigoroſiſſime ad euphoriam ægri reſpiciendum eſſe, atque ut ne molimina vomitus inde concitentur, quæ ſi jam inſtent ſolutionibus alcalium terreſtrium cum citri acido factis inſiſtendum pro digeſtivo, additis abſorbentibus modo commemoratis, & ſalina omittenda, donec illa forſan proxime ferat æger, quum pro adtemperanda bile æſtuque compeſcendo egregia prorſus ac neceſſaria propemodum ſint.

ſignities perduret; clyſteribus [vid. Scholion ad N. IV. Theſ. VIII. p. 11.] ex arte occurrendum. Quod ſi his priori octiduo continuatis, & reliquis N. 6, 10, 7, 5, 8, 9. Theſ. III. ſe in meliorem frugem recipientibus, alvus a ſegnitie tamen non recedat, clyſterumque, [uti non raro fit,] ægros tædeat, infuſi ſeu decocti laxativi mannagettæ ad ſemunciam circiter quavis hora aſſumtione, donec alvum leviter moveri ſentiant, huic omnia reliqua ſtatim exacerbanti ſymptomati occurrendum, mox deinceps redeundo ad illa, quæ initio hujus Theſeos commendavimus, pro æſtu (o) ulterius atque febre extinguendis. Quod ſi hæc in vado plenius eſſe incipiant, nihil prius habui quam ut, etiamſi alvi ſegnities non adeſſet, largius paullo quam antea, vel per aliquot dies mitius, exhibito laxante, a reſidua ex morbi principiis & tenuinum ſpaſmo ſentina bilioſa & pituitoſa acri, inteſtinorum tenuium canalem penitus repurgarem, ac deinceps proxime ſequentibus diebus pro λειψανοις febris catharrhalis eliminandis, alexipharmacis mitioribus, [qualia ſunt infuſa theiformia in lecto cum regimine hauſta, additis pro re nata eſſentiis alexipharmacis, imperataque ceterum diæta rigoriſiſſima per integros a morbo ſuperato dierum ſeptenarios continuanda] ægrotis proſpicerem.

X.

Quod ad medelas externe adhibendas nunc adtinet, generatim analeptica nuchæ, fronti, temporibus, carpis manuum, imo naribus adhiberi ſolita, [ſi temperatiora ſint & volatilitate vacua], numquam prohibere, quin potius imperare ſoleo, utut minimam medelæ partem in his poſitam eſſe penitus mihi perſuadeam, hancque curationis partem, in qua mulieres ſibi non quod pueri in faba, reperiſſe videntur, ipſorum officio aptiſſimam, lubenter permittam. Vinum rhenanum vetus ac genuinum in hanc rem [quo certe Lubeca, ſi quis alius inferioris, imo forſan ſuperioris Saxoniæ locus, ſuperbit] reliquis omnibus palmam facit dubiam. Sed hæc, ſi ad alia conferas, leviora. Non leve tamen eſt ad curationem momentum in applicatione aliorum topicorum. Etenim ſi ab initio exquiſitus ille in dextro hypochondrio dolor urgeat, ſpaſmique intus ſævientis

(o) Imo & pro illo æſtu, quem exhibitum laxans concitaverat. Licet enim is neutiquam ſim, qui juſto tempore juſtiſque modis ſuſceptam catharſin reformidet aut improbet, potiuſque cum πραχλικολατω *Freindo*, doctiſſimoque ipſius ſententiæ in præfatione ad opera *Freindi* pag. XXXIII ſqq. interprete *Wigano*, prorſus faciam; licet etiam decocto hoc laxativo ad catharſin nihil mitius, nihil tutius, aut minus ſit nauſeoſum; tamen quum adeo magnas in hoc morbo a purgantibus ſiniſtre exhibitis noxas viderim, curatius adtendentem vix unquam fefellit prognoſis, fore ut poſt laxans aliqualis æſtus, ac præſertim in lingua ac faucibus ſentienda, exacerbatio præſto ſit. Neque ego proinde unquam ad hoc, licet mitiſſimum, eccoproticum acceſſi, niſi ſigna morbi declinantis, ac præſertim Theſ. V. litt. α, β, γ, δ, ι, adeſſent jam per aliquot dies,

tis & vaſcula ſanguifera quaſi ſtrangulaturi rigorem prodat, non ſolum veſicas bubulas, quibus infuſum lac quod bullivit cum floribus meliloti, ſambuci, chamæmeli, papaveris rhoeados, albi papaveris vel ſemine, vel oleo, & his ſimilibus, hypochondriis ultra teporem pauliſper calentes adhibere ſuadeo, ſed linimenta quoque ex malaxatis cum ol. lil. alb. emplaſtris, diachylo compoſito, de cicuta, de galbano cum croco, & de hyoſcyamo Ludovici, imo & theriaca Andromachi pro re nata addita, concinno, pro linendis locis dolentibus. De venæſectione quid certi dicam vix habeo. In morbo enim legitimo, qualem Theſi III. deſcripſimus, febrem catharralem typicam turbare vix auſus fui, quum præſertim, ab initio ſtatim juſta curatione adhibita, morbum abſque illa debellari poſſe viderim. Aliter longe res ſeſe habuit, ubi anomalia morbi Theſ. VIII. n. 2. ob aſthma ſuffocativum venæſectionem flagitavit, vel perverſa medicatione prægreſſa, febreque ex continua in continentem mutata, cum internæ inflammationis uti ſignis, ita metu, venæ ſectione ſuccurrendum fuit. Sed de his olim ſi Deus voluerit plura.

X I.

Quum de cibo nec ægroti ipſi, nec medicus in curatione acutarum magnopere ſolliciti ſint, de potu ſolum moneo, illum leviſſimum eſſe oportere, eumque præſertim ex decoctis vel avenæ, vel hordei, corticibus liberi, parandum. Serum lactis dulce a coagulo ſollicite repurgatum plane egregium eſt, quibus interponere, ſi id expetant ægri, interdum [pro cavenda potus medicati nauſea] ſoleo cerevisiam ſecundariam tenuiſſimam, in his omnibus parvis hauſtibus factam crebram exhibitionem, pro diluendi ſcopo, obſervando, & quid horum, vel ptiſanarum quoque, magno numero in acutis notarum, optime ferant ægri, ſollicite circumſpiciendo.

SECTIO SECUNDA.

DE ADMIRANDIS QUIBUSDAM SCILLÆ IN PULVERE EXHIBITÆ VIRTUTIBUS.

I.

EX quo medicinæ exercendæ noſtra dicavimus ſtudia operamque, nihil magis admirabile omnibuſque votis expetendum fuit viſum, quam in morbis pertinacibus, rebellibus & non niſi longo temporum ſucceſſu, debellandis, ad manus habere ejuſmodi medicamina, quæ indicationibus

primariis ita ſatisfaciant, ut in oculos incurrat ipſorum, artiſque illa gubernantis, valor & energia. Atque illud quidem inprimis expetendum cenſui, ex quo non ſolum cordatiorum medicorum querelæ, ſed propria quoque noſtra qualiſcunque experientia, me docuerunt, infidas nimium eſſe illorum cantilenas, qui dum de materia medica commentarios ſcribunt, ad graviſſimos rebelleſque morbos infallibilium propemodum medicamentorum elenchos, concinnant, adeo, ut nec doctos ſatis nec rerum ſuarum ſatagentes medicos exiſtimes, in tanta quæ per morbos fit hominum ſtrage, artis ſuæ imbecillitatem tacite veluti confitentes. Non equidem hæc in illam dixerim ſententiam, ut plane non innotuiſſe in tanto medicamentorum numero exiſtimem, quæ efficacia præ aliis polleant. Sunt omnino & fuerunt ex longa jam annorum, imo ſæculorum, ſerie, quæ remedia heroica, & virtute, ut ita dicam, ſpecifica pollentia, audire jure meritoque poſſunt. Sed neſcio quis omnia experiendi pruritus, fecit ut multa deguſtantes nihil tandem ſapuerint. Quid enim, quæſo ex illa methodo, qua eo doctius ſcripta formula cenſetur, quo plures materiæ medicæ loculos excutere pharmacopœum jubet, in artem medicam redundet certitudinis? Vel quid artem promoveat ſimplicioribus licet, at indies mutatis formulis, uti? Mea quidem ſententia utraque via incedentes non magis ad artis incrementum contulerunt hucuſque vel conferent, quam illi, quibus ſectario adeo ingenio eſſe contigit, ut malint cum præceptore a certis medicaminibus abſtinere, ſeque cum ægris ſuis in morbis rebellibus, quibus illa ſatisfaciunt diu torquere, quam contra ducis ſui monitum uti, licet illa viris doctis, ingenuis, cordatis adeo ſint commendata, ut quid ſolide amplius contra poſſit dici, nihil ſit. Sed ne longius a ſcopo divagemur, & de rebus artis medicæ incrementis officientibus ſcripturi videamur, dum de Scilla [tanquam medicamento efficaci, & in ſubſtantia majores adhuc virtutes ſi dies diem docuerit, ſpondente, quam quibus antiquiſſimis inde a temporibus in præparatis claret,] commentari animus eſt, paucis ediſſeram, qua primum occaſione fuerimus adducti, ut illa quæ huic ſchediaſmatio conſignando anſam præbuerunt, tentaremus.

II.

Matrona ſtemmatis nobilitate non minus quam virtute conſpicua, quinquaginta circiter annos nata, valetudine ſemper uti ſolita ſecunda, numeroſæ prolis felix puerpera, ante ſeptem circiter annos gravi febre bilioſa tentata, aliquot jam inde ab annis auctius infimi ventris pondus ſenſerat, cum reſpiratione ſub levi etiam deambulatione præter morem difficili atque anheloſa, ac ſenſu inprimis circa hypochondria ſpaſtico & moleſto, & per hunc tractum tactu ſentiendis nonnihil dolentibus tumoribus aliquot, nucis avellanæ magnitudinem æquantibus. Acceſſerat his ægritudinibus tumor pedum œdematoſus, ad genua uſque aſcendens nonſolum,

ſolum, ſed febris etiam continua cum dextri hypochondrii dolore. Adhibebatur ad harum ægritudinum curam celeberrimus quidam apud exteros medicus, [cujus ego uti merita ſuſpicio, ita nomen non reticerem, niſi rogatus id facerem,] qui hepatitidis incipientis incommoda hæc, nec immerito exiſtimabat. Sed, quod domum ipſi eſſet redeundum, octiduo ante quam diſcederet, compoſitis propemodum continuæ febris motibus, ut ſibi medicus adjungeretur rogat, eſſe enim in hoc morbo, quæ diutius medici cura indigeant. Hinc, quum noſtra ad hanc rem opera uti decretum eſſet, humaniter exhibita a viro experientiſſimo antecedentis morbi ſciagraphia, & communicatis coram conſiliis inita medendi via, mihi [diſcedente paucis poſt diebus experientiſſimo viro,] non tam cum acuto amplius quam chronico nobiliſſimæ matronæ morbo negotium obtingebat. Febris continuæ indicia nunc quidem nulla amplius, vel valde levia, & verſus veſperam potius extremorum & faciei leve frigus; ita tamen, ut, licet curate obſervarem, nullum fere intermittentis indicium animadverterem. Interim latius paullatim ſerpebat tumor, crurum & hypogaſtrii œdematoſus, uti tympaniticus ſupra umbilicum, ad quem externe tam balnea vaporis vinoſa, quam quæ accenſione ſpirituum ardentium parari ſolent, àdhibebantur. Interne decoctis & infuſis ejuſmodi, quæ viſcerum labibus dicata ſunt, iiſque concentratioribus, malum tentabatur non ſolum, ſed, quum urina quoque minus reſponderet, diuretica probatiora (*p*), nec perfunctorie quidem, ſed ita, adhibebantur, ut ſi quid in his auxilii ſuperfuiſſet, aliquo certe modo diureſis ſuccedere debuiſſet. Aſt tantum aberat, ut votis eventus reſponderet, ut potius temporis ſucceſſu parcior fieret. Tumor tympaniticohydropicus interea incrementa ſumebat, decreſcente paullatim cum nocturna quiete, ciborum adpetitu. Singulare erat in hoc morbo, quod alvus blandis quibuslibet laxantibus facile obediret, adeo, ut pauca rhabarbari in infuſo adhibiti grana, vel infuſi laxativi mannagettæ portiuncula, eamdem exſolverent. Quod quidem ſummæ ventriculi & inteſtinorum atoniæ tribuerim, utpote quæ cibos non longo a paſtu tempore vix ſemidigeſtos dimitteret (*q*). Non mirum proinde, ſi ex alvi profluvio nullum morbi levamen, niſi forte quod flatulentiarum, inexhauſto prope proventu ægram torquentium moleſtiis, eandem interdum aliquantiſper, & ad breve tempus, eximeret. Erat, his nihil proficientibus, qui ſpem faceret, ſudoribus arte prolectis, [dum ſtuphæ calor in lectum ægræ derivaretur,] rem poſſe confici. Ego, quod hucuſque medicaminibus ore ſumtis adeo parum profectum

 eſſet,

(*p*) V. g. parreira brava ex methodo Lochneriana, millepedes, tincturæ tartari, antimoniales itidem, ut ſalia digeſtiva, pulveres abſorbentes aquaſque ſtillatitias diureticas non commemorem.

(*q*) Hæc ab initio quum curationi admotus eſſem. Sed cura toni ventriculi, ut fas erat, per externa [quæ tamen ob facilem epidermidis excoriationem parce admittebantur] æque ac interna habita, hæc ab atonia ſymptomata evaneſcebant.

eſſet, & quod nobiliſſimam ægram medicamina nonnihil horrere naturali quodam faſtidio, ſcirem, rei periculum fieri eo facilius permittebam. Verum enim vero morbus ingraveſcens ne hoc quidem curæ genere negotium confectum iri prodebat. Non enim ſolum tumor incrementa capiebat, ſed urina parciſſime fluebat. Pulmones præterea aſthmate humido laborare incipiebant, cui quidem ab initio mediocriter ſatisfiebat eſſentiis badianæ, gummi ammoniaci, helenii, & quæ ſunt hujus commatis. Præter quas curabam, ut ingraveſcente hac ſpirandi difficultate, potiuncula ex aquis cort. aurant. theriacali, aſthmatica &c. cum oxymelle ſcillitico non parce admixto, nobiliſſimæ ægræ ſuccurri poſſet. Sed quum hæc omnia præter opinionem de nocte ingruenti aſthmatis convulſivi paroxyſmo minus ſatisfeciſſent, altera die ut ad manus eſſet tempore urgentis paroxyſmi convulſivi quod ſubitaneam adferre opem valeret, circumſpiciebam. Ac initio quidem de exhibendo oxymelle ſcillitico cum pauxillo vini cujuſdam nobilioris diluto, cogitabam. Sed quum πρακτικωτατȣ Hoffmanni obſervationes (*r*) in conſilium adhiberem, de ſcilla in ſub-

(*r*) Operæ pretium videtur ex commemoratis ill. *Hoffmanni* obſervationibus particularibus, in gratiam eorum, quibus forſan ad manus non eſt liber, ex *Medicinæ rationalis ſyſtematicæ Tomi* 4. *part.* 3. *Sect.* 2. cap. 2. obſ. 3. ipſius verbis, quæ ad inſtitutum noſtrum pertinent, adſcribere: ,, Vir quinquagenarius, fluori hæmorrhoidum olim ob-
,, noxius, ſponte poſtea ceſſanti, vinum rubrum, nec non tabaci fumum in deliciis ha-
,, bens, animique affectibus indulgens, per multos jam annos de ſpirandi anguſtia,
,, tuſſi ſicca, & auditus gravitate conqueſtus fuit. Per noviſſimum vero trimeſtre adeo in-
,, valuit hæc ſpirandi difficultas, ut omnem eripiat ſomnum, neque ægro niſi in ſella pro-
,, no ſedenti illum capere permittat, attamen breviſſimus eſt, & aſthmati illo ſæpius in-
,, terrumpitur cum metu ſuffocationis. Jungitur præterea tumor pedum œdematoſus &
,, per vices invadunt convulſivi motus; nihilo tamen minus adpetitu fruitur integro, &,
,, quod notabile eſt, ſub præſente adfectione, perfecta gaudet auditus libertate. San-
,, guis ex vena miſſus conſiſtentiæ fuit atræ ac impurioris. Conſultus medicus ſuppreſſas
,, hæmorrhoides reſpiciens, varia ordinabat remedia reſolventia & diſcutientia, nec non
,, leniora laxantia atque pilulas Beccherianas. A quarum prima & unica doſi hæmorrhoi-
,, des prorumpebant & per decem dies fluebant. Neque vero levabantur inde pectoris af-
,, fectiones; ut potius adpetitus plane langueſceret, tumor pedum increſceret, ad abdo-
,, men aſcenderet, & mictio fieret impeditior. In tali rerum ſtatu medicus conſilii inops,
,, exhibebat tandem pulverem ſquillæ, cum Vincetoxico permixtum, ex juſculo quodam,
,, quo ſumto non modo libere per aliquot horas dormire, verum etiam in quocunque cor-
,, poris ſitu, abſque ulla moleſtia decumbere poterat æger, quin, expergefactus ab om-
,, ni tuſſi & aſthmate immunis optime valebat, adhibita dicti pulveris tertia doſi multum
,, muci tenacis viſcidi evomebat, & ſequentibus diebus continuato iſto remedio, eundem
,, mucum copioſius eructabat, ſanoque videbatur ſimillimus. Verum elapſis aliquot heb-
,, domadibus cum iracundiæ nimis indulſiſſet ægrotans, recidit ſenſim in priora ſympto-
,, mata, & præter leve cruoris ex hæmorrhoidibus ſtillicidium, graves in ſiniſtro hypo-
,, chondrio patiebatur puncturas. Cuncta remedia, clyſteres, laxantia &c. incaſſum da-
,, bantur, adeo, ut œdematoſa pedum intumeſcentia abdomen quoque obſideret: quin
,, apoplecticus inſultus cum linguæ & dextri lateris reſolutione tandem accederet. Hic
,, quidem medelam admittebat; at aſthma inſignes ſumſit vires; ut ideo ad uſum ſquillæ
,, rurſus deveniret medicus: ex quo portenti inſtar omnia ſymptomata protenus evaneſce-

ſubſtantia exhibenda conſilium capiebam, ipſiuſque conſummatiſſimi viri ductu pulverem ex ſcillæ quatuor granis cum nitri criſtalliſati duplo exacte tritis, addito radicis vincetoxici pulveriſatæ ſcrupulo, in pharmacopolio concinnandum, & in duplo diſpenſandum, præſcribebam, cui pro vehiculo potiuncula ex aquis melíſſæ, cort. aur. &c. & his ſimilibus, eſſet. Servabantur hæc uſui, ut, ſi paroxyſmus urgeret, nec ſupra commemoratis cederet, ad manus eſſet, quo ſuppetias ferrent ſuffocationis metu laboranti. Nec inopportuna fuerat hæc cura. Etenim illius diei nocte paroxyſmus ingruit vehementiſſimus, ſpiritu hærente, rigentibus extremitatibus oculiſque, adeo, ut vix mentem ſibi conſtaret. Datur proinde pulvis a nobis præſcriptus. Sed quod ipſemet, niſi neceſſitas urgeret, ſupra commemoratis potius morbum tentare ſuaſiſſem, unius doſeos pars dimidia ſolum exhibetur. Unde quidem ſuffocationi levamen accedit, ſed nauſeæ vomendique inanes conatus aliquandiu urgent, quibus nocte intempeſta finitis, ſomnus præter morem protractior nonſolum, ſed hoc finito urinæ quantitas

„ bant, ſomnuſque cum adpetitu redibat. Sed brevis erat valetudo; ſiquidem poſt bi-„ nas hebdomades cuncta pathemata revertebantur. Tertium data ſquilla, reliquis nihil „ proficientibus medicinis, omnia conſopiebat, & jam per aliquot dies malorum vacui-„ tate gaviſus æger, meam ad præſervandos ulteriores inſultus requiſivit opem. „ Ad hæc idem celeberrimus vir in epicriſi. „ Obſervatione, inquit, denique digniſſima eſt mirabilis „ illa ac fere ſtupenda ſquillæ in allevando aſthmatis immani paroxyſmo efficacia. Radix „ hæc a medicorum antiquiſſimis, *Hippocrate*, *Galeno*, *Celſo*, *Dioſcoride*, *Coelio Au-„ reliano &c.* in affectibus chronicis, maxime hydropicis ob virtutem pituitam lentam „ viſcidamque diſſolvendam, urinam cientem, viſcerumque infarctus reſerantem, magni „ eſt æſtimata. Fovet autem elementum valde ſubtile & acerrimum, ac fere cauſticum, „ atque majori doſi exhibita nervoſo generi omnino adverſatur, ad quam acrimoniam „ obtundendam veteres uſi ſunt variis modis &c. &c. quo nimirum ſal illud tenuiſſimum „ cauſticum evaporaret &c Certe meretur hæc radix inter remedia heroica referri, & „ noſtris etiam temporibus in frequentiorem uſum trahi. Namque exſerit non modo vir-„ tutem potenter incidentem, verum etiam languentes motus excitat. & quod mirabile „ eſt, blande ſimul anodynum exerit effectum. Scire vero licet, ante illius uſum corpus „ blandis laxantibus eſſe repurgandum, illamque ad tria vel quatuor grana cum radice „ vincetoxici, & nitro, quod mitigat acriorem eius vim, exhibendam „. Idem celeb. Auctor, l. c. obſ 8. recenſet caſum aſthmatis graviſſimi & convulſivi ex retropulſo pedum œdemate oriundi, & quod non ſine multo labore in meliorem frugem ſe receperat. Quam quidem obſervationem totam adſcribere uti longum, ita non penitus forſan accommodatum ſcopo noſtro foret. Hinc ſolum verba, quæ in fine leguntur adſcribimus, dum „ Aſt „ immutato, inquit, celeriter aere ſereno in pluvioſum, & accedenre graviori ira, omnia „ priſtinam induerunt faciem, vires nimirum fractæ, adpetitus dejectus, ſomnus inquie-„ tus & aſthma fortius revertebantur, ſed aliquot circiter dierum intervallo, partim ope „ pulveris ex radicis vincetoxici ſcrupulo ſquillæ & nitri ana granis ſex concinnati ſubla-„ tis omnibus hiſce ſymptomatibus reconvaluit: „ Ad hæc in epicriſi hujus obſervationis, „ præter hæc, ait, memorabilis ſquillæ videtur effectus, aliquot etiam aliis exemplis no-„ tatus, in ſpaſmis & convulſionibus partium nervoſarum præſentiſſime ſopiendis, maxi-„ me catharro ſuffocativo, aſthmate convulſivo, quandoque etiam in ipſa epilepſia, qui „ effectus noſtra quidem ſententia principio anodyno, ſali ſubtiliſſimo diſcutienti ac reſol-„ venti intermixto, debetur. „

titas ſextuplo major ſolito, ſic ut loco unius unciæ cum dimidia ad ſummum vel una, integris jam inde a menſibus fluere ſolita ad libræ unius quantitatem accederet. Dies noctem illam conſequutus, qua morbi moleſta ſymptomata, tolerabilior antecedentibus. Ingruente proin veſpera denuo relictam unius doſeos ſcillitici poris portiunculam ſumendam ſuadebam. Quod tametſi durum nobiliſſimis agnatis videretur, tamen, quod urgerem inſtaremque, datur medicamentum. Hora ab exhibitione circiter elapſa nauſea vomituſque ingruunt, ſed nox tolerabilis admodum antecedentibuſque melior nonſolum, ſed urinæ quoque largius profluvium, ſic ut altero mane ad tres prope libras ventum eſſet urinæ limpidæ, æſtus indiciis vacuæ & ſanæ ſimillimæ, quum antea ſemper coloris ſubrufi, imo lixivio ſaponariorum non raro ſimilis, multumque deinceps ſedimentum deponens, fuiſſet excreta. Dici vix poteſt, quanta euphoria ægræ nobiliſſimæ ex hoc, licet parvo, urinæ profluvio, & quod paucitate, ſive in ſe ſpectatum, ſive ad morbum collatum, criticum eſſe non poterat. Pedum abdominiſque tumor ad ſenſum decreſcebat & molleſcebat. Inquietudines, ſpirandi difficultas, anorexia, minuebantur, redibat animo, [cui imperare tranquillitatem admirabili dominio didicerat nobiliſſima matrona, niſi morbi vehementia omnem ſenſum interturbaret], ſolita ſerenitas, ſic ut ſpes eſſet fore, ut ſi morbum perdomare non liceret, palliativæ tamen curationi, [temporis ſucceſſu & ſi inprimis vernalis aura hiemem profligaſſet] locus relinqueretur. Die illa, quod largum urinæ profluvium continuaret, & ut virium ratio haberetur, nihil amplius exhibebam. Nihiloſecius proxima nocte largiter fluebat urina, ſymptomataque bene ſe habebant. Ut tamen ferrum dum canderet cuderetur, de iterando medicamenti uſu cogitabam. Nihil oberat præter effectum vomitus, qui, quod facile liquet, ægram abdomine hypochondriiſque inflatam, diris modis exercebat. De cicuratione medicamenti proin ſollicitus eram, ſed quæ ejuſmodi eſſet, ut nobiliori medicaminis virtuti non obficeretur. Non mutatum proinde pulverem, cum ſuperfuſis unciis circiter ſex aquæ ferventis, ut infuſum bibere ſuaſi. Quo hauſto, hora circiter una cum dimidia elapſa, vomitus eodem quo antea modo conſequutus, idemque effectus tum alia conſequuti, tum, & præcipue, urinam, ita ut intra νυχθημερον ad tres menſuras flueret, imo & ultra, quod multis jam inde ab hebdomadibus intra νυχθημερον raro ultra tres uncias aſcenderat. Sed proxime ſequentibus diebus ſenſim decrementum patiebatur, adeo, ut ultra menſuræ dimidium non excerneretur. Decreſcente hoc, ſymptomata hucuſque leviora incrementum rurſus capiebant. De iterando proin medicamento cogitabam, utque portiunculam ceu antea, ægra, licet invita, ſumeret efficiebam. Hora proinde veſpertina ſexta circiter, medicamentum ſumenti aderam, intuiturus turbas, quas ex illo pertimeſcebamus, quæ ſane poſt horam elapſam tanto vomitus impetu ægram nobiliſſimam invadebant, perque horam integram & ultra, diris modis exercebant, ut illo tempore me virtutem medicamenti anodinam nondum

per-

pernoſcentem, ſollicitum haberet cura, ne vomitus vehementia ſolidis fluidiſque corporis partibus in nimias turbas verſus noctem concitatis, ſomnus [qui toto morbi creſcentis tempore multis inquietudinis intervallis diſtinctus fuerat, adeo ut nunquam duas in lecto integras horas de nocte una ſerie tranſegerit,] plane nullus eſſet. Summo proin alterius diei mane ad ægram me feſtinus conferebam, ſcire avidus, quid illa nocte actum fuerit. Sed metu me inani de inquietudine divexatum fuiſſe lætus accipiebam, noctemque multis aliis longe præſtantem, adeo, ut quærenti mihi, numquid illam noctem mitiorem habuerit? reſpondens in hæc verba erumperet: *Ich dancke meinem Gott vor die ſchöne nacht, die hat mich ſo erquicket als kurzens keine!* Ipſe exiſtimabis, amiciſſime Werlhofi, quanta has voces lætitia auribus hauſerim, Tu, qui ægrorum Tuæ ſemet curæ credentium non famæ cauſſa vel aucupandi lucelli ergo, ſed illa quæ ingenuum medicum decet, ratione, curam geris, quique totam Hannoveram teſtem habes, quod vere ante aliquot annos de Te cecineris,

Quod tibi languidulæ creet ardua cura catervæ
Sollicitas noctes ſollicitoſque dies;

quum præſertim hic actum fuerit de experimento circa medicamentum, cujus amore jam ducebar, e paucis quidem illis, at expectationem meam ſuperantibus effectibus, quodque ejus eſſe commatis doctos quoslibet medicinamque ſerio exercentes medicos eſſe exiſtimaturos confido, ut illud non improbent. Sed breve nimis caducumque gaudium reddebat caſus inopinatus, ita ut crepuſculi tempore inviſens ægram nobiliſſimam, querulam illam inquietamque invenirem, ex dolore brachii ſiniſtri [qui rheumatiſmo, ſed illo adeo levi ut nunquam illum magnopere curari ipſa voluerit, aliquos jam inde a menſibus fuerat adfectus] ad collum muſculoſque ſerratos & pectoralem protenſo. Cui quidem obviam ire potiuncula ex aquis diapnoicis cum bezoardicis fixis, allaborabam, ſed nil oberat quin altero mane ægram pleuritide ſpuria exquiſitiſſima laborantem invenirem. Urinæ profluvium, quod antecedente die mediocre fuerat, nunc mediocrius adhuc, cumque novo hoſte mihi negotium eſſe conſpiciebam, non quidem tam in ſe gravi vel magnopere metuendo, ſed quod ceptam medicamenti diuretici & continuatione demum efficacis exhibitionem penitus ſufflaminaret. Jam quidem de cauſſa retrocedentis tam ſubito ad pectus rheumatiſmi certior fieri non poteram hoc tempore, nec tam de cauſſa amplius pleuritidis, quam de curanda eadem, erat cogitandum. Sed quum paucos poſt dies chirurgus qui ſtuphæ [de qua ſupra pag. 18. diximus] præfectus erat, ex me quæreret, vellemne ut ſpiritum ſuum diſcutientem [de quo mira prædicabat externe pectori nobiliſſimæ ægræ adplicaret? Non difficilis erat conjectura, unde brachii rheumatiſmus ad pectus retroceſſerit, vel quod conſilio ſine me nato & dato, levis mali improvida curatione, graviſſimum fuerit accerſitum. Quod tametſi aliquot hebdomadum ſpatio penitus ſublatum eſſet, tamen tanta inde virium jactura, pulmonumque im-

becillitas, ut de repetendo uſu ſcillæ medico circumſpecto non amplius cogitare liceret. Urinis hinc non niſi parciſſime fluentibus, omnia ingraveſcebant ſymptomata, ægramque tamdiu excruciabant, medicaminibus aliis quibuslibet indicationibus minus ſufficientibus, donec exhauſtis viribus animam placide exſpiraret.

III.

Hoc caſu, quum virtutes ſcillæ ſingulares mihi innotuiſſent, quæque ejuſmodi viderentur, ut magnæ in praxi medica utilitatis eſſe poſſent, avide quid in medicina antiquiſſimis inde a temporibus memoriæ conſignatum ſit excutiebam, ut plenius inde meliusque informarer. Jam quidem ex vetuſtiorum hyles hiatrices ſcriptorum monumentis celebratiſſimum erat ſcyllam aquas exturbare. *Dioſcoride* atque *Theophraſto* id nonſolum aſſerente, ſed *Hippocrate* quoque ipſius virtutes jam deprædicante, quas *Galenus* deinceps περι ευπορισων l. 3. n. 205. ita exponit, ut cautiones de limitandis nimiis medicamentorum laudibus vix didiciſſe videatur. Ad quæ cum adjungerem, quæ in Botanologia medica *Zornius* in ſcillæ commendationem ex multis auctoribus collegit, cum illis quæ *Corvinus* in *diſſertatione de ſcilla* 1715. Altorfi habita, & quæ *Alberti* in *diſſ. de ſquilla* 1722. Halæ habita, adtulerunt, non poteram quidem, quin ſuum ipſi pretium ſtatuerem; ſed hæc omnia nimis generalia imo ſterilia videbantur, obſervationes practicas ſpeciales ſpecialiſſimaſque deſideranti, adde, quod de ſcillæ uſu in ſubſtantia vel infuſo, altum fere ubivis ſilentium. Bono igitur animo, ſpeque fretus non dubia, fore ut obſervationum, aliique materiæ medicæ, ſcriptores, numeroſe offerrent obſervata de medicamento adeo nobili, efficaci, & tot jam inde a ſæculis in medicinam invecto, quodque præceptorum auctoritate Galenicæ non minus quam Hippocraticæ ſcholæ commendatiſſimum eſſe oportebat, ad evolvendos (partim propria, partim liberaliter ad hanc rem collata amicorum aliquot, induſtria, quibus meritas grates publice ago) auctores me accingebam, quorum indicem tumultuarium hoc loco exhibebo. Erant autem fere ſequentes: *Dalechampii* hiſtoria generalis plantarum, *Dodonæi*, *Tragi*, *Fuchſii*, *Loniceri*, *Tabernæmontani* herbaria, *Matthioli* in Dioſcoridem commentarii & reliqua opera, *Sim. Pauli* quadripartitum botanicum, *Dale* pharmacologia, *Mangoldi* materia medica, *Woyts* gazophylacium medicum, pharmacopee univerſelle par *Lemery*, *Lipenii* bibliotheca medica, *Ettmulleri* oper. T. I. *Em. Königii* regnum vegetabile, *Foreſti* opera omnia, *Fabricii Hildani* opera, *Blancardi* opera medica, *Sennerti* opera medica, *Timæi* opera medico practica, *Wedelii* opera, *Blegny* Zodiac. medico Gallic. *Bartholini* acta medica Hafnienſia, *Cratonis* conſilia medica, *Blancardi* collectanea medica, Ephemerides medic. phyſic. *Acad. N. curioſorum*, Hiſtoire de *l'Academie Royale des Sciences*, *Kanoldi Breßlauiſche Sammlungen*, *Lentilii* miſcellanea me-

medico practica & Eteodromus medic. practic. *Pelargi Medicinſche Jahr-Gänge*, *Riverii* Praxis medica, *Stahlii* collegium practicum, *Riedlini* lineæ medicæ, *Brunneri* conſilia, *Goeckelii* gallicinium medico practicum, *Hoffmanni* medicina conſultatoria, *Elleri Medicinſche Anmerckungen*, quibus coronidis loco addebam lectionem tractatus de aceto ſcillino *Jani Matth. Duraſtantis* (*s*), qui data opera quidquid de ſcillæ uſu medico, apud Arabes, Plinium & Græcos exſtat, excuſſit & collegit.

IV.

Atque hi quidem omnes, quum nihil quod mihi ſatisfaceret, adtuliſſent, tum *Hermanni* cynoſura materiæ medicæ non album admodum calculum adjiciebat, diſertis verbis, *illam in ſubſtantia nunquam dari*, pronuntians. Sed quum de his meliora jam eſſemus edocti, [uti ex ſupra commemoratis patet] hoc mihi datum eſſe negotii perſpiciebam, ut, qua decet adtentum obſervatorem cura, quaque cautum medicum, circumſpectione, ad facienda cum hoc medicamento pericula me accingerem, & ſi quid eſſet aut præberetur in ægris quibus illo tempore medicinam faciebamus, ad hanc rem occaſionis, circumſpicerem.

V.

Opportune admodum illo tempore in mentem veniebat virginis cujuſdam, cui per totam anni ſuperioris æſtatem medicinam feceram, pedum crurumque ad abdomen uſque increſcente œdemate laborantis. Erat hæc viginti quinque circiter annos nata, temperamenti vivacis, ſanitate non quidem penitus indelibata, gravioribus tamen antea morbis per multos annos non tentata, & molliuſculi ac ſpongioſi habitus, liberaliter educata, habitior paulo nec procero corpore. Hæc quum Septembri menſe anni 1734 in febrem incidiſſet non levem, a gravi iracundia ortam, poſt aliquot hebdomadas cum ſanitate in gratiam redire incipiebat quidem, ſed tumore pedum ſimul corripiebatur qui vagis modis etiam reliquas corporis partes impetebat. Nihilotamenſecius, quum illo tempore ædibus ſolitis egredi ſtatuiſſet, Octobri ineunte mutato domicilio in novas commigrabat, loco declivi, ſolo humido, & ex mero lapide, extructas. Augeri tunc tumor incipiebat ſenſim, cum frigore pedum crurumque nullo integumentorum calore coercendo, & tranſpiratione tam per omnem corporis ſuperficiem, quam in-

(*s*) Tractatus hic excuſus in libello cui titulus, *Jo. Jeſſenii a Jeſſen* adverſus peſtem conſilium, cum ejuſdem de mithridatio & theriaca diſputatione, quibus annexi *J. M. Duraſtantis* de aceto ſcillino atque aloe, medicamentis valetudini tuendæ, vitæque propagandæ ſingularibus, Tractatus duo, nec non *Nicolai Curtii* Philoſ. & Med. libellus utiliſſimus an. 1575. Patavii propoſitus, de medicamentis lenientibus, præparantibus & purgantibus. Gieſſæ 1614. 8.

primis pedum, ſufflaminata, ſic ut nullo conclavium calore, licet intenſiſſimo, ſudor prolectari poſſet. Putabantur hæc omnia non morbi prægreſſi tam, quam domicilii in quo nuper degere ceperat, culpa evenire. Sed quum ægritudo temporis ſucceſſu incrementa caperet non levia, ineunte anno ſuperiori de cura chronici hujus mali ſerio cogitabat. Ad quas quidem cogitationes urgentiori noviterque accedente calamitate adigebatur, dum ex gravi tædio denuo graviſſima febre corriperetur, cum momentaneo nonſolum veteris tumoris incremento, ſed facie quoque totoque capite mirum in modum tumente. Adhibitus medicus, poſt ægre ſedatum febris æſtum, id ſibi dari negotii conſpiciebat, ut tumore corpus liberaret. Ad quam rem medicaminibus evacuantibus ac diureticis potiſſimum, ſtrenue quidem pergebatur, ſed ejuſmodi rerum ſucceſſu, ut verſus paſchatos feſtum agnatis mœſtam occineret prognoſin, ſpem de ſanitate non ſolum recuperanda, ſed de vita quoque, penitus collabaſcere. Labante hinc in medicum fiducia, ſepoſitis medicaminibus, abſtinentia, quiete, temporis, & forte etiam miteſcentis tunc anni tempeſtatis, beneficio, eouſque cum ſanitate in gratiam redibat, ut lecto ſurgere poſſet, cibum potumque adpeteret, ſomnumque recte capere inciperet. Sed de tumoris decremento (ſi capitis tumorem excipias) nihil. Non enim ſolum pedes, ab innominatis, ad digitos, oſſibus, ſed brachia quoque, impreſſorum digitorum veſtigia ſervabant, facie non raro ſubtumidiuſcula. Hinc quum hæc denuo augeri, tumorque ad regionem renum infimumque ventrem extendi inciperet, meum auxilium Maio menſe requirebat. Curæ proinde initium faciebam continuato per aliquot ſeptimanas pilularum Beccherianarum Stahlianarumque, ad quas MPil. e ſuccino addebatur, uſu, quem excipiebat uſus decocti [ex ſpec. pro dec. aper. major. ſummitatib. millefol. & herba arnic. ve. c. aqua, taraxac. fol. querc. & fl. acac. parati] quotidianus larguſque ſatis, interponendo eſſentiam millefolii cum carminativa Wedelii & TR. antimonii tartariſata. Atque horum quidem uſu per Dei gratiam morbi incremento obex ponebatur. Sed decrementi nihil. Pergebam proinde ad ireos noſtratis in aqua fœniculi maceratæ ſuccum, [Conf. cel. *Werlhofii* obſ. de febrib. p. 60.] & ſi quid amplius hoc proficeremus præſtolabar. Sed quum per dimidium menſem neque ex his quidquam ſolatii accederet, fortius inſtare [ne optima ad hanc rem æſtatis tempeſtas temere elaberetur] conſtituebam, ægra utpote nonſolum draſtica ferente, ſed convaleſcentiæ quoque ſpe nullam medicationem exhorreſcente vel nauſeante, & ad omnia parata. Auguſto igitur menſe ineunte, nihil prudenter intentatum relinquere ſtatuens, infuſi croci metallorum larga exhibitione ſollicitato vomitu, & incredibili copia amurcæ tenacis bilioſæque inde rejecta, curam urgere ſtatuebam, quam ex ſchedulis breviter recenſebo: Rcp. acinor. juniper. ℥*iij*. Contuſis adde vini gallici ℔j. ſtent. in digeſtione calida per noctem, percolata d. rcp. ſucci chærefol. per ſe expreſſ. ℥vj. d. ad vitr. Rcp. ſucci chærefol. c. vin. alb. macerat. ℥*ij*. d. Rcp. ſucci ireos noſtratis in vin. alb. macerat.

cerat. ℥*ij*. Mann. calabrin. ℥j. D. S. *auf 2 mahl bald nach einander zu nehmen.* Rcp. ſucci chæref. c. vin. alb. par. ℥vj. S. *Safft wie der vorige zu nehmen.* Rcp. diacyd. pell. jal. ℈*ij*. ſolv. in vitelli ovi & aqua cinam. vinos. a. ʒj. adde deinceps infuſ. laxat. mannag. ℥iv. ſ. *Purgier-Träncklein.* Rcp. ſucci chærefol. c. vin. alb. par. ℥iv. Rcp. pulv. antiſp. St. ʒ*ij*. limatur. martis ſicco modo alcoholiſatæ ʒj. ol. de cedr. ver. gt. ij. M. f. pulv. in vj. doſ. æqu. divid. S. 6. *Pulvers.* Rcp. hb. baſilic. mari, origan. ſerpyll. fl. chamom. Rom. a. ℥j. ſpec. pro cucuph. aug. ſemunciam M. irrorentur ol. ſtill. ſuccin. ʒj. lavand. ℈j. pro balneo vaporoſo ex infuſione horum cum vino, & injectione ſilicum candentium verſus ſomni tempus adminiſtrando. Iteretur potiuncula purgans die 13. Aug. præſcripta. D. S. ut antea. Rcp. ſpiritus frumenti rectificatiſſ. ℥*ij*. ol. ſtill. lavand. ℈j. M. S. ſpiritus *zum anzünden und nachheitzen nach dem Qualm-Bade.* Rep. acinor. juniper. ℥iv. leviter contus. irrorentur ſpiritus vini tartariſati ℥j. ſtent per horam in cucurbitula clauſa, dein affunde vini gallici menſ. j. ſtent in leni calore, colata d. ad vitr. Iteretur medicina die 20 & 13. Auguſti. Rcp. ciner. lign. & frond. juniper. artemis. ſtipit. fabar. geniſt. abſinth. ſummitatum abſinth. a. ſemunciam. Infundantur c. vin. gallici bonæ notæ menſ. I. ſtent in digeſt. calida per diem & n. filtrata D. S. *Kräuter-Wein wie der vorige.* His toto menſe Auguſto per vices, imo iteratis quoque vicibus, exhibitis, per Dei gratiam morbi decrementum eouſque perſentiſcebamus, ut omnis ab abdomine ad ſuras tumor evaneſceret, nec parva ſpes eſſet fore, ut hiſce reliquiis brevi etiam liberaremur. Sed caſus inopinatus hanc propemodum evertebat, quum Septembre ineunte ſoror noſtræ ſubitanea morte exſpiraret, ex quo contracta animi ægritudine, ad lipothymias uſque ægram incedente, ſupplantatoque corporis robore, veterem morem reſumebat morbus, atque ſupra genua aſcendere tumor rurſus incipiebat. Accedebat mœrori mœror ob ſanitatem, & quum autumnalis tempeſtas ſimul auſterius ingruens, curationi non magnopere velificatura videretur, quid de prognoſi hic fuerit facile exiſtimabunt artis periti. Bono tamen illam nihiloſecius animo eſſe jubebam, meque daturum operam ſpondebam, ut brevi quod ſubito deperditum erat ſanitatis recuperaretur. Medicinam igitur viribus ex mœrore languidulæ quantum fieri poterat adcommodans, Septembri menſe & Octobri mitioribus ſupra recenſitorum medicamentorum iteratis, adjuncto continuato uſu pilularum Beccherianarum cum illis quæ e ſuccino adpellantur, (quum præſertim menſium negotium, quod toto antecedentis morbi decurſu ad dies imo horas adcurate reſponderat, poſt mœrorem penitus ceſſaret] hoc proficiebamus, ut medio Novembri in vado rurſus omnia, & talia, eſſent, qualia Septembri ineunte fuerant, ſi unum excipias menſium negotium, quod venæſectione in pede (*t*) licet tumido

 lar-

(*t*) Adhibebam huic celebrandæ ſtratagema, ut die antecedenti, atque illo mane quo vena ſecanda erat, e lecto non ſurgeret ægra, dieque antecedente faſcia expultrice conſtringeretur tumor pedis.

largiter adminiſtrata adjuvare allaborabam. Sed vix aliqua ex parte voto reſpondebat eventus, nihilque inde emolumenti, niſi forte in lucro ponere velimus, quod damna ex menſibus non ſuccedentibus metuenda, non fuerint animadverſa. Exinde igitur, quum cetera valeret noſtra, nec quod nos magnopere ſollicitos haberet, eſſet, præter tumorem pedum a ſuris ad digitos pertingentem, ſtatuerat his adquieſcere, patienterque quidquid eſſet λειψάνων morbi, ferre, [quum morbi creſcentis metu libera ſibi videretur,] ſiquidem mihi ita viſum foret. Ego vero, tametſi nec inducias medicas, nec medicamentorum hyſterergiam ignorem, aut mei magis quam ægrorum cauſſa, continuatæ medicationis auctor eſſe ſoleam; tamen ob anni tempeſtatem prægreſſorumque memoriam ipſius ſententiæ ſubſcribere non poteram, hoſtemque terga vertentem penitus profligare ſatius ducebam, quam lenitate intempeſtiva novæ virium ipſius collectioni indulgere. Præcipite igitur Novembri, quum paulo ante innotuiſſent ſcillæ virtutes *obſervatione ſpeciali I.* expoſitæ, pulverem ex ſcillæ granis quatuor, cum duplo nitri tritæ, addito radicis vincetoxici dimidio ſcrupulo, exhibebam, ac primo quidem in infuſo quemadmodum ſupra jam commemoravimus. Ab hac exhibitione nec vomitus, nec nauſea, nec quoque altero die auctior diureſis. Sequenti mane proinde ſimilem pulverem in ſubſtantia capere ſuadebam. Quo facto, horæ nonſolum ſpatio vomitus ſucceſſerat; ſed quum paulo poſt eamdem inviſerem, lætabunda narrabat, eodem quo vires exeruerat ſcilla temporis momento, menſes ipſi largiter & cum admirabili euphoria ſucceſſiſſe. Sequebatur eodem die diureſis uti crebrior ita largior, ad plures deinceps dies durans, adeo, ut, [quum ſuaſu meo obſervaret quantum liquoris circiter intra nychthemeron in juſculis, potuque vel cereviſiæ vel thee aut coffe biberet, & quantum exinde redderet lotii] lotium ad duplum aſſumtorum pondus accederet. Tertium ſcilla, methodo paulo ante commemorata in pulvere hauſta erat, pro diureſi ulterius movenda die ſecundo Decembris, illoque & ſequenti die ſoliti effectus recte erant conſequuti, quum nocte diem Decembris tertium & quartum intercedente noſtra præter omnem expectationem colica corriperetur vehementiſſima. Quam cum nephritici generis eſſe omnia fidem facerent (*u*), potiunculam in atrociſſimis ejuſmodi caſibus mihi frequenter probatam, ex aquis papav. rh. chærefoliique vel petroſelini, cum pulvere antiſpaſmodico Stahlii & abſorbente Wedelii, addito antimonii diaphoretici tantillo, dabam, qua aliquoties ad unciam dimidiam exhibita, doloribuſque ſopitis, eadem die adhuc ſequebatur excretio calculi, magnitudinem ciceris rubri æquantis. Jam quidem exquiſitiſſimis his totam corporis com-

(*u*) Simili ſiquidem colica menſe Auguſto fuerat correpta, quam excretio calculi lentis magnitudinem æquantis ſolverat. Sed notabile, quod antea nullus nec minimus calculi fuerit uti ſenſus ita metus. Non eſſe enim dicimus in hujuſmodi rebus quod nullo modo ſentitur. Et hæc calculi ἀναισθησία ad illam de qua ſermo nobis hic eſt noctem penitus viguerat.

compagem exagitantibus motibus aliquantiſper inflari pedum tumor videbatur. Sed ſequentibus diebus largo urinæ profluvio continuante, brevi in vado omnia. Hinc quum per integros ſeptem dies quotidie parreiram bravam mane in infuſo & in pulvere verſus ſomni tempus ſumere, hocque medicinæ genus deinceps aliquandiu bis terve quovis ſeptiduo, reſumere, ſuaſiſſem, calculi metu evaneſcente, pulvere ſcillitico aliquoties dein exhibito, auctior diureſis, quæque aſſumtorum pondus duplo exuperaret, tumorem pedum penitus componebat, licet duriſſima & his tumorum generibus inimiciſſima anni tempeſtas eſſet. Redibat inſuper pedibus calor & tranſpiratio, quæ integro jam inde ab anno defuerat, adeo ut ſudor nullis unquam, vel integumentis, vel aliis incitamentis, aut deambulatione prolectari poſſet. Menſium negotium in meliorem ſeſe frugem recipiebat, degitque nunc ſana & ſalva virgo, ſummo omnium bonorum largitori gratias agens, quod in morbis refractariis & nullo naturæ auſu ſanabilibus, naturæ ſuccumbenti ſuppetias ferre poſſe dederit hominibus.

V I.

Et hactenus quidem de ſcillæ virtute diuretica. Sed quod antecedens theſis nonnulla continere videtur, quæ ad cautiones medicas de uſu ſcillæ circumſpecto in nephriticis pertinent, hic pedem aliquantiſper figere propemodum res ſuadet. Verum enimvero, quum hoc quidquid eſt obſervationum, non tam medicinæ tyronibus ſcriptum ſit, quam medicis jam in praxi clinica exercitatis, [a quibus tamen vehementer velim illos eximi qui crudis ſtudiis in Æſculapii ſacra protruſis, ventoſa quidem, ſed precaria nihiloſecius annoſioris praxeos commendatione ſolum valent] aut certe ejuſmodi, qui propriæ experientiæ adoleſcentiam ſtudiorum maturitate inſtruxerunt; ab hac cautione mihi tempero. Et vero ſi cæco medicamenti efficacis amore ducerer, facile patrocinium ipſi reperirem, quum ultra quadraginta ab aſſumtione horas nullum nephritici doloris indicium in noſtra adfuerit. Tamen quod diureticorum prorſus omnium non poſſit non illa eſſe indoles, ut ſi quid calculoſi in renibus hæreat, illud excutiant, cumque urina in ureteres propellant; nec ſcillam ab hac cautione velim exemtam. Interim nihiloſecius medicis medice doctis problema hoc medico practicum ratione & experientia ſolvendum proponere licebit? Anne ob virtutem anodynam, [paſſim in hoc ſchediaſmatio expoſitam] indicationibus morbi diureticum fortius efflagitantibus, etiamſi quoque nephritici quidpiam adſit, præ reliquis ſcilla videatur admittenda? Atque hæc quidem de nephritide ſtricte dicta, intelligi velim. Quod ſi enim de nephritide ſabuloſa, ut ita dicam, oriatur quæſtio, vel etiam pituitoſa, omniaque nos lapillorum renalium indeque oriundarum colicarum nephriticarum metu eximant, non dubitaverim ſcillam reliquis præferre.

VII.

Ita vero menſe Aprili hujus anni ſcripſeram, ſperans propediem publica luce has obſervationes iri donatas, nihilque prius habens, quam ut primo quoque tempore ſeſe obferret occaſio, quæ problemati modo propoſito lucem adferret. Interea temporis quum noſtris partim, partim typorum impedimentis, factum eſſet, ut plus quam trium menſium mora editioni intercederet, votis eventus non mediocriter reſpondit, adeo, ut tribus diverſi generis exemplis ſive obſervationibus ſpecialibus edoceremur, quid ad nephritidem ſcilla valeat. De qua re ut eo plenius dicamus, utque benevolo lectori eo preſſius exponamus, quæ vera ſit de his ſententia noſtra, paucis præfabimur, quid hoc loco nephritidis, tripliciter diſcriminatæ vocibus nobis velimus, dum illam *calculoſam*, *ſabuloſam* & *pituitoſam* adpellavimus.

VIII.

Nephritidis vocabulo varie uti rerum medicarum ſcriptores, hoſpes in medicina ſit oportet qui ignoret. Ac præcipue quidem dolorem renum ex congeſtione ſanguinea, & exinde metuenda inflammatione, hujuſque ſymptomatibus, denotat. Liceat vero nunc generalius ſumto nephritidis vocabulo, eodem adpellare conſtitutionem renum præternaturalem, triplicis, experientia ita docente, generis, dum renes male habent vel ex congeſta ſeu præſente in illis pituita aut muco, vel ex ſabulo minutiore ſine exquiſitis doloribus urinarias vias permeare valente, vel denique ex ſabulo groſſiore lapilliſque, difficilius, nec ſine dolore cum urina exitum reperiente, quæ ſingula obſervatione ſpeciali nunc ibimus illuſtratum.

IX.

Quod itaque ad *nephritidem* quam *pituitoſam* adpellavimus, ſequens interea temporis ſeſe obtulit nobis Obſervatio. Fœmina LV. circiter annos nata, habitus corporis roboriſque mediocris, queritur de dolore lateris dextri. Invaſerat ille ante hos decem jam annos præter omnem opinionem, illamque omnis in rebus non naturalibus dictis delicti ignaram, fulminis quaſi ictu impetiverat, ab abdomine ad regionem renis in dextro latere ruens, & quum poſt primam invaſionem obtuſior ab initio fuiſſet, temporis ſucceſſu non exquiſitior ſolum factus erat, ſed latius ſerpſerat, ad inguina iſtius lateris, veluti cum ſenſu herniam ibi molientium inteſtinorum. Nec ſola hæc calamitas, iſchiadicum non raro malum exacte mentiebatur. Alvus uti cum his ſegnior ſemper fuerat, ita utplurimum pertinaciſſime obſtructa. Urina ſubruſa, & ſimul mucaginem (non abſ-

que

que moleſtiori ſenſatione) eructans, quæ in fundo matulæ aut vitri urinarii, inſtar ſpermatis renarum fluctuaret, tantæ vero eſſet tenacitatis ſeu glutinoſitatis, ut plurima ipſius portio vaſis urinarii fundum, etiamſi penitus inverteretur, non dimitteret. Uſa erat ad hanc rem variis omnino conſiliis, partim empiricis, partim etiam medicis, quibus nihil proficientibus ad chirurgi cujuſdam artes confugerat, qui quantum ipſi ars (qualis eſſe ſolet horum hominum) ſuggeſſerat, venam ſecando purgandoque (quod rectius forſan hic clyſterium donando factum eſſet) ſtrenue perrexerat. Sed quum voto minus reſponderet exitus, artiſque ſuæ inopiam impatienti tandem ægræ fateri cogeretur, gravem omnino morbum eſſe emphatice pronuntiat, adeo, ut niſi certus aliquis medicus, (quem ſuis eximie faventem partibus noverat) forte aliquod ad illum remedium haberet cognitum, res omnino deſperata foret. Hinc celeriter advocatur medicus chirurgi commendatione adeo jam pollens, qui bono ipſos animo eſſe jubet, & de cura mali neſcio quid non pollicetur. Itur in hoſtem Eſſentiis lithagogis phyſagogiſque fortiſſimis, largiter admixtis anodynis, interpoſitis pro alvi ſegnitie corrigenda purgantibus, ſi non κατω, ανω certe viam invenientibus. Quid hoc curationis genere profectum fuerit artis peritis facillimum erit conjecturam facere. Sepoſitis proinde aliquantiſper medicaminibus, ulteriorem eventum expectare ſtatuitur. Sed ſine quiete ſæviens morbus, ad medici opem denuo confugere vel nolentem docet. Itur proinde ad me, præcipite Maio menſe, quum omnia illa quæ ab initio hujus theſeos commemoravimus dolorum genera in ægram quaſi conjuraſſent, dolorum quietæque in lecto continentiæ impatientiſſimam. Adhibitis igitur ad hanc rem, per integrum propemodum menſem ejuſmodi medelis, quæ partim chronico iſti dolori, partim etiam accedentibus ſub animi commotionibus (quibus ex graviſſimo familiæ ſuæ caſu eodem tempore valde erat obnoxia) colicis doloribus (*x*), poſſent levamen adferre, tantum proficiebamus, ut lecto interdum egredi valeret, cui, quum primum ad illam accerſerer, ſemper fuerat adfixa. Hinc curationis urgendæ tempus me nactum eſſe exiſtimans, (ægra ad omne curæ genus pro ſtabilienda ſanitate parata), ut inexhauſto iſti renalis pituitæ proventui obicem ponerem curam gerebam, de cujus promta per renes excretione antea ſolum fueram ſollicitus. Hinc Sedlizenſium aquarum lagenis aliquot ſucceſſive & ut vires ferebant epotis, eo quidem perveniebamus, ut pituita illa renalis non quantitate ſolum ad aliquod tempus minueretur, ſed eadem glutinoſam quoque tenacitatem deponeret. Verum ne hoc quidem adeo ſatisfiebat morbo chronico, quin rediret ad ingenium, perque vices mucum, tum copioſiorem tum tenaciorem pro-

(*x*) Hi dolores colicam ex calculo, ſive nephriticam, prorſus referebant, adeo, ut in declinatione paroxyſmi nihil fere certius, quam lapillorum excretionem apud animum expectarem. Sed in horum locum ſemper ſuccedebat excretio muci cum urina copioſiſſimi tenaciſſimique.

generaret. Repurgato proinde aquis mineralibus corpore, tanto minus ad ſcillæ uſum accedere dubitabam, hac quidem methodo, ut parva primum doſi, ſucceſſive dein augenda, irem exploratum, quomodo ferret medicamentum ægrota? Et quum antea ſcillam vincetoxici radici admixtam exhibere conſueviſſem, nunc illius ſolius cum duplo tantum nitri (*y*) tritæ exhibendæ conſilium inibam, additis pro corpore ut ita dicam, ſive uti in ſcholis adpellari ſolet, excipiente, cancrorum lapidibus. Sumta ſunt hunc in modum prima die ex jure carnium duo ſcillæ grana, tertia tria. Ab his nullus vomitus, ſed nauſea ſolum, alvique exſolutio aliquoties ſequuta. Sed ad renes & in dorſo preſſionis ſenſus, cum quo & urina crebrius fluebat, & cum hac inſignior muci ſæpius commemorati copia, quæ ſequentibus proxime diebus notabile decrementum patiebatur, cum ægræ euphoria. Poſt ſeptem dies eodem modo repetiti iidem pulveres, a quibus ſingulis uti nauſeæ ita nunc vomitus non leves aliquoties concitati. Sed νεφριτικωδης nihil, nullusque colicæ nephriticæ ſenſus, (a draſticis ceteroquin remediis in hujuſmodi caſu vix unquam non metuendæ) potius cum urina largiter excreta pituita renalis, ſed tenacitatis jam expers, imo penitus propemodum evaneſcens deinceps, ita, ut tertium ſumti poſt decendium circiter hi duo pulveres, a quibus vomitus nullus, vix leviter in urina natantem nubeculam eructaverint produxerintque. Redeunt integro jam inde a menſe cum cibi potuſque adpetentia, ſomnoque, vires, nec exquiſitior amplius in dextri renis regione ſenſus, nec malum iſchiadicum, nec in inguine dolor, & licet hoc tempore graviſſimis animi pathematibus crebro admodum exagitata fuerit, nullus tamen veterum dolorum, iram ipſius mœroremve preſſo pede decem jam inde ab annis ſequi ſolitorum, ſenſus, adeo, ut, licet ſaporem pulveris vehementer abhorreat, tamen ſtatuerit, prophylactice hoc pulvere crebrius ſtatoque ex noſtro conſilio tempore; uti, utpote in quo per Dei gratiam præcipuum rebellis morbi medicamentum ſe reperiſſe, non opinatur ſolum, ſed penitus perſentiſcit.

X.

Diximus de nephritide pituitoſa, unde nunc ad alterum genus, quod ſabu-

(*y*) Diximus, nos, ut effectus ſcillæ ſibi relictæ rectius indagaremus, vincetoxici radicem omiſiſſe (utpote ſuis jam dudum virtutibus celebrem) ne, ſi qui forſan ſcillæ, ſeu nobis etiam, minus faverent, haberent. quo in dubitationem poſſent advocare, fuerintne hujus medicinæ effectus vincetoxico magis, quam ſcillæ tribuendi. Sed de omittendo nitro non æque facilis atque expedita res fuit viſa, quum ſufficienti deſtitueremur experientia, domitoreque opus habere acriores ſcillæ particulæ viderentur. Quanto vero clarius de nitro rationibus obſervationibusque paſſim in aureolis ſcriptis evicerat Hoffmannus, nitrum egregium præbere cauſticorum, ſeu acriorum medicamentorum, domitorem, tanto minus ab hoc diſcedendum videbatur, quum particularis circa ſcillam obſervatio ejuſdem, nitrum ad hanc rem plane egregium pronunciaret.

ſabuloſum adpellavimus, pergendum, in quo problematis pag. 32. propoſiti reſolutio, ſequenti experientia illuſtrabitur. Fœmina quinquagenaria, diu jam de anorexia ſummaque ventriculi imbecillitate queſta, vel ſi quid etiam alimentorum adpeteret caperetque ſtatim inde ventriculi doloribus tentata, rogat ut ventriculi ipſius curam velim ſuſcipere. Querebatur eadem de ſubitanea ſæpius ſe divexante nauſea, cum horroris omnes artus permeantis ſenſu, crebrius, nec ſtatis periodis, invadente. Sciſcitanti mihi, quæ potiſſimum ægritudinis cauſſa eſſet, (quum & mali hyſterici & vermium ſymptomata particularia viderentur admixta) nulla propior videbatur renum vitio, quum nonſolum dorſi dolor in illorum regione potiſſimum perſentiſceretur, ſed præſente malo, affatim quoque ac quaſi ϛραγγȣριωδως urinam redderet, in fundo vitri ſabulum deponentem. Nullo proinde ſtomachicorum adparatu (z), ſed medicamentis nephriticis leniſſimis adhibitis, illam brevi per Dei gratiam in ſanitatis viam reducebam. Sequebatur quoque haud ita multo poſt pituitæ tenacis, excretio, in qua ſparſim impacta erant, veluti in matrice nidum præbente, granula calculi, milii parva ſemina æquantia, coloris ſubrufi. Ex illo tempore reviviſcere quaſi ſibi videbatur fœmina, ſanoque ſimillima per menſem prope integrum degebat. Sed mox in pejus verti omnia incipiebant, unde querula ad noſtram iterum confugiebat opem, utque de malo, quod miteſcere docueramus, penitus eradicando cogitare velim, orat. Nulla igitur mora interjecta, antequam vires colligeret morbus, ſcillam ad manus ſumebam, ejuſque quatuor granis cum duplo nitri & quintuplo lapidum cancrorum tritis, renes ibam excuſſum atque inſtauratum. Primum itaque ſumtus pulvis nihil efficaciæ exerebat, vomitu, nauſea, vel diarrhœa; ſed ſolum circa renes & in dorſo leviuſculi dolores motuſque. Altero vero mane, quum ſimilem pulverem hauſiſſet, hora elapſa vomitus ciebantur, poſt quos cum crebro ad mingendum ſtimulo, urina excernebatur copioſiſſima, ceriviſiæ feces in vitro urinario adeo tetro ſpectaculo referens, ut non leviter cum marito exhorreſceret, nec, præ pudore honoriſque cauſſa, quum illam viſerem eamdem

(z) Miſere cum ægrotis agi, ſi medicus quod ipſi expetunt curationis genus, ſtatim ipſis adhibeat, inter veros non ſolum Hippocratis filios notiſſimum eſt, ſed recentiſſime a nobis pag. 5. Scholio 3. & 4. exemplo confirmatum. Atque ut aliquid huc propius adhuc pertinens adferamus; novi virum quinquagenarium, adeo nephriticum, ut integra jam lapidum, laborioſo maximam partem partu a ſe editorum, cimelia ſervet, hic ſuperiori anno quum in notitiam ipſius perveniſſem, crebrius a me ut laboranti ſtomacho ſuo ſuppetias ferrem, rogare ſolebat. Ego vero quum renes curari oportere docerem, eſſentiaſque ſtomachicas ipſi dare negarem, tametſi ipſi ab initio non ſatis officioſus viderer, tamen hoc modo aliquoties ſtomacho ipſius, per indirectum, (ignoſcite barbariei) curato, hoc obtinui, ut ipſe curationis ſuæ moderator amplius eſſe nolit, omnemque ejus partem mihi lubens jam concedat.

eandem monſtrare vellet. Dimittebat hæc amurca in fundo vitri plurimum ſabulum, deque renum vitio, tanquam ægritudinis præcipua cauſſa, nos non temere fuiſſe ſollicitos, docebat. Sequentibus diebus urinæ quidem adhuc nonnihil turbulentæ, quales etiam, quum poſt decem circiter a ſecundo pulvere dies, me auctore tertium ſumſiſſet pulverem ſcilliticum, [qui per diarrhœam potiſſimum virtutem exeruerat] aliquo modo ſequebantur. Sed quum poſt octiduum quartum hauſiſſet pulverem, quaſi προφυλακτικως ipſi exhibitum, amplius in urina nephritici vel calculoſi nihil. Ceterum ex quo ſecundum ſumtus pulvis adeo notabiles effectus exeruerat, dici vix poteſt quam egregie nunc per duos jam menſes continuos ſeſe habeat fœmina hæc, dum recte cibum ſomnumque capiens, & ab labores alacris, pingueſcere habitiorque fieri incipit, quæ integris jam inde ab annis languerat, innumeriſque pſeudomedicinis nihilo plus profecerat, quam ut propemodum deſperare inciperet, ſe cum ſanitate in gratiam unquam redire poſſe, nunc quaſi reviviſcens, & mecum ſcillitici pulveris virtutes laudans admiranſque.

XI.

Venio nunc ad obſervationem ſpecialem, problemati medico ſupra p. 82 in medium allato ſolvendo, inprimis adcommodatam. Virgo, de qua ſupra obſervatione ſpeciali IIda ſermo nobis fuit, Maio hujus anni Junioque menſibus, poſtquam ex morbo ſupra deſcripto penitus convaluiſſet, queritur ſe exquiſitis dorſi doloribus [quales ex calculo renali ſe anno ineunte ſenſiſſe memoria tenebat] crebrius infeſtari, quos utplurimum dolorifica lapillorum cum urina excretio ſequatur, ac licet hi dolores longe tolerabiliores eſſent illis quos ſupra pag. 31. commemoravimus, tamen quod ſatis moleſti non ſolum, ſed & metu gravioris mali ſtipati eſſent, rogat, vellemne dare operam, ut his quoque periculis defuncta vivere poſſet. Ego, quod jam aliquoties antea de ſcilla ipſi exhibenda, experiendiſque in ipſius nephritide medicamenti viribus, cogitaſſem, non diu admodum, quo medelæ genere illam tractarem circumſpiciebam. Hinc Julio menſe ineunte pro lubricandis viis renalibus, inteſtiniſque a ſordibus repurgandis, inque paraſceven uſus ſcillitici pulveris, Sedlizenſes aquas ſuadebam, quarum una lagena quatriduo epota, quinti vel ſexti diei mane ſcillam propinare erat conſtitutum. Sed quum die quarta præter opinionem colica nephritica non leviter tentaretur, viriumque gravem feciſſet jacturam, differendus erat ſcillæ uſus. Tertia proinde die, quum denuo Sedlizenſis aquæ libra una alvus eſſet ſoluta, altero mane pulvis ſcilliticus, qualem obſervatione antecedenti deſcripſimus, ſumitur. Sequebantur hunc non ſolum vomitus quidam leviuſculi, ſed alvus etiam aliquoties exinde ſolvebatur, cum ſenſationibus in dorſo, adeo ut nihil non moviſſe videretur. Sequentibus duobus diebus, denuo Sedlizenſis

aquæ

aquæ libra una epota, altero mane ſecundum ſumitur pulvis ſcilliticus ex juſculo ut antea. Sequitur idem, qui a primo pulvere effectus, ſed nephritici mali nihil, nec in urina quoque, [ſi forte crebriorem ad illam ſtimulum eximas] præter naturam quidquam. Mirabamur quod de calculo nihil prorſus ſentiretur. Verum enim vero, uno dierum ſeptenario circiter elapſo, quotidiani lapillorum, lentes cicereſque magnitudine referentium, ſequuntur proventus, adeo ut vix urinam redderet, quin lapillum excerneret. Sed quod inſolitum, admirationeque digniſſimum, nullus amplius ex horum ſucceſſu dolor, non colicæ, non viarum, quas lapilli permeant moleſtæ arroſiones, ſed perfecta calculorum, licet adſint, gaudet αναισθησια, ſenſim quoque nunc decreſcente illorum proventu, & cetera rectiſſime valente virgine.

XII.

Sub hujus anni initium ad mulierem advocabar, ad hydropem tamdiu empiricorum opera uſam, donec omnis convaleſcentiæ ſpes evaneſceret, quum continuato eſſentiæ jalappæ uſu quotidiano propemodum hoc effectum eſſet, ut omnia abdominis contenta ſibi quaſi ignibus exuri atque torreri quereretur ægra, ſiti inexhauſta, tuſſique & quæ alia ad conſummatos hydropes accedere calamitatum practici norunt, illam miſere excruciante. Urina parca, ex alvi profluvio nihil vel parum levaminis. Ut morbum juſtis modis non tractandum ſaltem tolerabiliorem redderem, demulcentium antiphlogiſticorumque uſu laborabam, nec temere, adeo ut ſopitis illis quæ contraindicantia fuerant, àd ſcillitici pulveris uſum accedere auderem. Per tres igitur dies continuos tribus quotidie ſcillæ granis cum nitro & vincetoxici radice exhibitis, an urina ſollicitari poſſet, periculum faciebam. Sed quum nulla nec minima ratione diureſis inde augeretur, vomituſque exhibitionem pulveris horæ unius vel alterius poſt aſſumtionem ſpatio ſequens, ſine ſpe levaminis ægram excruciaret, ab uſu hujus deſiſtebam, nec in pulvere neque in infuſo expectationi ſatisfacientis.

XIII.

Obferebat ſe haud ita multo poſt alia occaſio faciendi periculi circa ſcillam. Mulier quadraginta ſex annos nata, mercenario labore victum quærens, duroque vitæ generi adſueta, cui decimo tertio ætatis anno catamenia jam fluxerant; quæ fere ſemper deinceps nimia habuerat, anni ſuperioris autumno ineunte tumore per univerſum quidem corpus quaſi vago, atque nunc caput, nunc manus, nunc pectus in ſiniſtro, mox in dextro latere impetente, in infimo tamen præſertim ventre, atque exinde ad extrema pedum, fixo, adfligitur. Atque horum quidem tumor digitorum prementium veſtigia ſervans, hydropicæ indolis videbatur, quum

vagus ille elaſticus eſſet & ad tactum renitens. Multis paſſim auditis hydropis remediis euporiſtis fruſtra adhibitis, tandem ad gummi guttæ uſum delabitur, cumque hujus ſcrupulum aliquot vicibus pro aquis expurgandis aſſumere juberetur, per errorem tertiam partem ſemunciæ ſumit. Quæ & qualia hæc fuerint conſequuta, non opus forſan enumerare medicis clinicis, quodque alvini profluvii & vomitus vehementia mulier robuſta alias & quadrata ſemimortua toto illo die jacuerit. Cum alvi profluvio tres lumbricos excernebat, ſeſqui ſpithamam longos, & licet proxime ſequentibus diebus, quod facile exiſtimari poteſt, valde langueret, tumoris tamen ſenſibili decremento ſequente, duram licet, juſtam tamen morbi ſui medicinam ſe reperiſſe gaudebat. Hinc poſt aliquot dies ſemunciæ partis tertiæ partem tertiam denuo ſumit, a qua vomitus quidem nullus, ſed alvinæ dejectiones confertiores cum lipothymiis & nauſea. Excernebantur ſimul duo vermes prioribus ſimiles, cujus generis alii duo paucos poſt dies priores ſequebantur, adeo ut intra octiduum ſeptem ſatis magni vermes excernerentur non ſolum, ſed tumore decreſcente, ſanitatem ſperare inciperet. At minus diuturnum hoc gaudium, ad ingenium enim brevi redibat morbus, licet alvus æque ac veſica quotidie officio reſponderent. Circa urinam ſolum color lixivioſus hydropici quidpiam monſtrabat. Duraverant hæc per ſatis longum tempus, quum domino domicilii, quo utebatur ægra, medicinam facere rogarer. Qui cum mentionem hujus mulieris injiceret, miſellæ, & cui non ſuppeteret unde medico & pharmacopolæ ſatisfacere poſſet, illam adibam, meque eleemoſynariam ipſius curam geſſurum pollicebar. Videbar enim mihi occaſionem novam faciendi ci ca ſcillam periculi nactus. Morbi tunc facies qualem ab initio pinximus, præterquam quod vires non ut antea ſuppeterent. Exhibebam igitur ipſi ab initio, largiter bibendum decoctum, cui baſis erant ſpecies pro decocto aperitivo maj. Ph. Aug. Sed quum hoc nihil proficeretur, urinaque (quum alvi profluvium tumorem non levaret,) ſollicitanda videretur, ad ſcillæ uſum pergebam, illamque ad grana IV. cum nitri duplo mitigatam, adjecta radicis vincetoxici pulveriſatæ portione, per tres dies continuos nunc in infuſo, nunc in ſubſtantia, exhibebam, effectuſque expectabam. Sed quemadmodum nullus inde unquam vomitus aut notabilior effectus ſequebatur, ita etiam urinæ auctius profluvium, & cum hoc morbi lenitas, fruſtra ſperabatur. Naſcebatur hæc intuenti ſuſpicio, anne vermium forſan λείψανα, morbum quem antea feciſſe videbantur, adhuc alerent? Dabam proinde mercurium (*a*), reſuſcitatum ex cinnabari,

(*a*) Eodem ſiquidem tempore aliquot exemplis ſeſe mihi mercurii vivi virtus anthelmintica probaverat, aliis quibuſvis probatiſſimis anthelminticis temere adhibitis. In quibus memorabilis ſequens inprimis particularis obſervatio ſilentio mihi non videtur prætereunda, occaſione hac illam in animum revocante. Puella ſeptem annos nata ante hos duos jam annos adverſa valetudine adfligi incipit, omnes vermium notas præ ſe ita ferente, ut quivis illam intuens, etiamſi ultra vulgus non ſaperet, cauſſam morbi per-

bari, inque pulverem cum ſaccharo tritum. Sed quum ab hoc nulla vermium excretio, morbuſque tantum non creſceret, an lenioribus, pilulis Bec-

ſpicere valeret. Dicerem propemodum, [ſi acutam ex vermibus febrem excipias] vix eſſe unum vel alterum in vermium copioſiſſimis ſignis, quod in hac non adfuerit, unde tanto facilius etiam illorum indicem exhibere ſuperſedeo. Hujus quum puellæ parentes meum flagitaſſent ad hanc rem conſilium, equidem omnem pro ſanitate reſtituenda movebam lapidem, ſed irrito propemodum per integrum menſem auſu. Hinc quum aliquandiu ab urbe diſcedendum mihi eſſet, quum præcipiti morbum periculo carere cernerem, me non invito ad alius cujuſvis pro puellæ ſanitate conſilium a parentibus itur. Ex illo tempore nihil non pro vermibus tentatum, nullumque pſeudomedicorum genus, quin adiretur, prætermiſſum. Nullus per integros octodecim menſes agyrta vermium remedium Lubecæ venditavit, aut ſeplaſiarii, vetulæ ſeu cujuſcunque alius medicum ſe fingentis anthelminticum medicamentum venivit, quin a parentibus, cujuſcunque etiam illud eſſet generis, puellæ propinaretur, ita, ut integras paginas replere nominibus poſſem nauſeoſiſſimorum quorumvis remediorum puellæ datorum, quæ legens crederes parentes de interimenda potius quam ſananda eadem, fuiſſe ſollicitos. His tamen omnibus nihil quicquam proficientibus, puellaque interea penitus cachectica evadente, denuo ad me itur. Novæ igitur curationis initio non proletariis medicaminibus facto, quum illa nil proficerent, parum aberat quin crederem, fieri poſſe in medicina, ut omnia prorſus phænomena certum aliquem morbum mentiantur, quin is vere ille ſit. Ad minimum in vermes hoc valere vix amplius dubitabam. Sed quum ad mercurium vivum largius paullo exhibendum accederem, brevi ſequebatur excretio vermis unius ingentis, & ſeſqui ſpithamam longi, poſt quam reliqua, pro pathematum variorum ratione data, longe expeditius virtutem exerebant non ſolum, ſed tantum quoque intra aliquot menſes proficiebatur, ut cum ſanitate in gratiam paulatim rediret puella, quam ad ſanitatem reduci poſſe propemodum deſperaveramus. Ceterum ſilentio involvere non poſſum, quam, ex noſtra qualicunque experientia, innocuus ſit mercurii vivi internus uſus, dudum quidem in controverſiam advocatus, curatum tamen obſervatorem atque chemiatrum vix experimenti ſucceſſu deſtituens. Ego certe aliquot jam inde ab annis vix aliquem carcinomatum ſcorbuticorum aut malorum venereorum cauſſa panacea mercuriali pro ſalivatione, tractavi, quin ſimul largiter mercurium revificatum quotidie exhiberem. Ac recentiſſimum quidem mihi adhuc ſuppetit exemplum, hominis gonorrhoeæ virulentæ chronicæ cauſſa uno quadriennio ter ſalivatione [vera loquor] eaque ſatis vehementi a chirurgis tractati, ſine ullo tamen vel gonorrhœæ, vel ſceletyrbes venereæ, quod aliquot jam inde ab annis priori malo ſe ſociaverat, levamine, qui tamen [quum in oſſibus hamata recondere tela penitus inciperet amor] quartum a nobis ſalivatione, eaque ejuſmodi qualem modo commemoravimus, tractatus, perfecta nunc gaudet ſanitate. Et memini; me ſuperiori anno hominem quendam ad ſalivationem pro eradicando, [quod per vices oſſa naſalia clandeſtino dolore vexabat], malo venereo voluiſſe perducere, nullis tamen illud artibus ſolitis, & periculo virulentiaque carentibus, potuiſſe obtinere, ut præter ſputationem concitatiorem, ſalivæ fluxus, qualis ad hoc curæ genus pertinet, concitaretur, cujus quidem rei nulla propior mihi cauſſa videbatur, quam quod hic homo, nauticam exercens, ante aliquot annos a chirurgo in Norvagia accepiſſet formulam pilularum, quas præſervatorias adpellabat, & quas ſtatim, ſimulatque in naribus ſævire malum inciperet, per octiduum mane & veſperi ſumebat, & quarum ſe aliquot jam libras devoraſſe narrabat. Conflatæ vero erant illæ ex mero mercurio vivo depuratiſſimo, cum ſucco liquiritiæ in pilulas redigendo Multa in hujus hominis morbo & medelarum effectibus memorabilia erant, & fuiſſent dubio procul adhuc plura, ſi diutius Lubecæ commorari ipſi licuiſſet, mihique curationis vel continuandæ vel mutandæ tempus ipſius diſceſſu non fuiſſet ereptum. Tanto minus igitur eſt, quod medicorum quorundam

Beccherianis diu continuatis, aliquid proficere poſſemus tentabam. Aſt irrito auſu, quum ſymptomata augeri potius ſenſim quam miteſcere inciperent; urina interim colore ſemper parcitateque eadem permanente. Hinc denuo ſcillæ vires experiri ſtatuebam, aliquoties exhibendo pulverem paullo ante commemoratum. Sed quum rurſus nullo prorſus emolumento id fieret, potiuſque ſitis ipſi, qua ſemper torquebatur, intenderetur poſt ſumtum pulverem, temere hoc ægram torquere amplius nolebam. Fuerant interea, qui ægræ mira prædicaverant de decocto Geniſtæ officinalis (*b*), cum abſinthii & lupuli manipulo. Rogabat hinc ægra, vellemne ſibi hoc permittere. Ego, tametſi tot jam medicamentis recte quidem, ſed incaſſum nihilo ſecius adhibitis, non magnam admodum ſpem exinde conciperem: permittebam tamen, & quid poſt epotas quatuor circiter hujus decocti intra octiduum menſuras, ſive libras octo ad decem circiter, futurum eſſet, præſtolabar. Hoc itaque finito, cum illam inviſerem rurſus, licet dubiam mihi prognoſin antea jam formaſſem, vix tamen ſine ſtupore mulierem reperiebam, facie duplo, quam antea unquam videram, tumidiorem, brachiis etiam, reliquiſque corporis partibus, vehementer inflatis, reſpiratione quoque anheloſiori quam antea. Alia proinde ſi non ad morbi curationem, ſaltem ad ſymptomatum mitigationem, via ingrediendum eſſe perſpiciens, tumorem corporis, tumorum ſpaſticorum more tractare ſtatuebam. Exhibebam hinc (quidquid etiam virium imbecillitas contraindicare videretur) Pilulas e ſtyrace cum op. anatico pondere pilulis

noſtræ ætatis Anglorum experimentis de mercurii vivi ore hauſti ad morbos efficacia, fidem derogem, [quos egregia de hoc medicamento expertos eſſe, & commentatos ante hos decem circiter menſes in diſſertatione de uſu hydrargyri interno ſub præſidio Cl. *Hebenſtreit* eleganter docuit *Sartorius*, inque Germania notius reddidit] ut potius ſi a medicis ſolide doctis his in praxi inſiſtatur veſtigiis, in artis decus & miſeriæ humanæ levamen vergere queant. Ut mirari ſubeat χημικώτατον Stiſſerum, in *Actis laboratorii chemici Helmſtadienſis*, *Specim.* 2. *cap.* 3. diſertis verbis monere, „ Nemini tamen mercu-„ rii crudi uſum commendare volumus, cum tutioribus ex argento vivo paratis & uſu „ probatis nunc gaudeamus„ quum paullo ante egregia prorſus de ipſius efficacia commemoraſſet. Uti enim antimonium tum primum virulentiam inquit, quum arte naturalis ipſius textura invertitur, ita penitus exiſtimo, mercurium vivum [modo ille ſatis depuratus ſit,& a ſordibus virulentis minerarum repurgatus] pro uſu interno, nunquam magis tutum eſſe, quam cum nullum artificium eſt expertus. Interim mihi experientia videor edoctus, mercurium vivum, ſi non prorſus a ſordibus virulentæ mineræ ſit repurgatus, magis adhuc anthelminticum eſſe, & agyrtas crudo illo ſuo in vermibus expellendis plus efficere, quam medicos providos & circumſpectos, non niſi reſuſcitatum aut aliis quibuſvis artibus penitus ab heterogeneis purgatum, ad hanc rem infantibus propinantes. Sed quis de mercurio vivo ſcribens medicus, diſertus eſſe non poſſet? Contrahamus igitur vela, ne in amplius æquor excurrat oratio.

(*b*) Euporiſton hoc medicamentum laude ſua non defraudandum eſt, quum multiplici admodum muliercularum noſtrarum experientia, aquoſis tumoribus egregiam opem adferat. Sed quod largius paullo potandum ſit, ita ut ſtomachi delicatuli vel imbecilliores, aut non capiant, vel non ferant etiam, rarior ejus experiundi occaſio inter illos qui medicorum opera utuntur, quam illos qui paupertate euporiſta ſolum admittunt.

lis e ſuccino permixtas, verſus ſcmini tempus. Sequebatur nox præter morem placida & quieta, tranſpiratioque, (quæ nullo unquam totius morbi decurſu placide ſucceſſerat), cum momentareo tumoris decremento perſentiſcebatur, pilulisque paulisper continuatis, aliquot dierum euphoria. Sed ſimulatque per aliquot dies deſiviſſet, tumor denuo incrementa capiebat, qui tamen, ſimulatque pilulæ denuo ſumtæ eſſent, componebatur, ſed ita, ut ſubreptitie, (quum præſertim etiam modus in pilulis eſſet adhibendus), incrementa caperet, ægrumque, quidquid etiam contra molirer, jugularet. Ceterum quod in hac obſervatione prolixiores fuerimus, atque illa quoque percenſuerimus, quæ huc non ſpectare exiſtimari poſſet, illo factum eſt omine, ut plane intelligeret lector medicus, fuiſſe hujus morbi indolem ejus generis, ut omnem penitus medelam reſpueret, unde non mirum, ſi nullus prorſus ſcillitici pulveris ad eundem fuerit uſus.

XIV.

Aliquot circa illud tempus, quo *obſervatione ſpeciali* prima commemoratæ ſcillæ virtutes nobis ſeſe obtulerant, exfluxerant menſes, quibus non interrupta cura noſtra indiguiſſet, vir quidam quadragenarius circiter, macilentus ex omni tempore & cineritio icteritii coloris, animo ſubito excandeſcens iracunduſque, & externo habitu hypochondriaci faciem præ ſe ferens, & qua ſomnum & paſtum hypochondriaci mali ſymptomatibus divexatus. Erat ab his mirum in modum levatus, quum anni 1734 æſtate ineunte noſtro conſilio Pyrmontanis uſus eſſet, & diætam aliquandiu rigoroſe me auctore obſervaſſet. Sed animi pathemata, ſenſim veterem luem alliciebant, ſic ut æſtate ſuperioris anni vergente, (quum etiam illo vere Pyrmontanarum uſum negotia ipſi non permiſiſſent), poſt gravem iracundiam in febrem incideret continuam, catharralis quidem typum ſervantem, ſed continuis tendinum membrorumque exagitationibus & præſertim, quod mens ſibi non recte conſtaret, licet delirio febrili ſtricte dicto careret) meninges cerebri lympha febrifica adfectas eſſe, monſtrantem. Juſta proinde, nec perfunctorie adhibita, tam interna quam externa medicatione, intra duodecim circiter dierum intervallum per Dei gratiam obtinebamus, ut caput liberum evaderet, mihique ex noviter orto dolore ſcapularum rheumatico morbum ſolutum iri prædicere liceret; nec vanum erat augurium, quum adhibitis ad ſuras & pedum plantas epiſpaſticis tutioribus (neque enim macilentum exhauſtumque & aridulum ægri corpus cantharides permittebat) non ſolum dolor rheumaticus ad femora & pedes extendi inciperet, ſed exanthemata quoque miliaria cum exquiſitiſſimo pruritus ſenſu in cruribus confertim efflореſcerent, cum ſenſibili ægri euphoria. Quibus exanthematibus ut ſatisfieret, emulſionibus ex amygdalis dulcibus, & ſero lactis dulci pro potu imperato,

laborabam, idque eo uſque continuabam, donec a fœmoribus cruribuſque cuticula exuſta ſquamatim & laciniatim receſſiſſet. Redibat ægro ſomnus, adpetituſque ciborum vix ſatiandus, ſic ut in conclavi non ſolum, ſed tota æde obambulare noſter inciperet. Sed redibat proh dolor ingenium omnibus ſe domeſticis negotiis ita immiſcens, ut quaſi delectamenti loco exquireret, quo iracundiæ affatim litaret, quidquid etiam mecum uxor novi periculi occineret. Non mirum proinde, quod vix inſtauratum convaleſcentis ægri robur novis ægritudinibus tentaretur, nunc ventriculi ſpaſticis motibus & nauſea, nunc ſpirandi, (ad pectus ſerpente malo) anguſtia, nunc tuſſi ſtomachica atque fere ferina, nunc tuſſi pulmonali, nunc pertinaci alvi obſtructione, nunc ejuſdem nimia & ad lipothymias uſque iterata exſolutione, (quorum tamen culpa, quod bona fide teſtor, nunquam in medicamenta conjici poterat, quum tutiſſimis probatiſſimiſque ſemper uſus fuerim in hoc ægro, quem, utpote mihi amiciſſimum, atque ſe curæ meæ totum quantum tradentem curate ſemper obſervabam) ægrum adeo exercente, ut lympham acerrimæ & cauſticæ indolis in viſceribus oberrantem, & cui naturæ nondum collectas vires (quidquid ars ferret ſuppetiarum,) impares ad criſin futuras timendum eſſet, non obſcure perſpicerem. Qui quidem tanto magis metuendus videbatur hoſtis, quum ſi quando ſopitis his ſymptomatibus octo pluresque dies exegiſſet æger, (quod non raro contingebat) quibus ſomnum cibumque rectiſſime caperet, vires nullo unquam modo exinde inſtaurarentur, (morbi fomite ad chyliferos meſenterii meatus dubio procul translato) & veteris tragœdiæ ſcenas per vices ſymptomata reſumerent. Nec hæ ſolæ calamitates, accedebat enim non ſolum ſpirandi pertinacior difficultas cum tuſſi longe quam antea rebelliori, ſed leviori quoque dyſuria, imo iſchuria. Jam quidem pertinaciorem iſtam reſpirationis difficultatem mirifice levabat potiuncula ex aquis pectoralibus, aſthmatica, cum carminativis aquis, & oxymelle ſcillitico, ad quam ſtatim confugere ſueverat æger. Sed quum ad urinæ difficultatem non tumor ſolum pedum ad ſuras protenſus accederet, ſed aſthma quoque convulſivi aſthmatis genium indueret, de exhibendo ſcillæ pulvere cogitabam. Unum me morabatur, quod aſthma hoc ſtomachicum non minus eſſet quam pectorale, & ne hinc ſatis tutum eſſet exhibere medicamentum in partes ſolidas non ſine impetu agens. Sed quum urinæ non ſuccederent, & aſthmatis paroxyſmi ingraveſcere inciperent, ad ſcillam accedere non dubitabam. Exhibebam proinde illam ab initio cum vincetoxico, (in cujus locum ob ſaporis amaritiem, & quod certior eſſem cuperem, an ſoli ſcillæ tribuendi eſſent nobiliores effectus, deinceps cancrorum lapides, aut alia abſorbentium genera ſurrogabam) ad duo grana cum nitri duplo, & quid inde futurum eſſet non ſine metu expectabam. Sed tantum aberat ut ex illo, exhibitionemque conſequuto vomitu, male haberet, ut potius eodem mirifice levaretur. Aſthma ſiquidem inde evaneſcebat, ciborumque nauſea,

quæ

quæ aſthmate præſente aderat, in adpetentiam cibi mutabatur. Urina parciſſime fluens, imo interdum penitus ſuppreſſa, ciebatur, & quod inprimis notabile, ſomnus exhibitionem, ſimulatque poſt horam circiter vomitus eſſet ſequutus rectiſſime ſequebatur, iſque inſomniis terrificis non interruptus, quum plerumque, & extra pulveris ſcillitici uſum, inquietus eſſet, nec in virium inſtaurationem cederet. Adeo in hoc ægro virtus ſcillæ anodyna ſeſe exerebat, ut quum aliquoties promeridie datus eſſet pulvis, ipſemet ægrotus rogaret, vellemne ipſi verſus ſuetum quietis, quod nocturnum eſt, tempus, eumdem exhibere? Quod adeo admirabile ſomni invitamentum eſſet, quod quidem fieri lubenter permittebam. Sumſit in hunc modum tam crebro noſter pulverem, ut numerum inire non auſim ex memoria, [quum ſchedulæ ad manus jam non ſint,] & omnem reliquam medelam reſpuentem propemodum morbum ultra integrum menſem hoc ſolo compeſcebat, qui, ſimulatque a ſcilla nullum amplius levamen reciperet, brevi omne reliquum medicamentorum genus eludebat, noſtrumque viventium numero eximebat.

X V.

Poſſemus nunc multi admodum eſſe in recenſendis ejuſmodi morborum generibus, in quibus ſcillitici pulveris uſus ad pedum œdemata egregium illis quæ antea adhibueramus pondus addiderat, in quibus etiam ſine vomitu, aut vehementiori quodam motu, virtutem exeruerat diaphoreticam, catharticamque, & in quibus non ad unum alterumve granum, ſed ad ſeptem grana, imo dimidium ſcrupulum pro doſi, cum duplo nitri & lapidibus cancrorum, idque crebrius, eſt exhibitus. Sed ne tempus ſpatiumque nobiliori cuidam obſervationi ſpeciali conſignandæ eripiamus, reliquis miſſum factis, quum præcipue notabilis videatur, ad illam accedimus. Mulier triginta tres circiter annos nata, unius prolis mater, ſanitate uti ſolita ſecunda, media æſtate ſuperioris anni colica corripitur vehementiſſima, in cujus cauſſam quid allegaret non habebat. Solvebatur hæc colica, nullo medicamentorum adminiculo, per diarrhœam vehementiſſimam, dolorificam ſatis & ad dimidium menſem durantem. Qua cum nimis tandem exhauriretur, conſilio empirico medicaminibus utitur, quibus diarrhœa compeſcebatur. Sed in locum ſuccedebant graviſſima pathemata. Corripiebatur enim ſtatim inſigni reſpirationis difficultate, ut nonſolum ſcalas aſcendere non poſſet, ſed in plano etiam deambulans vix ſpiritum ducere valeret. Accedebant cordis palpitatio, ſub leviſſimo motu graviſſime infeſtus, hypochondriorumque dolorificæ tenſiones, imo inflationes, ita ut nullam veſtimentorum cincturam, utut leviter ſolum ſtringeretur, ferret, ſtatimque ſpiritu delinqueret. Color faciei luridus. Ciborum adpetentia vel nulla, vel vaga, & poſt ſumta alimenta dolores ventriculi. Alvus ſegnior, catameniorumque [quæ antea juſtam ſemper periodum tenuerant] ataxia,

imo ceſſatio. Urinæ fluxus parciſſimus, ſic ut intra nychthemeron vix uncia interdum redderetur urinæ, quam propemodum æſtu fervere querebatur ægra. Tremebat inſuper toto corpore ex cordis palpitatione, miſero admodum ſpectaculo. Somnus parcus, inſomniiſque terrificis diſtinctus, nec in virium inſtaurationem cedens. His per menſem circiter unum toleratis, tumor hypochondriorum antea commemoratus per totum abdomen protendebatur, adeo ut, quum menſes ſimul penitus ceſſarent, de graviditate quibuſdam ſuſpicio ſubnaſceretur. Sed quum Jovem fidium juraret ſe viro corporis copiam non feciſſe, empiricæque medicationis pertæſa, meæ ſe curæ traderet, adhibitis venæ in pede ſectionibus & largo pilularum Beccherianarum decoctorumque aperientium uſu, nonnihil levari morbus videbatur. Sed brevi ad ingenium redibat, omniaque in deterius vergebant, ita ut de abditis morbi cauſis cogitandum mihi eſſet. In his proxima videbatur febrilis cujuſdam morbi fomes, quum ſtatis temporibus exacerbari inciperet. Quamobrem per aliquot hebdomadas exhibitis antifebrilibus nobiliſſimis, quid inde futurum eſſet expectabam. Sed eadem ſemper morbi ſcena, cujus ſi hoc loco omnem cum curatione hiſtoriam pertexere ſuſtinerem, ſpatium me citius lectoriſque forſan patientia quam dicendi materia deficeret. Interim ciborum adpetentia ſomnoque de die in diem imminutis vires vehementer labaſcere incipiebant. Hinc alia ad curationem via ingrediendum videbatur, atque ſubnatæ vermium inteſtinalium ſuſpicioni occurrendum. Adhibebam proinde præter alia notiora vulgatioraque pulverem mercurialem, de quo ſupra diximus. Sed tantum aberat, ut vel vermes inde excernerentur, vel cum ſanitate in gratiam redire inciperet ægra, ut potius ſub hujus anni initium tumor pedum œdematoſus veluti cumulus ad reliquas ægritudines accederet, & quum antea per vices ſolum ſeſe lecto dederat, nunc anno hoc ineunte lecto plane adfigeretur, cum notabili tumoris incremento nonſolum, ſed palpitationis periodice exacerbatæ paroxyſmis etiam graviſſimis.

X V I.

Hac itaque nova, & ad noſtram orationem proxime pertinente morbi periodo ingruente, quum conſilii auxiliique copia vix amplius ſuppeteret, de ſcilla propinanda animum ſubibat cogitatio. Jam quidem ob cordis palpitationem, leviſſima tantum tuſſicula ſtatim concitatiori, & quod novitius adhuc in ſcillæ armatura miles eſſem, effectus vomitorios nonnihil metuebam, & ſi quid ulla alia ratione modove obtineri poſſet, nihil intentatum relinquebam. Sed deſperatio mox eo, quo provida curatio non permiſerat ire ducebat. Parato proin lagena una aquæ Sedlizenſis ad ſcillæ uſum corpore, eamdem ad tria grana cum duplo nitri tritam, & radicis vincetoxici pulveriſatæ ſcrupulo uno adjecto, ab initio exhibebam, cui pro vehiculo erant aquæ diureticæ. Ciebantur inde horæ ab aſſumtione

unius ſpatio vomitus, valde quidem in ſe moleſti, ſed admirabili inde conſequuta euphoria moleſtiam illam ſatis penſantes. Largiſſimum enim urinæ profluvium altero ſtatim die inſequutum, mirifice noſtram levabat, ut & reſpiratio facilior eſſe, & pedum abdominiſque tumor duritiem deponere inciperet, nec in parvam ſpem venirem, deploratam propemodum ægram in hoc medicamento, ſi in ullo unquam, morbi graviſſimi medelam eſſe reperturam. Sed continuatione demum efficacem medelam eſſe futuram, ſtatim perſpiciebam, ſimulatque enim per aliquot dies ab hoc diſceſſiſſemus, aliiſque quibuslibet mitioribus [ſi ad ſcillam nimirum conferas] rem peragere ſuſcepiſſemus, incrementa ſtatim nova morbus capiebat. Scillæ uſum itaque continuaturo, imo exploraturo mihi, ſubibat cogitatio, de doſi nonſolum augenda, ſed omittendo quoque vincetoxico, illoque cum lapidibus cancrorum permutando. Quapropter ejus grana quinque cum nitri duplo & lapidum cancrorum quadruplo trita, propinabam pro doſi tertia quavis ab initio quartave die. Ab his propter vomitus amurcæ gaſtricæ copioſiſſimæ urinæ inſolitum altera ſtatim die profluvium animadvertebatur, per aliquot dein dies continuans, atque admirabile levamen ægrotæ adferens. Somnus enim exinde placidior, ciborum rectior adpetentia, reſpiratio facilior, pedumque œdematis ſenſibile mox decrementum. Inprimis animadverſione dignum in his videbatur palpitationis cordis notabilis uti remiſſio ita intermiſſio diuturnior, & quum a medicamento rarius ſine vomitu vel nauſea operante hujus moleſtiſſima exacerbatio tantum non certiſſima videretur, tum veritatem fidemque omnem teſtor, contrarios prorſus opinioni ſeu conceptæ apud animum expectationi eventus inde eſſe conſequutos. Etenim quum tempore quod aſſumtioni pulveris erat deſtinatum, incredibilis ac vix ferendus palpitationis paroxyſmus forte ingrueret, tanto ægram impetu exagitans, ut tota facies ſanguine magno impetu ad illam ruente non turgeret ſolum, ſed miſero quoque ſpectaculo vaſa jugularia exinde ita intumeſcerent, ut foras eminerent; conſilii inops pulverem me non conſulto ſumit, quem forſan ſi me in conſilium adhibuiſſet, differre ſuaſiſſem, metu majoris ex vomitu inde concitato mali. Sed vix ore hauſtus pulvis, ecce bona omnia, furentis enim cordis motus veluti incantamento ſopiuntur, ægra ad ſe redit, adſtanteſque quam ſemimortuam commiſerationeque digniſſimam tractaverant hoc ipſo temporis momento, eodem libere reſpirantem & paroxyſmi immunem cernunt, adeo, ut, exhibitam pro tumore œdematoſo hucuſque medelam, ad cordis furentis motus novo experimento mirifice valere cernerent, ſeu potius ſtuperent. Atque erant hæc ſane quum ad me referrentur, ad quæ reſpicerem, notarique digniſſima novis ſeu iteratis experimentis corroborarem. Reliquis igitur omnibus propemodum miſſum factis [quum nullo unquam modo deſiderium explevíſſent] ſtrenue curam cum hoc pulvere continuare ſtatuebam, ipſamet ægra illius continuationem [utut ſapore nauſeoſiſſimum eſſet medicamentum] exorante, ſex itaque granis pro

doſi cum nitro & cancrorum lapidibus tertio quovis quartoque mane exhibitis (*c*), urina optime exinde, imo non raro etiam alvo, ſuccedente, duorum menſium ſpatio tantum proficiebamus, ut pedum abdominiſque tumor evaneſceret, adpetitus ciborum rediret, reſpiratio liberior evaderet, lectoque antea adfixa in ædibus obambularet," & ſi qui novi interdum, ſive ex diætæ errore, ſive ex morbi nimis rebellis reliquiis, perſentiſcerentur inſultus, ſcillitico pulvere ſumto omnia componebantur, aut certe ad ſenſum miteſcebant. Redibant præterea catamenia, juſtas nunc periodos jam aliquoties obſervantia, licet color non penitus ſanorum catameniis pallore reſpondeat. Interim penitus ex tot egregiis hujus medicamenti in hac præſertim ægra facinoribus mihi perſuadeo, fore, ut, quæ hoc tempore divina benedicente gratia ex miſerrima valetudinis ſorte in illam translata eſt, qua tantum non penitus ſaniſſimæ ſimilis per duos jam prope menſes degit, continuatione hujus medicamenti hoc ſit obtentura, ut quidquid ſupereſt umbræ priſtinorum malorum, vel penitus profligetur, vel certe ita compeſcatur, ut vires colligere non facile admodum valeat. Sane in hac ægra, ſcilla unica fuit, quæ ex innumeris probatiſſimis aliis medicamentis præcipuo quodam jure palmam ſibi vindicaret. Etenim cum nullum prorſus nec minimum ex reliquis levamen neque accederet, neque ſperari amplius poſſe videretur, exoptatiſſimo novi medicamenti adhibendi conſilio levamen exortum ægræ, cui in ſolatium nihil præter mortem reliquum fieri omnes omnino illam intuentes exiſtimabant.

X V I.

Eſſent nunc adhuc cumplura ad noſtram de ſcilla tractationem pertinentia, de quibus cum benevole lecturis conſilia communicare peroptarem. Sed quod temporis penuria de his ut fas erat, agere non permittat, illa miſſum potius, lectoriſque medici experientiæ conſiliiſque reliqua facimus.

(*c*) Menſe Aprili hujus anni hoc potiſſimum modo res peragebatur, ita ut illo menſe ſepties octieſve eundem ſumſerit. Sed quum omnia in melius mutari inciperent, quovis octiduo ſemeſtrive tantum uſurpato pulvere, hoc proficiebamus, ut non ſolum rariores eſſent veterum malorum inſultus ſed leniores etiam, & ſi ad priores conferas vix notari merentes. Qui ſi quando ingenium reſumere viderentur, ſacræ inſtar anchoræ erat ægræ pulvis ſcilliticus, quem ad ſex pro doſi grana, deinceps prophylactice quoque ipſi exhibui aliquoties Maio menſe, & Junii quoque die 5. 8. 15. 25. ac ſemel deinceps Julio Auguſtoque menſibus.

F I N I S.

DANIELIS

L I.

DANIELIS WILHEMI TRILLER

ET

FRIDERICI HENRICI KRIEGER,

DE PLEURITIDE ÆSTIVA

RARIUS OCCURRENTE.

Wittemb. 16 Jun. 1752.

PROOEMIUM.

Acutiſſimum illum Morbum Lateralem, quem vulgo Græce, Pleuritidem vocant, per omne fere anni tempus, impune ſævire, hincque parcius quidem, primo frigidulo vere, frequentius autem horrido ſordidoque autumno, omnium denique frequentiſſime, gelida ac glaciali hieme, miſeros mortales ſubito invadere, fida conſtantique experientia, adeo quidem cognitum ubique & exploratum eſt, ut de iſta ſolida veritate nemo facile medicorum, ſive veterum, ſive recentiorum, dubitare amplius audeat, ut ex eorum ſcriptis abunde patet. Quod vel ipſo ſuo triſti exemplo uberius confirmat iſte ingenio ſuo miſerrimus Poeta exul, L. V. Triſt. Eleg. XIII.

Perque dies multos, Lateris cruciatibus uror,
Sed quod non modico frigore læſit Hiems.

Quorſum & iſtud forſan Euripidis ſpectet, & Tragœdia incerta, apud ſummum Virum, Hugonem Grotium, in Excerptis veterum Tragicorum & Comicorum, pag. 431.

Λυκ. Ἡ παῖς νοσεῖ τε κἀπικινδύνως ἔχει.
Β. Πρὸς τοῦδε; τίς μιν πημονὴ δαμάζεται;
Μῶν Κρυμὸς αὐτῆς πλευρὰ γυμνάζει χολῆς;

Hoc eſt, eodem Viro maximo, interprete feliciſſimo:

Lyc. Non ſine periclo, Filia ægrotat mea:
B. Quæ cauſſa? quale eſt hanc quod affligat, malum?
An latera vexat frigus e Bile excitum?

Sed luculentius adhuc ille facetiarum Comicarum Patèr & Princeps, Ariſtophanes, in Eccleſiazuſis, ſeu Concionatricibus, pag. 736. *quem inſignem locum laudat quoque Suidas, voce* Κναφεῖς, *Tom. II. pag.* 333. *Edit. Küſter.*

Ἢν γὰρ παρέχωσι τοῖς δεομένοις οἱ Κναφεῖς
Χλαίνας, ἐπειδὰν πρῶτον ἥλιος τρόπῃ,
Πλευρῖτις ἡμῶν οὐδέν᾽ ἂν λάβοι ποτέ.

Si enim præbeant indigentibus Fullones
Togas craſſas, poſtquam primum Solſtitium hibernum advenerit,
Pleuritis noſtrum neminem unquam invaderet.

Neque ſane id mirum: quum enim ſæva pleuritis aëri inprimis gelido rigidoque per citam nimis feſtinamque inſpirationem, juſto copioſius hauſto intus & ingeſto, funeſtam ſuam originem potiſſimum debeat, uti poſt complures

alios Auctores, ſua quoque frequentiore experientia affatim edoctus, liquido demonſtravit Dn. Præſes noſter, in Libello ſat cognito, de Pleuritide ejuſque Curatione, Anno 1740. *edito, cujus jam altera auctior longe atque ornatior Editio paratur: nemo non, opinor, cauſſam confeſtim videt, cur gelidioribus illis præſertim anni tempeſtatibus, atroces Pleuritides tanto acrius inſurgant, tantoque effrenatius ubique dominentur.*

Inde & contrario, facile patebit, niſi fallor, ratio, quare arida fervidaque æſtate, Pleuritis, ceu dira rigidi algoris progenies, ſævas ſuas nocendi vires vel plane non exerat, vel rariſſime certe ſuſcitet, lateraque acuto quaſi telo, perfodiat.

Hinc nulla fere apud priſcos Medicos, Græcos ac Latinos, Pleuritidis æſtivæ mentio fuit injecta. Sic enim aperte ſcribit Aretæus, Medicus & arte, & facundia, & miro ſtili venuſtioris nitore, prorſus inſignis, Lib. I. de Morbis acutis, Cap. X. Φέρει δὲ τὴν νοῦσον πλευρῖτιν, ὥραν μὲν, χειμὼν μάλιστα πάντων, δεύτερον Φθινόπωρον, ἦρ δὲ ἧσσον, ἤν δήποτε ψυχρὸν γίγνοιτο. Θέρος δ᾽ ἥκιστα. Inter anni tempora, Hiems maxime morbi hujus pleuritici ferax eſt; ſecundo, autumnus; ver vero minus, niſi interdum frigidum ſit; æſtas autem omnium minime. *Idem poſtea cenſuit Cælius Aurelianus, Siccenſis Afer, a ſolida potius doctrina & experientia medica, quam cultioris ſcribendi generis inaffectata puritate, commendabilis, cujus in eundem pene ſenſum, hæc ipſa leguntur verba, Lib. II. celerum vel acutarum paſſionum, Cap. XIII. p.* 111. Frequentat pleuritis etiam hiberno magis, quam Autumni tempore, quod Hiemi vicinatur: æſtate vero difficulter occurrit: *Ad quem Auctoris graviſſimi locum videndæ omnino ſunt Dn. Præſidis Notæ, in Appendice, ad dictum de pleuritide, Tractatum, p.* 153. *ubi conſueta illa pleuritidis tempora expenduntur. Silentibus ergo ſic de pleuritide æſtiva, antiquis illis Medicis anteſignanis, primiſque in Arte noſtra ſalutari ducibus, quid inde quæſo, mirum, ſi vel apud ipſos recentiores Auctores medicos, aut nulla plane, aut vaga tantum, dubia atque obſcura, item brevis admodum pleuritidis æſtivæ mentio rariſſime deprehendatur? Licet enim celeberrimus quondam Wedelius ſcripſerit in Diſſ. de pleuritide, Jenæ* 1673. *olim edita, Cap. IV.* Hieme pleuritides fieri, Hippocrates Lib. III. Aph. 23. ait. Fiunt etiam Autumno, vere autem & æſtate, minus: neque tamen & hæc tempora penitus ſunt indemnia, teſte experientia: *Iſtam tamen, ad quam provocat, experientiam nullo, quod jure dolendum, luculento aliquo & fide digno exemplo confirmavit. Immo, & ipſe ſummus cetera Medicorum, Thomas Sydenham, licet idem ſtatuiſſe videatur, nullum tamen in tanta rerum practicarum copia, quod jure quis miretur, caſum ſingularem, aut exemplum notatu vel maxime dignum in medium attulit, quo ſuæ nonnihil probabili alias ſententiæ munimentum aliquod circumponeret, aut ſolidam auctoritatem conciliaret. Sic enim graviſſime pronunciat vir iſte incomparabilis, in aureo plane de omnis generis Febribus, Tractatu, Sect. VI. cap.* 3. *pag.* 289. Hic morbus, pleuritis, quo nec alius frequentior, nullo non tem-

tempore infeſtat; potiſſimum vero anno, inter ver & æſtatem, ambigente. Nam per id temporis, ſanguis a nova ſolis vicinia, excalefactus, in effervescentias & inordinatos motus effrenatius ruit. *Quam ſingularem viri immortalis ſententiam calculo ſuo adjecto, adprobatam & laudatam exinde repetiit Medicus longe præſtantiſſimus, Theophilus Bonetus, in Polyalthe, ſeu Theſauro Med. practico, Tom. II. Lib. III. Cap. X. pag. 94. ut plures jam alios ſtudio taceam, qui tantum ducem ſequuti, ac reverentia tam illuſtris Nominis ducti, idem paſſim tradiderunt, atque rem iſtam adhuc aliquanto ambiguam leviore quaſi brachio, attigerunt.*

Sed ut omnia breviter ſtrictimque nunc complectar, per paucos equidem, quantum ſciam, Auctores medicos reperire hucuſque mihi licuit, qui pleuritidem illam æſtivam rariſſime ſane obviam, data nempe opera, fideliter deſcripſiſſent, atque in brevi quaſi tabella, totam ejus imaginem vivam amplexi fuiſſent: quos inter tamen ſuo merito, facile eminet Petrus Foreſtus, qui nempe Lib. XVI. Obſervat. medicinal. 29. 31. & 32. pag. 163. ſqq. trium ſingularium exemplorum ejuſmodi inſolitæ pleuritidis, per Menſes æſtivos, Junium, Julium & Auguſtum, quondam obſervatæ meminit: quale & apud Franciſcum Joelem occurrit, Lib. III. Opp, med. Sect. I. pag. 274. pleuritidem quoque cum lethali Angina conjunctam menſe Junio, ann. 1592. in ſene quodam Juris Conſulto, ſtrenuo alias potatore, vidit & deſcripſit Felix Platerus, Lib. II. Obſervat. Med. pag. 391. Conf. &, ſi placet, Jo. Frid. Ortlobii Diſſertat. de pleuritide, §. 13. Lipſiæ, anno 1696. publicatam, docteque conſcriptam; ne paucos alios hic jam commemorem.

Quum igitur Cl. Dn. Præſes meus ſingularem ejuſmodi rariſſimumque omnino pleuritidis æſtivæ Caſum diligenter olim ab ſe obſervatum in adverſaria ſua medica, ex more conſueto, retuliſſet: modeſtis ipſum iteratiſque precibus adii, ut iſtum in publica quidem commoda evulgandi, licentiam poteſtatemque mihi faceret. Nulla ergo interpoſita mora, honeſtæ meæ petitioni mox placide ſubſcripſit, mihique caſum iſtum notatu quidem digniſſimum, cum omnibus ac ſingulis ſuis circumſtantiis, in commune bonum, divulgandum, lubenti animo, conceſſit, quem proinde ſtatim hic infra, ipſius tamen verbis, Lectorum, ut ſpes eſt, pace, ſum relaturus. Summum autem Numen interea ſupplices imploramus, ut noſtro huic labori gratia ſua atque auxilio clementiſſime adeſſe velit, quo hæc ipſa noſtra Exercitatio Academica conferat nonnihil ad artis noſtræ ſalutaris ampliora incrementa, atque multorum præſertim ægrotorum blanda ſolatia, dulciaque dolorum levamenta.

CASUS SINGULARIS

De Pleuritide Æſtiva Anno 1740. Obſervatus.

MAximopere quondam miratus fueram, vel ipſo adulto jam vere, ſæviiſſe atrocem pleuritidem, ut ex Hiſtoria X. Libelli noſtri de pleuritide, uberius conſtat: Quamvis poſtea, Anno 1742. per integrum Menſem Maium, juſto frigidiorem & horridiorem, plures mihi oblati fuerint pleuritici, ex quibus, licet in ſummum vitæ diſcrimen, per ſævientis morbi atrocitatem, plerique eſſent adducti, nullus tamen per Dei gratiam, morte occubuit.

Sed mirari nunc deſii, ex quo mediis adeo æſtatis caloribus ipſis, eandem inſurgere poſſe, nuper admodum fida experientia, certius didici.

Licet enim pleuritidem æſtate, difficulter occurrere tradiderint Aretæus, Cælius Aurelianus & veterum alii, pluresque fere recentiorum; nec me de æſtiva pleuritide, quidquam in medicorum libris diſtinctius quidem & accuratius pertractatum, legiſſe meminerim, præter ea, quæ parce de hoc argumento, occurrunt apud Petrum Foreſtum, Franciſcum Joëlem, Gregor. Horſtium, paucoſque alios; veriſſima tamen, his non obſtantibus, ea eſt, quam jam propoſiturus ſum, hiſtoria.

Ecquid vero mirum, morbos adeo ipſos ingenium mutare ſuum; quando ipſæ anni tempeſtates alienos & inconſuetos plane mores induunt?

Quem enim quæſo fugit, annum illum 1739. gelidiſſima & pertinaciſſima hieme fuiſſe adeo inſignem, ut & ipſum ſequentis anni novum ver non pro more ſolito, gemmulis floridis cuncta depingeret; aut purpureo nitore prata veſtiret, aut blando tepore lætum & amabile quidquam ſpiraret; ſed potius crebro ſordidarum nivium caſu, & imbrium violentius fuſorum lapſu, horridum atque deforme eſſet?

Ipſo namque medio menſe Maio, acre gelu adeo uſque inhorruit, ut & placidæ aquæ frigore mundo in cruſtas glaciales coirent. Non lætior vero aut mitior ſucceſſit his æſtas, quæ nomen tantum mentita, parum ceterum, aut nihil habuit ex fervida alias indole æſtatis.

Rariſſimi enim per menſes Junium atque Julium præſertim, blandi & temperati eteſiarum flatus: quin potius aquilonum procelloſorum & auſtrorum nimboſorum horriferi ſtridores noctes dieſque juxta, impune tumultuati, illas quidem gelidiſſimas reddebant; hos vero triſtes admodum atque inamœnos, acta inprimis aliquoties in terras, cum imbribus, grandine glomerata.

Unde & læta ſata ubi vis fere ſolito tardius exſurgebant, ita, ut hinc annonæ difficultatem ſummamque rei frumentariæ inopiam merito extimeſce-

meſcerent pallentes agricultores, & jamjam quaſi vaticinarentur prudentiorum œconomorum plurimi.

Sed hæc quia cuivis noſtrum, credo, notiſſima ſunt, pluribus nunc perſequi omnino piget: nunquam enim, ſpero, memori mente excidet plane ſæviſſimæ illius Hiemis mœſta memoria, jam dudum quippe faſtis adeo ipſis diligenter inſerta.

Quid igitur, obſecro, mirum, ut redeam, unde digreſſus non nihil fueram, quid, inquam, mirum, inſolita & immutata quaſi cæli annique facie, & morbos ipſos conſuetum ſibi morem adeo migraſſe, ut & ipſa hinc pleuritis, prolatis veluti ſævi ſui imperii finibus, non contenta ſatis autumno, hieme atque vere, vel in æſtatem adeo ipſam effrenum impetum faceret, ſicque miſeros mortales liquido edoceret, nullam prorſus anni partem, ſi fata quidem velint inclementiora, a ſua ſævitia & deteſtabili nocendi arte tutam ſatis eſſe atque immunem, letiferumque ſuum virus nec blando floridi veris tepore permulceri, nec acri æſtatis fertilis fervore exuri, nec humida ſordidi autumni aura dilui, nec denique penetrabili glacialis hiemis rigore obtundi penitus atque infringi poſſe? Sed de his quidem hactenus! Nunc ad ipſam ſine ambage, hiſtoriam.

Sartor itaque, vir 39. circiter annorum, temperiei cholerico-ſanguineæ, procero & macilento nonnihil corpore, pectore alias infirmo, D. 18. menſis Julii, ann. 1740. poſt lætum prandium, animi reficiendi gratia, extra oppidum, citatiore, ut ſolebat, greſſu, ſpatiatus, flantibus ſubinde ventis aliquantum gelidis, ſubito mox horrore, & acutiſſimo præſertim dextri lateris dolore, quaſi maligno quodam ſidere afflatus, adeo uſque præter opinionem, affligatur, ut vix lentiſſimo gradu, inter difficillimos anhelitus, domum repetere valeat.

Quo facto, ſtatim arceſſitur Chirurgus, qui cita ſuffocatione alias perituro, ut videbatur quidem, venam pertunderet, viamque ſalutis ſic ferro quaſi, aperiret.

Ille autem inſanientis ſuæ ſapientiæ, ut ita loquar, ſolum conſultus, medico perito inconſulto, dextri pedis venas percutit, & emiſſa aliqua tantum cruoris nigri quantitate, vulnus iterum obligat, de eventu ceterum ſecurus, & neſcio, quæ magnifica, pro more, vane pollicitus. Tantum enim aberat, ut eo ipſo generoſo alias remedio, ſæva morbi vis frangeretur; ut potius eo acrius excandeſceret, & per ſingulas fere horas, vehementius inſurgeret: Unde nox inter acerbiſſimos cruciatus, & continuum anxiæ ſuffocationis metum, miſere conſumta, ne levem quidem ſuaviſſimi ſomni guſtum indulſit afflictiſſimo ægroto.

D. 19. igitur ſummo mane, advocatus ego, miſerandum ſane conſpicio ſpectaculum: Jacebat æger moribundo jam ſimilis, in dorſo reſupinus, facie decolorata, lingua arida, ſcabra, albida, pulſu exili, tremulo, inæquali, ſterno tumido atque elevato, & intercluſo adeo ſpiritu,

ut præ acerbiſſimis quidem doloribus, nec animam libere reciprocare poſſet, multo minus tuſſire, aut ſputorum quid commode emoliri valeret.

Alteram ergo venam, ob nimiam jam virium jacturam incidere non auſus, nec ſatis adhuc de ipſa morbi præſentis indole inſtructus, mitiſſima potius atque tutiſſima remedia interna tentanda cenſui.

Præſcripta ſic mox pro uſu interno, mixtura noſtra anti pleuritica, ptiſana hordeacea, cum Oxymelite, aliaque pauca, in ipſo meo de pleuritide, libello, aliquoties jam laudata. Pro externo vero uſu, oleum ſeminis lini calidum lateri dolenti frequentius affricare juſſi: ſub noctem quoque clyſma refrigeratorium ex mero hordei decocto, melle, ovi vitello, & nitro, commode fuit injectum.

Succeſſit enim nox aliquanto melior, nec omni ſomno orbata, licet rigidæ thoracis diſtentiones parum adhuc laxatæ eſſent, acreſque lateris dolores & puncturæ per intervalla, acerbe lancinantes nihil quidquam fere remiſiſſent; nec ullum conſuetæ alias tuſſis & ſalutaris exſcreationis indicium hucuſque apparuiſſet, nec fauſtum denique ſignum urinæ valde rubræ, limpidæ & crudæ prorſus, prodidiſſent: quod rem omnem admodum ſuſpectam & periculoſæ aleæ plenam nobis omnino faciebat.

Nihilo tamen minus D. 20. integer fere dies ſine gravi oppido querimonia, ægroto ducebatur, adeo, ut in ſpem lætiorem ingrederetur ipſe, maximum minacis morbi periculum jamjam feliciter eſſe perfunctum: Inanem autem atque ſubdolam illam fuiſſe, ſubſequuta ſtatim nox triſti ſatis eventu affatim declarabat.

Tum enim omnia adeo in pejus relapſa videbantur, ut nihil, niſi ſuprema, augurarentur adſtantium tantum non omnes unanimi certe conſenſu.

Recaluerant namque ſubito ardores febriles, laterique affecti dextri dolores acerrimi adeo uſque increverant, ut ſpiritus per coarctatos nimis meatus, haud ſolita laxitate diſcurrens, interceptus pene eſſet omnis, citamque omnino ſuffocationem minaretur.

Quibus malis accedebat adhuc tuſſicula intolerabilis, arida, inanis & aſpera, qua nihil fere, præterquam parum ſpumoſi & ſanguine ſtriati ſputi, exſcreabatur, in augmentum potius dolorum, quam in eorundem levamentum.

Nec hilum ſane proficiebant fomenta, unctiones, frictiones, ptiſana, juſcula, decocta, clyſmata, aliaque id genus plura alias ſævis doloribus compeſcendis idonea ſatis & diuturno uſu comprobata remedia, magna cum cura & ſolertia, per ſpatioſas integræ noctis moras, aſt incaſſum, applicata.

D. 21. igitur, dubia adhuc luce, ſubito accitus ego, deprehendo ægrotum in ſummum vitæ ambiguæ diſcrimen adductum, facie tumida, & tetro rubore ſuffuſa, extantibus oculis, uſque ad horrorem formidinemque

que viſentium, ſpiritumque ingenti quidem, at inani plerumque niſu, cum ſtridore horrido, ducentem.

Omnia fervebant æſtu flagrantiſſimo, venarumque ſalientium ictus frequentes, duri & præcipites inteſtinam ſanguinis accenſi luctam acerrimam ſatis manifeſto prodebant.

Nulla ergo interpoſita mora, ad unicam illam ſacram pleuriticorum anchoram, ad venæ inquam Sectionem, confugiendum cenſeo, edoctus primum, ut fatear verum, his manifeſtioribus indiciis, hunc morbum atrocem ipſam eſſe pleuritin, & quidem diriſſimam, peſſimam & curatu difficillimam, ſiccam nempe & ἀπεπτοτάτην, quam ipſe Hippocrates, Galenus, Alexander Trallianus, Paulus Aegineta, & veterum omnes pro immedicabili ut plurimum, frequentiore triſti experientia admoniti, jure ſummo, habuerunt.

Licet igitur & ipſe ægrotus ex iterata ſanguinis miſſione plus ſibi metueret, quam ſperaret; licet ipſa uxor ejus querula & anxia, aliique præſentes me per omnia quaſi ſacra, efflictim rogarent, ne ſpiritum tenui adhuc filo pendentem intempeſtiva ſanguinis detractione, feſtinatis veluti fatis, miſello corpore exturbarem; durus tamen & inexorabilis quaſi, in ſuſcepto ſemel conſilio perſtabam, nullam aliam, oſtendens, facile nobis ſupereſſe ſalutis viam, niſi quæ ſtricto ferro aperiretur, nec alio prorſus præſidio mortem jam propinquam coerceri atque exarmari poſſe, niſi ſcalpello phlebotomo acuto, & manibus cruentis.

Quid multa? Vena mox ſecta in brachio dextro, ſanguiniſque ſpiſſi, picei quaſi & combuſti, vigenti tamen impetu, horizontem verſus, ſeſe ejaculati, emiſſæ ſunt unciæ præter propter, duodecim, & paullo amplius; donec ex labantibus nonnihil venis, vultuſque pallore, levem animi defectionem inſtare conjiceremus, & æger ipſe de nimio languore conquereretur.

Sanguis autem ipſe ſimulac refrixit, largo quidem ſero ſubflavo, ſolidæ & compactæ maſſæ ad inſtar, innatabat, nulla tamen cruſta albida alias conſueta intectus apparebat, licet in altum profiluiſſet, nec perpendiculari modo, lente & pedetentim emanaſſet, ut magnus quidem tradebat quondam Sydenhamus, Cap. de pleuritide, pag. 292. cujus tamen ſingularem hac de re opinionem modeſte & placide, ut decebat nempe, examinare conati ſumus, in ipſo noſtro de pleuritide, Libello, Cap. II. pag. 27. ſqq. add. ibidem Cap. V. Hiſt. VIII. pag. 107.

Quæret forſan nunc ſolicite curioſus, ni fallor, Lector, qualiſnam nimirum effectus tum inſequutus ſit ambiguam hanc & periculoſam, ut primam quidem frontem videbatur, ſanguinis aliquanto largius educti miſſionem?

Dicam itaque ingenue neque mentiar turpiter, ita me Deus amet! Hora vix integra poſt iſtam venæ ſectionem, elapſa, ægrotus ipſe hilari vultu, lætoque omine, nobis ſtatim aperuit candide, dolorem iſtum acer-

rimum

rimum hactenus in dextro pectoris latere, pertinaciter fixum, nunc ſeſe quaſi ſenſim explicare & diffundere, verſuſque tergum proſerpere, inprimis autem dextram ſcapulam adſcendendo, petere, ibique altius veluti impactum, immanes cruciatus & puncturas ſæviſſimas excitare: hæc enim ipſiſſima ejus erant verba, quibus nihil ego hic addidi, præterquam, ſi dicere quidem fas ſit, cultum aliquem Romanum.

Quo lætiſſimo nuncio ex ipſo percepto, eum mox bono eſſe animo juſſi, certamque fere ſalutem intrepide ipſi ſpopondi, toties namque jamjam fida experientia edoctus, nullum pene pleuriticorum dolentem ac mœſtum periiſſe, cui ſcilicet ſcapulæ doluiſſent; de quo ſingulari plane ſigno ſalutari, in pleuritidis decurſu, ſemper quam diligentiſſime obſervando, uberius ac diſtinctius a nobis quondam actum fuit, in ſæpius jam allegata Commentatione, de pleuritide, Cap. II. pag. 37. ſqq. atque præſertim, Cap. V. paſſim, ac diverſis locis aliis.

Ceterum hic ipſe dies per intervalla, ſat placide & tranquille agebatur: ſuccedebat quoque reſpiratio multo expeditior, liberiorque facultas tuſſiendi, ſputaque egerendi humidiora quidem, florido tamen ſanguine adhuc multum tincta. Urina, ut ante, itidem valde rubra, flammea, limpida, nubeculæ tamen lente aſſurgentis quid in fundo, oſtendens. Propinata ſunt eadem remedia interna & externa, ſuperius jam aliquoties laudata, additis tantum pulveribus temperantibus & nitroſis, cum ſulphuris floribus.

Deficiente jam die, alvus enemate refrigeratorio blande ſollicitata, commodum bis ſoluta eſt, exturbatis ſimul multis flatibus crepitantibus.

Nox ſat placida & quieta, nec ſomno omni carens; inquies tamen circa auroræ exortum, ob vehementiores Capitis dolores interea obortos, qui aufugerunt tamen cum volitantibus noctis umbris.

D. 22. Orto jam die, largior & facilior exſcreatio; ſputa tamen adhuc ſpumoſa magis, quam cocta, & ſanguine plurimum colorata: urinæ ipſæ flammeæ adhuc & liquidæ; majore tamen, ac hactenus, nubecula præditæ.

Inſurgebant quoque pungentes pectoris dorſique dolores, per intervalla, acrius, maximo cum ægroti ipſius incommodo & ſenſu moleſtiſſimo.

Præſcriptus tum commodum Linctus noſter pectoralis conſuetus, Cap. V. Hiſt. II. pag. 78. Libelli noſtri de pleuritide, alibi, commendatus; nec calda noſtra tum omiſſa fuit ex herbis & radicibus pectoralibus parata, per intervalla, cum melle puro, ſumenda, cujus deſcriptionem pariter in eodem Tractatu, tradidimus, Cap. III. pag. 46. & Cap. IV. pag. 55. Tempus enim jam videbatur juſtum, nimiam tuſſis rebellis pertinaciam tandem frangendi, ſputorumque tenacem lentitudinem expugnandi, quod & auſpicato ſucceſſit.

Nox, licet alvus clyſmate blando elota eſſet, inquieta tamen præter ſpem

ſpem & opinionem, atque inſomnis, ob acerrimos pectoris dorſique dolores: quibus tamen primo diluculo, ſeneſcentibus, ægrotus corporis laſſitudine jam fatigatus, marcentes oculos ita dimiſit in ſoporem, ut toto veluti pectore, ſomnum proflaret.

D. 23. hinc lætior longe rerum facies, refectis nimirum per benigna ſomni munera, viribus: Exſcreatio tum liberior; ſputa multa ſine ſanguine, facile projecta, cruda quamvis adhuc & ſpumoſa magis, quam cocta, aut flava. Urinæ rubræ quidem, & ut hucuſque, liquidæ; multo tamen pallidiores, ac ante, ſpiſſa inſuper nubecula inſignes. Venter quoque nihil admonitus, debito ſuo officio bis reſpondit. Totus hinc dies hic placidus & hilaris, ſine ulla querela.

Sed ipſo in noctem jam præcipiti, æſtus febrilis magis recaluit cum intolerabili fere capitis dolore, ſoluto tamen paullo poſt larga ſudatione feliciter ſua ſponte ſuccedente; & injecto commodum clyſmate refrigeratorio, ſimilique aridæ frontis epithemate, ex acetis quibuſdam parato. Unde per integram fere noctem, ſomnum vidit ægrotus placidum, licet a ſtimulante tuſſi nonnunquam interpellatum.

D. 24. Urina ſummo mane reddita, rubella & clara; ſed multum pallidior, ac hactenus, cum extantiore nubecula.

Sputa quoque nunc primum cocta, flava, pinguia & parciſſimo tantum ſanguine virgata, copioſe egerebantur.

Sicque cuncta evidenter in melius procedebant, redeunte inprimis hoc ipſo fauſto die, naturali ciborum appetentia, hactenus pene intermortua.

Horis tamen pomeridianis, recanduit febricula hucuſque ſoporata, cum acerrimis capitis doloribus & ſæviſſimis pectoris coarctati anxietatibus, ſputorumque ſuſpectis admodum ſuppreſſionibus; ita, ut hinc merito timeremus; dies enim agebatur ſeptimus, inter ſpem metumque, a nobis expectatus.

Sed nos tandem circa ſolis obitum, omni metu, ſicuti ipſum ægrotum omni dolore ac periculo, liberabat largiſſima & ſaluberrima Sudatio critica, qua omne ægroti corpus ubique ita quaſi inundabatur, ut maderent & ſcaterent fœda illuvie omnia ſubjecta ſtragula, neceſſario hinc cum recentioribus & mundioribus, permutanda.

Succeſſit inde nox læta & quieta, cum ingenti dulcis ſomni cupiditate, ſi eadem frui ſemper ex voto, licuiſſet, per importunas ſæpius tuſſis aſperioris interpellationes; qua tamen plurimum ſputorum coctorum, pinguium & flavorum, inſigni cum levamine, fuit rejectum.

D. 25. Urina mane emiſſa, nunc primum lateritia, & ſedimento copioſo, craſſo, & ex rufo, albicante, gravida, perſpicue ſatis oſtendebat nobis lætantibus, plenam ac perfectam criſin jamjam eſſe abſolutam, morbique atrocis crudelem ſævitiam a natura victrice feliciter nunc expugnatam atque obtritam.

Fidem autem plenæ victoriæ magis adhuc faciebant ſputa hac die, in-

cruenta plane, cocta, flava, & ingenti copia, ſine omni fere incommodo, aut pectoris dolore, extuſſita.

Nec non avida cibi hactenus faſtiditi, cupiditas, & ſudor præſertim criticus per univerſum corpus æqualiter diffuſus, in ſingulare ægroti ſolatium & allevamentum.

Hinc nullum amplius circa meridiem, ſubdolæ febris veſtigium; hinc omnes illi acerbi capitis dolores ſemel ſimulque extincti, alias fere ſub ſolis occaſum, increbeſcere ſoliti.

Nox quoque ſucceſſit placida & ſuaviſſimo ſomno læta & amœna, tranquillior tamen omnino futura, ſi per tuſſim quaſi oblatratricem, ſemper licuiſſet, quæ tamen modica potius emolita eſt cocta & matura; quam quidem multa.

D. 26. Urinæ mane vaſe exceptæ, nunc primum flavæ, citrinæ, pellucidæ & ſanis ſimillimæ, una cum conſueta nubecula in fundo, comparuerunt; ſecuro omnino liquidoque indicio, ſuperato feliciter morbo, expectatam hactenus ſanitatem jam demum ex voto, rediiſſe.

Hinc & æger hucuſque noſter hoc die, laute pranſus & deinde placide meridiatus, adeo ſeſe viribus refectum perſenſit, ut nunc primum lecto lætus exſurgere, aliquotque lentos gradus in cubiculo, perficere commode valeret.

Alvus quoque ſua ſponte ſoluta, noxque ſequuta nullis plane vigiliis, aut doloribus, inquietata.

D. 27. denique, (hic enim finire placet,) ſputa multa cocta, matura, pinguia atque flava tuſſi mane rejecta, nullo cum negotio: alvus per ſe ſui officii probe memor, ſine monitore: urinæ citrinæ, pellucidæ, ſanis prorſus ſimiles: verbo, vires adeo reparatæ, ut per aliquot horas, extra lectum, in ſella erectus conſidere poſſet ægrotus: unde brevi, præter omnem pene ſpem atque expectationem, ad priſtinam integram ſanitatem feliciter remigravit.

Hæc igitur illa eſt hiſtoria prorſus ſingularis pleuritidis æſtivæ, & quidem atrociſſimæ, ſiccæ nimirum, *ἀπεπτοτάτης καὶ ἀπτύστου*, (Latine enim ſcite id exprimere, vetat ſermonis egeſtas, de re ipſa autem vid. magni Georg. Hieronym. Welſchii Curat. & Conſil. medicor. X. Decad. V. pag. 276.) Hiſtoria, inquam, iſta, nec facile alibi, hunc nempe in modum, obvia, nec enarrata ſæpius, maximo, ſi dicere quidem liceat, ſtudio, nec minore profecto candore, a me hic fuſius deſcripta. In qua ſequentia inprimis, probe notari, & memori ſemper mente reponi merentur:

I. Quarto adhuc die, venam inciſam fuiſſe, cum maximo ægroti ipſius commodo, & certiſſima ſalute: huic enim ſoli oportunæ ſanguinis miſſioni ſecunda morbi difficillimi ſanatio tribuenda unice videtur.

II. Emiſſum venis ſanguinem conſueta illa pleuriticorum cruſta ſevoſa intectum haud fuiſſe; & tamen ſervatum eſſe ægrotum ipſum. Quod contra

tra maximos cetera viros, Lanciſium, Baglivum, alioſque ſumma tamen cum modeſtia & reverentia, notandum. Qua de re videantur, ſi quidem lubet, quæ diximus quondam, in Libello noſtro de pleuritide, ſæpius jam ex neceſſitate potius, quam vano inanis laudis ſtudio, allegato, Cap. II. pag. 23. ſqq. & Cap. V. Hiſtor. IX. pag. 113.

III. Licet omnia ambigua, dubia atque turbata viderentur; ſeptimo tamen die, plenam atque perfectam criſin affulſiſſe, qua æger a proximo mortis limine, in deſuetam jam fere vitam revocaretur.

IV. Simpliciſſima, facile parabilia, domeſtica & inemta ferme remedia huic atrociſſimo morbo debellando, uti alias, plane ſuffeciſſe, nempe aquam, hordeum, acetum, mel, oleum & nitrum, cum herbis & radicibus quibuſdam, etiam plurimam partem domeſticis & ante pedes natis, de quibus rurſus, ſi placet, vid. Cap. II. Lib. de Pleuritide, pag. 16. & præſertim, Cap. IV. pag. 50. ſqq.

Igitur ex his nunc, o Boni! diſcite, (ut cum grandiſono Lucano, Lib. IV. Pharſal. finire mihi hic liceat,)

Quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat: non erigit ægros
Nobilis, ignoto diffuſus Conſule, Bacchus;
Non auro, murrhaque bibunt; ſed munere vili
Vita redit.

RESOLUTIO

Hujus ſingularis Caſus cum quadam Epicriſi.

§. I.

Sic igitur ex hac rariſſima pleuritidis æſtivæ hiſtoria uberius hactenus fuſiuſque enarrata, abunde, opinor, liquet, vel in ipſis mediis torridæ æſtatis ardoribus, nonnunquam tamen oriri poſſe ipſam ſævam pleuritidem, rigido licet penetrabilique frigori alias funeſtos ſuos natales debentem, ut ſupra jam monitum fuit; id vero tunc vel maxime, ubi hiems modo præceſſerit aliquanto aſperior, pertinacior, juſtoque diuturnior, qualem illam præſertim fuiſſe, ſupra commemoravimus, qua non ſolum Annus 1739. ultra juſtum modum conſuetumque tempus, riguit, ſed & ipſum adeo novum ſequentis anni ver, una cum meliore adultæ jam æſtatis parte, quod ſane tanto magis mirandum, adhuc fœdius triſtiuſque torpuit.

§. II.

Inde ergo nunc eo minus dubitare, credo, licebit, quin in iis præſertim horridioribus mundi habitabilis plagis, quæ gelida ſub Arcto ſitæ ſunt, & illis generatim regionibus, quæ aquiloniis flatibus rigidioribus objectæ jacent, ventoque aſpero & pruina frequentius tunduntur, atque hinc vel in ipſis æſtivis temporibus, remiſſiore longe ac temperatiore æſtu intepeſcunt potius, quam incaleſcunt, quoniam nempe frigidioribus auris magis perflabiles ſunt, quin, inquam, vel in ipſa media æſtate, Sirioque ardente, acrius ſæpe inſurgere ſæviuſque dominari poſſint illæ ipſæ diræ pleuritides.

§. III.

Hinc nuper admodum, quum hæc ipſa noſtra Diſſertatio typis deſcribenda eſſet, e Polonia, ad Dn. Præſidem noſtrum, ſequentem in modum, ſcripſit Nobiliſſimus Experientiſſimuſque Archiater, *D. Carolus Philippus Geſnerus*, celeberrimo per orbem, Patre ſuo digniſſimus Filius, cujus ipſa verba, quoniam hoc noſtrum, quod jam ſub manu eſt, argumentum egregie plane illuſtrant, & validiſſime confirmant, pace quidem Dn. Præſidis mei, diu nempe ob verecundiam, reluctati, hic infra referre mihi, quæſo, liceat:

Aurei Libelli Tui de Pleuritide, veritatem toties ſum expertus, quoties pleuritides curandæ obtigerunt. Epidemice graſſatus eſt hic morbus, in his oris, primo vere anni proxime elapſi, uſque ad ſatis adultam æſtatem. *Inprimis, quod attinet venæ ſectionem in latere affecto inſtituendam; ita naturæ conveniunt, quæ tradis, ut unica ſæpe morbum jugulet: cum, contra tua præcepta, ſi adminiſtretur, tribus quin, quatuor, opus fuerit, quod multis experimentis probatum habeo.*

Hactenus quidem præſtantiſſimus & ornatiſſimus *Geſnerus*.

§. IV.

Ex his itaque ipſa ratio, ut equidem arbitror, jam affatim patet, cur in ejuſmodi regionibus gelu & perpetuo pene rigore horrentibus, ex Cæli potiſſimum algentis ac nocentis intemperie, ſicque inevitabili fere neceſſitate, & aliena culpa, vel in ipſa languida præſertim tepidaque æſtate, in acutum iſtum morbum lateralem ſubito injici poſſint miſeri ſuo fato, mortales.

§. V.

Sed & alia inſuper æſtiva quædam pleuritis interdum occurrit, quam ſua præſertim culpa, ex effrena ſcilicet intemperantia cæcaque inconſiderantia,

derantia, confeſtim ſibimetipſis contrahunt incauti & vitæ ſuæ nimium quaſi prodigi homines, quando nimirum vel pernicioſiore curſu, vel frequentiore & acriore corporis exercitio, vehementius agitati fatigatique, ex imis pulmonibus anhelantes, pulvereque ac ſudore ſimul perfuſi, vel calidum adhuc corpus in frigidas undas ſubito demittunt, vel prægelidos, aut ex injecta nive diluta, magis refrigeratos ſpumanteſque potus arentibus ſiti faucibus, juncto continuoque hauſtu, rapide ingerunt, ferventibuſque intus viſceribus uno impetu, ingenti copia, furioſe infundunt: quo facto, non ſubitas ſolum pleuritides, ut ſexcentos alios funeſtos morbos jam taceam, exortas ſæpius eſſe; ſed & ſubitas adeo mortes irruiſſe, ex innumeris fere exemplis, in ſolertiorum Medicorum Libris & Obſervationibus, paſſim hinc inde obviis, luculentiſſime patet. Veriſſimum enim ſane illud eſt Cornelii Celſi effatum, Lib. I. cap. 3. *Illud quoque noſſe oportet, quod ex labore ſudanti frigida potio pernicioſiſſima eſt: atque etiam, cum ſudor remiſit, itinere fatigatis inutilis. A balneo quoque venientibus Aſclepiades inutilem eam judicavit. &c.* Ubi vid. plura in ſequentibus: quale quid etiam legitur, apud Plinium, Lib. XXXI. cap. 6. Quinctilianum, Declamat. CCCL. p. 701. alioſque plures; inprimis autem apud ipſum Hippocratem, Lib. de Humidorum Uſu, p. 602. & Aph. 24. Sect. V. lociſque aliis: qua de re plenius diſertiuſque tractantem, ſi lubet quidem, videas Dn. Præſidem noſtrum in Diſſertat. de Fame lethali ex calloſa oris ventriculi anguſtia, p. 37. ſqq. ante biennium, hic publice habita; ubi & data commmoda occaſione, plures in iſtam rem auctores laudantur.

§. VI.

Æſtivæ igitur ejuſmodi pleuritidis ex intempeſtivo Balnei prægelidi uſu, ſive rectius abuſu, ſubito obortæ, bina ſingularia prorſus & notatu perquam digna exempla, ſolita fide & integritate, retulit quondam Chirurgorum ſui ævi præſtantiſſimus, Guilielmus Fabricius Hildanus, Obſervat. & Curat. Chirurg. XCV. Centur. I. pag. 286. quæ ipſa, quoniam brevia, neque præterea iſte Liber utiliſſimus omnium manibus teritur, lectorum quidem, ut ſpes eſt, pace, hic infra integra adſcriptus ſum.

§. VII.

Sic itaque ille: *Anno* 1597. *ineunte Junio, Nobilis quidam in Rol, ad lacum Lemannum, Samuel Arpeau nomine, quum vehementer incaluiſſet, & in lacum ſeſe, refrigerandi gratia, immiſiſſet, mox febre continua & pleuriſi periculoſiſſima correptus eſt. Quem accerſitus, divino favore, reſtitui.* Sequitur ibidem, mox altera Hiſtoria, priore adhuc notabilior: *Miſerabile etiam ſpectaculum, Anno* 1601. *Studioſi aliquot Lauſannæ, præbuerunt: qui, dum in diebus canicularibus, calefacto corpore, in frigidam aquam inſilirent,*

poſt lotionem, in pleuriſin letalem inciderunt. Hactenus quidem Hildanus: Conf. ſi placet, B. Rivini, Medici vel poſt funera, adhuc immortalis, Diſſertatio doctiſſima, de Frigoris damno, quæ eſt XLVIII. Sylloges ipſius Diſſertationum Medicarum, pag. 911.

§. VIII.

Alteram denique pleuritidis æſtivæ ſpeciem, quam ſibi ſæpe ex improviſo, conſciſcunt iſti intemperantes potores, qui toto corpore exæſtuantes adhuc & anhelantes, vel gelidiſſimas natura ſua, potiones cupido nimis hauſtu, trahunt, vel ex perniciabili illo more conſueto, *non ſorbere ſolum nivem, ſed etiam eſſe, & fruſta ejus in ſcyphos dejicere ſolent*, ut acute ait Seneca, Lib. IV. Quæſt. Nat. cap. 13. item Epiſt. LXXVIII. iſtam, inquam, pleuritidem propria potius, quam aliena culpa, contractam, ita ex laudabili ſua conſuetudine, accuratiſſime deſcripſit, ſeu vivis verius, coloribus, quaſi depinxit vir omni laude longe ſuperior, Hermannus Boerhaave, Part. IV. Praxeos Med. p. 172. ſeqq. cujus ipſa pariter verba notatu certe digniſſima, hic repetere haud pigrabor.

§. IX.

En igitur iſta: *Eſt & frequentiſſima hujus morbi pleuritici cauſſa, ſi quis maxime æſtuans a labore, itinere, exercitiis, &c. ita, ut toto corpore fere diffluat ſudore, ſubito, magna in copia, ingerat potum frigidum; tunc enim vaſa intercoſtalia, (quæ ad Oeſophagum directe ſita ſunt,) ſeſe ſtatim conſtringunt, & humores coagulantur: vidi optimos equos intra unam horam, periiſſe, & nobilem juvenem, intra duas horas, potatis gelidis: hoc norunt illi, qui equos alunt, quando hæc animalia incaluerunt, tegunt ſtragulis, donec ſenſim frigeſcant, dant potandum; ſed aquam calidam: verum, quando frigori exponuntur, paullo poſt pleuritici fiunt, &c.* Mox ibidem, paucis interjectis: *Hæc revera eſt hujus morbi pleuritici frequentiſſima cauſſa in iis, qui ſe multum exercent, aut iis, qui æſtate, æſtuante Cœlo, longa itinera pedibus abſolvunt: ſed omnium maxime, in operariis, bajulis, ruſticis, & in omnibus illis hominibus, qui gravi & duro labore, victum ſibi quærunt: hinc, ſi æſtuante corpore, pro refrigerio & levamine ſitis, frigidum potum ingerunt, (quo fere nihil pejus corpori humano accidere poteſt,) tunc ſtatim ab aſſumto tali potu, maxime horreſcunt, & diro hoc morbo corripiuntur, &c. &c.* Hactenus quidem ille. Aliquot autem exempla ejuſmodi æſtivæ pleuritidis, poſt nimiam corporis exercitationem & exæſtuationem, a gelido præſertim potu, ingenti copia, repente ingeſto, obortæ, relata leguntur apud petrum Foreſtum, Lib. XVI. Obſervat. Medicinal. 28. pag. 155. Gregor. Horſtium, Lib. III. Obſervat. 10. & Franciſc. Joëlem, Lib. III. Opp. med. ſect. I. pag. 274. add. Ortlobii Diſſertat. de Pleuritide, §. 13. ut alios jam taceam.

§. X.

§. X.

Præſertim vero vel maxime notari, aureiſque, & quidem majuſculis, Literis, omnibus beatiorum Principum magnatumque lautis cœnaculis ſplendidiſque miniſteriis inſcribi iſta quidem merentur verba, quæ ibidem, p. 174. ſequentem in modum, graviſſime pronunciat idem & ætate, & arte, & facundia venerabilis ſenex, & Hippocrates Batavorum redivivus: *Inter cauſſas pleuritidis remotas,* (immo proximas,) *referri quoque poteſt damnabilis ille mos Magnatum & laute viventium, qui; ut luxui & voluptatibus ſuis magis indulgeant, aquam prius coquere jubent, ut poſtea infuſa glacie, vel nitro, magis frigeſcat: tum potum Lagenis incluſum huic aquæ immittunt, quam, poſtquam frigidus & fere glacialis eſt redditus, æſtivo tempore, æſtuante Cœlo, avidiſſime ingurgitant. Quæ peſſima conſuetudo in cauſſa eſt, ut tot homines, quibus nimia vitæ luxuries abundat, in flore & vigore vitæ periclitentur, aut derepente extinguantur: vel ſi adhuc evadant, poſtea miſerrimam vitam trahant: hinc potum frigidum corpore calido, aſſumere, abſolute damnandum, præſertim, ſi copioſis ſpiritibus non abundet.* Hæc ille vir maximus, veriſſime per Deum! & ſapientiſſime.

§. XI.

Hæc vero cuncta eum potiſſimum in finem, in medium hactenus allata a nobis ſunt, ut exinde ſcilicet liquidius pateat, quid medico ſolerti & prudenti præſertim agendum ſit, ubi forſan ejuſmodi ægros æſtiva quidem pleuritide ſubito correptos, curandos ſuſceperit. Ne ſcilicet vulgari illa opinione temere inductus, aut nunquam, aut certe rariſſime, in mediis æſtatis caloribus ſoliſque candentis vaporibus, occurrere ſævam pleuritidem, vel negligentia peccet nimia, vel nimia ſecuritate, ipſumque illum morbum pleuriticum, ex iſto fallaci admodum præjudicio, pro alio plane habeat morbo, ac tum ipſam ſuam curationem, præpoſtero & nocituro conſilio, aliorſum dirigat, ſicque ſibimet ipſi ignominiam creet, ægroto vero ſuo aut ſummum vitæ diſcrimen, aut ipſam denique funeſtam mortem inducat.

§. XII.

Ubicunque enim conſueta alias & manifeſta veræ pleuritidis ſigna adfuerint, febris nempe peracuta, fixus lancinanſque lateris dolor, reſpiratio fracta, anxia, ſuſpirioſa arduaque, pulſus durus, frequens, ſerratus, inæqualis & fluctuans, ſputum vel cruentum totum, vel ſtriis tantum virgiſque ſanguineis quaſi diſtinctum, aliaque ejuſmodi atrocia & ſuſpecta ſymptomata: tunc nulla plane vel fervidiſſimæ quidem æſtatis ratione habita, certiſſime tamen exinde concludat, re ipſa diram pleuritin

ritin adeſſe, atque celerrima ſibi expoſcere remedia & artis ſalutaris præſidia, a præſtantiſſimis medicis, & ipſo quoque Dn. Præſide, ſatis accurate deſcripta.

§. XIII.

Perniencioſiſſimæ enim in hoc præcipue morbo acutiſſimo, ſunt occaſiones, quæ, niſi raptim & tempeſtive præſenti ingentique animo, captentur, tum certe plerumque evadunt pernicioſiſſimæ: momentis namque, momentis, inquam, valetudo & ſalus pleuriticorum conſtat; igitur graviter potius hic eſt laborandum, quam ignaviter diu deliberandum. Quare hic vel maxime locum habet ſuum iſtud Senecæ veriſſimum & prudentiſſimum effatum, Epiſt. LXXVIII. *Brevis morbus ac præceps alterutrum faciet: aut extinguetur, aut extinguet:* quod ipſum dudum ante, ita ſcite expreſſerat Cornelius noſter Celſus, Lib. III. Cap. I. *Breves acutique morbi vel cito tollunt hominem; vel ipſi cito finiuntur.*

FINIS.

ALEX.

LII.

ALEXANDRI CAMERARII

ET

J. GEORGII SEEGER,

EXERCIT. DE

PLEURITIDE MALIGNA

MILIARIBUS CRITICE SOLUTA.

Tubingæ 1735.

Σ. Θ.

AB Academia patria bono cum *Deo* ad exteras aliquandiu diſceſſurus non ſine ſymbolo tamen Eberhardinam hanc relinquere, ſed parentibus ac Præceptoribus ſtudiorum & profectuum ſpecimen, adeoque temporis impenſarumque rationem reddere, non minus tamen & ſimul gratitudinis monumentum ponere conſtitui. Selegi autem Diſputationis Thema non peregrinum, ſed ex *Praxi Clinica Paterna* deſumtum, perſuaſus, hoc ipſum mihi ac intentioni meæ futurum magis accommodum. Infirmitatis enim meæ mihi conſcius alios docere juvenis non præſumo, multo minus eruditionem oſtentare ſingularem; ſed commilitonibus modo parare diſputandi materiam, ut hoc potius conflictu literario, quam vitrorum certamine vinoſo, poſſim vale ipſis ultimum dicere, inſimulque animum præparare ad Theoriæ atque praxeos conjunctionem aliquando felicem. *Deus modo conatibus meis gratia adſiſtat ſua, mentemque ad inquiſitionem veritatis dirigat!*

Vir juvenis, lanio robuſtus, ætatis annum agens 27mum, peregre domum vix reverſus, corripitur improviſo, ſed forti *frigore*, *pectoris* anguſtia, *doloribus* infra dextri lateris papillam punctoriis, artuum vero lancinatoriis, cum *tuſſi* ſitique vehementi, *virium* proſtratione, & *calore* ardente inſequente magno. Inſtituta ſtatim *venæſectio*, ad uncias circiter decem, in brachio ſiniſtro, reſpirationem alleviat, ſputum viſcidum, florido ſanguine remixtum, promovet, puncturis tamen adhuc durantibus, quin adeo ingraveſcentibus, ut à tuſſi vehementer ſibi metueret, ac affecto lateri ſollicite incumbens lecto quaſi totus adfigeretur, diligens in aſſumendis à medico præſcriptis ſequentibus: ℞. *Mixt. ſimpl. lud. dent. apr. præp. ocul. cancr. præp.* ana ℈ij. *nitr. puriſſ.* ℈j. *diaſcord. fracaſt.* ʒij. *ſyrup. papav. err.* ℥ß. *aq. chærefol. ſcabioſ. card. benedict. & mar.* ana ℥iß. M. d. pro 4. doſibus. ℞. *Sperm. ceti* ʒij. *ol. amygd. dulc. ſyr. dialth. fern.* ana ℥j. M. d. pro linctu. ℞. *Specier. decoct. pectoral. decoct. hord.* ana ℥ij. M. d. pro potu. ℞. *Unguent. d. hyoſciam. d. alth.* ana ʒvj. *ſpir. vin. camp.* ʒij. m. d. pro litu externo. Hiſce ad alteram uſque noctem continuatis obtineri quidem potuerat dolorum in pectore levamen aliquod, ſputique ſucceſſus facilis; non tamen æque præcordialis anguſtiæ, vel caloris ardentis, ulla remiſſio, quin, hoc uſque intenſiori, neceſſe videbatur ad noctem dare *emulſionem violat.* mynſ. ac altero die, ſudoris quidem obtinendi gratia, nunc pulviſculum ex *nitr. puriſſ.* gr. iv. *ſpecif. cephal. mich.* gr. viij. atque *pulv. bezoard. ſenn.* gr. 15. Alias 45 guttas *mixt. ſimpl. lud.* cum vehiculo *aq. tarax. chærefol. ſcabioſ. ſyr. capill. veneris* edulcoratarum prioribus ſuperaddere, regimen vero diapnoicum conſtanter obſervare.

Sed nec tum quidem iſtis omnibus obtineri ſudor potuit. Imo potius *quarto* morbi *die* cœpit augeri difficultas pectoris atque reſpirationis, dolor in eodem ſubſiſtere, ſputum fere minus procedere, ſitis invaleſcere, ſomnus aboleri, caput ſubinde turbari, pulſus celerrimus intendi, tendines in carpo ſubſilire, urina vero bruno-rubra adeo non mutari, turbarique, ut ne nubem quidem exhiberet. Medicus igitur prioribus inſiſtere, *veſicatoria* cruciatim ponere, ac *enema* domeſticum injicere præcepit, ſucceſſu adeo felici, ut ſub finem *quinti* venire tandem lenis *ſudor*, & ſub hoc jam in nucha, collo atque pectore ſupremo, exanthematibus aſperari cutis, reſpiratio ac ſputum melius procedere, puncturæ vero mitigari inciperent; pulſu licet, ſiti, languore ac vigiliis necdum mutatis: donec *die ſeptimo*, cum eodem medicamentorum ordine intrepidus pergeret, & unico ſaltim *camphoræ* grano pulviſculos, *eſſentiæ dulcis* vero decem guttis mixt. ſimpl. lud. augeret, ſudor largius manare, admodum graveolens fieri, atque ſub hoc univerſum corpus, ad ultimas artuum extremitates uſque *veſiculis miliaribus* parvulis magno numero obduci, deprehenderetur.

Interim ſub his *urina*, quantitate pauca, adhuc clara, intenſe tincta, non, niſi ſub finem alterius ſeptimanæ, *turbari* cœpit atque ſedimentum deponere. *Pulſus* de tenſione ſua parum, de celeritate nihil omnino remiſit; *febrilia* etiam phænomena reliqua vix quidquam minora. Contra vero *pectus* longe aliud. Etenim in hoc phænomena *pleuritidis* fere penitus evanuerunt, *puncturarum* nihil amplius ſuperfuit, *tuſſis* ceſſavit, *reſpiratio* libertati priſtinæ reſtituta fuit, *expectoratio* ſputi bene cocti facile ſucceſſit. Unde remedia etiam mutare medicus conſtituit, atque pulv. bezoardico ſenn. *pannonicum rubrum compl.* ſubſtituit, eidemque *antim. diaph.* atque *cancr. ocul. præp.* ad part. tres, *nitri* vero *puriſſ.* atque *cinnab. nat.* ad part. unam addidit, ſervata noctibus alternis emulſione prius dicta, reiteratis etiam aliquoties linctu ac decocto pectoralibus.

Ita quaſi morbi poſterioris typum, vel prioris criſin, conſtituit *purpura alba*, more conſueto expedita, ut decimo quarto morbi die, præter furfuraceas abſcedentis cuticulæ ſquamulas, ſupereſſet nihil, atque adeo minuere liceret diaphoreticorum doſes, abſorbentibus tum ac analepticis adjunctis, *Electuarii* præcipue reſumtivi Auguſt. conſerv. acetoſellæ atque flor. bellid. remixti, & *gelatinæ* cervino-eboraceæ, uſu, in quintam uſque ſeptimanam continuatis: quod virium debilitas iſta tam diu poſcere videretur, ad reſtitutionem uſque plenariam.

Similiter tum, ſed longe brevius, laboravit *Veredarius*, qui prorſus eodem uti tempore, ita modo quoque correptus, *quinto* jam morbi die *purpuram albam* liberaliter erumpentem exhibuit, ac intra 14 dies plenarie *reſtitutus* fuit; utut longe gravius, ac prior quidem, videretur & pectore oppreſſus, & capite turbatus.

Addi forſan huic bigæ merebitur tertius, quadragenarius, dudum valetu-

tudinarius ac infirmus, bibaculus tamen ac tuſſiculoſus celebris, cui ſub ipſum *veræ pleuritidis* initium tantus acceſſit *ſtertor*, ut tertio morbi die ſuis videretur moriturus. *Puncturæ* fuerunt lateris ſiniſtri, nec adeo acutæ ac præcedentium; *pectus* autem, pro conſueta plebis loquendi formula, muco plenum, *ſputum* tamen mucoſo-cruentum, magno licet molimine, ægerrime obtinendum. *Pulſus* etiam non tenſus, plenus, celer, ſed quodammodo depreſſus, atque quarto die myurus. Hic ipſe tamen eodem iſto tempore, medicamentis fere iiſdem tractatus, veſicis quatuor excitatis, ſeptimo morbi die ſtertoris remiſſione, expectorationis autem promotione, miliaribus magna copia cœpit obſideri, æque tamen feliciter ac præcedentes, ſaltim paulo tardius, cum admiratione omnium convaleſcens.

Tres igitur hi caſus recenſiti, juxta cum pluribus aliis, de quibus jam brevitatis ſtudio dicere non lubet, obtigerunt *Honor. Dno. Parenti meo*, ſub initium anni ſuperioris, duorum menſium hybernorum Januar. & Febr. ambitu, quo tempore pleuritides & peripneumonias plerumque fieri conſtat, *Hippocr. aph.* 23. *Sect. III.* Fuerat autem tum, per partem Ducatus inferiorem, de febribus acutis continuis, quibuſdam locis non parum malignis, paſſim multus rumor, & adparatus earum univerſus maxime pectoralis, adeo, ut de pleuritide ac peripneumonia ſolis cogitaverint non pauci, epidemicæ luis, atque latentis alicujus vel malignitatis, vel exanthematicæ indolis, fere penitus obliti.

Equidem, qui prævio horrore calet intenſius, atque tuſſiens in laterum alterutro pungitur, ille vulgo *pleuriticus* dicitur plebi, differentiæ illius, quam medici faciunt inter peripneumoniam & pleuritidem, non adeo vel gnaræ vel curioſæ, ſed ex ſuperabundanti acu rem tetigiſſe arbitranti, ſi forte ſputum inſuper videat cruentum. Latere autem, vel obiter modo in hiſtoria medica verſatum, amplius poteſt neminem, quantis animorum motibus, atque rationum catervis, agitata tam diu fuerit inter medicos controverſia, de conſtituendis pleuritidis ac peripneumoniæ ſignis conſtitutivis atque diſcretivis, adeoque affectus utriuſque pathognomonicis, maxime quoad ſputum cruentum, quod modo pulmonibus, modo pleuræ, modo utriſque ſimul affectis, vendicare anniſi ſunt, adeoque vel unam vel alteram, aut plane tertiam, ex duabus prioribus mixtam, pleuro-pneumoniam, iſto deſignari ſtatuerunt auctores adeo diverſi. Quam bene igitur eſt, quod meritis ſuis in artem medicam celeberrimus *Archiater Pontificius*, *Lanciſius*, litem aliquando tandem diremerit, & ex *vena ſine pari* ſputum in pleuritide cruentum ita declaraverit, ut dubium ſupereſſe vix cuiquam poſſit: prouti non modo ex Epiſtola ejus ad *Clariſſimum Morgagnium* ſcripta, vel, ſi forte alicui hæc ad manus non fuerit, ex *diſputatione Loeſcheriana*, *de mechaniſmo venæ azygæ pleuritidis cauſa*, parere poteſt, ſed mihi quoque pronuper demum, juxta cum Præceptore ac Patrono *Excell. Dn. D. Mauchharto* diſſectione ultima cadaveris fœminini conſpectum, atque ab hoc auditoribus ſingulis demonſtratum eſt in theatro

anatomico publico. Ne quis tamen primum hoc *Lanciſii* inventum reputet; obſtat in *Miſcell. Nat. Cur. Dec. I. ann.* 3. *obſerv.* 213. quo jam ſuo quondam tempore *Sigiſm. Graſſius*, de via, qua pleuriticorum ſputa perveniant ad arteriam aſperam ſollicitus, in vena tandem azyga requievit.

Sed non minus notum eſt, pleuritidem non eſſe ſemper unam eandemque, ſibique per omnia ſimilem, ſed obſervari, præter differentias quaſcunque alias, inprimis etiam vel *benignam* vel *malignam.* Si nihil aliud in promtu eſſet, ad differentiam hanc fundandam; ſufficeret diverſa *ſanguinis* conditio. Dum priore caſu ex ſecta vena miſſus, *cruſta* tenaci, alba, mucoſa tectus, aſpectu fœdus ignarum vulgus terret, medicis tamen melior & ſecurior creditus, quam alter ſuperficie ſua totus *mundus*, pulcher, floridus, quin colore ſuo miniato, vel coccineo, forte nimis quam exaltatus, qualis in ægrotis noſtris utique apparuit. Conveniunt enim practici fere ad unum omnes in judicio de tali ſanguine. *Galli*, quos in ſecandis venis, & mittendo ſanguine, nos Germani miramur adeo faciles & frequentes, teſte *Riverio*, ſanguinem per venæſectionem eductum, ſi nullum præ ſe ferat vitium, ſed purus, & ſecundum naturam ſe habere videatur, periculoſum malignitatis indicem pronunciant. Sic etiam *chirurgus anonymus*, auctor Tr. *L'art de ſaigner*, quæſtionem mirabundus movet: cur in febribus malignis, & quæ mortem ordinarie cauſantur illis, quos invadunt, adeo ſæpe ſanguis extrahatur pulcherrimi coloris? Inter *Anglos Sydenham* de ſanguine, quem e brachio fœminæ variolis corripiendæ extrahi curaverat: optimus erat ille, inquit, floridusque, adeo expers putredinis, quam in eorum ſanguine utplurimum conſpici ſubjungit, qui nuper ab hoc morbo convaluerint. Ex *Italis Ramazzinus* de febre peticulari in *Eph. Nat. Cur. Dec. III. ann.* 4. *append.* ſcribit: ſanguis eductus ſemper roſeus ac purpureus, nihilque glutinoſi exhibuit, tam æſtivo quam hyemali tempore, toto cœlo differens ab eo, qui ſolet alias educi in pleuritide, peripneumonia aut eryſipelate, in quibus ſanguis colore & lentore vitium prodit ſuum. Inſtar omnium tamen erit teſtimonium *Baglivi*, qui *L. d. Prax. med.* hæc maxime notatu digna practicis commendat: obſervavimus in Xenodochio omnes fere ab acutis morbis evaſiſſe, quorum ſanguini extracto cruſta alba atque chyloſa ſupercreſcebat: contra mortuos fuiſſe, quorum ſanguis erat valde rutilans, cum ſuperficie nimis rubicunda; item in pleuritide, peripneumonia & ejuſmodi inflammatoriis pulmonum morbis, ſi in ſanguine, e vena ſecta extracto, non appareat in ſuperficie cruſta alba, quæ neceſſario apparere debet, peſſimum. Sin tamen hæc in miſſione ſanguinis altera incipiat apparere, bonum". Exteris ſuperaccedant teſtimonia domeſtica, ita ſanguinem rubellum, cinnabarinum, miniatum, oculis blandiri quidem, ſed fallacem ac doloſum ignaris imponere, in malignis febribus ac peſte ipſa docuit *Wedelius* in *Patholog. Dogmat.* paſſim. Coccineum ſine ſero in febre maligna lethalem pronunciant *Paullini* in *Eph. Nat. Cur. Dec. II. ann.* 6. ejuſdemque obſervatio-

nem

nem confirmat *Sim. Pauli* in *digreſſ. de febribus mal.* de ſanguine impenſe rutilante ac arterioſo ſimili. *Wepfferus* atque *Screta*, cum *Schellhammero*, coloris talis non tam, quam potius conſiſtentiæ rationem habuerunt, ac dixerunt: ſanguinem in febribus malignis eſſe tenuiſſimum, nimis fluxilem. Obſignet teſtimonia *Vaterus*, peculiari diſputatione ſua, de judicio e ſanguine, pronuncians, talem ſanguinem adeo bene, immo quandoque nimis coloratum malignitatem comprobare.

Et hanc indolem malignam, præter ſanguinem, comprobant etiam *exanthemata miliaria* ſub finem quinti primum comparentia, ſeptimo tamen plenius erupiſſe, atque pectus liberaſſe dicta. Videbatur primus ſtatim adparatus non monſtri ſaltim aliquid alere, ſed etiam exanthemata ſpecialius moliri. Quamvis enim dolorum in pectore levamen aliquod, & ſputi ſucceſſus facilis, medicamentis pectoralibus ac venæſectione obtineri potuerit; pectoralis tamen anguſtia, cum calore ſicco, nihil quicquam remiſit, ſed quarto die potius incrementa ſumſit, quin priora illa, ſuo modo bona, phænomena fere iterum abſorpſit, ut in pejus omnia viderentur ruitura, niſi quidem metaſtaſi felici ad ambitum corporis natura ſe convertere, venenum ad glandulas ſubcutaneas amandare, atque ſub ſudore partem ejus eliminare, reliquum in veſiculas miliares deponere potuiſſet. At vero! quis eſt, qui ignoret, miliares has veſiculas febribus malignis accenſeri, ac male paſſim audire. *Mortonus* veſiculis hiſce nullibi videtur prædicatum tribuiſſe bonum, nec eas cum aphthis in eadem febris ſpecie conjunxiſſe. Gradui potius malignitatis, & veneni prævalentis, primo & ſecundo deleterio illas per collum & pectus ſparſas eruptiones miliares aſſignat. Nec veſicularum aquearum, per variolarum interſtitia comparentium, mentionem facit, niſi inter ſigna maligna, quæ funeſtum monſtrant eventum. *Ettmüllerus* de illis breviter, ſed graphice, ſcribit: "Ubi corpus hinc inde minutis tuberculis, inſtar milii granis, reſperſum apparet, vocatur febris maligna miliaris, ſeu purpura, prout grana ſunt, vel rubra, vel alba. Affectus acutus, non raro præceps eſt, qui, dum maxime videtur blandiri, etiam ex leviſſimo errore, ſubito jugulat". Idem ſuo quoque calculo comprobat in *Eph. Nat. Cur. Dec. III. Ann. VII. & VIII. Brunnerus*, de propria praxi memorans, quæ & temporis, & loci, non minus ac morbi ratione, cum præſenti rerum noſtrarum ſtatu admodum conveniunt: "Olim jam, dum Heidelbergæ agebam, & ad præſidiarium militem Philippsburgum hebdomadim, curandæ valetudinis ergo, excurrebam, tempore, quo graſſabantur febres malignæ & petechiales, cum pleuro-pneumonia maligna, in ſimiles incidi apud ægrotantes milites papulas ſ. veſiculas, quas miliares haud immerito dixerim. Illud inprimis tunc temporis obſervavi, alii quamvis morbum, ſub varia larva ludentem, malignum, feliciter ſuperaverint, nullum tamen eorum, in quibus dictæ veſiculæ apparuerunt, evaſiſſe". Neque fere aliud fuit judicium *Franci de Franckenau*, prout patet ex ejus *obſerv. de pleuritide cum purpura maligna*

lethali,

lethali, quam dedit in *Eph. Nat. Cur. Dec. III. Ann. I.* cui ad latus poni poterit parallela *Dec. III. Ann. IV. obſ.* 43. Sed quid opus eſt, de miliaribus eſſe adeo ſollicitum, poſtquam huic themati peculiarem diſputationem dedit quondam *Excell. Dn. Præſes* meus.

Hoc potius dubium alicui naſci, & diſcuſſionem mereri videtur, *num unus* modo morbus, an *geminus*, complicatus, alter alteri ſuccedens? Et tum: *uter* eorum *primarius* fuerit? Pleuritis? An febris miliaris? Venit quidem febris hæc acuta continua, ex ſymptomatibus ſuis notorie dicenda pectoralis, uti jam ſupra notatum, menſibus hybernis, adeoque *tempore* pleuritidi congruo. Pleuritis etiam *ſola* magno numero tum corripuit alios, non æque purpuratos factos, & feliciter ſervatos, ſuccumbentibus licet etiam aliquibus. *Denique*, veſiculæ tales erumpere non difficulter poterunt in pleuritico forte *ſcorbutico*, per *ſudorem* inde liberando. *Ex altera parte* febres, tam in genere malignæ, quam inprimis miliares atque purpuratæ, tum graſſabantur paſſim in vicinia. *Deinde*, purpura ſemel ad cutem plenarie protruſa, *ceſſabant* ſtatim penitus pectoralia ſymptomata, *remanente* tamen adhuc febre continua maligna, prius dicto ſanguinis colore florido jam ante ſatis declarata. Ut, ad imitationem febris *proteiformis Mortonianæ*, poſſit fere aliquis dicere, febrem miliarem fuiſſe non modo primariam, ſed & primam, ſaltim ab initio ſub larva pleuritidis latentem. Verum enim vero, quemadmodum *variolis* accedentes miliares, illarum nomen ideo nec mutant, nec febrim duplicatam faciunt; aut *febris catarrhalis* maligna *petechizans*, ab acceſſu macularum talium, catarrhalis eſſe non deſinit: ita mihi penitus perſuaſum habeo, poſſe morbum noſtrum congrue omnino declarari *unum*, *ſimplicem*, & vocari *pleuritidem malignam*, *miliaribus critice ſolutam*; adeoque prædicatum, in rubro Diſputationis ipſi datum, eſſe prorſus adæquatum.

Etenim pleuritis, juxta cum ſociis ſuis, peripneumonia & pleuropneumonia, eſt febris acuta continua, *inflammatoria*, cujus momentum præcipuum ponitur in inflammatione, vel pleuræ, vel pulmonis, aut membranæ iſtum ſuccingentis, vel utriuſque. Jam vero habet etiam hæc inflammatoria febris fata tamen non alia, quam quæ inflammationi omni in genere ſolent ac poſſunt tribui. *Eſt*, quæ bene terminatur per ſui *reſolutionem inſenſibilem*, inflammatione occulto modo iterum evaneſcente, ſive, quod ſuberat, diſcuſſum, ſive reſorptum fuerit; cujus ſpecimen erit in omnibus ex periculo febris evadentibus, hanc natura ſuperante. *Eſt*, quæ in *abſceſſum colligitur*, exemplo in pleuriticis toties obvio; nam in pectore fere frequentior eſt, in aliis viſceribus, ſi non rarior, forte tamen occultior. *Eſt* tamen proh dolor! etiam tertia, quæ in *gangrænam* tranſit, & dat triſte ſpecimen benigniorum in malignas mutatarum, ac funeſte terminatarum, quin, ſi ad *ſphacelum* cito perrexerit, peſtilentium. Quemadmodum his jam applicari facile poterunt ſolutiones pleuritidis omnes ac ſingulæ, non ſaltim ordinariæ, aut frequentiores tamen, per ſputum, ſudo-

dorem ac urinam, verum etiam inſolentiores, atque per metaſtaſin ſingularem rarius contingentes, qualis eſt ex. gr. illa in *parotides* terminata *Eph. Nat. Cur. Cent. III.* teſtimonio *Baglivi* per praxin ſuam paſſim confirmata, ab *Heurnio* tamen *Comment.* ſuo ad *Hippocr. Sect. IV. Aph.* 51. limitata; vel in *abſceſſum cruris* definens, apud *Moinichen chirurg. med. obſerv.* Aut per univerſi *corporis tumorem* judicata, *Eph. Nat. Cur. Cent.I.* Quin *puris* ad renes *translatione*, & cum urina excretione, ſanata in *Eph. Nat. Cur. Dec. II. Ann. IX.* Ita non minus declarari poterunt ulterius *reſpectu*, quem ad febres inflammationes habent, *mutuo*.

Hæc enim interdum illa *prior* eſt, ejuſque cauſa, & ardor particularis univerſalem accendit, uti veteribus dicebatur dolor atque calor attrahere, vel hodienum obſervatur vulneri inflammatio, huic autem febris ſymptomatica, ſupervenire. Sic in viſcere aliquo, vel obſtaculum, vel ſtimulus, aut plane venenum, irritans, inflammans, facile concipietur, a quo primum cor, inde ſanguis, aucto motu, febrim faciat & accendat; malignitate tamen ſphacelante deliquium inferente potius, quam magnum naturæ, adeo proſtratæ, vel reniſum, vel conatum. Confirmat hoc propoſitio *Borelli Libr. de motu animalium*: "Adeſt præterea alia pernicioſiſſima ægritudo, quæ vulgo vocari ſolet febris latens & proditoria, in qua licet pulſus bonus ſit, & urina laudabilis, nihilominus æger moritur. Hanc profecto ægritudinem febrem eſſe negarem, ſed potius paſſionem ſimilem illi, quæ *a venenis* producitur, quæ abſque febre necem afferunt, propterea, quod ſpiritum, vel ſuccum nerveum, tanta celeritate conturbant, alterant, fixant, ut prius vires conſternant & interimant, quam agitationem febrilem excitare poſſint". *Secundo*, inflammatio & febris fieri etiam & oriri poſſunt *ſimul & ſemel*, atque nomen inde ſuum habent febres *comitatæ*. Utrum, quod turbatio maſſæ ſanguineæ fiat ſimul, ſtatim in vel ab initio, cum decubitu ad partem inflammandam? Quam bene vero dari pro exemplo talium poterunt variolæ? In quibus tamen potius videntur duæ febres, ſibimet invicem ſuccedentes, prior deſpumatoria, critica, altera inflammatoria, ad abſceſſus totidem non minus critice maturandos, in benignis, cum gangræna atque ſphacelus eorundem malignas fundent. *Tertius* tandem reſpectus eſt, quando inflammatio febre *poſterior*, non per ἕλξιν, ſed per ὦσιν veniens, ex mota hactenus turbataque humorum maſſa, vel eryſipelaceo, vel apoſtematode modo inſtituitur, ſive in bonum, ſecundum requiſita criſeos, ſive in malum, ad mortificationem, ut jam ſuo quondam tempore *Arabes*, allegatam modo febrim variolaceam, certis annis dixerunt eſſe, vel fieri, deſtructoriam potius, quam depuratoriam.

Confirmat hoc omne, quod hactenus diximus, præſentis, quod vivimus, temporis conditio bellicoſa, & numeroſus paſſim miles, caſtrorumque vicinia, a quibus *caſtrenſem* dixit quondam *febrim* ſuam ante laudatus *Screta*. Quemadmodum enim milites Germani quondam ex Pannonia reportarunt certam luis ſpeciem, ad civis diffuſam, famoſum ſtragibus

morbum Hungaricum; ita triſtibus his bello ad Rhenum annis ſimile quid iterum obſervamus, inque mali naturam & remedia inquirimus, maxime cum ipſis quoque medicis infeſta fieri lues incipiat, ipſis ſoſtri loco contagium relinquens, atque adeo ſe demonſtrans medicorum Napellum. Scilicet milites, tam caſtra demum metaturi, quam ex illis in hyberna venientes, attulerunt nobis, vario quidem apud diverſos & gradu & ſchemate, omnes tamen malignas, febres, ut merito caſtrenſium prædicatum olim reportaverint. Non quaſi omni anno e caſtris oriri tales obſerventur; dantur enim, quod admiratione dignum, interdum in medio bello anni tamen ſalubres; aut pro ratione loci, forſan humidioris, militiam tenent febres modo intermittentes. Sed quod nimis tum frequenter, & ex improviſo forte, malignitas emergat, principium non habens aliud, quam ſub bello publicam annorum calamitatem, unde ſpecifica, epidemica, contagioſa, per urbem vel provinciam diffuſa, graſſatur febris, famoſa ſtragibus, quas longe lateque edit, ut tunc vix ullius morbi principio poſſis fidere, quin latere ſub ipſo occultam illam, incautis & imprudentibus adeo funeſtam, febrim metuendum ſit. Videntur illæ fuiſſe nobis loco peſtis, qua miſertus noſtri Deus nunc per integrum ſeculum pepercit patriæ. Utique, præ frequentia tunc epidemiarum, aliis temporibus ſporadicæ continuæ qualeſcunque, in comparationem venire vix poterunt. Interim non obſtante diverſitate, quæ obſervatur in hiſce morbis, redigendæ tamen omnes erunt ſub conceptum unum, & quædam quaſi ſcala conſtituenda, cujus infimum febris continua utcunque benigna, ſupremum peſtis ipſa, intermedios febres omnis generis malignæ occupent, tanquam morbi omnes & ſinguli inflammatorii.

Scilicet hoc eſt, quod in *ſectione cadaverum*, iſtiuſmodi febribus malignis demortuorum, magno numero obſervarunt, & paſſim annotarunt medici. *Spigelius*, in febribus continuis malignis, etiamſi de dolore nullo conqueſti fuerant ægrotantes, *inteſtina* tamen *tenuia*, partim inflammata, partim ſphacelata, nec raro maculas in *ventriculo* lividas, ac ſi a veneno hauſto fuiſſent, poſt mortem deprehenſas memorat *libr.* de *ſemitert.* In hujus hemitritæi peſtilentis deſcriptione *Cornel. Gemma*, diſſecto poſt mortem corpore, præter dictas partes, etiam *hepar* & *cor*, cum *pulmonibus*, aut majorem tamen illorum portionem, nunc carbonis inſtar nigra, nunc ſuppuratis puſtulis plena, obſervavit. Ex *Bartholini Epiſtol. Cent. III.* notum eſt, interiorem *ventriculi* tunicam inflammatam, *ileum* vero gangrænoſum atque putridum, fuiſſe repertum, in fœmina febre maligna ſuccumbente. Ex laudato autem *Spigelio*, *Helmontio*, *Diemerbroeckio* atque *Schenckio* conſtat, *carbunculos*, *anthraces*, & *exanthemata*, qualia alias foriníecus apparent, etiam in ventriculo, ac paſſim alibi in corpore, fuiſſe deprehenſa. Adeo, ut nec *cerebro* venenum pepercerit. Cum enim Brixianum ſolum exerceret olim lues gravis, plures ex affectis ſecti *cerebrum*

brum exhibuerunt totum combuſtum, nigrum & arefactum, referente *Hieron. Occone.*

Oportet autem hoc, ſive in corpore noſtro genitum, ſive ab extra eidem illatum, venenum, quamvis mole parvum, eſſe tamen virtute magnum, atque ſui valde diffuſivum, quod ipſum, uti contagioſa ſua indole ac propagandi ratione declarat, ſic etiam, præter alia multa, inprimis *ſudore* illo, quem plerumque febres tales ſolent ſpargere, ſingulariter *fœtido* facile comprobat. Notatus & in noſtro fuit, ſub ipſa miliarium elevatione die ſeptimo erumpens, ſudor iſtiuſmodi enormiter graveolens, quem varii varie vel deſcribunt, vel comparant, venenum propagandi vehiculum, ac alios inficiendi medium, omnes agnoſcunt. *Meibomius diſp. d. febr. mal. cadaveroſum* vocavit, & illi ſimillimum eſſe dixit, qui a partibus gangræna adflictis exhalans nares ferit. *Helmontius in tumul. peſt.* fracedinem vocavit peſtilentem, quæ *ſoleas crematas* oleat, quo odore infectos peſte potuerit diſcernere. *Petr. Salius* in *d. febr. peſtil.* quis & qualis iſte odor ſit, decernere non audet, experientiam hoc docere ſolam poſſe prætendens. "Unde, inquit, in ambiguitate & diſcrimine cognoſcendi hos morbos, dum de peſtilentibus dubitaretur affectibus, viſi ſunt nonnulli idiotæ & vulgares, qui, hac docti experientia, ex ſolo iſto odore veritatem ipſam perfectius attigerant, quam expertiſſimi medici". Neque ſpeciem ejus declarat a laud. *Meibomio* l. c. allegatus *Nicolaus de Clemangis*, quem, juxta cum alio adhuc conterraneo, emunctarum valde narium fuiſſe neceſſum eſt; etenim, loca contagioſa, etiam ad tantam adhuc villæ diſtantiam, quantum arcus bis jactare poſſet, odoratu ſentire, tamque veraci ab intactis judicio diſcernere, potuiſſe ibidem dicitur, quaſi dulcem ab amaro cibo guſtu ſecerneret. Quid! quod a fœtore tam graviter habuiſſe perhibetur, ut, nares occludere coactus, vitalem ſpiritum vix ducere potuerit, tempore & loco, quo præſentium nemo quiſquam odoris, multo minus fœtoris, quidquam perciperet". Huc etiam referre liceat, quippe ab ægrotorum exhalationibus venenatis unice derivandum, quod ex obſerv. propria de peſte ſcribit *Diemerbroeck*: "In illis ædibus, in quibus peſte nemo quiſquam adhuc ægrotaverat, ſed linteamina ſordida, ægrorum peſteque mortuorum uſibus ante inſervientia, homines ſaltem laverant, eo ipſo die, vel interdum poſtridie, duos treſve peſte correptos fuiſſe, deponentibus toties ægris, *fœtorem aquæ ſaponatæ* primam ipſis atque maximam intuliſſe alterationem". Nec eſt, quod, de peſte ſaltim hoc valere, quis excipiat. Idem in febribus malignis evenire poſſe, exemplo ſuo comprobavit amicus *Dolæi*, qui, juxta hujus *Encyclopædiam Chirurg.* febre maligna laborantem inviſens, & hujus pulſum tangens, poſtquam abhinc faciei ſuæ manum admoverat, nares prurientes fricans digitis, ſtatim puſtulas ibidem nactus eſt, malignitatis teſtes, quaſi a cantharidibus excitatas.

Et occaſione quidem puſtularum ac veſicularum talium operæ pretium erit, ipſas quoque miliarium *veſiculas* conſiderare paulo ſpecialius. *Brunnerus* quondam mirabundus de illis l. c. ita ſcribit: " Nec ego ſatis concipere, nec admirari potui, quis ille eſſet in corpore humor, qui, ſubtus epidermida effuſus, tantam memoratis hydatidibus pelluciditatem conciliaret, ut vel cum diei ſplendore certarent, & aciem viſus diaphaneitate ſua tantum non ſubterfugerent. Nullus hic rubor & alienus color, quemadmodum in omni alio exanthematum genere obſervatur. Nec illud liquet, unde aut quomodo ſuam pelluciditatem ſervent tamdiu intemeratam, cum in priori caſu a prima apparitione ultra viginti dies eadem claritate & limpiditate citra ſuppurationem perſtiterint. Certe vel ſerum, vel quivis alius e ſanguine tam diu extravaſatus humor, ad ſuppurationem tendit & corrumpitur, præſertim ſi, ad extimam uſque perductus corporis ſuperficiem, aëri ſit expoſitus; manſit autem hic in tenerrimis ſuis veſiculis incorruptus". Unde poſtmodum, quid de ipſis tandem ſentiat aliquandiu anceps hærens, poſtquam dixiſſet, iſtarum hydatidum faciem, geneſin, & ipſa, quæ iſtis ſuperveniunt, periculoſa ſymptomata arguere, iſtas aliunde, quam ex maſſa quidem ſanguinis & arteriis, promanare, nec ſudoris productum eſſe, cum inde tantum periculum non immineret, tandem infit: " Quodſi ſtatuamus *nervoſum fluidum*, forte adcommodatius erit ad explicanda, quæ illas comitantur, ſymptomata. Etenim, cum cutis non ſit, niſi contextus fibrillarum nervearum, quo ſenſum tactus conſtituit natura, intertextis glandulis & vaſculis, tam ſanguifluis, quam lymphæ ductibus, facile limpidiſſimus, qui vel omnem aliam ex maſſa ſanguinis aut arteriis fluentem ſuperat limpiditate humor, a nervis derivaretur, qui inquinatus, perperam circa nervorum extremitates interceptus, tales hydatides limpidas, citra commixtionem ſanguinis aut alius humoris, excitaret ſplendidiſſimas, diu incorruptus". Similiter ſucci nervorum mentionem facit, eundemque, una cum ſanguine, acida potius, quam ſulphurea, acrimonia impraegnari, ex urina non febriliter tincta, ſed pallida, decolore, ſanorumque ſimiliore, concludit *Hamilton*.

Pechlinus, veſiculas tales cum ſimilibus notioribus comparaturus, ac declaraturus, analogiam propoſuit triplicem, præ oculis habens primo *ſublimationem* florum ac ſalium, quæ ſummum vaſis affectare ſoleant, perinde ac aphtharum flores ſurgere, & vel in extrema oris atque faucium cava crepere; quo modo declaravit etiam *Sydenham* materiæ febrilis depurationem & deſpumationem fere duplicem, provocans ad exempla liquorum fermentantium, ſpumam deſuper, feces autem in fundo exhibentium. *Secundo*, *ſpinam* cuti *infixam*, tanquam excitatæ puſtulæ cauſam, voluit adplicare, ob adeo fœcundas quaſi puſtulas, non aliter ac ſi alia ex alia ſuppeteret materies, aut conica ſalis acumina ſubtilitate ſua cutim quidem extollere, ſed ob latiorem baſin non omnino pervadere poſſint. Quo proin facile referri poſſet, tam modus demonſtrandi cuticulam, vel igne,

vel

vel aqua fervida, quam veſicatorii exemplum, expoſitum juxta modum *Helmontii*, ad quæſtionem: cantharis cur vivi cutim veſicat, non cadaveris? *Tertio*, phænomenon a ſuperficie rerum putreſcentium vidiſſe ſibi viſus fuit, veſiculis utique præ maculis non abſimile. Scilicet eſt hoc ſitus putredinisque proprium, ut ſecretæ feces in quaſi floſculorum, aut ſpumæ ſpeciem, ſeſe efferant. Sed hoc phænomenon naturæ fatiſcentis, & tranſeuntis in ſtatum alterum, *Malpighius* accuratius conſideravit, & microſcopiorum fide docuit, eſſe quandam quaſi vegetationem muſcoſam, vel funguloſam. Qua occaſione recordor illius, quod in cit. diſp. *Dn. Præſidis* legere me memini, ſimile illud placuiſſe, aut congruum tamen fuiſſe viſum, fœminæ cuidam, ad deſcribendum modum, quo comparuerit ſuperficies corporis, in febre maligna, mariti ſui. Scilicet ſub declinatione, cum ſpes jam eſſet evadendi, cutem ipſius fuiſſe obſitam quaſi ſitu mucido, vel innumeris guttulis minimis, perinde ac forte paries vetuſtus compareat cellam ſubterraneam intrantibus. Ut vel ex hac ratione *Lector Benev.* poſſit etiam ablegari, tam ad perihydroſin ſcorbuticam *Pechlini Libr. I. Obſerv. LXVIII.* deſcriptam, quam ad ægram, affectu raro ſcorbutico puſtulari laborantem, cui diſp. peculiarem quondam dedit *Illuſtris Hoffmannus.*

Eo autem notabilior eſt hæc veſicularum miliarium geneſis, quo conjuncta magis & conſpecta fuit cum *ceſſatione* plenaria, alias tamen *remiſſione* notabili, moleſtiarum prius pectoralium. Quicquid dixeris, ſive metaſtaſin, & ex uno loco in alium translationem, ſive apoſtaſin, & expulſionem criticam, ex univerſa humorum maſſa, ad ambitum corporis, aut decubitum vocaveris, ſemper tamen admirationem excitabit interiorum liberatio, tuſſis ceſſatio, puncturarum evaneſcentia, adeo ſimultanea. Nec eſt, quod in morbis modo levioribus, vel inflammatione ſaltim eryſipelacea, fieri hoc atque locum forſan habere poſſe, quis excipiat. Conſtanter hoc obſervavit *hon. Dn. Parens* meus, non ſaltim in ægrotis ſuis, quorum ita laborantium, omnis ſexus, ætatis ac temperamenti, tum ultra decem habuit, brevi admodum temporis periodo, vario tamen vehementiæ gradu, decumbentes, & ad unum omnes miliarium eruptione pectore non ſaltim levatos, ſed quaſi ſimul & ſemel plenarie ſanatos; Verum etiam idem ipſi contigit jam olim in muſico *pectore* graviter *vulnerato.* Huic enim adactus, intra ſextam atque ſeptimam dextri pectoris coſtam, enſis latior, cum non modo pulmonis lobum vulneraſſet graviter, ut hic & ſanguinis plurimum funderet, & ſub inſpirationibus ſingulis per vulnus, pollicem longe ſuperans, promineret; Verum etiam peripneumoniam ſymptomaticam excitaſſet graviorem, atque reſpiratio difficillima, grumoſi ſanguinis ſuppreſſio, deliquiorum atque ſtertoris acceſſio, tendinum ſubſultus, pectoris anxietates & ardores, extremorum autem emortuale frigus, inflammationis in gangrænam tranſitum, adeoque ultima quævis inſtare minaretur. Ecce ſub finem quarti, & prin-

cipium quinti, magno numero erumpentes, per univerſam corporis peripheriam, veſiculæ miliares ex orci faucibus vulneratum eripiunt, ut recrudeſcens vulnus laudabili ſuppuratione, trium quatuorve ſeptimanarum ſpatio, penitus & expurgatum & conſolidatum fuerit, vulnerato plenarie & feliciter convaleſcente, utut nec per expectorationem, nec per alvum, aut cum urina, quidquam unquam puris excreverit.

Sed ut therapia habeat etiam aliquid, momenta ejus potiora tangam, ac primo quidem *Venæſectionis* negotium breviter excutiam. Boerhaave, quemadmodum pleuritidem, forte leviorem, auxilio naturæ, vel reſolutione, vel coctione & excretione mali, etiam abſque venæſectione, ſanari dicit; Ita de fortiore, artis interventu ſananda, ſcribit: „Si recens, ante tertium diem finitum, magna, ex ſymptomatibus validis, ſicca, in robuſto, exercitato, ſicco corpore, ſine vel ſpe, vel præſentia illorum, quæ aut reſolutionem, aut coctionem & excretionem mali prius dictam ſignificant, tum cita, larga, accelerato fluxu celeris, ex magno vaſe, per magnum vulnus, miſſio ſanguinis inſtituenda, corpore quieſcente ſupino, & reſpiratione, dum fluit, tuſſi ſuſpiriiſque accelerata, loco affecto eodem tempore foto, & leniter perfricto. Debet hæc continuari, in remiſſionem ſatis notabilem doloris, vel ad prima ſigna deliquii animi. Debet repeti ex conſideratione redeuntium denuo ſymptomatum, ad quæ tollenda prima inſtituta fuit. Cruſta abſens finem definit.„ At vero, ſicuti cruſtam hanc, ut indivulſum inflammationis comitem, jam ſupra §. 384. deſcripſerat, aſſerens, cruorem, pleno ſaltu ex vena emiſſum, ac frigeſcentem, formare albam, duram, craſſam, rigidam pellem, inſtar fere corii porcini; ut proin cautela prius addita conformis omnino ſit illis, quæ ex Baglivo jam ſupra allegavimus. Ita viciſſim merentur etiam ex hoc ulterius allegari ſeqq. tam de febribus malignis in genere, quam de pleuritide maligna in ſpecie, prolata. „Si vel minima inquit *prax. libr.* 1. *cap.* 9. *de febr. in gen.* §. 1. ſuſpicio aderit febris malignæ ex coagulatione, cave a ſanguinis miſſione, tanquam peſte. Et *libr.* 2. *cap.* 4. §. 1. In pleuritide maligna tutius erit, ſanguinis miſſionem omittere. His ad latus tamen poni poterunt, quæ leguntur *libr.* 1 *c.* 12. §. 6. obſervavi in febribus, ex mutatione aëris Romæ, quod, quando ſanguis mittebatur ex brachio, ſtatim ſuccedebat ſopor; non ita ſi ex pede. Et: in malignis febribus, dum ſanguis mittebatur ex brachio, æger in pejus ruebat, & totus morbi impetus ferebatur ad caput, unde paulo poſt deliria, ſopores &c. Contra, miſſo ſanguine ex pede, melius habebant: idque obſervavimus Romæ in Xenodochio.„ Non auſim ego litem hancce meam facere; multo minus decidere. Ut opponentes tamen habeant aliquid, ſciant mihi perplacere theſin, quam l. c Meibomius poſuit: „In febrium malignarum curatione medicus prudens conſiderabit: 1. An malignitas major, an febris major? 2. An etiam a malignitate, & virium dejectione, contraindicationes oboriantur? Quodſi enim febris major

jor eſt, malignitas autem parva, tutius adhiberi venæſectio poterit. Sin vero major malignitas, atque vires concidunt, venæſectio locum non habebi. „

Alterum ex fonte chirurgico ſunt, *Veſicatoria*, tanto cum ægroti commodo poſita. Habent etiam hæc ſuam, qua ſe tueantur, tam rationem, quam experientiam. Quemadmodum enim de pleuritide Baglivus ſcribit l. c. „ Quocunque die, ſecundo ſcilicet, aut quarto, quinto, ſeptimo, ante vel poſt factam ſanguinis miſſionem. ſpirandi difficultas, & difficultas pariter exſcreandi ſputi, Pleuritico ſuperveniant, ſtatim duo veſicantia tibiis admoveo, juxta illud. Hipp. *in pulmoniis*, *quicunque tumores fiunt*, *ad crura optimi ſunt.* Poſt appoſita veſicantia obſervavi expectorationem ſtatim promoveri, ſpirandi difficultatem minui, & alvi fluxum, ſi adeſſet, feliciter ſiſti, omneſque pleuriticos, talibus ſymptomatibus affectos, brevi & feliciter ſanatos vidimus. „ Ita de febribus malignis notum eſt, in illis plerumque minus febris eſſe, ſed plus ſpaſmi, atque raptus humorum ād caput: proin talem naturæ diverſionem, ac a centro ad peripheriam evocationem, turbarumque ſpaſmodicarum moderationem, illis omnino conducere, & Hippocratis conſilio: *Fac febrem!* commode ſubordinari. Neque ab hac ſententia facile dimoveri me patior exceptionibus, quas l. c. propoſuit laud. *Bergerus*, ſcribens: in veſicantibus remediis nihil laude dignum hic reperio, præterquam ſtimulum, quo dum fibroſum & vaſculoſum cutis contextum ſecant & pungunt, dolorem excitant, & *lympham*, non corruptam & venenatam, ut vulgo volunt, ſed vitalem ac *nutritiam* exhauriunt, ipſumque *liquidum nerveum*, neque remediis, neque potione, facile reſtituendum, diſſipant, vireſque non parum dejiciunt". Ut enim alia omnia taceam, nec de lymphæ vitalis ac liquidi nervei deperditione imaginaria quidquam dicam, ipſum, quo ſententiam ſuam probare voluit, exemplum illam minime comprobat. Etenim *Archiatrorum Pontificiorum* alter, *Malpighii* quondam ſucceſſor, præter ſcripta ſua medica, inprimis etiam concepto de *anima mundi* libro, ejuſdemque Colophone: *E l'impoſtura l'anima del mondo*, dudum celebris, *Lucas Tozzius*, *Commentario in Aph. Hipp.* ſcribit quidem: „ Graſſante Neapoli morboſa nimis, & fere peſtilenti, conſtitutione experti ſumus, eos, quibus partes veſiculas excitantibus inuſtæ nihil profunderent, & ſponte ſaneſcerent, brevi convaluiſſe; periiſſe vero, qui bene ab illis habere credebantur, plurimum ichoris effundentes. Sic a medicis decepti, qui ſalutaria putant, quæ madefacta comparent, ac multo ichore ſcatentia. Quo ſane factum, ut non infimæ notæ viri, & præ ceteris ſolertiores, agnoverint, ægrotantes, quos ſors per ulcerantia hæc medicamenta non ſuſtulit, conſanuiſſe quidem, at non ab illis". Sed de hac ipſa obſervatione *Tozziana* valet, quod ex *Sydenhamo* ſtatim profecto ſubjungitur: "Hoc pro comperto habeo, ex multiplici accuratiſſimarum obſervationum fide, prædictas morborum ſpecies, præſertim con-

continuas, ita toto, quod aiunt, cœlo differre, ut qua methodo currente anno ægrotos liberaveris, eadem ipſa, anno jam vertente, forſan e medio tollas".

Medicamentorum internorum duo potiſſimum fuerunt capita primaria. *Pectoralibus* & *Alexipharmacis* pugnatum fuit utrinque æqualiter. Qui vero aliter fieri poterat, cum dudum conſtet, quod in pleuritide bonus ſputator ſit bonus evaſor; malignitas vero bezoardica quævis optima & alexipharmaca poſtulet, inter quæ, uti Lapis Bezoar Orient. *Sennerti pulv. bezoard.* ingrediens, cum *camphora*, principem facile locum tenent; ita ſingulorum & teſtimonia, & præparata, vel ſuccedanea quoque, hic cumulare non vacat; unum modo atque alterum adhuc ſub finem annectere lubet. Et *mixturam ſimplicem* quidem hic non examinabo demum, poſtquam peculiarem ipſi diſp. dedit *Dn. Præſidis B. Parens.* Commendare tamen ipſam facile poterit honorificum, quod in Pharmac. Aug. Reform. ipſi datur teſtimonium: "Nobiliſſimum medicamentum eſt, ad plurimos morbos, uti obſtructiones viſcerum reſerandas, pleuritidem, venenum, & malignam materiam in febribus malignis per ſudorem diſcutiendam". Cui ad latus ponere licebit, quod laud. *Screta* l. c. de illa ſcribit: "In principio malignarum, ſi ſymptomata ſtatim in pectore laborem faceſſant, in ſuffocationis periculo, veterno, & ſimilibus, mixturam ſimpl. a drachm. duabus, ad unciam dimidiam, uno hauſtu ebibere, eſt quaſi ægrum, ex erebi faucibus eripere. Junctum ipſi fuit *Diaſcordium Fracaſtorii*, quod in theriacæ locum ſucceſſit, tanquam & ſimplicius & temperatius. Sed & hoc malignitati congrue opponi, quis negabit. Etenim adeo non ex poſſeſſione ſua theriacalia dejecit *Sydenham*, triſte petechiarum phænomenon ipſis volens adſcribere, & regiminis calidioris effectum iſtas declarare, ut ejuſdem conterraneus, *Mortonus*, diſtinguens inter febrim forte majorem, & malignitatem alias magis prævalentem, illi corticem, huic autem alexipharmaca dederit, interque hæc theriacam cum ſociis locaverit. Cui, ut Anglorum triga fiat, *Hamilton* accedat, qui veſicatoriorum ac theriacæ, vel ſimilis opiatæ, uſum in febre miliari conjunxit. Certe *Fracaſtorius* ſummo malignitatis gradui remedium majus non noverat, quam Diaſcordii ſui drachmam, & ſpecier. cordialium ſcrupulos duos, cum aceti atque ſucci citri ana uncia una, ſucci autem lujulæ duabus, pro uno hauſtu. Et *Borrichius* in febre peſtilentiali illud, non drachmæ ſaltim unius ac alterius, ſed ſemunciæ pondere, ſuaſiſſe legitur in *Eph. Nat. Cur. Cent. VI. obſ.* 30. Imo *Maurit. Hoffmannus* Botanices ſtudioſis auctor fuit, ut ne unquam itineri ſe committant, herbatum quod aiunt excurſuri, ſine theriaca vel Diaſcordio, quorum tamen hoc caloribus æſtivis ſit convenientius. Claudat agmen *pulvis pannonicus*, Sennerti Bezoardico ſubſtitutus. Equidem hic ſuſpectus reddi nuper demum voluit in conſilio ad febres, jam nunc epidemias malignas, militibus dato, ex ratione quidem, quod alvi fluxum iſtis ſalutarem ſiſtat, reprimat, vel cohibeat. Nituntur quidem talia illo *Stahlii*: "Quis, niſi vulgaribus præjudiciis cedens,

cedens, expectabit aliquid ſingularis commodi a terra ſigillata, fatuo nimirum ſubtiliore bolo, ad nihil aliud, quam adſtringentem effectum edendum, apto". Verum enim vero, quam notum noſtris, ac jam dudum a *Screta* l. c. monitum fuit, febres malignas caſtrenſes interdum ſolvi diarrhœa, non ſimultanea, ſed ſucceſſiva, neque ſtypticis, neque opiatis, temere ſiſtenda; tam experientia non una ſimplici comprobatum inter nos quoque fuit, pulverem pannonicum, dicta per hiſtoriam ratione præſcriptum, nitroque inprimis ſociatum, alvi ſolutiones, vel naturales, vel etiam fluxiliores, nequaquam impedire, multo minus ſiſtere, ſed diaphoreticam virtutem exerere, proin talibus commode omnino exhiberi. Unde procul dubio factum eſt, quod in ultimo demum Patriæ phyſicis tranſmiſſo, ac publice paſſim diſtributo, prophylactico generali, etiam hic pulvis, omni laude dignus, loco non poſtremo commendetur.

T A N T U M.

S O L I D E O G L O R I A!

LIII.

GABRIEL ANTONII JACQUES

ET

CL. THOM. GUIL. GUILBERT

DE PREVAL,

THESIS IN HÆC VERBA

Ergo Peripneumoniæ putridæ Vomitoria?

Pariſiis 20. Januar. 1752.

I.

PUlmonum morbus, Peripneumonia, quo nec frequentior ullus, nec periculoſior alter. Omnium eſt anni temporum; frequentior tamen hieme, & ver inter & æſtatem. Infantes, pueros, fœminaſque rarius impetit, ut & ſenes; juvenes, adultoſque, omnium frequentiſſime. Cum pleuritide, juxta plures, tota ferme convenit, cujus ſæpe ſoboles eſt, cuique aliquoties conjungitur. Duplex diſtinguitur, altera vera, altera notha; illa, *dum inflammatoria ſpiſſitudine in arteriarum anguſtiis* & lymphaticorum oſtiolis hæret ſanguineus humor: hæc, *e lenta pituita pulmones infarciente.* Quarum in utraque intenſiores vel remiſſiores adſunt, inflammatio, reſpirandi difficultas, nunc obtuſus, gravans, nunc & profundus, ita nunquam ac in pleuritide intenſus, pectoris dolor: magis minuſve excrucians tuſſis; ſputa ut plurimum cruenta, nunc variegata, flava, nunc æruginoſa, fuſca, nigra, nunc *ſuſpecta.* Acuta febris, cum pulſu molli, aut ſaltem non ita ac in pleuritide duro; hæc ſunt eſſentialia peripneumoniæ ſymptomata. Quædam & alia his accedunt, anxietas, impotentia, jactatio, cum ingenti caloris in toto corpore ſenſu: inter ſcapulas quandoque ſub una tantum dolor percipitur, qui jugulo & mammæ, inter tuſſiendum præſertim, communicatur. Humida primum lingua paulatim areſcit, alba dein obducitur *pellicula*, & temporis lapſu lutea, fuſca, aut nigra videtur. Ineunte morbo ſputa ſæpe nulla reddit æger, vel ſi quæ, bronchialem purum ſpuit humorem; ſed, dum ſua percurrit tempora morbus, perinde ac cauſa producens, mille coloris erunt.

Va-

Varias ipſam producentes cauſas agnoſcit peripneumonia, quas in internas & externas partiri praxeos medicæ principibus mens fuit; de internis præſertim hic agere nobis eſt animus.

Porro vel ab humorum, e primis utplurimum viis ſuppeditata, colluvie hicce oritur morbus, ideoque febris ſymptoma foret; hincque vel putrida nunc, aut non putrida *Synochos*, nunc ardens & putrida; nunc demum maligna febris eſſet, ſive coagulans ſive inſpiſſans ſit morbifica materies: vel ab irritante cauſa gignitur, tuncque a *ſtimulis* dicitur febris, ſymptomatica vero peripneumonia; cujus cauſas indaganti, duæ potiſſimum occurrunt: fermenta nimirum peſſima, a primis viis oriunda; ſolidorumque ſpaſmus ſeu irritatio aut vellicatio.

II.

Feliciter ſi curare volueris, morborum nihil te fallat origo; felix ſane, qui morborum potuit cognoſcere cauſas! præcipua ergo ſymptomata peripneumoniam a ſaburra oriundam concomitantia attente perpendas: quæ præter eſſentialia jam in definitione tradita, ſunt oris fœtor & fœditas, obducta mucore lingua, *Cardiogmi*, vomitus & nauſea, gravantes colici, cujuſcunque indolis diarrhœa, ſymptomaticus ſæpe ſudor, febris acuta exacerbationibus, cum rigore & frigore præſertim oriundis, ſtipata, &c. Antecedentia demum ſuſpectes; vitæ regiminis ægrum minime ſtudioſum fuiſſe, vel inſenſilem tranſpirationem præpedientibus cauſis obnoxium, comperies: qua præpedita interturbantur ita digeſtiones, ut, excitata ſaburra, febri peripneumoniæ comiti præbeatur anſa.

Symptomata vero, quæ peripneumoniæ cauſam ab alio, præter ſaburram, effectu ortam prænunciant, ſunt, ubi ſaburram denotantia deſunt; occurrunt autem a *ſtimulis* febrim indigitantia, ut jactationes, anxietates, diuturnæ vigiliæ, vel ſomnus irrequietus, febris ſine ſenſili exacerbatione, aut notabili ſaltem frigore vacante, nec periodica; infauſtus evacuantium ſucceſſus; contra vero adaucta ab ipſis ſymptomata, ſed & optimus venæ ſectionis exitus, nec non felix remediorum diluentium, laxantium, antiſpaſmodicorum, & narcoticorum, dum a perito medico caute præſcribuntur, eventus.

III.

Morbos pleroſque a morbis diſcernere difficillimum: ſed eorum intricatas ut plurimum cauſas evolvere, eaſque in lucem proferre longe difficilius. Ab antecedentibus itaque & concomitantibus, a lædentibus & juvantibus eruat diagnoſim genuinus & prudens medicus, neceſſum eſt. Sicque, utrum corruptis primarum viarum fermentis, an febri a *ſtimulis* referri debeat peripneumonia, tuto dignoſcere valebit. Cæteri vero pectoris morbi cum peripneumonia difficile confundi poſſunt, *ut aſthma*, *catarrhus ſuffocans*, *hæmoptyſis*, *phthiſis*, *vomica*, *empyema*, &c. Paulo difficilius, ſed adtendenti tamen, facile ſatis erit a pleuritide diſtinguenda, quacum ſæpe complicatur multaque communia habet. At vero ſanguinis

cum febre ſputum, quod quidem aliquoties occurrit, nobis fucum facere poſſet; ſed in eo, uberiori vulgo copia ſanguis expuitur purus, rutilus, & omnis fere bronchialis humoris expers, nec eodem inſtanti febris adoritur. Contra vero in peripneumonia, febris, cæteraque ſymptomata, uno & eodem inſtanti ægrum miſere laceſſunt & invadunt. Quod ſi tamen ab ea ſanguinis ſputum diſcernere prorſus foret impoſſibile, illud tunc tanquam veram peripneumoniam eo potiori jure curet medicus, quod nonnullas hæmoptyſes a pravis omnino pendentes primarum viarum materiebus, reperire detur, quibuſque perſanandis vomitiva exhibere minime dubitarunt præſtantiores in arte magiſtri.

Nunquam periculo vacat peripneumonia, eaque præſertim, quam ubertrima peperit cacochylia, cuique individua comes eſt putrida vel maligna febris; cum præter funeſtiſſimos in morbi decurſu pertimeſcendos eventus, jamjam præſenti morbo liberatos, phthiſi pulmonali, aut empyemati nonnunquam fuiſſe in poſterum obnoxios, experientia compertum ſit; id ſive fiat morbi genio, ſive vocatis in uſum remediis, catharticis inprimis & plus æquo repetitis etiam vomitivis; hinc acutus perſanatur morbus, dum ipſi ſuccedit chronicus.

Quæ non a tot & tam pravis oritur fermentis peripneumonia, levior. Quæ a ſimplici ſanguinis orgaſmo vel a ſtimulo potiſſimum pendet, omnium leviſſima: cum, præterquam quod his competentia efficaciora ſunt remedia, nullum quoque adeo pertimeſcendum accerſere valeant damnum.

I V.

Hanc eſſe peripneumoniæ indolem palam fiet omnibus, qui, ſicut maximi ponderis eſt, cauſam morbi proximam & remotam, ſymptomata, exitum, diligentius inſpexerint, antequam ſe ad curationem accingant. Toto enim orbe, quantum ad eſſentialia, differt therapeia, ſuaque cum velociſſime tempora hicce emetiatur morbus, ne nos præceps fugiat occaſio, ſedulo cavendum.

A ſtimulis ortæ, vel a nimia ſanguinis rarefactione ipſiuſve orgaſmo peripneumoniæ, 1°. cauſam irritantem minuendo tollendove; 2°. Vaſa quantum potuerimus vacuando, apprime medebimur. Porro cum geminis hiſce potiſſimum indicationibus congruat phlebotomia, ad ipſam tanquam ad ſacram anchoram cur non recurrendum? Celebretur ergo primis præſertim morbi diebus, tertia quartave quaque hora, prout ægri vires ferent. Diluentibus tunc, præparatiſque lenientibus ptiſanis necnon humectanti lenientique vitæ regimine, humectanda demulcendave ſanguinis maſſa. Coagulantes vero potus & acidi, tanquam tuſſis ſtimuli, procul arcendi; cui tamen ut & inſomniis brevi ſucurrendum, accurate nihilominus notando, ne hac in regione plus æquo narcoticis, licet indicatis, indulgeamus: hoſce diros affectus lenientibus juſculis ſatius mitigando, v. g. tenuiori pulli gallinacei juſculo, lactis ſero, & ex malvaceis plantis ptiſanis, bechicis, & incraſſantibus præſertim eclegmatis. Nec vomi-

vomitiva tunc, niſi ſub morbi decremento & fine, uſurpanda veniunt, imo & parcius & cautius. Alvus interea *minorativo* una aut altera vice blande ſubducenda.

Putridæ vero aut malignæ ſolvendæ peripneumoniæ hæc impar foret methodus. Primis quidem morbi diebus, hanc, vel quanta eſt, vel ſaltem partim, uſurpari poſſe ultro fatemur, non tanquam ſolventem, ſed ad veram ducentem medendi normam, quæ forſitan hac ſine felices non obtineret eventus. Antequam ergo faceſſant ægri vires, nequidem expectato morbi decremento, cathartica, cathartico-emetica & ipſamet emetica cito & tuto exhibeamus. Pravis enim nondum evacuatis luxuriantibus fermentis, *fruſtraneum* expectaremus decrementum. In pejus rueret cunctando malum: & certo certius morti occumberet antequam veræ ac genuinæ methodo committi potuiſſet æger. Rite ergo præparatus lene catharticum hauriet? eſto. Sed uberior viſcoſaque nimis turget ſaburra, quam ut catharticis foras amandari queat. Tempus urget. In promptu adeſt auxilium; cathartica emeticis ſtimulata (granis aliquot tartari ſtibiati) vel multa quidem aqua dilutas antimonii ipſiſſimas exhibeamus præparationes, quæ blande & efficaciter purgant. In eo quippe caſu excandeſceret pectus, plus æquo intenſa & agitata ſanguinis mole, ſi ſolo leniori carthartico ſaburræ foras educerentur, hoc præſertim cælo eliminatu difficillimæ.

Putridæ nonnunquam, ſive malignæ ſanandæ peripneumoniæ hæc ſola ſufficit curandi methodus: modo neque morbi diuturnitatem, neque qua remediis obſiſtit pertinaciam ægre ferat medicus.

At ſæpe ſæpius quædam occurrit peripneumoniæ ſpecies, cui ſolvendæ hæc prorſus irrita forent, præ viſcoſa & uberiori ſaburra ventriculo impacta, & in ſecretoriis tubulis præſertim nidulante. Ea porro his minime poteſt erui, niſi validiſſimis repetitiſque contractionibus, ſecretorios turgentes tubulos hacque viſcida & glutinoſa infarctos materia, liberare valentibus. Præterea urgentia adeo inſtant ſymptomata v. g. delirium, ſomnolentia, ſuffocationis urgens metus, ut illico ſit opitulandum ægro. Sed jam phlebotomia ſæpe ſunt proſtratæ vires: cathartica minori ſtibii ſociata doſi, ſuffitus, topica, balnea, aliaque ejuſdem generis remedia, ſine ullo notabili ſucceſſu fuere tentata: exacerbationi tandem mox futuræ ne ſuccumbat, vel omnis omnino exſanguis evadat, angimur: cardialgias interea, nauſeas, quibus perpetuo vexatur vomituriones, emeticum indicantes potiuſve flagitantes, agnoſcimus: ineluctabili fato quam plurimos occubuiſſe, adhibitis licet omnibus allatis jam medendi formulis, certo ſcimus. Quid ergo moramur ancipites? Omni procul dubio ad emetica properemus.... At amica manu; mitiora primum veniunt ſeligenda (verbi gratia Ipecacuanha, Glauberi ſyrupus.) Sed ſi non miteſcant accidentia, eademque cum pertinacia ſemper vigeant; efficaciora (qualia ſunt vinum emeticum, tartarus ſtibiatus, aliaque ejuſdem proſapiæ præ-

parata) propinanda incumbunt. Quid mirum? Maximis hoc in caſu laudibus efferunt emeticum melioris notæ medici, eoque ſolo, multos ab orco revocatos fuiſſe paſſim teſtantur, ſanctéque affirmant. Nec ſemel exhibitum ſufficiat; ſæpe multoties iterandum: genuinus enim eſſentialiſque morbus, maligna vel putrida febris, cui tunc eadem ferme competit therapeia, ac ſi omni pectoris complicatione orbata foret. Huic autem autem ſola conveniunt vomitiva, quæquidem non una tantum vice exhiberi, ſed pluries aliquando repeti debent.

V.

Ea ne ergo contra nos tantopere valebit eorum opinio, qui vaſorum lacerationes, rupturas a totius corporis concuſſione quam infert vomitio, pertimeſcendas, tum ob nimium pectoris infarctum, tum ob ingurgitata totius pectoris vaſa, poſt celebratas ſcilicet venæ ſectiones plurimas, exindeque lethalis oriatur hæmoptyſis, objiciunt; vel tandem ne ſanguinis miſſione, ſincera diæta, morboque debilitatus æger, emeticorum vi pereat, pertimeſcunt? Poſtremum hunc infauſtum nonnunquam accidiſſe eventum verum eſt, cum ægro in extremis poſito propinatum fuit emeticum. Id vero prudens ſagaxque medicus facile vitabit, diuturniores non trahendo moras, nec non cardiacis, dum ſuas exerit vires emeticum, cochleatim exhibitis potionibus, lipothymiam arcendo; vel cum ipſiſmet vomitivum propinando, ita tamen ut nimiam ejus vim pro nutu compeſcere valeat, ab eo ſi plus æquo vexaretur æger..... Sed præjudicata opinione laborant, qui vaſorum lacerationes & rupturas vomitivo tribuendas cenſent; præmiſſis enim venæ ſectionibus rite præparato ægro, primis vomitibus veluti miraculo ſublevari obſervare datur, & nedum majori, e contra minori copia expuitur ſanguis, ſæpeque ſubito ſiſtitur; quod non raro in ipſamet hæmoptyſi præſtantioribus contigit medicis, quæ, aliis non vincenda remediis, ſolo curabatur emetico. Tunc enim validiſſime in toto vaſorum ſanguineorum genere ab emetico oriuntur contractiones; ideoque inhiantia ſeſe contrahunt vaſa; quodque non minus veritati conſentaneum eſt, prava, e primis viis ad pulmones perpetuo appellentia, potenter evacuantur fermenta. Præterea pulmonalia ingurgitantur vaſa ſecretoriorium preſſione tubulorum, viſcida tenaciſſimaque lympha turgentium. Hos coarctat vomitio, contentum ſollicitat humorem, ac proinde qua obruuntur, ſanguineorum tollitur preſſio. Hinc dædaleos intra pulmonum anfractus motum libere perennat ſanguis. A peſſimis aliunde fermentis cum in peripneumonia ſanguinis oriatur ſpiſſitudinis anſa, longe fluxiliorem futurum ſanguinem, nil clarius. Sic præſtantiſſimorum in arte præceptorum rationi, authoritati & experientiæ cedendo, concludamus.

Ergo Peripneumoniæ putridæ Vomitoria.

ANDREÆ

LIV.

ANDREÆ ELIÆ BÜCHNER

ET AUCTORIS

ADAMI FRIDERICI KRAUSSE,

DISSERTATIO

DE VENÆ SECTIONIS SÆPIUS IN PERIPNEUMONIA REPETITÆ USU EXIMIO SINGULARI CASU COMPROBATO.

Halæ 26 Sept. 1753.

P R O OE M I U M.

N*Octuas me ferre Athenas & tritum ſæpiuſque recoctum pro inaugurali Diſſertatione mea elegiſſe argumentum, quibuſdam primo fortaſſis intuitu videbitur lectoribus. At vero adfectus quoslibet, quo magis ſunt quotidiani & obvii, eo attentiorem & ſolertiorem requirere curam, nemini eſſe obſcurum credo. Caſum ſingularem clinicum, calci hujus Diſſertationis annexum, Illuſtris ac Excellentiſſimus Archiater Regius, Dn.* D. Cothenius, *ex ſingulari plane, qua in me propendet, benevolentia mecum communicavit, ejuſque auctoritas & mandatum, ut practicum hoc elaborarem thema, me permovit. Quod tractationis ordinem ſpectat, ille mihi viſus eſt convenientiſſimus, ut ea, quæ ad intelligentiam ſequentium ſunt neceſſaria, præmitterentur. Sic diſſertatiuncula* tribus *diſtincta legitur* capitibus. Primo *de morbo ipſo, peripneumonia nempe, quædam afferre placuit;* altero *de mutationibus a venæſectione oriundis tractavi,* & tertio *denique* capite *repetitæ venæſectionis uſum, ad felicem abſolvendam curationem, clarum & evictum reddere ſtudui, hiſque veritates practicas eſſe æternas, cum opinionum commenta dies deleat, aliqua oſtendiſſe parte acquievi. Lectorem interea paucis adhuc rogatum volo, ut de primis ingenii fructibus benevolum ferre judicium, ac omnia æqui bonique conſulere velit. Deum vero Ter Optimum Maximum, ut omnes meos conatus in ſui ipſius gloriam proximique ſalutem quam clementiſſime ſemper dirigat, ſupplex oro precorque.*

C A P U T I.

De Peripneumonia.

§. I.

PEripneumonia vi vocis ſignificat adfectum circa pulmones; cum vero hoc conceptu morbus, quem auctores medici denotare ſtudent, minus adæquate & complete exprimatur, diſtinctiorem ejus notionem exhibere præſtat. Eſt itaque Peripneumonia *inflammatio vaſorum arterioſorum per interiorem pulmonum ſubſtantiam diſtributorum.*

§. II.

Ex anatomicis conſtat, pulmones eſſe viſcus mirabili admodum gaudens ſtructura ac compage, quod ex infinitis fere cellulis ſeu veſiculis, & innumerabilibus plane vaſorum minimorum arterioſorum ac venoſorum

myriadibus quam artificioſiſſime eſt coagmentatum. Ob tenerrimam ergo ſuam texturam habent hæc vaſa vim contractilem admodum exiguam. Si vero ex quacunque cauſa vis vaſorum contractilis imminuitur, tunc fluida ipſorum parietes magis diſtendunt, factaque dilatatione tanto facilius ac copioſius in talia penetrant vaſa, quorum naturalis & anguſtior diameter acceſſum alias iiſdem denegabat. Ex ingreſſu autem fluidorum in talia vaſa, per quæ naturaliter non tranſeunt, & quorum parietes debito deſtituuntur robore, oritur obſtructio, tamquam palmarium inflammationis fundamentum.

§. III.

Docet Phyſiologia, pulmones ſanguificationi egregie inſervire, quodque horum ope ſanguis non ſolum (qui, ob varias in multis ac diverſis corporis organis factas ſe & excretiones, ſuſpectam ſpiſſitudinem, motuque celeriori majorem acquiſivit calorem,) iterum reſolvatur ac temperetur, ſed quod inſuper quoque eorum beneficio crudiores diverſæque indolis chyli particulæ intime inter ſe miſceantur ac ita adaptentur, ut globuli ſanguinei exinde proveniant. Sanguis autem, ſero ac lympha non ſatis dilutus, calore, naturalem excedente, expanſus ac rarefactus, multiſque præterea diverſæ naturæ ac gravitatis alius fluidi particulis refertus, per anguſtos & exiles canales difficillime progreditur, horum elaterem deſtruit, & ſic obſtructionis cauſſam, quæ inflammationem tamquam pediſſequum & indivulſum habet comitem, in viſcere producit ac ſuſtinet.

§. IV.

Cujuſvis inflammationis magnitudo oritur & æſtimatur ex majori numero vaſculorum obſtructorum, ipſiuſque obſtructionis gradu. Parenchyma vero pulmonis totum quantum ex vaſculis, iiſque minimis (§. 2.), eſt compoſitum. Vaſa etiam ob tenuitatem præ reliquis ſunt flexilia, neque aliis partibus magis reſiſtentibus circumdata deprehenduntur; hinc orta in pulmonibus inflammatio non ſolum ob inſignem vaſculorum copiam longe lateque ſeſe diffundere, ſed & ob exiguam parietum reſiſtentiam haud leve acquirere poteſt incrementum. Accedit, quod vaſa in pulmonibus ſibi invicem ſint valde contigua, multique ipſorum rami admodum breves ſint; oborta itaque in hoc vel illo vaſe ſtaſi inflammatoria, reliqua huic inflammato contigua comprimantur, adeoque pariter inflammentur, neceſſe eſt. In brevi etiam obſtructo vaſculo major ſemper contingit obſtructio, quam in alio longiori. Oſtium enim ejuſmodi brevioris vaſculi a fluidorum vi diſtendente facilius dilatatur, ſicque craſſiores fluidi partes pro augenda obſtructionis cauſſa facilius & copioſius tranſibunt. Ex hiſce itaque pulmones ad inflammationem ſubeundam ſatis eſſe

aptos

aptos breviter quidem, ſed ſimul perſpicue, evictum me dediſſe judico.

§. V.

Arterias, non autem venas poſſe inflammari, ſufficienter jam notum eſt. In extremitatibus enim arteriarum ad obſtructionis generationem ſolam eſſe aptitudinem, magna harum anguſtia & inſignis fluidorum cum parietibus cohæſio declarare videntur. *Vaſa* autem pulmonis *arterioſa* duplicis generis obſervantur; alia enim ſanguinem, quem vehunt, ex ventriculo cordis ſiniſtro, alia ex dextro recipiunt; illa *arteriæ bronchiales*, & ab inventore *bronchiales Ruyſchii* vocantur, quarum rami majores ac principales vel arteriæ aortæ deſcendenti, vel intercoſtali ſuam debent originem; hæc vero nomine *arteriarum pulmonalium* inſigniuntur, quarum truncus ex ventriculo cordis dextro immediate originem ducit. Morbi itaque hujus ſedem vel in prioris, vel poſterioris ſpeciei vaſis, vel utriſque ſimul quærendam eſſe, liquido exinde apparet.

§. VI.

Hactenus medici nulla peculiaria ſigna, inflammationem in vaſis bronchialibus ab illa in arteriis pulmonalibus diſtinguentia, cognoverunt ac detexerunt, niſi quod ſymptomatum ratione, & ſpeciatim vehementiæ atque durationis intuitu quædam intercedere videatur differentia; hinc utrumque morbum indiſcretim *peripneumoniæ* nomine denotare ipſis ſolemne fuit; ob ſitum vero & connexionem horum vaſorum omnino ſuſpicari licet, quod, etiamſi in finibus arteriarum pulmonalium obſtructionis fiat initium, bronchiales tamen ſtatim in conſenſum trahantur ſimulque adficiantur, & ſic vice verſa; neque etiam magnæ utilitatis, in ſolatium qualecunque ægrotantium cedentis, eſſet negotium, ſi duplex conſtitueretur peripneumonia, dum in curatione nullus plane ex hac differentia uſus reſultare poteſt.

§. VII.

Ad tutiorem autem & certiorem formandam prognoſin, majorem ex mea ſententia meretur attentionem diverſitas, an vel uterque pulmonum lobus ſit inflammatus, vel alteruter tantum malum ſuſtineat? Fuerunt quidem, qui ex ſymptomatum gravitate & reſpiratione præſertim laborioſiſſima totum ſemper in peripneumonia laborare pulmonem judicarunt. Obſervamus enim, inquiunt, in phthiſicis, quibus totum pectus ab uno latere nonnunquam pure repletum, quod alter pulmonum lobus ſalvus adhuc & reſpiratio etiam quodammodo illæſa permaneat; ſi ergo vel dexter, vel ſiniſter tantum adficeretur lobus, non ita anxia eſſet reſpi-

ratio. Reſpondeo autem ad hæc, etiam in aliis morbis maximam ſæpius adeſſe pectoris anguſtiam & reſpirationem difficilem, ubi nulla tamen in pulmonum viſcere præſens eſt inflammatio. Ratio potius difficilioris hujus reſpirationis, in peripneumonia, a febre conjuncta peracuta dependet; cum in phthiſicis vero tantum febris gradum non obſervemus, hinc reſpiratio etiam in iiſdem liberior eſſe poteſt; proinde etiam experientia iſti adſerto contradicit, dum ægrotantes ſæpius de dolore unius tantum lateris conqueruntur, & ſectiones cadaverum hoc morbo extinctorum teſtantur, unum pulmonis lobum ſolum fuiſſe inflammatum & corruptum deprehenſum, ſine ulla notabiliori alterius labe. Exemplum ejuſmodi ſuppeditat promptuarium obſervationum medicarum locupletiſſimum, *Acta* ſcilicet *Naturæ Curioſorum*, in quorum *Cent. I V. Obſ. I.* ſectionis magni Germaniæ Principis, peripneumonia defuncti, mentio fit, ſimulque declaratur, ſiniſtrum pulmonum lobum ſolum fuiſſe adfectum. Concedimus interim, quod uterque pulmonum lobus ſæpe ſæpius in hoc morbo inflammetur, tunc autem vehementiſſimis ille ſtipatus incedit ſymptomatibus, vixque unquam vel rariſſime curatur. Sic modo allegata *Acta Natur. Cur. Vol.* 3. *Obſ.* 27. exhibent talem caſum inflammationis peripneumonicæ utriuſque lobi.

§. VIII.

Recta & vera morborum diagnoſis primum & unicum eſt felicis curationis fundamentum. Talem vero cognitionem morborum hiſtoriæ, a prudentioribus & peritis artis ſalutaris doctoribus conſignatæ, optime procurare valent. Harum enim ope veram ægritudinum indolem ac cauſſam, nec non ſymptomatum genuinam inveſtigare & explicare poſſumus originem. Præſentis itaque tractationis ratio poſtulat, ut ad ipſam hiſtoriam peripneumoniæ nos accingamus illamque ſuccincte exhibeamus.

§. IX.

Veteres cum recentioribus amica quaſi conſpiratione conſentiunt, quod peripneumonia ingruat cum inſigni admodum horrore ac frigore, quem ſtatim excipit vehemens æſtus, brevi ita increbeſcens & ad delirium uſque ſæpe invaleſcens, ut febrim peracutam continuam conſtituat, concurrentibus inſuper corporis laſſitudine viriumque notabili proſtratione, capitis vertiginoſa perturbatione ac turbulento dolore. Conjunctum porro habet pulſum celeriorem, durum & inæqualem; adeſt plenaria appetitus proſtratio, turgeſcentia venarum colli, ſitis intenſior, faciei rubor, oculorum intumeſcentia, cum ſiccitate & inflatione linguæ. Urina, quæ mingitur, tincta ſatis apparet, clara tamen & pellucida eſt, ac colorem monſtrat rutilantem & flammeum. Succedunt agrypniæ, præcordiorum

anguſtia,

anguſtia, reſpiratio difficilis, parva & anheloſa, præcipue ſi in ſanum latus decumbunt, ſumma denique orthopnœa, ut ad ſuffocationem evitandam erecti ſæpe ſedere cogantur, cum dolore quadantenus obtuſo gravativo ac profundo, verſus ſpinam dorſi ſe extendente, ac inprimis ſub inſpiratione & tuſſi ſeſe exacerbante, ægrotoſque moleſtiſſime adficiente. Tuſſis, ſtatim in principio concurrens, eſt ſicca & frequens; ſub morbi autem progreſſu variat, ita ut circa tertium vel quartum diem humida evadat; materiæ etiam color, conſiſtentia & copia tunc mutatur, dum primo mucus tantum tenuis & ſpumoſus rejicitur, qui dein fit cruentus & denique purulentus.

X.

Omnia hæc ſymptomata ſimul ſumta conſtituunt peripneumoniam, & medicum de ejuſdem præſentia certum reddere poſſunt; ex illis autem nonnulla ſtatim in principio adſunt, & *eſſentialium* ac *pathognomonicorum* nomen jure merentur, cujus generis ſunt, febris acuta continua, tuſſis frequens, reſpiratio difficilis & fervida, dolor gravativus, intumeſcentia venarum colli, rubor faciei obſcurus, pulſus celer, durus & inæqualis. Quædam etiam ex his tanquam effectus ex ſuis cauſſis ſubſequuntur, uti ſunt: decubitus corporis inquietus, plenaria ciborum averſatio, ſitis, linguæ tumor & ariditas, urinæ conditio, pertinaces vigiliæ, capitis dolor, &, ſi gravior fuerit morbus, ipſa deliria.

§. XI.

Ad febrem hanc acutam producendam non una, ſed plures ſimul agentes cauſæ concurrunt; obſtructio nempe, irritatio & materia acris ſalina, vel ſtatim in initio præſens, vel ſub morbi incremento producta & generata, ut febris ejuſmodi ardens excitetur, & ad tantum vehementiæ gradum evehatur, ſymbolum ſuum quam maxime conferunt. Obſtructis nempe vaſculis arterioſis motus ſanguinis progreſſivus per reliquos ramos, cum obſtructis his vaſculis connexos, ut fiat celerior neceſſe eſt. In peripneumonia ſunt rami arteriæ bronchialis obſtructi; hi autem cum arteria magna, ex qua in omnes totius corporis partes ſanguis diffunditur, connexi ſunt; hinc, ut per totum corpus motus progreſſivi obſervetur incrementum, ſequitur. Creſcente autem cauſſa, creſcit etiam effectus; quo plures itaque arteriæ bronchialis rami ſunt obſtructi, eo celerior in reliquis magnæ arteriæ canalibus motus erit progreſſivus. Ex antecedentibus autem patet (§. 2-4.), non ſolum fieri poſſe, ut multi hujus arteriæ rami facili negotio obſtruantur, ſed patet etiam ex obſervatione (§. 7.) adducta, ſi non omnes, plurimos tamen hujus arteriæ rivulos revera fuiſſe occluſos. Motus ergo ſanguinis pro-

greſſivus ut & in peripneumonia naturalem longe ſuperet, non eſt quod dubitemus; aucto vero motu progreſſivo, augetur quoque inteſtinus, & ſic oritur febris: ſanguis enim hac ratione magis reſolvitur, pluresque igneæ, quam aliæ particulæ, magna vi agente prædıtæ, liberantur, quæ ſui juris factæ, exitu tamen e corpore intercluſæ, ſolida vehementer ſtimulando, febrem non ſolum producunt, ſed ejus etiam durationis atque exacerbationis cauſſa exiſtunt.

§ XII.

Dum arteriæ pulmonales ſecundum §. 5. hoc in morbo pariter obſtructionem patiuntur, ſanguis, a vi cordis ventriculi dextri in eas delatus, a venis rite excipi, & ad cordis ventriculum ſiniſtrum transferri nequit. Regurgitat itaque & refluit ad ventriculum dextrum, magnamque ſimul (ob molem adauctam ex continuato adfluxu per venam cavam,) excitat ſenſationem. A ſanguine ita magis coacervato fibræ hujus ventriculi nimis diducuntur, & nervi, hiſce fibris intertexti, diſtenduntur, quæ tenſio nervis ventriculi ſiniſtri ob conſenſum communicata, vehementiorem in fibris muſcularibus producit contractionem; naturali vero minor ſanguinis moles ad hunc ventriculum per venas delata, haud ſatis reſiſtit, adeoque validiori motu in arterias impulſus celeriter per corpus progredi debet; ex celeriori autem progreſſu dependent effectus, qui adæquatam febris conſtituunt cauſſam (§. 2.) Irritatio ergo in corde producta febrim acutam in peripneumonia accendere valet.

§. XIII.

Dum ergo materia acris & ſalina irritationem & obſtructionem efficit, ſicuti infra in enarrandis peripneumoniæ cauſſis monſtrabimus, utique hinc febrem quoque ab ea concitari poſſe patet, & quoniam in omni inflammatione major præſto eſt particularum acriorum proventus, quarum actio eo maxime vergit, ut maſſæ ſanguineæ immixtæ, inducta ſimul vaſorum excretoriorum coarctatione, fluidi rubicundi globulos magis reſolvant, fortiterque in ſolida agant, febrem inſigne exinde capere incrementum veritati convenit.

§. XIV.

Tuſſis in hoc morbo duplicem agnoſcit cauſſam; vaſcula enim obſtructa, veſiculas aëreas perreptantia, vel ob majus, quod nacta ſunt, volumen, ipſas veſicularum fibrillas diſtendunt, ſicque ad majorem contractionem ſtimulant, vel tunicæ harum veſicularum, expanſis ſuis vaſis cum aliis magis contiguæ & propinquiores redditæ, frictionem patiuntur, quam majorem

jorem & inſolitam ſenſationem dein motus excipit ſenſationi proportionatus. Dum vero ſub inſpiratione veſiculæ aëre repletæ urgentur, ut magis adhuc erga ſe invicem accedant pluribuſque in punctis ſeſe contingant, manifeſta inde patet ratio, cur adeo frequenter ægrotantes tuſſiant, inprimis cum inſuper quoque materia acris, ſub inflammatione præſens inque ſenſibiles has partes vel ex maſſa ſanguinea delata, vel ex vaſculis obſtructis, cum quibus prædictæ veſiculæ cohærent, ſecreta, magnam habeat vim, talem violentum & præternaturalem producendi effectum.

§. XV.

Quia in peripneumonia vaſa obſtructa multo & craſſo ſanguine ſunt referta, aëri non ſolum in veſiculas intranti harumque expanſionem efficienti, major inde enaſcitur reſiſtentia, ſed ob tumorem inſimul etiam veſiculæ, quaquaverſum preſſæ, vel plane non dilatantur, vel ſaltem impediuntur, quo minus naturale ſaltem dilatationis ſpatium emetiri queant; oritur hinc difficilis reſpiratio & dolor ille in pectore gravativus. Halituum autem ex ore emiſſorum inſolitus fervor, ſufflaminatum aëris liberiorem ingreſſum internumque in pulmonibus præternaturalem æſtum pro cauſſa agnoſcit. A decubitu in latus ſanum reſpiratio magis omnino erit impedita, dum ab obſtructo pulmonis lobo alter integer adhuc ac ſanus quoque comprimitur ſuoque munere libere fungi haud valet; ſitus e contrario erectus reſpirationem liberiorem reddit & obtuſi doloris inſignem adferre videtur mitigationem: ſub decubitu enim corporis in alterutrum latus, totum pulmonum pondus aëri ingredienti majus ſubſternit impedimentum, & ſanguis facilius ac majori copia ſub hoc, quam ſub erecto ſitu, ad vaſa ruit.

XVI.

Ventriculus dexter, ob denegatum circulum in arteriis pulmonalibus, ſanguine magis repletus, cruorem ex vena cava adfluentem non admittit; vena itaque hæc etiam repletur & in ramificationes adnexas majorem exſerit reſiſtentiam, unde ſanguis in venas colli totiuſque faciei copioſius reſtagnat, indeque parietum dilatatio ac tumor oritur. Sed cum hac ratione ſanguis arterioſus novam inſimul reſiſtentiam ſentiat, ejuſque motus graviter impediatur, hinc in extremitatibus arteriarum globulos ſanguinis rubicundi copioſius colligi, facile patet. Ex numero vero majori globulorum ſanguinis rubicundorum, in vaſis collectorum, auctior partium dependet rubor; adeoque liquido exinde adparet, cur facies in peripneumonia rubeſcat.

§. XVII.

§. XVII.

Valde impeditum reſpirationis negotium (§. 15.) & cordis a ſanguine diſtenſio moleſtam omnino ægrotantibus creant ſenſationem anxioſque illos de vitæ periculo reddunt. Sollicite itaque ingratæ hujus ſenſationis mitigationem quærentes, modo huc, modo illuc ſe convertunt, ſupini jacent, ad latera decumbunt, ſitum etiam erectum eligunt; nullibi autem exoptatam invenientes quietem & allevationem, indeſinenter corpus irrequieti jectigant.

§. XVIII.

Quæ alias in homine ſano ciborum deſiderium excitare ſolent cauſſæ, debitum nempe ventriculi robur, ac liquorum reſolutioni & digeſtioni alimentorum inſervientium juſta & ſufficiens quantitas & conditio, ſub ſtatu inflammationis pulmonum deficiunt; hoc enim tempore ſanguis impetuoſius ac celerius per arterioſa vaſa ad ſingulas corporis partes defertur, ſimiliterque per venas revehitur, unde fluidum nerveum etiam magna in copia in cerebro elaborari nequit, ipſaque ventriculi vaſa cruore vitali haud ſatis perſundi poſſunt. Jam vero in legitima fluidi nervei quantitate, & decenti vaſorum cum ſanguine bene conſtituto repletione, unicum roboris fundamentum conſiſtit, & ſub impetuoſiori ſanguinis progreſſu liquoris gaſtrici, pancreatici ac ſalivalis modica fit ſecretio; inſuperque tandem ſub ingenti æſtu febrili tota ſanguinis mixtio immutatur fluidaque inde ſecreta alienam omnino induunt naturam: hinc merito ventriculum in corpore, ubi pulmones laborant, naturali deſtitui tono, & liquores digeſtionem promoventes huic officio plane ineptos deprehendi, non eſt quod miremur.

§. XIX.

Sitis ac linguæ ariditas humidi defectum denotant, & partim a febre & frequenti reſpiratione, partim etiam a ſalivæ defectu originem ducunt. Febris enim non ſolum tenuiſſimas & mobiliſſimas ſanguinis partes conſumit ac diſſipat, ſed ob ſalium etiam & ignearum particularum liberationem harumque vehementiorem actionem, ſpaſmum excitando limpidiſſimi fluidi ſecretionem, ejuſque circulum per minima vaſa, ſufflaminat. Sub frequenti porro reſpiratione aër non ſolum cum impetu quodam pulmones ingreditur, fervidusque iterum ab ipſis emittitur, ſed & ita celeriter motus, igneiſque particulis refertus, humidum in linguæ ac faucium ſuperficie hærens facillime abripit & ſecum evehit, parteſque exſiccando, ſtricturam inducit, & tali ratione efficit, quo minus ex arteriolarum finibus

tibus novum iterum humidum ſufficienti in quantitate exſudare queat. Et dum omnes in eo conſentiunt Medici, ſalivam inter alios egregios uſus hoc quoque emolumenti præſtare corpori, ut interior oris ac faucium cavitas ab ea lubricetur & humectetur, utique hinc ex ipſius defectu, qui a nimio æſtu febrili & humorum tenuiorum aqueorum conſumtione oritur, ſitis quoque inferri, & ariditas oris augeri debet.

§. XX.

Sanguis, præſente pulmonum inflammatione per arteriam magnam motus, paucas tantum partes craſſiores in ſe continet, magiſque reſolutus deprehenditur (§. 17.). Urina ergo, quæ hoc tempore ſecernitur, clara eſt, ab admixtis autem pluribus particulis igneis & ſalinis colorem naturalem flaveſcentem in rutilantem ac flammeum mutat. Pertinaces denique vigiliæ, capitis dolor, ipſaque deliria, tam ob valde impeditam reſpirationem, quam ob febrem ejuſque effectus, ordinarie accedere ſolent.

§. XXI.

Proximum nunc eſt, ut, expoſitis ſignis morbum noſtrum manifeſtantibus, ad cauſſas progrediamur; his enim rite perſpectis, indicationes pro ipſarum remotione facilius formari poterunt, melius quoque eluceſcet, quodnam remedium ad morbum debellandum præcipue commendari debeat. Peripneumonia autem eſt morbus inflammatorius (§. 1.), cumque in omni inflammatione primum adſit ſtaſis ſanguinis cum obſtructione minimorum vaſculorum conjuncta, hæc utique *proximam* ejus conſtituit *cauſſam*, & reliqua omnia, quæ ſtaſin & obſtructionem talem producere valent, pro *cauſſis* hujus morbi *antecedentibus* habenda erunt.

§. XXII.

Has vero inter *nimia ſanguinis quantitas* primum occupat locum. Sanguis enim copia excedens a vi cordis & arteriarum tardius movetur, preſſio tamen & reactio vaſorum in ſanguinem eſt major; ob motum ergo tardiorem, cum majori vaſorum preſſione conjunctum, ſpiſſitudo inducitur, dum partes ſeroſæ & tenuiores facile ſecedunt, & a conjunctis gravioribus rubicundis diſſociantur; hinc craſſiores particulæ rubicundæ, arctius coeuntes, priſtinam amittunt fluiditatem. Talis itaque ſanguis ad motum per minima vaſa, qualia etiam ſunt in pulmonibus, continuandum, eſt ineptus, hinc in arteriarum extremitatibus ſubſiſtens, parit obſtructionem: ſanguis enim copioſus dilatat nimis & expandit vaſa, ſicque non ſolum robur ipſorum naturale infringit, ſed dum nervi pariter comprimuntur, horumque fluido liberior acceſſus denegatur, vim quoque vita-

 lem

lem imminuit; vaſa autem debilitata humores in alveis ſuis colligi, ibique ſtaſin concipere facillime permittunt.

§. XXIII.

Depravata etiam *ſanguinis qualitas* pulmonibus noſtrum morbum conciliare valet. Quod ſpiſſitudo hoc præſtet, §. antecedent. vidimus: ſpiſſus enim ſanguis æque ac abundans, ob majorem reſiſtentiam, vim cordis & arteriarum contractilem inſigniter imminuit, ſicque motum tardiorem efficiendo, ut per minima vaſcula tranſire nequeat, obicem ipſi ponit. Facilius itaque talis ſanguis in hoc, quam in alio viſcere, vaſa obſtruere poteſt, ſique inſuper acris fuerit, tunc fines arteriolarum conſtringendo, ut a tergo urgens humor ulterius debite progredi nequeat, quam maxime impedit.

§. XXIV.

Motui etiam fluidorum aberranti tribuere poſſumus efficaciam, producendi in pulmonibus obſtructionem. Nam ſi hic juſto celerior & impetuoſior, humores inde magis expandentur, vique majori in vaſorum parietes impulſi, horum conditionem ita immutare valent, ut per orificia dilatata penetrare quidem poſſint, ulterius autem ſeſe movere haud valeant.

§. XXV.

Occaſionales pariter ſeu *remotæ cauſſæ*, quæ, ſanguinis & fibrarum vaſculorum diſpoſitione concurrente, in pulmonibus ſtaſin & ſubſequentem inflammationem efficere poſſunt, nobis nunc perluſtrandæ veniunt. A Medicis procatarcticæ hæ cauſſæ in *naturales*, *non-naturales* & *præternaturales* plerumque diſpeſcuntur, huncque ordinem pariter quoque in præſentiarum obſervare placet.

§. XXVI.

Ex claſſe *naturalium* primo ſe offert *temperamentum melancholicum & ſanguineum.* In illo fluida ordinarie ſpiſſiora deprehenduntur; hinc quoque ad inducendam vaſorum minimorum pulmonalium obſtructionem, ipſumque hunc affectum excitandum, ſatis omnino proclive & aptum eſt. In hoc autem juſto major ſanguinis quantitas facile generatur, quæ, minorum & anguſtiorum vaſorum elaſticitatem imminuendo (§. 32.), per arteriarum extremitates non promte ſatis fluere valet, ſed moram ibidem nectere cogitur. Abſolute quidem & vix non ſemper

tempe-

temperamentum cholericum & phlegmaticum ab hoc morbo excluditur, cum, experientia teſte, præſentibus cauſſis agentibus vehementioribus, eodem interdum morbo ſubjecta iiſdem prædita adficiantur; rarius tamen id fieri, ſat validæ comprobant rationes: in phlegmaticis enim vaſorum æque ac reliquarum partium mollium textura laxa magis occurrit, humoreſque particulis activioribus ſalino-ſulphureis minus abundant; vaſa ergo facile quidem dilatantur, ſed dum dilatatio, ob debilem cordis & arteriarum vim, exigua ſaltem eſt, ſtaſes facile quoque iterum removentur, & ob ſulphurearum partium minus abundantem copiam quieſcentes ſucci non tam cito, ac alii, reſolvuntur. Cholerici autem a benigna natura vaſa amplioris diametri & ſat firmæ texturæ nacti ſunt; hinc ſanguis in finibus arteriolarum non æque facile, ac in reliquis temperamentis, ſubſiſtere poteſt.

§. XXVII.

Secundum locum in ordine harum cauſſarum ſibi vindicat *ætas juvenilis ac virilis*, utpote quæ, juxta venerandi ſenis, *Hippocratis*, *Aphor. XXX. Sect. III.* ad peripneumoniam quam maxime eſt diſpoſita. Corpora enim hujus ætatis abundantiori plerumque ſanguinis copia ſunt repleta, & diſſipatis a vegeto ſolidorum motu ſeroſis & lymphaticis partibus, major ad ſpiſſitudinem inducitur proclivitas. Proinde quoque in hac ætate frequentiores contingere ſolent ſanguinis ad pectus congeſtiones, inprimis autem, ſi antea prægreſſa fuerint molimina ad narium hæmorrhagias, vel tales etiam largius fluentes aut ſponte ſubſtiterint, aut adſtringentibus intempeſtive adhibitis fuerint ſuppreſſæ, adeoque tunc facile & ſtaſes ſanguinis & obſtructiones vaſorum in talibus ſubjectis contingere poſſunt, prout hoc fuſius demonſtravit Illuſtr. b. m. *Hoffmannus*, in diſſert. *de ætatis mutationibus morborum cauſſis.* Habet proinde quælibet ætas peculiares ſuos morbos, quorum ratio partim ſucceſſivæ ſolidarum partium evolutioni, per ætatis periodos evenienti, partim etiam earundem in ſtructura & vigore ſenſim ſenſimque contingenti mutationi potiſſimum adſcribenda erit. Ipſa quoque pulmonum conſtitutio nativa, in vaſorum flacciditate, horumque interdum vitioſa conformatione conſiſtens, huncce morbum frequenter invitat. Sic jam olim *Strauſſius*, in *palæſtræ medicæ Part. II.* adnotavit, nonnullos, ob talem debilitatem a parentibus nactam, annuas fere peripneumonia correptos fuiſſe.

§. XXVIII.

Porro quoque huc referri debent *ſexus virilis & ſtrictior corporis habitus*: ſexus enim ſequior, ob catameniorum fluxum, plethoram non tam facile alit, & ob vaſorum mollitiem rarius inflammationibus eſt expoſitus; hinc

niſi menſium vel lochiorum retentio ac ſuppreſſio concurrant, virilis præ ſequiori ſexu hunc adfectum frequentius patitur. In ſtrictiori ac denſiori corporis habitu ſalutare tranſpirationis negotium facile turbatur, unde ad ſtatum plethoricum magna oboritur diſpoſitio, tuncque inutilium & acriorum partium in corpore retentio blandam humorum temperiem ita immutare valet, ut commoda accelerando huic morbo præbeatur occaſio.

§. XXIX.

Ex *non-naturalibus rebus* inprimis *aër nimis frigidus*, quandoque etiam calidior nimiſque gravis ac levis, agmen quaſi ducunt. Aër enim nimis frigidus, præter noxios illos effectus, quos in toto corpore monſtrat, in pulmones præcipue, quorum juratus quaſi hoſtis exiſtit, perniciosſam ſuam exſerit efficaciam, ſanguinem nempe inſpiſſando & condenſando, vaſaque conſtringendo & coarctando, hinc ſtaſin producendo ac ulteriorem & decentem fluidorum motum ſufflaminando. Nimis calidus e contrario ſanguinem expandit, ſerum ſubtile ac blandum diſſipat, & vaſa ultra elaterem naturalem dilatat. Cum vero quoad maximam partem maſſa ſanguinea a ſero, globulis rubicundis interpoſito, fluiditatem ſuam obtineat, hoc ablato cohæſionem partium augeri, hincque ſpiſſitudinem produci, neceſſe eſt; ſpiſſa autem fluida, dum per vaſa nimis dilatata progrediuntur, facile in iiſdem ſubſiſtunt, eorumque alveos obſtruunt. Aër nimis gravis vaſa tam totius corporis, quam pulmonum, comprimit & anguſtiora reddit, ut dein facile in iiſdem, concurrentibus aliis cauſſis, ſtaſes ſanguinis ſubſequentis evenire poſſunt. Aër denique nimis levis, in quantum ſanguinis elaſticitati non ſufficienter reſiſtit, nimiæ vaſorum ſeroſorum ac lymphaticorum expanſioni limites ponere haud valet. Tanto majorem vero tales aëris conditiones corpori noxam adferent, ſi effluvia acria, arſenicalia, corroſiva, adſtringentia, hujuſque commatis alia in ſe contineat. Experientia enim comprobavit, quod peripneumonia hac ratione epidemica ſæpius fuerit inducta, cum funeſto in plurimis ægrotantibus ſubſecuto eventu. Multos quoque mortalium hic morbus jugulat, ſi crebrioribus tempeſtatis viciſſitudinibus & mutationibus aër alteratur, dum auram frigidiorem inopinato excipit calidior, & vice verſa, ſecundum *Hippocratis Aphor. I. Sect. III.*

§. XXX.

Aëri ſuccedunt *alimenta* & *potulenta*, præſertim viſcida nimis, acida & acria, copioſius frequentiuſque adſumta, cujus generis carnes ſunt pingues, ſalitæ & fumo induratæ, omnia piſcium genera, fungorum ſpecies, fructus horæi, farinacea ex ovis & butyro confecta, acetaria, aromata, nec non cereviſiæ craſſiores nimis lupulatæ, acidæ, vina auſtera,

ſtera, generoſa, acida & ſpiritus vini. Omnia hæc partim multas in ſe continent cruditates, difficillime digeruntur & impurum viſcidumque producunt ſanguinem, partim etiam (quod ſpeciatim de potulentis adductis valet) ſanguinem coagulando & vaſa conſtringendo, ad affectum huncce producendum multum omnino conferunt.

§. XXXI.

Non minus quoque huc referendi ſunt *nimii corporis motus*, ſub durioribus præcipue laboribus, itemque curſitationibus, ſaltationibus & equitationibus, imo & vehementioribus clamoribus & vociferationibus concitati. Limpidiſſimum enim humidum excedentes tales motiones magis, quam par eſt, evacuant, ſicque ſanguinis maſſa non ſolum ſpiſſior & acrior redditur, ſed tonus etiam partium ſolidarum & vis vaſorum vitalis imminuitur. Cum his quoque *adfectus animi vehementiores* ac *vigiliæ diutius protractæ*, coincidunt, eademque ratio in humores vitales ac pulmonum vaſa noxium effectum exſerunt. *Quies* vero *nimia*, dum circulum ſanguinis reddit tardiorem, inſimul ſe & excretionum ſucceſſum legitimum impedit, unde partim vaſorum robur infringendo, partim fluidorum quantitatem augendo, ut in minimis arterioſis vaſculis ſtagnationes oriantur, efficere valet. *Somnus* quoque *longior* & *triſtes animi adfectus* ſimilem inferunt noxam. Ultimo denique loco huc referenda ſunt *excernenda & retinenda*, in quantum eorum exceſſu vel defectu vis corporis naturalis immutatur, & ſanguinis craſis ejuſque puritas ac fluiditas alteratur ac inquinatur, quorſum inprimis pertinent inſenſibilis tranſpiratio, hæmorrhagiæ ordinariæ, vel per nares, vel hæmorrhoides menſiumque fluxum contingentes, unacum venæſectionibus jam adſuetis, quæ omnia, quotidiana experientia teſte, perquam frequenter prima etiam peripneumoniæ fundamenta, in plethoricis maxime ſubjectis, ponere ſolent.

§. XXXII.

Ex *cauſſis præternaturalibus* varii morbi in corpore jam præſentes, vel prægreſſi, peripneumoniæ quoque viam ſternere valent; tales autem ſunt, tota febrium tam intermittentium, quam acutarum cohors, obſtructiones & inflammationes aliarum partium vicinarum, viſcerum præcipue abdominis, maxime vero angina vera quomodocunque turbata, itemque materia arthritica, morbilloſa, varioloſa & ſcabioſa, ſiniſtro cum eventu ad interiora retrocedens & repulſa. Sæpius etiam hic adfectus hæmoptyſin & dyſenteriam præmature cohibitam, itemque ſpaſmos improvide ſedatos, ulcera antiqua intempeſtive conſolidata ſudoreſque tam univerſales criticos, quam particulares pedum ſuppreſſos, excipit, quibus omnibus tandem adhuc pari jure adnumeranda ſunt vomitoria draſtica inconvenienter obla-

ta, varia venena adſumta, pectoris graviores concuſſiones, ſub caſu ab alto vel ictibus vehementioribus contingentes, aliæque hujus commatis injuriæ externæ.

§. XXXIII.

Tractationis ordo nunc ad *prognoſin* nos ducit, de qua pauca ſaltem, ad ſcopum noſtrum pertinentia, ſubjungere placet. Eſt autem hic adfectus, ob ſummam organi ad vitam neceſſitatem, ſitum cordi maxime vicinum, ſanguinis ſtagnantis copiam, & vaſculorum eximiam teneritudinem, facile deſtruendam, ſonticus omnino, gravis & periculi plenus. Summo hinc jure *Celſus de medicina*, *Lib. IV. cap.* 7. affirmat, peripneumoniam vehemens & acutum eſſe malum, quod plus periculi, quam doloris habet, paucoſque ea correptos evadere; & hoc ſane eo certius contingit, ſi uterque pulmonum lobus ex prægreſſis gravioribus cauſſis fuerit inflammatus, & ſi adhibitis optimis remediis graviſſima ſymptomata, febris, anxietates, difficilis reſpiratio, vigiliæ, inexplebilis ſitis, viriumque proſtratio, nullo modo remittant & mitiora evadant, ſed potius ingraveſcant, ita ut reſpiratio ſumme difficilis, ſuffocationem minitans reddatur, delirium perſeveret, extrema frigida evadant, & lipothymiæ, cum facie Hippocratica, accedant.

§. XXXIV.

Valet tamen etiam & hic, quod *Hippocrates Aphor. IX. Sect. II.* de morbis acutis in genere pronunciat, acutorum morborum prædictiones eſſe incertas. Ipſa ſane experientia, optima medicorum magiſtra, aſſertum hoc de peripneumonia verum eſſe, ſæpius confirmat. *Celſus* quoque *Lib. II. cap. 6.* non diſſentit, *fruſtratur interdum*, inquiens, *ſpes, & moritur aliquis, de quo medicus ſecurus primo fuit.* Optima autem circa prognoſin formandam, tam in reliquis omnibus morbis, quam potiſſimum in noſtro affectu inflammatorio, obſervanda regula illa eſt, quam *Galenus* in *Prognoſticorum Libro VI.* tradidit, ut nempe vis morbi cum ægri facultate conferatur; quam arduum autem & difficile hocce ſit negotium, artis exercitium abunde teſtatur.

§. XXXV.

Quicquid autem ſalutis feliciſque eventus in hoc morbo ſperandum eſt, venerandus ſenex *Hippocrates* in *coacis prænotionibus* conciſe quidem, ſed eleganter paucis comprehendit: *bonum*, inquit, *eſt, ſi facile æger morbum ſuſtineat, ſputum promte exſpuat, facile ſpiret, non extrema ſiti affligatur, ſomni, ſudoris & urinæ excretio laudabiliter fiat; contraria mali*

ominis

ominis ſunt. Hinc juxta ejuſdem *Aphor. XVI. Sect. VI.* ſi diarrhœa peripneumoniæ ſuccedat, malum judicatur, & juxta *Aph. XI. Sect. VII.* phrenitis ex peripneumonia mortem jamjam accedere declarat.

§. XXXVI.

In nullo autem viſcere inflammationes facilius, quam in pulmonibus, recurrunt: proſtant enim exempla eorum, qui cum ſanitate vix in gratiam redeuntes, eodem iterum morbo ſunt adflicti, nec non eorum, in quibus morbus bis, ter, quater quotannis veſtigia repetiit; & licet etiam non ſemper inflammatio denuo recrudeſcat, ad periculoſas tamen congeſtiones, moleſtos dolores, ſexcentoſque alios adfectus occaſionem præbet ac viam pandit.

§. XXXVII.

Explanatis ſic iis, quæ ad affectus hujus theoreticam conſiderationem ſpectant, quouſque quidem imbecillioris ingenii id permiſerunt vires, pauca quædam adhuc de ejuſdem curatione merito erunt ſubjungenda. Cum ergo peripneumonia ſit inflammatio, hæcque ab obſtructione vaſorum minimorum arterioſorum dependeat, utique hinc circa medelam eidem ferendam præcipue ſolliciti eſſe debemus, ut ſanguis vaſis impactus liberiorique motu deſtitutus iterum expediatur, priſtinoque circulo reſtituatur; quodſi autem hæc intentio a medico impetrari nequeat, tunc de blanda ſanguinis ſubſiſtentis ſuppuratione, puriſque per ſputum evacuatione ſerio eſt cogitandum; dein ſymptomatum quoque urgentium ratio habenda, viribuſque tam totius corporis, quam partis adfectæ, decenter eſt proſpiciendum; totius tamen curationis cardo cum in primæ indicationis executione conſiſtat, media huc facientia ut æqua judicii lance a nobis ponderentur, operæ omnino pretium erit. Pro reliquis adductis indicationibus perficiendis, partim in ſcriptis doctiſſimorum practicorum, partim ipſo in caſu clinico, huic Diſſertationi annexo, convenientia jam adducta proſtant media, ut fuſiori illorum enumeratione merito ſuperſedere queamus. Eſt autem inprimis venæſectio, & quidem ſæpius repetita, egregium illud remedium, in quo & medici & ægrotantes exoptatum plerumque inveniunt auxilium, de qua idcirco nunc ſeorſim agere, ejuſque tam generales, quam ſpecialiores, in hoc potiſſimum affectu ſe ſe manifeſtantes ſalutares effectus, paulo exactius exponere placet.

CAPUT

CAPUT II.

De venæſectionis generatim ſpectatæ effectibus ſalutaribus.

§. XXXVIII.

INnter tot multa egregiaque ſatis, interna æque ac externa remedia, nullum eſſe omnino, quod ſanguinis ſubtractioni ex venis palmam præripere poſſit, jure meritoque putamus. Primis ſtatim inventionis ſuæ initiis, ob inſignem utilitatem ſummamque efficaciam, quam cito præſtat, medicis ita ſe ſe commendavit, ut majores noſtri in gravioribus quibuslibet morbis vix unquam eam neglexerint, & , ſi ab *Eraſiſtrato* ac *Helmontio* & paucis quibuſdam aliis eorum aſſeclis diſceſſeris, nullum ſane medicorum de eximia ejus efficacia, ſi congruo inprimis tempore adhibita fuerit, dubitantem deprehendes. De effectibus ergo in genere ab hocce remedio expectandis ut in præſenti tractatione paucis nunc agamus, ſpecialiores denique, ad præſentem morbum ſpectantes, ſubjungamus, ipſa tractationis ratio jure ſuo poſtulat.

§. XXXIX.

Per venæſectionem ſanguinis non ſolum maſſam imminuere, ipſiuſque adfluxum in parte quadam adfecta ad aliam huic vicinam deducere, ſed motus etiam directionem hujus fluidi alterare & immutare poſſumus, ita quidem, ut partes, ad quas rapidiori antea ferebatur circulo, nunc tardiori irroret flumine, & ad alias, ab adfectis remotas, majori properet celeritate. Quid itaque medici per *venæſectionem evacuatoriam*, quidque per *derivatoriam* & *revulſoriam* denotatum velint, clare ex hiſce intelligitur.

§. XL.

Cruorem vitalem, quando ſanitatem lædit, vel *quantitate*, vel *qualitate*, vel *motu* peccare, tam ratio, quam experientia docet. Peccat autem *quantitate*, ſi copia vel excedit, vel deficit, & *qualitas* laborat vitio, ſi ſanguis vel ſpiſſus, vel tenuis nimis deprehenditur; *motus* etiam a naturali deflectit ordine, ſi eſt aut juſto velocior, aut tardior, aut erroneus & irregularis.

§. XLI.

Exceſſus ſanguinis in quantitate dicitur *plethora*, hæcque, ſecundum *Hippo-*

Hippocratem, valetudinem vitiat. Superius jam (§. 22.) noxiorum quorundam effectuum, qui a plethora oriuntur, mentionem fecimus, adeoque non opus erit ut fuſius eoſdem hic iterum enarremus. Sub V. Sne ſanguis emittitur, adeoque quantitas ejuſdem imminuitur; ſublata itaque cauſa, ejuſdem quoque effectus tolli, facile patet. Hinc fluida in corpore plethorico poſt V. Snem non ſolum amiſſam recuperabunt fluiditatem; ſed ſolidis etiam debilitatis robur iterum reſtituetur. Nam cor totumque ſyſtema vaſculoſum non ita amplius dilatari, ac fluidum nerveum debita in copia ſecerni, & intra vaſorum parietes deferri poteſt. Ceſſat præterea naturalis illa vaſorum reactio, fortiorque eorundem in ſanguinem preſſio, unde pars ſeroſa globulis rubicundis manet intermixta, horumque globulorum ulterior impeditur cohæſio. Cor etiam & arteriæ, dum, ampliori dato ſpatio & remota reſiſtentia, arctius ſeſe contrahunt, ſanguinemque majori vi ac celeritate movent, ut ipſe in minores partes dividatur, perque minima vaſcula legitime tranſeat, efficere valent.

§. XLII.

Plethora merito tanquam fons, unde ſpiſſitudo emanaverat, poteſt conſiderari; hinc cum venæſectio illam removeat, membranis arteriarum majus robur conciliet, cordis & vaſorum ſyſtolen vegetiori motu cieat, totamque humorum maſſam concitatiori ac expeditiori circulo propellat, facili ſane negotio ejus ope præſtare poſſumus, ut, detracta ex inciſa vena ſanguinis portione, arctior globulorum contactus iterum reddatur laxior, motui obluctantes partes ad minimorum vaſorum extremitates promtius amandentur, & ſufflaminatæ ſe- & excretiones in naturalem ordinem redigantur.

§. XLIII.

Aliter cum V. Sne comparatum eſt, ſi ea adminiſtratur in corpore, ubi purpurei laticis defectus præſens eſt. A ſanguinis enim paucitate cor & vaſa non rite expanduntur, ſyſtole ac diaſtole langueſcit, humores languidiori motu procedunt, & fluidi nervei aliorumque ſuccorum utilium ſecretio retardatur; hinc diameter vaſorum fit juſto minor, extremitates illorum ſenſim coarctantur, ac globuli rubicundi, non decenter agitati fortiuſque cohærentes, ſanguini inducunt viſciditatem, unde ſalutares non ſolum ſecretiones ſufflaminantur, ſed debitum etiam corporis robur mirum in modum infringitur atque deſtruitur; viſcerum ergo læſiones ac humorum ſtaſes mox inde dein prodeunt. Magis itaque imminuta tali in ſubjecto ſanguinis quantitate, ut recenſita mala, ob cauſſæ manifeſtius augmentum, magis in dies increſcant firmioreſque in corpore radices agant, prono fluit alveo.

§. XLIV.

Vena cum incidatur homini, ubi maſſa ſanguinea reſpectu quantitatis & qualitatis modum ſervat & debite eſt conſtituta, ſanitatis integritatem corrumpi, & corpus omnibus malis, a ſanguinis paucitate oriundis, adfici debere, quilibet cognoſcet. Temerarie itaque agunt ii, qui ſola ex conſuetudine ſanguinem aliquoties per annum mittunt, aut aliis mittendum conſulunt. Jure meritoque tales reprehendit Illuſtr. b. m. *Hoffmannus*, *in med. ſyſtemat.* Tom. IV. Part. V. Cap. III. *in ſanguine*, inquiens, *niſi exundet*, *virium latet theſaurus*, *qui ſi ſubtrahitur*, *minima vaſcula concidunt & anguſtantur*, *unde & utilium ſuccorum ſecretio*, *& inutilium excretio imminuitur.*

§. XLV.

Neque admittenda etiam erit V. S. ſi ſanguis, quantitate integer, qualitate vel ſpiſſa, vel tenui, aut motu ſolito tardiori peccat. Talem enim ſanguinis evacuationem, dum paucitatem molis comitem habet, effectus §. 43. adducti certiſſime excipiunt; quoniam tantum abeſt, ut motu cordis ac arteriarum ſyſtaltico ac diaſtaltico languidiori reddito, vique corporis fracta, ſuccorum vitalium in orbem circuitus celerior fiat atque erigatur, ut potius magis retardetur, & humores minori vi vel per canales ſuos tranſmittantur.

§. XLVI.

Ex eodem hoc fonte etiam non tollitur hoc remedio *ſpiſſitudo ſanguinis:* dum enim cauſſæ, quæ eandem inferre valent, potius augentur, neceſſario hinc ex debiliori & tardiori reddito humorum circulo major partium cohæſio, indeque dependens viſciditas oriri debet. Multo minus autem *ſanguinis tenuitati*, quatenus abſque nimia quantitate conſideratur, per V. Snem mederi poſſumus. Si enim ejuſmodi tenuitas ſuperfluo ſero natales ſuos debet, tunc per ſanguinis ſubtractionem hanc quidem alterare, humoribuſque denſiorem conſiſtentiam conciliare valemus; aſt, cum talis inſpiſſatio proſtrationis virium & hanc excipientis tardioris motus ſit effectus (§. 43.), utique hinc partes rubicundæ cum ſeroſis magis in coagulum & grumeſcentiam abire, quam decentem cohæſionem acquirere ſolent, unde corpori plus detrimenti, quam emolumenti ſubnaſcitur. Orta vero nimia fluiditate a ſalibus, magna vi agente præditis, pars quidem materiæ hujus pernicioſæ cum ſanguine e corpore removetur, reliqua autem adhuc ſuperſtes manens, & cum morbifica ſanguinis paucitate unum in effectum conſpirans, majori vi corpus aggredietur, ſe & excretiones ſuf-

fla-

flaminabit, & acriorem ac fere erodentem nanciſcetur indolem; hinc V.S. inopportunum plane huic malo profligando conſtituit auxilium.

§. XLVII.

Quando ſanguis ceteroquin ſanus velociori circumvolvitur curſu, ob majorem partium attritum tam inter ſe mutuum, quam ad vaſorum parietes, calor emergit præternaturalis, unde maſſæ ſanguineæ inducitur *rarefactio.* Ex hac purpurei cruoris rarefactione, dum partes ipſius turgeſcentes laxiuſque cohærentes majus, ac antea, occupant ſpatium, vaſorum majorum oritur violenta expanſio, minimorum vero compreſſio, ac ſecretionis fluidi nervei imminutio. Jam autem ſimiles quoque effectus producit plethora (§. 22.), adeoque ſanguis rarefactus in his cum illa convenit, & non niſi ratione motus celerioris ac reſolutionis, quæ ſanguini quidem competunt rarefacto, ſub abundantia autem minus occurrunt, inter utrumque hunc ſanguinis ſtatum notabilis intercedit differentia. Inſtituta ergo tali in caſu V. Sne, & imminuta ſanguinis quantitate, ut reliquo majus in vaſis concedatur ſpatium neceſſe eſt, dum hac ratione ſanguis non amplius æqualiter per ſingula vaſa diſtribui poteſt, ordinaria hinc illorum dilatatio ceſſabit, & cum hac major inſimul actio in latera vaſorum horumque validior in ſanguinem reactio. Huic vero fortiori reactioni maſſæ ſanguineæ rarefactio natales ſuos debebat, adeoque ſequitur, ut priori illa per ſanguinis imminutionem ſublata, hæc quoque imminuatur.

§. XLVIII.

Præter inſignem uſum, quem V. S. partim nimiam ſanguinis quantitatem imminuendo ac ſpiſſitudinis emendationem adjuvando, partim motum illius effrenem compeſcendo atque mitigando, corpori præſtat, alium adhuc eumque haud levioris momenti fructum, ex vaſorum nexu ac directione oriundum, ab eadem nobis promittere poſſumus. Ex hoc namque fundamento fieri poteſt, ut pro circumſtantiarum conditione ſanguis mox ad vicinas partes derivetur, mox ad remotiores revellatur (§. 39.) In utroque autem caſu ſanguis motum ſuum, aucta celeritate, ad partes venæ pertuſæ propinquiores diriget.

§. XLIX.

Fit nempe ſanguinis circulus per arterias in venas filo continuato, iſque naturaliter in venis tardius progreditur, & pondere ac preſſione verſus canalium extremitates tranſitum illius, qui in arteriis movetur, aliquo modo remoratur. Inciſa itaque vena in loco parti adfectæ vicino, ſanguis exinde ablatus, nec pondere ſuo verſus venæ radices ulterius premere,

nec reſiduus, ob imminutam preſſionem verſus arteriarum latera, eadem vi agere poteſt; hinc, ſublata reſiſtentia, ut ſanguis in arteria, cum vena inciſa continua, majori feratur celeritate, neceſſe eſt; unde ſublata ſimul ſanguinis mole nimia, & ſpatio contractioni arteriis apto procurato, partes obſtruentes in motum concitantur, faciliuſque in venas derivantur; ſi vero vena, quæ ſecatur, a parte adfecta longius diſtat, hoc eſt, ſi V. S. inſtituitur revulſoria, tunc ſanguis, ob imminutam quantitatem & majorem pariter nactam celeritatem, qua nunc ad locum illum, ubi inciſa fuit vena, progreditur, non amplius tanto impetu in vaſa partis adfectæ agere valet; his ergo naturale redibit robur ac elaſticitas, & quæ antea ex imminenti ejuſdem deſtructione pertimeſcenda erant mala, nunc plane ceſſant, vel longe faciliori negotio reparari poſſunt.

§. L.

Celſus jam jam, *Libro II. de medicina cap.* 10. Venæſectionem derivatoriam & revulſoriam improbat, illoſque, qui talem ſuadent, reprehendit, his verbis: *Non ignoro, quoſdam dicere, quam longiſſime ſanguinem inde, ubi lædit, eſſe mittendum; ſic enim averti materiæ curſum; at illo modo in id ipſum, quod gravatur, evocari. Sed id ipſum falſum eſt: proximum enim locum primo exhaurit; ex ulterioribus autem eatenus ſanguis ſequitur, quatenus emittitur: ubi is ſuppreſſus eſt, quia non trahitur, ne venit quidem.* Hujus ſententiam multi ex recentioribus medicis amplectuntur, ſtatuentes, derivationem & revulſionem ſcopo ac intentioni, cujus gratia inſtituuntur, nullo modo reſpondere. Accelerationem enim motus ſanguinis in ea parte, ubi vena ſecatur, non ita diu durare poſſe, quin per totum ſtatim corpus celeritas creſcat, ſibi perſuaſum habent, & ſanguinis impetum in loco adfecto non aliter imminui, niſi vis cordis ac arteriarum ſimul debilitetur, autumant; hac vero debilitata ſanguinis motum non in una corporis parte, ſed per totum ſyſtema vaſculoſum decreſcere, ſtrenue contendunt.

§. LI.

Militant omnino pro utroque illo argumento rationes quædam, & quod primum ſpectat, ſanguinem per inciſam venam effluentem ad ventriculum cordis dextrum non reverti, adeoque reliquum, ad hunc locum redeuntem, ſpatium, quod occupare debet, majus invenire, & hinc reſiſtentiam, quam alias ſentit, decreſcere, negare utique non poſſumus, unde nunc ſequeretur, ſanguinem ex toto corpore ad cordis dextrum ventriculum per venas reduci, ſicque reſiſtentiam per omnes canales venoſos imminui, & ſanguinem in arteriis majori celeritate progredi debere. Verum enim vero, dum ſanguis per prima evacuationis momenta in loco venæſectio-

tionis celerius omnino movetur (§. 49.), hocque temporis articulo major ejus moles ad has, quam ad alias corporis partes aſſluit, tunc, niſi obſtructio valde jam inveteraverit, per motum derivationis auctum ſæpius illam reſerari poſſe arbitramur. Et licet optatum ejuſmodi effectum ex V. Sne non prima ſtatim vice conſequamur, tamen ſi ea repetatur, hacque ratione ſanguis in parte adfecta velociori iterum motu progrediatur, obſtructionis reſolutionem tandem fieri debere facile intelligitur; hinc, adductis ex cauſſis, ſanguinis *derivationem* locum in medicina obtinere, jure meritoque putamus.

§. LII.

Iiſdem pariter rationibus *revulſionis* effectùm certùm & evidum reddere poſſumus, & quæ de hac §. 49. affirmavimus, ea §. antecedens egregie confirmat atque corroborat. Neque etiam ullum nobis metum concitat illud, quod in graviori caſu per talem revulſionem cordis & arteriarum totius corporis vis debilitetur, ſicque fluidorum motus non in parte ſolum adfecta, ſed in reliquis quoque tardior reddatur: vehementiores enim interdum adſunt congeſtiones, ubi ſanguis adeo effreni ad partes ruit motu, ut ægrotantes in ſummo vitæ diſcrimine verſentur, quo in ſtatu ex duobus malis ut minimum eligat, prudenti incumbit medico.

§. LIII.

Paucis hactenus ea de V. Sne adduximus, quæ ad ſcopum noſtrum faciunt, ſimulque ipſius effectus, quos ſub variis ſanguinis conditionibus in corpore producit, oſtendimus; reſtat ergo nunc, ut de ejuſdem ſpeciali uſu in peripneumonia, cujus cognitio pathologica in antecedentibus præmiſſa fuit, neceſſaria adhuc ſubjungamus, & commoda ex reiterata hujus remedii applicatione in ægros tales redundantia monſtremus, id quod in ultimo tandem capite perficere allaborabimus.

CAPUT III.

De venæſectionis reiteratæ uſu in peripneumonia.

§. LIV.

INter medicos priſcæ ætatis nulla fere de re tanto animorum motu tantoque fervore, quam de venæſectione in peripneumonia inſtituenda, unquam fuit agitatum; alii quippe eorum hoc remedium pro damnoſo &

peſtifero plane declarabant prorſuſque rejiciebant, uti ex *Helmontii*, *Hollerii*, *Blancardi*, aliorumque, qui horum caſtra ſecuti ſunt, ſcriptis ſatis abunde apparet; alii hoc remedii genus pro abſolute neceſſario declarabant, alii denique conſiliis ſuis fluctuabant, illudque vel adhiberi, vel omitti poſſe ſtatuebant. Medici vero recentioris ævi, exactiori penitiorique de corporis ſtructura cognitione, ac ſolida veraque morborum theoria inſtructi, ſanioremque de fluidorum motu præ antiquioribus conceptum foventes, V. Snis utilitatem atque neceſſitatem cum artis noſtræ parente, *Hippocrate*, uno ore deprædicant & commendant; unde etiam eandem in hoc pariter morbo egregias exſerere poſſe vires, eaque omiſſa omnem aliam hujus mali irritam fore curationem, certiſſime confido.

§. L V.

Eſt enim peripneumonia morbus inflammatorius, adeoque obſtructio proximam ejus conſtituit cauſſam; obſtructio vero remotione cauſſarum, quæ eandem induxerunt & adhuc fovent, optime tollitur. Ad antecedentes itaque cauſſas, conſideratis ſimul remotis, hic erit præcipue reſpiciendum. Quoniam autem antecedentes cauſſas conſtituebant plethora (§. 22.) & depravata ſanguinis qualitas, vel ſola, vel excedenti ſanguinis copiæ juncta (§. 23.), nec non motus humorum orgaſticus (§. 24.), utique hinc adparet, quod V. S. optime hunc morbum tollere queat. Quantam enim in hiſce cauſſis removendis illa habeat poteſtatem, ex §. 41 42 & 47. facile conſtabit. Imminuta igitur hac ratione abundante ſanguinis copia, correcta ſpiſſitudine, motuque ipſius exorbitante compoſito, humores liberiori curſu ſeſe movere, facilius per partem adfectam tranſire, particulaſque obſtruentes ſecum abripere atque aliorſum deferre valent. Cumque inter cauſſas hujus morbi remotas ſæpiſſime quoque adſint tales, quæ ſanguinis imminutionem poſtulant (§. 26-29.), V.Snem pro remedio hujus morbi ſumme neceſſario jure meritoque declarare poterimus, inprimis cum utilitatem ejuſdem experientia quotidiana abunde ſatis confirmet.

§. L V I.

Incongruum quibuſdam videri poſſet, nos §. 43-46. Venæſectionis uſum in caſibus quibuſdam ſingularibus interdixiſſe, inſimulque adfirmaſſe, ejuſdem adminiſtrationem ſub certis quibuſdam conditionibus abſolute noxiam eſſe futuram, atque idcirco omittendam; & tamen in præſenti hoc morbo, quem, accedentibus cauſſis remotis §. 29-32. adductis, ſtatus ſanguinis non ſolum ſanus ac integer prodire ſinit, ſed deficiens etiam humorum quantitas, conjuncta ſimul ſpiſſitudine, motuſque per corpus tardior promte ingenerat, ſanguinis depletionem remedii locum occupare

&

& ad felicem ipſius curationem neceſſario ſemper requiri, in §. anteced. ſimpliciter adſeruiſſe. At vero peripneumonia, quibuſcunque a cauſſis exorta, eſt inflammatio pulmonum, ubi ſanguis nimium ad has partes congeſtus, ſtagnans, liberoque deſtitutus progreſſu, in vaſis incluſus hæret, unde horum parietes ultra modum expanduntur, elaſticitas infringitur, & vegeta ac proportionata contractio impeditur ac imminuitur. Jam autem datur V. S. derivatoria (§. 49. & 51.), adeoque pulmones per eandem ab exuberante & adgravante ſanguinis mole commode ſatis poſſunt depleri, & ſic, vaſis naturali reddito robore, & aucta ſimul ſanguinis celeritate (§. 49.) globuli rubicundi incarcerati, in partes jam minores diviſi ac dehiſcentes, per obſtructam materiam decenter tranſibunt, viamque ulterius ad cordis ventriculum ſiniſtrum libere continuabunt. Venæſectionem ergo in hoc caſu, ad felicem impetrandum eventum, quam plurimum omnino conferre, aut huic ſaltem obtinendo nulla parte officere, perſpicue apparet. Neque etiam nos latet, alia adhuc, ad obſtructiones reſerandas, ſine ſanguinis jactura, medicinam ſuppeditare remedia, quæ vero in noſtro morbo, ubi ægri de vita valdopere periclitantur, tarde nimis vires ſuas exſerere ſolent. Tali ergo ſub rerum facie, ubi a gravi inflammatione communiter tenerrima, quæ obſtructionem fovent, vaſcula brevi temporis interjecto ſpatio deſtruuntur, & a ſanguine impacto, aut, ruptis vaſculis, extravaſato, ſuffocationis metus imminet, intrepide vena erit aperienda. A partibus noſtris ſtantem hic allegare poſſumus *Galenum*, qui *Lib. XI. cap.* 10. *de venæſectione*, tale fert judicium: *Fieri tamen poteſt, ut morbus quidem id deſideret, corpus autem vix pati poſſe videatur; ſed ſi nullum apparet aliud auxilium, periturusque ſit qui laborat, niſi temeraria quoque via fuerit adjutus, in hoc ſtatu boni medici eſt, oſtendere quam nulla ſpes ſine ſanguinis detractione ſit, faterique quantus in hac ipſa re metus ſit, & demum, ſi exigatur, ſanguinem mittere.* Nunquam ergo de eo, ſub ejuſmodi ſtatu, dubitare licet, cum ſatius ſit anceps, quam nullum experiri remedium.

§. LVII.

Ea, quæ hactenus de hoc morbo diximus, ſi quis æqua judicii lance ponderet, ſerioque ſecum meditetur, *tempus & locum*, ubi vena erit ſecanda, facile indicare atque determinare valet. Nam cum peripneumonia morbus ſit inflammatorius, utique hinc vena brachii, lateris adfecti, derivationis ſcopo reliquis omnino erit præferenda. Et licet vena, quæ hac occaſione inciditur, ab arteriis pulmonum obſtructis longius omnino abſit, ut hinc, imminuta in hac ſanguinis reſiſtentia, majori in arteriis excitandæ celeritati, ad obſtructionem reſerandam, impar plane eſſe videatur; experientia tamen abunde docuit, meliorem ex hujus, quam alius venæ inciſione ſequi effectum. Spectat huc inprimis illa obſervatio,

quam

quam doctiſſimus *Werlhofius* in *Commercio litterario Norimbergenſi Ann.* 1735. communicavit, ubi nimirum chirurgus pleuritico, immenſis dextri lateris doloribus adflicto, venam in ſiniſtro brachio aperuit; tribus autem fere unciis floridi ſanguinis emiſſis, cum eodem momento accederet vir modo nominatus celeberrimus, claudi vulnus & in dextro latere venam aperiri juſſit, ex qua octo adhuc unciæ ſanguinis flavi, fere plane cruſtoſi, qualis in ſumma pleuritide eſſe ſolet, proſiluere, momentaneo cum levamine & felici deinde morbi ſanatione. Qua ergo quæſo! Ratione, niſi derivatio fieri poſſet, diverſam hujus ex vena emiſſi ſanguinis conditionem explicare poterimus? Hinc etiam merito viri in arte exercitatiſſimi V. Snem in brachio dolentis lateris majus ſemper ægrotantibus attuliſſe levamen, quam ſi oppoſito in loco inſtituta fuerit, ex propria ſua experientia confirmant.

§. LVIII.

Tempus V. Sni in hoc morbo maxime opportunum tres primi dies plerumque fere conſtituunt, dum per ſe jam liquet, quod quo citius illa inſtituitur, eo certiorem & meliorem præſtet effectum. Pro circumſtantiarum autem ratione etiam ultra huncce terminum nequaquam reformidanda, multo minus negligenda eſt, cumque vera pleuritis ratione originis & curationis cum peripneumonia quam maxime conveniat, utique hinc, quod de illa viri de re medica optime meriti annotarunt (*), ad hanc iterum bono cum ſucceſſu applicare licebit. Sic Excellentiſſimus *Trillerus* die morbi quinto, ſexto, ſeptimo & octavo pleuriticis optimo cum eventu ſanguinem detraxit, & Illuſtr. *van Swieten* in *Commentario ad Boerhaavii Aphoriſmos Tom. II.* refert, ſe interdum ſerius quoque, feliciſſimo tamen cum ſucceſſu, V. Snem inſtituiſſe. *Galeni* autem ſententia, quam in libro *de curandi ratione per ſanguin. miſſion. cap.* 20. profert, dum dicit: *Quocunque enim die mittendi ſanguinis ſcopos in ægrotante inveneris, in eo illud auxilium adhibeto, etiamſi vel vigeſimus ab initio is extiterit*; an imitationem mereatur, nec ne, aliis prudentioribus dijudicandum relinquo.

§. LIX.

Ea vero eſt peripneumoniæ indoles ac natura, ſicuti id ſæpiſſime medici per experientiam deprehendunt, ut poſt peractam V. Snem ſymptomata non ſtatim imminuantur & mitigentur, ſed ſæpius magis ingraveſcant. Prudens ergo medicus tunc probe intelligit, ſupereſſe adhuc cauſſas, ulteriorem ejus repetitionem ſuadentes & urgentes, adeoque & hanc intrepide ſuſcipit atque commendat. Quando enim febris, indivulſus graviſſi-

(*) Ingentem, antiquorum inprimis talium celebriorum medicorum, Catalogum exhibet *Renatus Moreau*, Tr. *de miſſione ſanguinis in pleuritide.*

viſſimi hujus adfectus comes, eadem corpus ægrotantium ſævitia torquere pergit, tunc in crebriori generoſi hujus remedii applicatione ſolam ſalutis ſpem eſſe ponendam merito arbitramur, inprimis quoniam illa partim ab obſtructis vaſculis pulmonum, & inde enato ſanguinis motu celeriori oritur (§. 11.), partim violentæ ventriculi cordis ſiniſtri diſtenſioni ac irritationi, per ſanguinem in dextro ventriculo nimium coacervatum, liberoque motu interceptum productæ, quam juſto vehementior fibrarum muſcularium actio, hancque ſubſequens concitatior humorum motus excipit, natales ſuos debet (§. 12.). Inde enim limpidiſſima pars ſeroſa & lymphatica diſſipatur ac coagulatur, ſanguis magis magiſque reſolvitur, multiſque particulis ſalinis & aliis heterogeneis inquinatur, unde dein ad obſtructa irruens vaſa ibidem ſubſiſtit malumque gravius reddit. Calor etiam præternaturalis talem impactis humoribus inducere valet diſpoſitionem, ut, loco benignæ ſuppurationis, vel in putredinoſam & ſphaceloſam abeant corruptionem, vel ita indurentur, ut nulla poſtmodum arte ſolubiles, irreparabile ſanitatis vitium inducant, inque ſcirrhos, tubercula & nodos, partim alios chronicos & ſonticos adfectus poſt ſe trahentes, partim crebrioribus peripneumoniæ recidivis occaſionem præbentes, dein abeant. Si vero per venæſectionem abundans ſanguinis quantitas imminuitur (§. 41.), adfluxus ejuſdem aliorſum divertitur (§. 49.), obſtructio tollitur (§. 51.), & rarefactio mitigatur (§. 47.), neceſſario utraque; febrem & ingignens & adaugens, cauſſa inſimul auferri debet. Heroico itaque conamine ſanguinis miſſio ſub peripneumonia eouſque erit repetenda, donec febris a vehementia ſuaquadantenus remittat, puriſque boni & laudabilis generationem ulterius impedire haud valeat.

§. LX.

Quando pulſus in hoc morbo celeres, parvi, quin interdum intermittentes denotantur, & arteriæ ſub exploratione, manentibus reliquis gravioribus ſymptomatibus, cum mollitie vibrant, indubitatum præbent ſignum de inæquali & difficiliori ſanguinis circulo, & ſubſiſtente adhuc cauſſa inordinatæ fluidorum per corpus diſtributionis. Cum vero hæc ipſa unice fere ab obſtructis pulmonum arterioſis vaſculis, & inde facta inflammatione primo exorta fuerit & adhuc foveatur, utique id, quod canalium occluſionem removet, & ſanguinis æqualem progreſſum ex uno ventriculo in alterum reſtituit, optime illam ipſam removebit cauſſam. Nunc autem venæſectio, & quidem derivatoria, obſtructioni medetur (§. 51.), inſimulque eodem in loco hujus remedii beneficio, ſi inprimis reiteratis adhibeatur vicibus, felicem reſolutionis obtineri poſſe effectum probe jam novimus; hinc ſub tali pulſuum conditione V. Sném non ſolum eſſe utilem, ſed ejus quoque repetitionem ſumme neceſſariam, abunde ſatis adparet.

§. LXI.

Dolor quoque ille obtuſus & gravativus, cujus §. 15. mentionem fecimus, ſi non remittit, vehementiusque ægrotos tales excruciat, medelam & auxilium ex chirurgico hoc obtinet remedio. Sanguis enim ſtagnans & circa has partes nimium congeſtus, dum nec tutiori, nec commodiori ratione in motum iterum naturalem redigi, nec etiam promptius aliorſum, in periclitantium ſalutem, quam per V. Snem, poteſt derivari, hæc ipſa utique præſtantiſſimum in hocce morbo conſtituet remedium, ejuſque reiterata applicatione perniciosum alias metuendum eventum feliciter præcaveri poſſe merito contendimus, cum e contrario ex ejus neglectione, ab impetuoſiore ſanguinis verſus partem adfectam adfluxu, tanta haud raro reſpirationis, cum virium ſuppreſſione, inſequatur difficultas, quæ non ſolum nulla alia tolli poteſt medicatione, ſed etiam derepente plerumque in lethalem tranſit ſuffocationem.

§. LXII.

Plura equidem huc ſpectantia, ſcitu & utilia & neceſſaria, ſubjungenda adhuc eſſent, ſed partim in eo alii otium nobis fecerunt, partim ex antecedentibus judicioſa conſecutione ſingula iſta facili negotio a lectoribus noſtris poſſunt ſuppleri. Sufficiat nobis, temporis & paginarum anguſtia nimium coërcitis, id ſaltem ſpecialius enodatum & explanatum dediſſe, quod exoptatus recuperatæ ſanitatis ſucceſſus in ægrotante, cujus mox ſubjungemus hiſtoriam, non tam reliquis adhibitis congruis medicamentis, quam potius & præcipue Venæſectioni iteratis vicibus inſtitutæ, in acceptis ſit ferendus, unde & alii, ſub ſimilibus circumſtantiis, eo majori cum fiducia eandem imitari poterunt methodum, quo magis nunc de utilitate pariter ac neceſſitate ejuſdem procul dubio convicti erunt. Nil ergo amplius nunc ſupereſſe judico, quam ut promiſſum illum & ab Illuſtri Dn. D. *Cothenio* benigniſſime communicatum caſum coronidis loco ſubjungam, qui ſequentis eſt tenoris.

CASUS.

Vir XXX. circiter annorum, temperamenti ſanguineo cholerici, habitus corporis tenerioris & macilenti, litterarum ſtudio juſto plus indulgens, verbi divini præco, multis abhinc annis vexatus pathematibus hypochondriacis, quibus effectum fuit, ut ſanguis copioſius ad pectus rueret, & dolores aliquando acutos, cum anhelitu paulo difficili, nec non cordis palpitatione, æger perſentiſceret, quin ſanguinem interdum ſincerum tuſſi levi, ad cochlear dimidium rejiceret. Hic ergo per quatuordecim antea dies reſpirandi moleſtia cum laſſitu-

laſſitudine membrorum, levique intercurrente horripilatione, adficitur; neque tamen hac de re ſollicitus negotiis ſuis pro eodem more, ac ſolebat cum ſanitate frueretur perfectiori, interfuit, niſi quod venam in pede ſecandam præberet; at vero veſperi, octo poſt V. Snem diebus, frigore corpori calenti improvide admiſſo, de totius corporis moleſtia conqueritur, juncta cum horripilatione & ſubſequente febrili inquietudine, ſiti & pervigilio, tuſſi leviſſima ſicca, ſed reſpiratio anhelosa erat & accelerata, cum dolore ſub mammilla dextra magis obtuſo, quam acuto; jungebantur tamen dolores tenſivi, a clavicula ad collum ac utramque ſcapulam & humeros divagantes; urina mingebatur fervida, rufa, abſque ſedimento. Sub hac rerum facie nox tranſigebatur, neque minus dies alter, accedebat nauſea, murmura in ventre & dejectiones alvi frequentes, nullo tamen cum levamine, quin potius increſcerent ſingula.

Vocatur vir illuſtris tertio die, ægrotantem inveniens laborioſius reſpirantem, in latera cubare impotentem, cum dolore ſupra dicto, qui per momenta magis acutus evadebat, conjuncto ſimul pulſu magno, celeriore & pleno, oculis fulgentibus, præcordiorum anxietate, magna virium dejectione, & diarrhoea adhuc continuante, quæ arſam medentibus dubitandi præbere potuiſſent, utrum V. S. ſit profutura? his tamen non obſtantibus venam in brachio ſecare jubet. Subtractæ fuerunt unciæ 9. ſanguinis, qui poſt horæ quadrantem membrana erat obductus, craſſitie digiti dimidii, atram materiam ſub ſe recondens. Mixtura dein ægro præbebatur ex aceto cum ſale tartari ſaturato, cumque aquis diapnoicis & pectoralibus diluto, parata & largiter inſimul nitrata, ſyrupoque papav. rhœad. edulcorata. Ptiſana quoque erat conceſſa, ex decoct. avenæ, citri ſucco acidulata, nec non infuſum Theæ Chinenſis.

Cuncta inde reddita fuerunt mitiora, ſed cutis adhuc ſicca manſit, & die ſequenti quarto ſingula recenſita ſymptomata recruduerunt, excepta alvina excretione, cum bis tantum alvum exoneraſſet. Venam itaque iterato ſecare juſſit vir illuſtris, ſed leve ſaltem ſymptomatum per aliquot horas inde ſecutum fuit decrementum; ſiquidem poſt horam VIII. veſpertinam æſtus cum pulſus celeritate cunctaque alia ingraveſcebant; vena ergo tertia vice tunc aperiebatur, & unciæ VIII. ſanguinis emittebantur, qui tamen priori iterum erat ſimillimus. Nocte ſequenti ſomnus abfuit, ſitis non adeo magna, bis dejecit æger, & licet urina deponere inciperet ſedimentum viſcidum, reſpiratio tamen nondum libera facta fuit. Sanguis itaque quarta vice ſubtractus eſt ex brachii vena, neque tamen a priori jamjam emiſſo differebat, pulſuſque velocitas & magnitudo parum ſaltem diminuebatur, nocte tamen inſequente ſomno interrupto per horæ quadrantes fruebatur, quam ob rem die ſexto vena brachii quinta vice pertundebatur, ſed ſanguis eandem faciem exhibuit, unde, pulſu verſus veſperam aucto, ſexto die circa horam VIII. veſpertinam iterum vena incidebatur, ſanguis autem extractus priori adhuc ſimilis adparebat. Nox inſequens erat inquieta, dejectiones alvi bis vel ter continuabant, ſuperveniente ſimul vomitu; ſudor quidem prodibat, ſed neque copioſus, neque in toto corpore fluens; tuſſis aderat ſicca, aliquando tamen ejiciebatur materia, ſed pauca, viſcida, reſpiratio manebat adhuc eadem,

ſed urina exhibebat ſedimentum copioſum viſcidomucidum, & hoc ipſo ſeptimo die alvus bis turbabatur; circa veſpertinam quartam pulſus micare cœpit & celerior & validior, cum tuſſi ſicca, inquietudine maxima, æſtu, pauca ſiti, atque reſpiratione adhuc difficili & non ſine dolore obtuſo.

Septimo itaque hoc die, hora quinta veſpertina, octo uncias ſanguinis, poſt horæ quadrantem, eandem, quam ſuperius retuli, faciem exhibentis, ex dextra brachii vena educendas vir noſter illuſtris præcepit. Eadem medicina continuabatur, niſi quod in locum aceti deſtillati acetum ſquilliticum ſubſtitueretur, & infuſum Theeforme, ex radicibus tarax. fœnic. glycyrrhizæ, herb. marrub. alb. veron. ſalv. flor. malv. papav. rh. crebro ſorbillandum ſuaderetur, juſculumque tenue gallinarum cum citri ſucco porrigeretur. Nocte ſequenti ſomnus adhuc deerat, pulſus enim in eodem circiter vigore continuabat; per alvum bis vel ter materiam magis fœtidam & mucoſam dejiciebat, & vomitu etiam crebro mucus viſcidus rejiciebatur, virium aderat ſummum decrementum, ita, ut ſæpius delinqueret ægrotus; ſed reſpiratio tamen liberior notabatur, & octavo die ſudor fluebat largiſſimus ac fœtidiſſimus per totum corpus, urina craſſa etiam continuabat; reſtitabat ſaltem tuſſis ſicca, & ſub inſpiratione impedimentum aliquod in puncto adfecto ſeſe animadvertere dicebat ægrotus. Mixtura igitur ex aceto deſtill. in quo ſolvebantur lap. cancrorum, præſcripta fuit, additis aquis analepticis, nitro & ſyrupo papaveris rhœados, ſingulis horis ad cochlearia duo ſumenda, atque omni trihorio interponebatur cochlear unum potionis, ex aceto ſquillit. in quo ſolutum erat Gummi ammon. cum aqua veronic. dracunculi & cinnamom. ſine vino, paratæ, nec non cum ſyrup. papav. rhœad. leniter edulcoratæ; concedebatur quoque gelatinæ cornu cervi, cum vino Rhenano veteri confectæ, moderatus uſus, atque crebrius juſcula gallinæ & carnis vitulinæ offerebantur. Nocte inter diem octavum & nonum tranquillus ſuccedebat, ad ſex circiter horas durans, ſomnus, lætamque hæc dies nona morbi hucuſque ancipitis reddidit faciem; quippe anhelitus naturali ſimillimus, ſomnus poſtea octo horarum cum ſudoribus fœtidis, urina craſſa, ſitis naturalis, excretio fecum mucidarum fœtidiſſimarum unica tantum quotidie, hæcque omnia ad undecimum uſque diem durarunt, tuncque virium jamjam expertus incrementum, animo ſimul redditam naturalem ſerenitatem lætus profitebatur; urina prodibat copioſior, coloris citrini, & tuſſis pauca cum redeunte appetitu, ſicque vir egregius, quem inter mortuos jamjam numerarunt tantum non omnes, ex orci faucibus ereptus, civitatis univerſæ deſiderium implevit.

FINIS.

JOAN.

L V.

J. GERARDI WAGNER

DE HÆMOPTOES INPRIMIS VERO HABITUALIS, SEU PHTHISICÆ EXPEDITIORI QUADAM EFFICACIORIQUE CURATIONE.

DISSERTATIO

AD ACADEMIAM NATURÆ CURIOSORUM.

Lipſiæ 1742.

PROOEMIUM.

Nullis quidem ratiociniorum argute excogitatorum ornamentis aut verborum phaleris comtam, attamen candide ſcriptam de efficaci quadam hæmoptoes curatione commentatiunculam tecum communicamus, lector benevole. Quod qua occaſione fiat, quemadmodum ex titulo jam perſpicies; ita ex nuncupatoria epiſtola, quo otio quaque ſcribendi facultate hoc præſtitum ſit intelliges, inprimis autem in ipſius commentatiunculæ ulteriori perluſtratione clarum tibi fiet, quibus modis, quaque ut ita dicam manuductione, hoc curationis genus nobis innotuerit. Tui nunc eſto judicii, quota hujus pars nobis debeatur, & quatenus illam jam ante nos adhibuerit Mortonus; ipſis doctiſſimis Mortoni interpretibus (*) *ex ejus ſententia corticem non tam præſenti hæmorrhagiæ curandæ, quam futuræ cavendæ proficientibus. Nos illum in utroque caſu utiliſſimum deprehendimus, ſiquidem pulveri abſorbenti Wedelii indicationi cohibitoriæ ſanguinis proficiendo, in adjumentum detur, ſic ut his unitis & promtior & tutior inde emergat medela. Quæ quidem omnia ita exponere ſtuduimus, ut quovis pignore decertare audeamus, medicos doctos hæc ex arte imitaturos, eoſdem nobiſcum, imo præſtantiores non raro, curationis ſucceſſus eſſe experturos. Et vero hoc ſtudio hac fiducia factum eſt, ut non piguerit hiſtorias curationum noſtrarum, eo plane modo, quo illas in adverſaria noſtra in proprios uſus, pleniori narratione, retuleramus, exhibere, non antecedentia ſolum horum morborum, quatenus illa innotuerant, ſed ſequelas etiam, & quomodo poſt curationes has valuerint noſtri, notantes. Neque enim cæco methodi cujuſdam amore, ſive illa aliena ſit, ſive noſtra, (ſi præſertim illa magnis utatur remediis, aut circa morbos facile recidivantes verſetur,) ita ducimur, ut illi ſtatim adplaudamus, ſi modo curatus ſit pro tempore ægrotus, ſeu in vivis ſervatus. Ipſas adeo morborum ſequelas ſollicite nobis notamus, quatenus illæ inprimis (non credulitate quadam proletaria, vel opinione forte noſtra, ſed mechanice, & ſecundum obſervationem œconomiæ naturæ) cum iis quæ anteceſſere cohærent* (**). *Hujuſmodi vero rigoroſiori etiam examine adhibito, quum ſeſe nobis hucuſque methodus hæc penitus probaverit, hyſterergiaque adhuc ſemper felici ſit gaviſa, tanto rectius a nobis eamdem ulteriori medicorum ſagacium perfectioni traditam arbitrabimur. Vale lector benevole, feliciterque age.*

CON-

(*) Videſis ſagaciſſimi *Tralleſii* examen rigoroſius medicamentorum terreorum p. 261.

(**) Exempli cauſa: Si poſt methodos medendi ſanguinis nimis prodigas, in hæmorrhagiis præſertim, illa mala, quæ utplurimum omnem nimiam ſanguinis proprio naturæ motu factam jacturam preſſo pede ſequi ſolent, (v. g. enormior, nec facile refocillanda virium jactura, ſenſuum debilitationes graviores, cachexiæ, œdemata, & quæ ſunt hujus

CONSPECTUS CONTENTORUM DISSERTATIONIS:

§. *Hæmorrhagiæ per os fientes, morbi haud leve genus.*

II. *Hæmoptoes, Hæmoptyſios & Vomitus cruenti nominibus inſignitum;*

III. *Quæ vel* accidentales *vel* habituales *ſcholis dictæ,*

IV. *& medicamentis varie quidem debellatæ, rarius victæ.*

V. *Deſiderata therapeutica circa hœmoptyſes, &*

VI. *quatenus his in medicina ſatisfactum ſit, nec ne?*

Pulvis abſorbens Wedelii *ſummum ad compeſcendas hæmorrhagias remedium internum; habitualibus tamen præcavendis non ſufficit.*

VII. *Quo caſu corticem Peruvianum, ipſa hæmoptyſi adhuc furente, tuto fructuoſeque adhiberi didicerimus,*

VIII. *& quomodo hanc experientiam deſideratis therapeuticis, §. quinto propoſitis, ulterius accommodare animum induxerimus.*

IX. *Hiſtoria II. hæmoptoen habitualem, quater, imo quinquies, in eodem ſubjecto curatam, exhibens.*

X. *In hiſtoriam antecedentem ſcholion & epicriſis.*

XI. *Hiſtoria III. hæmoptoen habitualem graviſſimam percuratam ex methodo, exhibens.*

XII. *Hiſtoria IV. antecedenti ſimilis.*

XIII. *Quatenus corticis in hæmoptoe uſum, rarius celebratum, nulloque præter experientiam & caſum, auctore, a nobis hucuſque tentatum, Mortoni, Hoffmanni & Heldi calculi firmaverint.*

XIV. *Quomodo his ducibus in faciendis periculis navius dein perrexerimus, hiſtoria V., hæmoptyſin habitualem haud levem, eamque percuratam, ſiſtenti, declaratur.*

XV. *Hi-*

jus commatis,) ſequantur, nemo, arbitror, vitio mihi vertet, ſi ejuſmodi curationem, licet ſuccedentem, ægroſque in vivis ſervantem, poſthabeam methodo, ſuos tam triſti ὑϛερεργεια non mulctanti. Et ſane ampliſſimus ſe hic nobis aperiret dicendi campus, ſi de ὑϛερεργεία methodorum, magnis remediis (utor hoc vocabulo Sydenhami in morem) nimis audacter, & ultra quam par eſt, aut neceſſitas exigit, peractarum, diſſerere ſuſtinerem, atque demonſtrare, in ejuſmodi caſibus ſæpe curatos dici vel haberi, qui tantum ſervati, violento medelæ genere μεῖαϛασιν ſolum, ſeu μεῖαβασιν νοσȢ εις αλλο γενος, extorquente. Quod quemadmodum in caſu penitus deſperato ſemper licitum eſt; ita illud proſtantibus methodis ſecurioribus, & quæ ejuſmodi manes non patiantur, illicitum, & egregio illo medici charactere, puta φιλανθρωπια, indigniſſimum arbitramur, ſolentque mihi in ejuſmodi negotio atque nimio deſperatiorum ſeu extremorum remediorum uſu in mentem venire verba *Freindi*, refrigerantium in acutis abuſum, ſeu nimium potius uſum, taxantis, faceteque tandem, *quaſi vero*, inquientis, *quia nefas ſit ægrotum comburi, ideo protenus frigore enecare oporteat.*

XV. *Hiſtoria VIta hæmoptyicum itidem curatum ſiſtens. NB. In hujus hiſtoriæ initio a nobis prætervïſum notare, quod hic æger non ſolum ante hos quinque annos pleuritide exquiſitiſſima, quaque ægre a nobis ſervaretur, decubuerit, ſed etiam duobus jam inde ab annis tuſſi pulmonali graviſſima, crebrius, idque integris menſibus, ſanguinem ſimul tuſſiendo, laboraverit, ſed quod is paucus eſſe, & cetera ſub his mediocriter valeret ægrotus, non magnopere curaſſe hanc tuſſim, licet cruentam.*

XVI. *Hiſtoria ſeptima, juvenem hæmoptyicum curatum exhibens, qua ſimul an cortex ſolus hæmoptyſi præſenti compeſcendæ ſufficiat? ſed irrito auſu, tentatum, id quod etiam*

XVII. *Hiſtoria VIII. vetulam vomitu cruento laborantem, & ex methodo curatam, exhibente confirmatur.*

XVIII. *Methodum noſtram per hiſtorias ſeu obſervationes ſpeciales ſparſim traditam anacephalæoſi ſuccincta exhibet.*

ELENCHUS SCHOLIORUM SIVE NOTARUM:

Not. *a. Quid hæmoptoe* accidentalis *dicatur*, *quid* habitualis, *Mortoni verbis deſcribitur.*

b. Votum pro ſeparatione medicinæ efficacis ab inertiori.

c. Pulveris abſorbentis Wedeliani deſcriptio ex Wedelio exhibetur, ſimul & illius quo nos uſi ſumus.

d. Hujus pulveris laudes ſeu virtutes ex Wedelio recenſentur, ſimul tamen longe majores ipſi ineſſe (a) ad ſiſtendas efficaciter hæmorrhagias, (id quod hiſtoria quadam inſigni confirmatur) (b) ad fluxus alvi enormiores ſiſtendos.

e. Hæmoptoes habitualis plenior ex Mortono deſcriptio, nec non

f. inſida indoles, imperfectaque vulgaribus modis ſuſcepta curatio, ex eodem.

g. Corticis uſum ad hemitritæum & epidemicas malignas febres, item ad icteros, dudum quidem nobis, non vero ad hæmoptoen, innotuiſſe.

h. Phthiſes veras Lubecæ rariores eſſe, tabemque ex febre ventriculi lenta cum tuſſi (a Mortono non deſcriptam) frequenter pro phthiſi haberi, peſſimeque ſic curari.

i. Pulvis Cornachini infuſo laxativo mannagettæ remixtus expeditum catharticum.

k. & l. Levia textus additamenta continent.

m. A ſputorum conditione, quomodo de ſtatu ruptorum intus vaſorum ſeu vulneris interni, judicari poſſit, pleniori deſcriptione dignam rem in gratiam tironum omnino videri.

n. A ſudore etiam in hæmorrhoidis internis præcipua quædam ſigna deſumi poſſe, in vulgus minus nota res.

Hippocratem ſudores in Semejoticen jam invexiſſe, licet nullam minus rem quam methodum diaphoreticam (id quod maſcule & pro admirabili ingenii, lectionis, judicii, artiſque facultate, poſt Sydenhamum, Freindus, in aureolis de febribus commentariis, commentario III. evicit) *curaverit. Sed poſt Hippocratem hanc ſemeiotices partem, æque ac alias præſtantiores, neglectius habitas fuiſſe.*

Non vacare quidem nobis hoc loco hos defectus reſarcire; nihiloſecius ὡς ἐν παρόδῳ lubere generalia quædam de his tradere, inprimis vero peculiarem aliquem, minuſque celebratum boni ſudoris characterem, cum lectore medico communicare.

Hujuſmodi ſudoris μηχανικη, ex doctrina motus ſympathici membranarum membranoſarumque H. C. partium in motibus morboſis, inprimis explicanda, quæ doctrina illuſtratione adhuc digniſſima.

Hæmorrhagiarum internarum, inprimis habitualium, mechanicen (adde inprimis, pervicaciam,) *e ſpaſmo partium externarum ſub his vigente, & periodice recurrente, præcipue pendere.*

---

§. I.

INter illas ægritudines, quæ ægrotos non minus quam medicos, ſymptomatum atrocia, mortiſque inſtantis metu, mirifice exercent, haud poſtremum locum occupant illæ hæmorrhagiarum ſpecies, quibus vitalis latex ore, vel ſcreando, vel tuſſiendo, vel vomendo ejicitur.

§. II.

Nemo forſan medicus eſt, quin perſpiciat, nos hoc loco, neque gingivas cruentas, neque præternaturales quaſcunque totius oris cruentationes, morari, ſed illas indigitare præternaturales ſanguinis per os eructationes, quæ termino technico, Hæmoptoes, hæmoptyſios, vomituſque cruenti nominibus veniunt.

§. III.

Habes, lector, tituli præfixi rationem ex parte, de quo etiam hoc paucis monendum, quod hæmoptoen ſimpliciter talem, (quam cum Mortono non male forſan *accidentalem* appellamus) dicamus illam, quæ ex ruptura vaſorum pulmonalium, ſine prævia pulmonum, imo & maſſæ ſanguineæ notabili labe, quacunque demum ex cauſſa, contingit; phthiſicam vero illam, quæ ex pulmonibus & ſanguine, chronico jam malo plus

plus minus infectis proficiſcitur, quam Mortonus (*a*) *habitualis* hæmoptoes appellatione deſignat.

§. IV.

Atque horum quidem malorum ad curationes quod adtinet, adeo infinitæ illæ numero ſunt, ut ſola earum recenſione hiſtorica magnum ſatis volumen concinnari poſſe videatur, quum nullum facile opus practicum, nullum conſiliorum volumen, reperias, quin ſpecioſis hæmoptoes remediis, curandique methodis adeo abundet, ut mireris, paſſim, nec rara efferri ejuſmodi malis defunctorum funera. Taceo diſſertationes academicas & peculiares de hæmoptoe & hæmoptyſi, nec non de ſputo vomituque cruento, commentationes; taceo tot ſchedulatim ſub certiſſima ſalutis ſponſione in orbe circumvolitantes hujuſmodi malorum curationes; taceo arcanas medicamentorum iſchæmorum artes, promtam ſecuramque ſanguinis cohibitionem, tantum non jurato, pollicentes, nihilosecius ægrotos haud raro artificemque turpiter deſtituentes.

§. V.

Ut vero nunc preſſius indicemus, quidnam illud ſit, quod in curatione hæmoptoes vel hæmoptyſios, medicos æque ac ægrotos exerceat, certiorisque vel efficacioris medelæ deſiderio torqueat: ſunt illa, primo hæmorrhagiæ cita cohibitio; dein ut hæc cohibitio conſtans ſit: tum ut illa tutis fiat modis, hoc eſt, ut ne ægrotus poſt cohibitum ſanguinem in graviora mala incidat, graviſque ægrotet, quam quidem durante vel per vices redeunte hæmorrhagia ægrotaverat. Neſcio annon triplici huic voto novum adjungam; nimirum, ut ante dictis indicationibus, non demum longa, tædii plena, facileque in prius ruente curatione, ſatisfiat, ſed quantum ejus fieri poteſt, curatione expedita efficaciterque ægrotos levante.

Nn 2 §. VI.

(*a*) Rectiſſime his ſuccinctam Mortoni, naturæ voce loqui ſoliti, explicationem adjungimus, Phthiſiologiæ libr. 3. cap. 5. *Plurimum*, inquientis, *hic refert inter hæmoptoen* accidentalem & habitualem *diſtinguere.* Accidentalem *eam voco*, *quæ mere ab accidenti aliquo procedit*, *uti a vociferatione nimia*, *exercitio*, *vel tuſſi vehementi*, *ab hæmorrhagiæ ſolitæ ſuppreſſione*, *a lapidibus cretaceis in ipſis pulmonibus generatis*, *vel ab aciculis atque aliis ab extra in eos demiſſis:* Habitualem *vero*, *quæ a vitioſa acri & fermenteſcente ſanguinis diatheſi dependet: ita ut penus & fomes morbi ſemper intus deliteſcat. Hæmoptoe iſta accidentalis curationem non difficulter admittit &c. &c. habitualis vero, ſicuti ab inteſtino ſanguinis fermenteſcentis motu & ab aperientis vaſa acrimonia dependet; ita etiam febrem cum accelerato pulſu, & urina ſubrubra, ſemper conjunctam habet, & poſt incerta intervalla identidem ſoleet recurrere.*

§. VI.

Tui nunc facio, lector medice, & inprimis practice, judicii, quouſque juſtiſſimis hiſce deſideriis, in curationibus ſummorum, præſentis æque ac præteritæ ætatis, medicorum ſatisfactum ſit? Jam quidem is ego nequaquam ſum, qui neget, medicos in ſcriptis claros, æque ac alios, vate quidem ſacro carentes, nihiloſecius cordatos eruditoſque medicos clinicos, curatione cita non minus quam tuta & conſtanti, hæmoptyicos reſtituiſſe. An vero exinde id in communem publicamque utilitatem redundarit, ut methodus ejuſmodi efficax, obſervationeſque practicæ ipſi velificantes, præ reliquis (*b*) paſſim obviis, medentium quotidianis uſibus, & inprimis ad medicinam ituris univerſim in ſcholis, commendarentur, haud facile adfirmaverim. Ego certe ſummorum præteritæ æque ac præſentis ætatis medicorum præceptis, interpretibus ad hanc rem viris doctiſſimis, & in omnis artis medicæ, uti ambitu, ita exercitio, verſatiſſimis, innutritus, nihiloſecius quum ad medicinam faciendam me contuliſſem, magno meo dolore comperiebam, nondum in præceptis faciendæ feliciter medicinæ eo ventum eſſe, ut deſideratis, theſi antecedenti propoſitis, utplurimum ſaltem, ſatisfieret. Tametſi enim mature ſatis iſchæmorum ſelectiorum, & inprimis (præceptore venerando parente meo, *τῳ νυν εν αγιοις Pulveris abſorbentis Wedeliani* (*c*) internam ad

(*b*) *Præreliquis*) vehementer optandum eſſet, ut medici practici, tam viva voce in academiis medicinæ tirones artis principiis imbuentes, quam ſcriptis ſuis utiliſſimas veritates medicas publici juris facientes, medelas heroicas & præ ceteris expectationi & voto ſatisfacientes, ipſarumque utendi modos, (ſi illæ præſertim facile parabiles ſint, nec magno adparatu ſtipentur,) præ aliis minus efficacibus, tironibus minuſque expertis commendarent. Incredibile enim dictu eſt, quanta medicinæ efficacis pars in Democriti puteo adhuc deliteſcat, non tam publicæ academiarum luci, quam, poſt medicos noſocomiis militaribus æque ac civilibus præfectos, iſti medicorum generi quod elatioris ſupercilii medicis practicorum urbicorum nomine, quaſi per ludibrium, venit, introſpicienda. Et ſané diſertus eſſe poſſem, ſi vel ſolo exemplo curationis febrium ſic dictarum acutarum exanthematicarum mali moris, demonſtratum ire ſuſtinerem, quantum diſcriminis inter efficaciam praxeos urbicæ & praxeos cathedralis (quam phraſin quo ſenſu accipi velimus in ſchediaſmatio cui titulum fecimus, *Unvorgreiſliche Gedanken, wie Medici, Practici, beſonders tn groſſen Städten, die, zum gröſten Schaden der Medicin, in Verfall gerathene Vortheile der Praxeos medicæ zu verbeſſern, und ſelbige vor fernerem Verfall zu bewahren, vermögend*, p. 114. not. 3. pluribus indicavimus) ut ita dicam, non raro intercedat.

(*c*) De pulveris hujus compoſitione celeberrimus ſuæ ætatis medicus, G. W. Wedelius in opiologia lib. 2. Sect. 2. cap. 3. hunc in modum ſcribit, *In uſu nobis eſt*, pulvis abſorbens *dictus, ex vitriolo martio cum Antim. diaph. conchis, lap. cancror. corallis & cinnabari compoſitus, ita ut ſingula doſis conſtet grano uno ſolum vel altero vitrioli martis, & tota compoſitio recipiat ſimul opium*: v. g. Rec. vitrioli martis gr. Vj. conch. ppt. lap. cancror. ppt. corallior. r. ppt antimonii diaph. cinnab. nativ. a. ſcrupulum ſemis laud. opiati

adſiſtendas omnis generis hæmorrhagias efficaciam (*d*) inſignem, creberrimis exemplis didiciſſem; tamen & infidas hujuſmodi morborum ſubdo-

opiati gr. j. m. f. pulvis. Parum quidem, nonnihil tamen, ab hac compoſitione diſtat formula (ab ipſius, ni fallor celeberrimi auctoris filio, medicinæ Doctore & practico in hac quondam urbe inclyto, in noſtra pharmacopolia introducta) ſecundum quam diſpenſatum, eundem in noſtris curationibus adhibuimus. Eſt vero ſequens: Rec. vitrioli martis, drachmas V. conch. ppt. oc cancror. ppt. antimon. diaph. cinnabaris nativ. ppt. a unciam unam & ſcrupulum unum Laudani opiati ſcrupulis ſemiis m. f. pulv. Ex cujus compoſitionis ſeu diſpenſandi modi calculis rite ſubductis, facile patet, quod cum in Wedeliana illa formula, quam ex *opiologia* exhibuimus, vitroli martis proportio ad maſſam quinque abſorbentium, ſit, quemadmodum Vj. grana ad grana L. ſeu uti 1. ad 8. circiter, & Laudani, uti j ad 50; tum in hac proportio vitrioli martii ad abſorbentia ſit uti j ad 5, Laudani vero, uti j ad 30. Verum enim vero quemadmodum v. g. ex uno pulvere, antiſpaſmodico Stahlii dicto, ſeu ex tribus illis conſtituentibus, nitro nimirum, tartaro vitriolato & lapidibus cancrorum, adjuncta arbitraria cinnabaris portione, diverſa horum proportione ad invicem data, hic pulvis infinite modificari & præſenti rerum ſtatui accommodari poteſt, (ſic ut in acutis v. gr. vomitu, dejectionibus alvinis, inteſtinorumque doloribus urgentioribus, major abſorbentis, minor vero ſalium portio adhibeatur; & vice verſa, ſi hæc non urgeant, ſed in æſtus mitigationem plenis paſſibus ire permittant;) ita etiam quivis artis peritus facile perſpicit, pro re nata anodyni & ſalis martialis portionem nunc augere nunc minuere artifici integrum manere. Interim ſi quis experimenta noſtris analoga inſtituere ſuſcipiat, facile patet, pulverem eo modo paratum, quo nos uſi ſumus, ad manus ſumendum eſſe.

(*d*) Audiamus de virtutibus hujus pulveris, ipſius auctorem feliciſſimum, quando in *opiologia*, loco paullo ante citato, *in ægris*, inquit, *lipothymia*, *ſyncope & cordis palpitatione laborantibus*, *quæ ſymptomata ſæpiſſime in hypochondriacis obſervavimus*, *ceſſantibus etiam in prioribus omnibus operationibus animalibus & vitalibus ad ſenſum*, *nil præſentius invenimus & conſultius*, *quam reſolventia & præcipitantia opiata per vices adhibita. Abeginus affectum illum & præcavimus his ſolis. In uſu nobis eſt eum in finem pulvis*, abſorbens, *dictus. &c. &c. Non poſſum ſatis deprædicare effectus quos ab hoc uno pulvere vidi*, *quam cito omnia conquieverint inde ſymptomata*, *quam feliciter tono ſuo reſtitutus ſanguis*, *quam optime etiam ſymptomata hyſterica huic ipſi morem geſſerint*, *ſubſequuto ſæpius vomitu cum maximo juvamine*, *ceu ab ejuſmodi reſolventibus novum non eſt in praxi*, *& alvum & vomitum quandoque cieri Præferendus eo nomine hic merito tot ſirupis*, *ſpeciebus & compoſitionibus cordialibus*. Hactenus ille. Tantum autem abeſt, ut his omnes hujus pulveris laudes comprehendantur, ut potius maximas eorum adhuc intactas reliquerit. Uti enim dies diem docet, ita etiam in hoc pulvere majoris adhuc momenti virtutes deliteſcere, experientia docuit, in omnibus illis morbis, in quibus vel inſignis in primis viis humorum acredo peccat, vel ubicunque fibra nimium, idque ἀτάκτως, quacunque demum ex cauſa, tenſa, præcipua malorum cauſſa eſt. Sic deprædicatam mihi olim a venerando Parente meo virtutem hujus pulveris internam ad compeſcendas moderandaſque hæmorrhagias, a cauſis internis oriundas, a quibus ne quidem abortum & hæmorrhagias poſt partum enormiores excipio, (modo inſigniorum vaſorum parietes putredine ita nondum exeſa ſint, ut nullus coalitioni vulneris locus relinquatur) innumeris propemodum praxeos clinicæ ſuffragiis tantam reperi, ut quod candide ſcribo teſtorque, omnem interdum expectationem ſuperaverit, fefellerit vix unquam. Quoties enim cumque mature ſatis adhibitus, (quid enim poſt bellum machinæ?) hæmorrhagiæ cohibitionem indicari deprehendi, intrepido & per minuta horæ pro re nata continuato hujus pulveris uſu, tantum per Dei gratiam hoc profuimus, ut ſexcentis aliis in

laſque inducias, & faciles ſub maxima etiam morbi ſerenitate, exiguoque ſæpius vel nullo ægroti delicto, relapſus deprehendebam. Quid quod etiamſi effectus hujus pulveris iſchæmus conſtans eſſet; nihiloſecius ægrotos periodicis præcordiorum anguſtiis, æſtuque febrili, ipſa prope hæmoptyſi pejoribus, illoſque funeſta pedetentim facie induentibus, mirifice exagitatos (e) invenerim. Ad quam quidem periodicam exacerbationem, ſeu febrim, exquiſitiſſima quævis alios æſtus refrigerantia, aliaſque præcordiorum anguſtias levantia, licet nec perfunctorie nec ſine ſelectu eſſent adhibita, vel penitus fruſtra erant, vel longa demum, tædiique & morarum pleniſſima curatione proderant. Accedit quod maxima ſanatorum pars

incaſſum adhibitis, hoc medicamentum cito palmam præripuerit, ſive hæmorrhagia pulmonalis, ſeu uterina, ſeu hæmorrhoidalis, eſſet, ſive ex ventriculi aut œſophagi, aut narium vaſis, proficiſceretur. Et memini quidem me in Hygeiæ caſtris admodum novitium adhuc, ad juvenem hæmorrhagia narium vehementiſſima, multaſque horas durata, & ad quam iterata venæ ſectio in pede, internaque, neſcio quæ, remedia, ligaturæ itidem, & tandem incantatoriæ quoque pulveris ſympathetici, nulli non hæmorrhagiæ ſiſtendæ (ſi chirurgo ipſius poſſeſſori adminiſtratorique credere fas eſt) inſufficientis, artes, fruſtra fuerant, prono ſemper flumine vel e naribus vel in fauces defluente ſanguine, accerſitum, quum jam ſingultus, pulſus anomalus, tendinum ſubſultus, ſudores frigidi, facieſque moribundo ſimilis, mortem præ foribus nuntiarent, uno hoc pulvere, affatim parvis præbiis, exhibito, ſubitaneam hæmorrhagiæ opem adtuliſſe, hominemque, Deo benedicente, ſervaſſe, de cujus ſalute vel intrepidiſſimus in Hygeies caſtris veteranus deſperaſſet. Et vivit quidem hic vir, (qnum poſt hanc hæmorrhagiam cohibitam, curationi noſtræ ſe totum commiſiſſet) ex illo tempore, valetque ita, ut effatum expertiſſimi Mortoni non raro in memoriam nobis revocet, *Æger*, inquientis, *per debitum regimen poſt hamorrhagiam accidentalem liberatus, paullatim, ſicut poſt fluxus menſtruos immodicos, atque alios ejuſmodi, fieri ſolet, ευχρως atque ευσαρκος evadit.* Quod ſi nunc præter iſchæmum hunc effectum, quantum pulvis hic Wedelianus ad ſiſtendos fluxus alvinos; (ſi præſertim vitrioli martis proportio nonnihil imminuatur) valeat ediſſerere ſuſtineremus, vel effectus hoſce ex mechaniſmo morborum C. H. & actione medicamentorum in illud, explicare ſtuderemus, inprimis vero de conſenſu & diſſenſu medicorum primi ſubſellii, circa theoriam tam, quam therapiam hæmorrhagiarum, præſertim hæmoptoes, diſſerere ſuſciperemus, facile vides, lector benevole, integrarum nobis diſſertationum materiem exſurgere. In qua digerenda & polienda quidem cum voluptate ſane verſaremur, niſi noſtræ quoque eſſent, quæ quondam *Guidonis Patini*, querelæ; *la vie que nous menons eſt trop agitée. L'exercice de notre profeſſion nous ôte cette tranquillité qu'il faut avoir, quand on veut écrire pour l'éternité.*

(e) Audiamus hæc iterum pulchre ex ſua, ſeu quotidiana potius, experientia, explicantem Mortonum: *ubi ſcilicet paroxyſmus febrilis incertus*, ita ille, *a ſanguinis adeo ferociter efferveſcentis impetu recrudeſcit, tenera pulmonum vaſa, cum motum hunc citatiorem ferre non poſſint, iterum atque iterum dehiſcere ſolent, una cum magno purpurei liquoris diſpendio, qui utplurimum fluere non deſinit, uſque dum orgaſmus febrilis, & motus ſanguinis inteſtinus inde dependens, vel artis ope, vel ſponte ſua, ſaltem a quantitate liquoris imminuta, penitus ceſſet. Et tunc etiam infidæ tantum induciæ dantur, donec vaſa iterum a præternaturali ſanguinis motu in paroxyſmo ſubſequenti nimis diſtendi contingat. Et quidem hæc eſt fatalis illa hæmoptoe, quæ uti difficilem curationem admittit, atque ægro ſæpius inexpectato ſupervenit, ita febrim primo putridam, dein hecticam, conjunctam habet, quæ in phthiſin fatalem atque incurabilem ſæpiſſime terminari ſolet.*

pars minus firmiter convaleſcerent (*f*), hoc eſt, quod valde cauſarii eſſent, & erroribus in diæta, utut illi leviores eſſent, facile in veterem morbum revolverentur, vel aſthmate deinceps, eoque non raro in veram phthiſin deſinente tentarentur.

§. VII.

Ediſſeram nunc paucis, quid mihi in tanto ſolidioris methodi deſiderio uſu venerit. Decem propemodum nobis in artis exercitio anni effluxerant, quum probatiſſimas quaſque methodos, ſummis quos antea honoris cauſſa nominavimus viris familiares, pro re nata, nec temere nec timide iterato adhibuiſſemus. Sed quum illæ tantum non omnes difficultatibus paullo ante commemoratis premerentur, diu animum meum ſollicitum habebat methodi efficacioris deſiderium, ſic ut nihil non cum ratione in hanc rem ulterius experiri ſtatuerem. Adjuvabat inſtitutum fortuna vel caſus. Vocabar anno 1740. exeunte ad hominem 30. circiter annos natum, murariam exercentem, cauſariam corporis conditionem diæta peſſima multis jam inde ab annis vel contrahentem, vel certe magnopere alentem. Invaſerat hunc hæmoptoe violentiſſima, qua integras phialas ſanguinis puri æque ac coagulati eructaverat. Chirurgus adhibitus, venæſectionem, & neſcio quæ medicamenta interna, miniſtrat. Sed his parum proficientibus, & hæmoptoe poſt nychthemeron increbeſcente, in conſilium adhibeor. Invenio hominem viribus & ſanguine (is enim ad integras libras profuſus in vaſe figulino ſervabatur) prope exhauſtum; facie Hippocratica, lipothymiis affatim infeſtantibus, æſtu nihiloſecius ardentem, tuſſiſque ſuccuſſationibus, novum ſemper ſanguinem extorquentibus, miſere adfectum. Præſcribo quantocyus mixturam temperantem ℥jv. leviterque analepticam, cui pro baſi eſſet pulveris abſorbentis Wedeliani drachma circiter una, a qua, benedicente Deo, brevi hæmoptoe compeſcebatur, ſic ut, non obſtante tuſſi, ſanguis floridus emergere ceſſaret, atque intra nychthemeron ſigna coalitionis vaſorum pulmonalium non leviter profectæ, ſub quietiſſima ægroti mortem metuentis in lecto continentia, ſeſe proderent. Adeo poſt epotam hanc potiun-cu-

(*f*) Conſpirat cum noſtra hac obſervatione πραγματικωτάτη Mortoni deſcriptio, *Phthiſiologiæ lib.* 3. *cap.* 5, *Uti enim*, inquientis, *aliquos phthiſicos, qui frequenti hæmoptoe, vel leviſſima de cauſſa obnoxii fuerant, debita cura & regimine vitam ſuam per plures annos protraxiſſe vidi, ſolitis etiam muniis fungentes, licet valetudinarie ſe haberent, cum tuſſi atque aliquo dyſpnoeæ gradu, quoties ſcilicet tubercula pulmonaria contigit eſſe pauca, minuta & putrefactioni inepta; vel quoties hæmoptoe, a lapidibus intus generatis, vel ab externo aliquo accidenti, magis quam a motu efferveſcentis ſanguinis inteſtino hectico ortum ſuum duxit; ita alios morte præcipiti intra paucarum hebdomadum ſpatium e vivis ſublatos obſervavi, quoties ſcilicet hæmorrhagiæ graves a ſanguinis ferociter efferveſcentis motu in ægrum frequenter reverterunt; vel tubercula alicujus maligni genii præcipitanter, atque inde putrefactionem citam ſubierunt.*

culam hæmoptoe ſeſe in meliorem frugem receperat, ut die ſecunda curationis noſtræ (quæ tertia ab invaſione hæmoptoes erat) ſimili potiunculæ pulveris Wedeliani ℈j. tantum, prophylaxeos ergo, adderemus, dieque tertia illum jam plane omitteremus, potiunculam ex terra fol. tartari, C. C. ſ. igne conch. citr. & antimonii diaph. aa. cum aquis temper. & leviter analepticis, cui pro agrypniis extractum ſeminis papaveris albi ad aliquot ſcrupulos addebatur, ipſi ſuccenturiantes. Morbus ſub horum uſu mirifice miteſcebat, ſudoribus æqualibus bonæ notæ, uriniſque turbatiſſimis, prodeuntibus, &, quod præcipuum, expectoratione tali, qualem in legitima vaſorum coaleſcentia eſſe oportet, cumque pro alvi laxitate, (nihil proficientibus tribus infuſi lax. mann. unciis, die tertia & quarta κατ' επικρασιν datis,) die quinta curationis noſtræ potiuncula laxans ex infuſi lax. m. ℥ij. cum totidem pulveris cornachini ſcrupulis & oxymelitis ſcillitici drachma j. conflata, cochleatimque exhibita, alvum expediviſſet; adeo ſibi nobiſque levatus pomeridie videbatur ægrotus, ut jam prope ſperare inciperemus. Sed breve admodum hoc gaudium, verſus veſperam enim illius diei, poſt prævias oſcitationes & pandiculationes, frigore febrili, intermittentem plane referente cum ſummis præcordiorum anguſtiis, (ſub quibus etiam purus ſanguis, licet is paucus eſſet, cum ſummo ægroti metu, tuſſiebatur) corripitur. Jam tametſi ſanguinis meri exſcreatio mixtura ejuſmodi qualem ſupra commemoravimus cum pulveris abſorbentis ℈j. facile ſopiretur; tamen non poterat non morbus inde in novas turbas concitari, cumque ſimilis paroxyſmus alterius diei meridie ægrotum vehementer exercuiſſet, imo excruciaſſet, flebiliter ille ut nihil adeo quam febrem altero mane metuendam curare vellem, obſecrabat. Atque ipſe quidem hoc mihi negotii dari, ægro vel non orante, intelligebam. Quodcunque enim de vita vel viribus ipſius ſervatum aut recuperatum antecedenti quatriduo fuerat, id omne bini paroxyſmi abſtulerant, tertio majores adhuc ruinas minitante. Quod interim, ſi non juvaret cortex, etiam nocere non poſſe videretur (*g*); finito paroxyſmo illum ſtatim ad manus ſume-

(*g*) Didiceram equidem Mortono præeunte, experientia nos confirmante, quod non, ſolis intermittentibus cortex debeatur, ſed multæ quoque acutarum eundem egregie ferant; neque hemitritæis ſolum illum frequenter fructuoſeque, ſed malignis etiam epidemicis, πρακτικωτατω Apino magiſtro, imo & continuis lentis, ictericis, & quæ ſunt hujus commatis adhibueramus. Verum an ad hæmoptyſes ſecure adhibeatur, id me tunc temporis cum ignariſſimis ſciviſſe profiteor. Solet autem providis experimentatoribus in ejuſmodi negotio uſu venire quod de primis nauticæ inventoribus eleganter, ut ſolet, Claudianus:

Inventa ſecuit primus qui nave profundum
Et rudibus remis ſollicitavit aquas,
Qui dubiis auſus committere flatibus alnum,
Quas natura negat præbuit arte vias.

Tran-

ſumebamus, electiſſimum eundem & alcoholiſatum ad ℈j. omni bihorio exhibentes, interponendo unum alterumve cochleare mixturæ ſupra commemoratæ, ſic ut verſus meridiem craſtinæ diei duæ ad minimum corticis drachmæ abſumerentur. Qua medicatione cum Deo benedicente tantum profectum eſſet, ut alterum mane, æque ac meridies, ſine febre non ſolum abiret, ſed ægrotus etiam mirifice ſibi recreari videretur; æſtu febris continuæ in pulſu & urina valde remittente, pureque albo coctiſſimo per expectorationem ex voto ſuccedente: non dubitabam proximo nychthemero eidem methodo plane inſiſtere, hoc tantum diſcrimine, ut cortex, (ægro bihoriam exhibitionem deprecante) per trihoria ſolum, & præter hunc nihil medicamentorum, ſumeretur. Mirabile dictu, & incredibile forſan indignis corticis oſoribus (quos per απειρίαν, aut certe εμπειρίαν minus legitimam, ita judicare oportet) eſt, quantam ab hac methodo euphoriam ſenſibus ſuis ægrotus mecum uſurpaverit omnibus, facileque exiſtimabit lector benevolus, quanto jure eidem per proxima nychthemera inſtiterimus, ægroto ſiquidem inde rectiſſime convaleſcente. Judicabit tamen etiam exinde, quanta indignatione quantoque dolore, poſt exactum prope hac tranquillitate integrum ſextiduum, noſtrum, poſt frivolas aliquot cum agnatis objurgationes & cereviſiæ meracioris ingurgitationem, natura uſque recurrente, invenerimus tuſſicula ſicca valde vexatum, anheloſum, ſputis non ſuccedentibus, æſtu intenſiſſimo torrefactum, tuſſique merum non raro ſanguinem ex vaſis pulmonum extorquente. Equidem nihil non pro hominis ſalute moliebar, temperantia ſelectiſſima iſchæmis & cortici pro re nata maritans, nec analeptica neceſſaria omittens; attamen vires uno ictu quaſi proſtratæ, cum febre tantum non continente, intercurrente hæmoptoe, ſanguinem purum non minus quam coagulatum putridum fœtidiſſimum eructante, eo ipſum redigebant, ut vitam, cujus ſervandæ cauſſa antea nihil non moliri ſtatuebat, pœnæ loco amplius haberet, illamque cum morte commutare, ſiquidem fatis ita videretur, vehementer etiam atque etiam optaret. Annuebant etiam voto fata, ſic ut die ab invaſione hæmoptoes vigeſima tertia morbo confectus exſpiraret. Jam quidem illi, qui curationes ex eventu magis, quam ex methodo qua geſta ſunt, metiri ſolent, hanc circa uſum corticis experientiam parvi facient. Secus autem, arbitror, juſti rerum æſtimatores ſtatuent, hancque hiſtoriam non plane inſufficientem exiſtimabunt, quin exinde legitimus a nobis ad nova tentamina factus fuerit in hæmoptoe phthiſica tranſitus.

§. VIII.

Tranquillis primum trepidus ſe credidit undis
 Littora ſecuro tramite ſumma legens;
Mox longos tentare ſinus, & linquere terras,
 Et leni cepit pondere vela noto:
Aſt ubi paulatim &c. &c.

§. VIII.

Duplici hac itaque inſtructus experientia, nimirum quantum pulvis ille Wedelianus ad compeſcendas hæmorrhagias, cortex vero ad extinguendam flammam & motus febris phthiſicæ, (novas uti in toto vaſorum ſanguiferorum ſyſtemate turbas, ita inprimis novas ad pectus congeſtiones, & cum his vaſorum in pulmonibus rupturas, producentis,) valeat; & inprimis quod ille ad hunc ſecure adhibeatur: ſtatuebamus pro methodo efficaciori inpoſterum egregia hæc duo medicamenta pro re nata jungere, unitique vires experiri, nihilque magis in votis habebamus, quam ut primo quoque tempore tentaminis hujuſmodi ſeſe offerret occaſio. Jam quidem duo prope menſes abibant (*b*) antequam in hæmoptoe quadam graviori rem experiri contingeret. Nihiloſecius hæc æqui bonique conſulentes, experientiamque inde inſtaurantes, præmunitiores quodammodo nova pericula præſtolabamur. Et vero hoc bimeſtri exacto voti noſtri ita damnabamur, ut intra octimeſtre proximum anni ſuperioris, admodum inſignes experiundi occaſiones ſeſe nobis in praxi noſtra offerrent: quas nunc ita, quemadmodum illas, quum conficerent, in adverſaria noſtra medica retulimus, cum benevolo lectore communicabimus.

§. IX.

Cuprifaber 34. circiter annos natus, parentibus editus phthiſicis, & cujus ſoror æque ac germanus frater phthiſi perierant: aſthmati tuſſique humidæ, eique non raro ſanguinolentæ, nec minus ſudoribus nocturnis & decubitui verticaliori, obnoxius, oſſibus cetera & fibris quidem gaudens ſatis robuſtis, toto nihiloſecius externo habitu phthiſicus, ingenii valde iracundi, menſe novembri 1740. in hæmoptyſin incidit, qua ſanguinem nunc floridum nunc coagulatum affatim eructaret. Quod interim non valde magnam cruoris jacturam feciſſet, venæſectioni protenus adminiſtratæ, mixturas temperantes cum pulvere abſorbente Wedelii advocatus, jungebam, quorum ope, ſi a divina gratia diſcedas, meri ſanguinis

(*b*) Phthiſes veras, una cum hæmoptyſi, frequentiori phthiſium cauſa procatarctica, in his terris rariores eſſe, quam quidem in Germania mediterranea obſervabile eſt. Tametſi enim paſſim obvii ſint, qui cum tuſſi contabeſcant, & endemia loquendi formula, *daß ſie den Zieſch haben*, (h. e. quod phthiſici ſint) pronuntientur; tamen re penitus conſiderata, plurimi horum non phthiſi pulmonali (utut illa interdum ſcenam claudat) ſed ſtomachica, ſeu potius tabe ex febre ventriculi lenta, (quam apud Mortonum in phthiſiologia non invenio) laborant. Et mereretur ſane hoc morbi genus hoc loco degreſſiunculam aliquam, quum methodi medendi ipſi utplurimum adhiberi ſolitæ, tantum non omnes, ſi verum dicere velimus, id agere videantur, ut ægrotus citius certiuſque pereat. Sed quum hoc tempore non vacet debitam hujuſmodi παρεκβάσει adhibere operam, rectius illam, Deo vires otiumque elargiente, in aliud tempus differimus.

nis eructatio legitime compeſcebatur, vaſaque rupta ad coalitionem ejuſmodi perducebantur, ut ſub quieta in lecto continentia, nullus (licet valde tuſſiret) ſputis, cetera recte ſuccedentibus, intereſſet ſanguis. Aſt quum his ita belle ſe habentibus poſt aliquot dies non ſolum lecto ſe pro lubitu abdicare, ſed in conclavi adeo frigido cubitum ire auderet: tuſſi vehementer concitata, denuo merum eructare ſanguinem cum febre intenſiſſima incipit. Advocatus denuo, methodum quæ paullo ante profuerat, reſumo, graviterque objurgata hominis levitate, prognoſique periculoſiſſima occentata, rectius va etudinem curare ſuadeo. Succedebat his obſervatis curatio denuo per Dei gratiam ex voto, niſi quod tuſſi, ferinæ propemodum, & novas ſemper vaſorum rupturas minanti, aliquot pro rei exigentiam pilular. de ſtyrace c. o. grana, (cui illa de ammoniaco adjuncta eſſet) opponerem. Qua methodo octo circiter dierum intervallo continuata, noſter ad illum convaleſcentiæ gradum, quem intemperanter perdiderat, reducitur, cautiusque mercari doctus, in conclavi calido, lecto relicto, degens, levioribus opificii laboribus manus admovere, cum ſucceſſu tentat, gradatimque durioribus ſeſe accingens, non obſtante auſtera aeris conſtitutione, plane cum ſanitate in gratiam redire incipit. Sed ne hoc quidem gaudium valde diuturnum. Vix enim integrum in hac ſerenitate menſem exegerat, quum quotidianis objurgationibus & rixis, tota veterum malorum acies, pulchre hucuſque ſopita, in novas turbas concitaretur. Denuo igitur accerſor, utque ſuppetias, ſi poſſem, conſtantioris effectus adferrem, rogor. Ego vero, quum in tanta morum intemperantia nullum curationis genus conſtans futurum pronunciaſſem; utque non tam curationem imperfectam quam ſemetipſum accuſaret, ſerio monuiſſem; ipſeque nihil non in hanc rem, ſi modo aliqua inde ſpes ſalutis affulgere poſſet, ſpopondiſſet: novam curationem exordior. Incidebant hæc in illa tempora, quibus nuper admodum corticis in hujuſmodi negocio efficaciam didiceramus. Nulla proinde mora interjecta illum ad manus ſumere ſtatuebamus, ſic ut ipſius ℈jv. cum ℈ij. pulveris abſorbentis Wedelii pro baſi eſſent mixturæ temperanti quinque circiter unciarum, ex aquis pectoralibus & analepticis conflatæ, quam ad cochleare unum omni hemihorio tamdiu hauriret, donec ſymptomata notabiliter levari perſentiſceret; dein quavis hora ſolum, imo bihorio elapſo. Haurit avide noſter, indeque intra unum nychthemeron adeo ſe levari ſentit, ut ipſemet hanc medelam, guſtu licet antecedentibus nauſeoſiorem, efficacia tamen illis longe antecellere pronuntiaret, eandemque ſibi denuo expeteret. In quo cum facile conſentientes nos habuiſſet, (niſi quod ſolum per bihoria id admiſiſſemus,) cumque hanc potiunculam intra 40 horas proximas abſumſiſſet, incredibile eſt dictu, quam ad ſe redierit æger. Hæmoptoe enim hac ratione devicta non ſolum, ſed & ſputis vaſorum legitimam ſanationem ſeu coaleſcentiam incipientem indicantibus, febre notabiliter qua omnia ſui ſigna deflagran-

te, reſpiratione indies liberiori evadente, agrypniis ſudoribuſque nocturnis miteſcentibus, inque illorum locum ſuccedentibus ſudoribus bonæ notæ (conf. not. 13.); non poterat non ad ſe redire, cumque hac ratione morbus adeo notabiliter miteſceret, denuo parata ſimilis potiuncula, per trihoria, imo quadrihoria ſolum, porrigebatur. Quid quod ex mero deinceps cortice, cum dimidio terræ fol. tartari probe ſubacto, addito tantillo pulveris abſorbentis Wedeliani, pulverem deinceps paraverimus, quorum quotidie tres doſes abſumeret Pro ſiti reſtinguenda ipſi cerevifia Razeburgenſis ſub his erat, & pro cibo carnes teneriores, ipſorumque juſcula. Inprimis vero delectari ſolebat pulte fegopyri, aliiſque farinoſis in pultem conſiſtentiorem coctis, quibus cereviſiam Lubecenſem meraciorem (acutis alias morbis non valde amicam) parce ſuperfunderet, aut bolos ejuſmodi ipſi imbueret. Quemadmodum vero ſub toto curationis decurſu ad alvi laxitatem quotidianam (ob adpetitum imprimis ciborum haud levem, & quod pituitoſus valde eſſet) ſemper reſpexeramus (*i*); ita præſertim ſub morbi declinatione, & ægroto hac curatione intra dimidium menſem ad ſe mirifice redeunte, decocto traumatico pectorali aperitivo, (cui pro baſi eſſet decoctum aperitivum majus diſp. Br.) ad libram j. quotidie, per tria præbia, poto, ſtatum ſanitatis firmare allaborabamus; ſucceſſu rerum per Dei gratiam adeo optato, ut ad opificium ſolitoſque labores Februario menſe, non obſtante aeris conſtitutione auſterrima, redire valeret, quem unum alterumve menſem ſupervivere poſſe amici omnes dubitarant, vel potius plane negarant. Suadebam his adeo belle ſuccedentibus, ut vere ejus anni exeunte, curatione quadam prophylactica, quaque morbi adeo alte inſidentis radices plane præſcinderentur, ſeſe muniret, cujus quidem curationis omnem a nobis rationem, ſi luberet, expectaret. Sed quum etiam hac anni tempeſtate rectiſſime valeret, & ingenio præterea eſſet ad intempeſtivam frugalitatem; (quam, cum fortunis polleret, rectius avaritiem diceres) compoſito, de curatione prophylactica nihil admonebat. Aſt enimvero gravibus haud ita multo poſt cum agnatis implicitus jurgiis, in quibus a verbis adeo ad verbera iretur; gravioribus inde adhuc litibus forenſibus enaſcentibus: Julio menſe veteris mali novis inſultibus tentatur. Quod tamen pro antecedenti cura, imo pro alia adhuc in uxore puerpera peracta, ſoſtrum nondum ſolviſſet, aliquot hebdomadas ſanguinis ſputum, cum tota veterum malorum acie increbeſcens, imo hæmoptoes adeo levioris gradus, ſuſtinet, antequam ad nos mitteret. Nihiloſecius duro morbi vires ſumentis telo adactus, quum integras pedetentim ſanguinis libras eructaſſet,

(*i*) Obtinebamus utplurimum hanc alvi laxitatem parvo admodum adparatu, nimirum ſpecierum decocti aperitivi minoris unum alterumve pugillum aqua fervente infundendo, ſed ſi febris intenſior eſſet, non ſolum infuſo laxativo largiter opus habebamus, verum illo adeo, pulveris cornachini additione (quæ admodum expedita alvum movendi methodus eſt) acuato.

ſet, ſemianimiſque fere cum lipothymiis intercurrentibus & febre intenſiſſima decumberet, die 28. Auguſti nos accerſiri jubet. Adventans media circiter die, hominem invenio morbi rigore prope confectum, externa & vere Hippocratica facie moribundum referentem, quique continuo ſanguinem coagulatum, florido multaque pituita mixtum, cum ſummo fœtore eructaret. Tuſſis adeo intenſa, ut vix ſingula verba ſine vehementi ipſius concitatione eloqui valeret. Pulſus parvus, durus & celer, præcordiorum anguſtiæ ſummæ, urinæ ſanguinis inſtar rubentes. Verbo, tantum non conclamatus jacebat. Nihiloſecius methodum, quæ antea ipſi profuerat, ſpe dubia experiri, quam nullam, ſtatuebam, quantocyuſque paratam mixturam temperantem & analepticam quatuor circiter unciarum, (cui pro baſi eſſet cortex peruanus electiſſimus cum pulvere abſorbente Wedelii) per hemihoria ad cochl. j. exhibendam præſcribebam. Hauriebat hunc naviter ægrotus, id inde utilitatis referens, ut verſus veſperam adventans, morbum miteſcere incipientem reperirem, ægroto ſputa liberius, & ſine recenti ſanguine, exſcreante, minus anheloſe reſpirante, pulſu molliori, nec adeo frequenti, adeo ut ægrotus cum uxore tantas morbo inducias a ſe datas deteſtarentur, inque ſpem non mediocrem venire inciperent, curationem anno ineunte ſibi proficuam etiam nunc ſalutariter evenire poſſe. Jam tametſi his non magnopere adſtipulari præſens rerum facies permitteret; tamen quum continuata per proximum ſextiduum methodo ſupra deſcripta, ægrotus ultra quam ſperare licuerat, ad ſe rediret, omnibus legitime ad ſanationem pergentibus, ſic ut ſeptima jam die pus laudabile, hoc eſt, quod ſanguine nigro & fœtore vacuum eſſet, nec quantitate excederet, prodiret: ipſi non levem in ſpem adducebamur, adpetitu inprimis ciborum redeunte, redeuntibus etiam cum ſomno paullatim viribus, quum inprimis nihil ægro minus, quam a propria ipſius uxore, metueremus. Verum enim vero quum huic adeo difficili bile tumeret jecur, ut non ſolum a rei familiaris tædiis viro non caveret, ſed ipſamet illam (quod ab agnatis reſcimus) in miſellum affatim eructaret, cum jam in vado omnia eſſe inciperent, noſque de hominis ſalute non ſperantes amplius, ſed adeo confidentes, illum jam rarius inviſeremus; reſuſcitata febre, noviſque inſultibus hæmoptoicis emicantibus, in ſummis denuo anguſtiis hominem verſari nuntiatur. Adventans methodum quæ bis jam profuerat reſumo, nihilque non pro homine ſervando molior, ſucceſſu curationis tali prorſus ab initio, qualis proxime antecedenti periodo fuerat. Sed ſpes jam nobis non amplius eadem, partim quod a perditiſſimis uxoris moribus, ingenii itidem iracundiſſimi homini, nihil non metueremus; partim quod novæ curationi exantlandæ, vulnerique pulmonum toties refricato perſanando, vires ægroti vix pares deprehenderemus. Et peribat quidem noſter nocte intempeſta diem Septembris 15. & 16. intercedente, febre mitiſſima, expectoratione juſtiſſima, reſpiratione mediocriter conſtituta, urinis optimis, animo ſibi plane

conſtans, viribus exhauſtis ducendoque amplius ſpiritui imparibus. Et vehementer quidem optaſſemus hujus defuncti pulmones luſtrare. Sed quum noſtrates hujuſmodi inſpectiones cadaverum humanorum vix ſatis dignas ingenuis moribus cenſeant, etiam hic, ut ſæpius antea, votis excidebamus juſtiſſimis.

§. X.

Ex hac hiſtoria, utut τῷ ἔθανε terminaretur, facile adparet, quantæ utilitatis in morbo graviſſimo, ſubjectoque cauſario, methodus eſſe potuiſſet, niſi perditiſſimis hominis moribus toties illuderetur. In illa enim, ſi rite ſupputemus, quintuplex ægroti convaleſcentia. Et duplex quidem per methodum ſine cortice, pulvere potiſſimum Wedeliano, peracta; triplex vero per corticem pulveri Wedeliano junctum. Neque enim quod in quinta curatione, ſeu curationis periodo, perierit, morbo pulmonari tam, quem totali virium exhauſtioni, tribuendum videtur. Quid quod cum media die 15. Septembris illum inviſeremus, omnia ita comparata viderimus, ut non omnis plane ſpes evaneſceret, & fide dignis teſtibus nunc reſciamus, quod (cum antea crediderimus illum viribus exhauſtis ſuccubuiſſe) ipſa illa veſpera gravi iracundia fuerit adfectus, paroxyſmo ſuffocativo inde ſub noctem reſultante.

§. XI.

Tranſeamus nunc ad hiſtorias curationum, Deo benedicente, methodique ope, felicius peractarum. Virgo ſex circiter ætatis luſtra emenſa, honeſtis parentibus edita, molliter educata, habitus corporis tenelli & ſtaturæ minoris, ex adverſis parentum, ſuique ipſius cum his, fatis, mœrore diu adfecta, in menſium ataxiam incidit, tandemque penitus ſufflaminatis iisdem, incommodis ejuſmodi emanſionem preſſo pede ſequi ſolitis adficitur. Præ ceteris vero ſumma reſpirationis difficultate, ſic ut nec ſcalas aſcendere, nec greſſibus acceleratis incedere valeret, nec ſitum etiam in lecto horizontalem, aut qui huic proximus, perferret. Accedebat ad has ægritudines haud ita multo poſt tuſſicula, paullatim incrementa capiens, cum febre lenta, viriumque decremento, ad quod ciborum appetitus plus quam mediocriter vigens nihil valebat, cumque tandem ſanguinem tuſſiendo exſcrearet, nihil oberat, quin uti aliis, ita & nobis pro phthiſica haberetur. Increbeſcebant hæc, auctumno anni 1736. in hiemem vergente. At vero, quum omnem moverem lapidem, ut congeſtiones a pectore derivarentur, & inprimis natura ad perſolvendum lunare tributum in viam reduceretur; non obſtante auſteriori anni tempeſtate, trium circiter menſium medicatione, Dei gratia ægrotæque obſequio & fiducia adjutus, ægram tantum non omni morbi parte defunc-

functam cernebam. Nam & catamenia rite fluebant, & febricula ceſſabat, & corporis motum æque ac ſitum in lecto decliviorem recte ferebat, ſic ut Februario menſe exeunte præter tuſſiculam, ipſi habitualem fere, nullum morbi ſupereſſet veſtigium; cumque tuſſicula hæc unius circiter menſis medicationi auſcultaret, adeo belle annis proxime ſequentibus valebat, ut æſtate anni 1739. provinciam adminiſtrandæ rei œconomicæ non exiguæ mercatoris cujuſdam primarii Lubecenſis in ſe ſuſciperet, & tota quoque ſequente hieme rectiſſime gereret. Et vidi ego quidem toto hoc anno, ipſoque etiam brumali frigore rigente, recte valentem, rerumque ſuarum, nullis valetudinis incommodis interpellatam, ſatagere. Verum enim vero, quum graviſſimis quibuſdam animi commotionibus factum eſſet, ut novis tributi lunaris ataxiis adficeretur, veteris morbi novis nuntiis paullatim redeuntibus, reſpirationis novis tentabatur difficultatibus. Quod interim Lubeca diſcederet, & nullam per integrum fere annum morbi medelam a nobis repoſceret, reſtitutam forſan naturæ autocratia ſanitatis integritatem ſperabamus. Sed ecce; tarditatem gravitate penſabat morbus. Etenim die 14. Aprilis anni 1741. nuntius citato equo, quatuor inde ab urbe milliaribus advolans, optimam virginem tanto hæmoptoes impetu adortam nuntiat, ut omnia domeſtica remedia fruſtra fuerint, & ſe diſcedente ſemianimis jacuerit. Præſcribo quantocyus mixturam ex methodo, (℞. Cort Per pulveris abſ. Wed. antiſp. ſt. a. ℈ij. antim. diaph. r. p. ʒß. M. bene tritis add. aqu. ſcabios. millefol. pap. rh. cord. temp. a. ℥x. conf. alk. inc. ℥ij. M.) ad cochleare j. per horæ quadrantes tamdiu, donec impeditior ſanguinis puri bechodes exſcreatio perſentiſceretur, exhibendam, miteſcente vero hoc impetu, per horas imo bihoria. Redit die 17. Aprilis nuntius, compoſitoſque a medicamento morbi impetus eouſque refert, ut ſub tuſſis induciis & quieto decubitu ſilentioque ægrotæ (quam ſe a nobis redeunte, ad ſequens nychthemeron ſupervivere poſſe omnes negarant) nullum bronchia ſanguinem eructent, ſaltem illum non eructari merum, ut antea, ſed pituitæ mixtum. Adferuntur ſimul urinæ turbatiſſimæ. Præſcribo ſimilem antecedenti potiunculam, ſeu potius eandem, morbo urgente exhibendam (*k*). Qua per Dei gratiam ita proficiente, ut die 20. Aprilis nuntiaretur, ſputa excreta non niſi rariſſime, idque ſtriatim, ſanguinis veſtigia præ ſe ferre; ſequentem concinno formulam: ℞. pulveris abſ. Wed. antiſp. ſtahl. cort. per. electiſſ. & alcoh. a. ℈iv, M. fiant Xij. doſ. æqu. Horum pulverum ut quotidie tres, quo liberet vehiculo, (mane nimirum, pomeridie, & verſus veſperam unum;) ſumeret, ſicque proximo quatriduo tam curative quam præſervative ſibi proſpiceret, ſuadeo; iiſque

(*k*) Interponebatur his (quum alvi obſtipatioris ſemper eſſet) ſtatim ab initio infuſum laxativum mannagettæ, ac deinceps per totum morbi decurſum, ſimulatque alvus non largiter reſponderet, infuſum foliorum ſennæ cum floribus acaciarum tepide potum.

que abſumtis ad nos de ſtatu morbi perſcribi curaret. Paret monitis ægrota, dieque 24. Aprilis ad me perſcribi curat; Hæmoptoes ne leviſſimum quidem veſtigium ſupereſſe, tuſſicula pus vaſorum ſuppurantium recte expectorante, ſic ut magnam in ſpem veniret, ſe compoſitis λειψανεις æſtus interni, viribuſque aliquantiſper inſtauratis, brevi ſanitatem ſperare, ſi præſertim ſomnus in curationis partem veniat. Urinæ rurſus craſſiſſimæ. Præſcribo his ita comparatis formulam ſq. ℞. cort. peruv. terræ fol. tartari opt. a. ℈ij. antimonii diaph. r. edulc. pulveris abſorb. Wed. a. ℈j. extr. ſem. pap. albi ʒß. conf. alk. inc. ʒj. m. bene tritis add. aquæ Looch. ſan. roſar. cinam. a. ℥ß. millefol. ℥ij. m. detur per trihoria vel quadrihoria ad cochl. j. Die 29. Aprilis omnia in vado eſſe nuntiatur, ſoliuſque tuſſis ſiccæ medelam exorare ægrotam. Mitto pro his ℞. mil. de ſtyrac. cum & ſine opio, mpil. ſolutiv. noſtr. ordinat. a. ʒß. m. f. c. el. pect. Wed. l. a. pil. nro. 20. ex ʒß. deaur. ſ. *Pillen, davon alle Morgen*, item *Nachmittags und Abends* 3. *Stück zu nehmen*; donec nimirum vel tuſſis miteſceret, vel alvus inde nimis exſolvi videretur. Vix quatriduum ex hoc tempore effluxerat, quum amicus ægrotæ Lubecam iter faciens, ſalute mihi nunciare rogatur cum plurima, ægrotam adeo bene valere, ut medicamentis uti jam deſierit, quidque natura ſine illis valeat, experiri ſtatuerit, quidquid enim languoris adhuc ſuperſit, illud per Dei gratiam, adpetitu ciborum jam redeunte, facile victum iri. Neſcio proinde quonam factum fuerit delicto, ut die octava Maji denuo ſanguis inter ſputa conſpiceretur, & ad nos de hoc ſtatu referretur. In quam rem ipſi miſſa ſequenti potiuncula ℞. cort. peruv. ʒj. pulveris abſorb. Wed. antiſpaſm. ſt. a. ʒß, antimonii diaph. ℈j. aquæ ſcabioſ. poeon. flor. til. a. ʒx. conf. alk. inc. ʒj. m. novi motus adeo belle fuerant compoſiti, ut nihil deinceps auxilii vel conſilii a nobis repoſceret, & die demum prima menſis Junii, de ſanitatis ſuæ ſtatu per litteras nuntiaret, ſe ita valere, ut tantum pro tuſſicula ſub levi refrigeratione infeſtante, pilulis antibecchicis a nobis ſibi miſſis, idque non valde crebro, indigeret, quarum ſibi novam portionem expeteret, noſtri ceterum faciens judicii, an illis aliquid infuſi cujuſdam pectoralis adjungere vellem. In quam rem quum ipſi ſequentem formulam ordinaſſem, (una cum regulis diæteticis ipſius ſanitati velificantibus) ℞. ſpec. pro dec. flor. & fructuum, pro dec. aper. maj. a. ℥j. hb. millefol. ℥ß. cujus quotidie aliquot pugillos aqua fervente infunderet, & ubi leviter bulliviſſent cum ſaccharo canarienſi biberet; menſe Julio per litteras ſignificat, medicamenta ſibi tranſmiſſa, per Dei gratiam egregia præſtitiſſe, ſic ut ſoſtro ſoluto ſtatuerit experiri, quid natura regulis diætæ adjuta, contra morbum valeat? Et ex illo quidem tempore ad hanc uſque, qua hæc ſcribimus horam, nihil amplius de ipſius ſtatu, quam quod valeat, parentibuſque grandævis a miniſterio ſit, reſcio.

§. XII.

§. XII.

Antecedenti hiſtoria non minus memorabilis eſt, quam ſequentibus verbis in adverſariis noſtris medicis, quum adhuc ageretur, conſignavimus. Civis hujus urbis, octo circiter vitæ luſtra emenſus, corpore gracili & macro, genis intenſe rubentibus, tuſſicula prope continua laborans, aſthmaticus ſæpe (patre itidem ſatus aſthmatico, & cui tres ſunt iiſdem ſatæ parentibus ſorores, una cum fratre natu majori aſthmaticæ, & tuſſi, geniſque intenſe rubentibus, pallente reliqua facie, diſpoſitionem phthiſicam præ ſe ferentes) totaque externa facie ad phthiſin (quam tamen ſumma vitæ temperantia ſemper hucuſque eluſerat,) pronus, quum ſub ædium ſuarum a nive corruptarum hiberna inſtauratione corpus die multumque aeri brumali expoſuiſſet, vere anni 1739. ineunte, aſthmate humido cum tuſſicula corripitur, cumque hæ ægritudines non leve in dies incrementum ſumerent, noſtra ope adhibita, menſis circiter unius ſpatio iis feliciter defungitur. Inde ad auctumnum uſque illius anni recte pro more ſuo valens, quum denuo ſibi ab aere auſteriori non caviſſet, denuo in ſimilem ægritudinem incidit, hoc ſolum diſcrimine, ut tuſſis ſicca jam gravius adfligeret. Vincebatur & hic morbus, Deo benedicente, noſtra opera, ſic ut præcipite menſe Octobri, noſtro jam non amplius indigeret conſilio, indeque ad medium uſque ejuſdem menſis anni ſequentis 1741. belle valeret. Sed cum veteris immemor in ſanitatem delicti denuo dimidios ſub jove humido inter armenta veneuntia egiſſet dies, in ipſo foro armentorum, die 16. Octobris hora antemeridiana decima, horrore totius corporis vago cum inſultibus aſthmaticis ſuffocativis & lipothymiis tantopere corripitur, ut duobus licet quadratiſſimis hominibus fultus, ægre tamen in domum ſuam deferretur, aſthmate nunc in hæmoptyſin tranſeunte, pulmonibuſque integras floridi ſanguinis uncias excutientibus; ſic ut ſemianimis in lecto a ſuis componeretur. Uxor non leviter perterrefacta, me quantocyus accerſiri jubet, cumque haud ita multo poſt adventarem, hominem reperio miſere decumbentem, continua tuſſicula merum ſanguinem (cujus libram ad minimum medicam pelvi jam exceptam adſtantes monſtrabant) cum dolore exquiſito ſub mamma dextra, eructantem. Jam quidem an levi ſanguinis e vena pertuſa miſſione morbi furor minui poſſet, apud animum cogitabamus. Sed quum ægrotus audito ſolum venæſectionis nomine, contremiſceret, & præterea non parum ſanguinis jam profudiſſet, ſtatuebam potiunculæ iſchæmæ derivationis ergo laxans addere. Concinnatam igitur potiunculam ſq. ℞. pulveris abſorbentis Wed. ℈ij. antiſp. ſt. ʒj. cort. peruv. opt. ℈j. inf. lax. m. ℥iʃ. aqu. buglos, borrag. cord. temp. a. ℥j. m. omni horæ quadrante ad cochl. j. exhiberi tamdiu jubebam, donec ſanguis ſubſiſteret. Ceterum imperata quieta in lecto continentia & ſilentio, cereviſiaque

tenuiori pro potu imperata, me pomeridie rediturum polliceor. Verſus veſperam rediens, potiunculam vix dimidium abſumtam invenio, nihiloſecius morbi rigorem notabiliter ſopiri ceptum, ſic ut jam non niſi integra vel ſeſqui hora elapſa eandem, idque tantum ad alvi ſolutionem uſque, exhiberi juberem. Paretur, alteroque mane rediens talia omnia invenio, qualia morbum ejuſmodi in meliorem ſe frugem recipere indicant. Alvo aliquoties reddiderat, pulſus inſtauratior, & mollis, urinæ turbari ceptæ, reſpiratio liberior, nec doloris punctorii ante commemorati ſenſus amplius, niſi forte ſub reſpiratione graviori aut tuſſi fortiori: ſputa, ſanguine non niſi parce picta, libere exſcreabantur, ſudor calidus per totam corporis ſuperficiem æqualiter prorumpere moliebatur. Præſcribo pro curationis bene ceptæ continuatione ℞. pulveris abſorb. Wed. cort. per opt. ſalis viperarum fix. a. ℈ij. m. bene tritis add. aqu. cord. temp. bugloſſ. ſcabios. borragin. a. ℥x. ſyr. viol. ℥iij. m. mirabile dictu eſt quam ſub hujus potiunculæ uſu bihorio vel trihorio ad cochl. j. morbus proximis duobus nychthemeris miteſcere ceperit, vaſorum ruptorum legitimæ ſanationis ſeu coalitionis ſignis ſeſe rectiſſime prodentibus, ſic ut die 19. Octobris non ſolum denuo eundem in modum confieret, ſed etiam, cum proximo triduo abſumta eſſet, denuo iteraretur, ægroto inde ex voto ſub quieta in lecto continentia non convaleſcente ſolum, ſed aliquot jam extra lectum horas impune quotidie agente. Ut interim alvi ſolutione novarum ad pectus congeſtionum materies ſubtraheretur, uſui hujus mixturæ quotidie per vices interponebatur hemuncia potiunculæ laxantis ex inf. lax. m. ℥ij. & oxym. ſcillit. ℥ij. elixiriique pret. rubri Hannekeniani (quod nihil aliud eſt quam balſamum liquidum ſpirituoſum, mitis gratiſſimæque indolis,) ℈ß.. His adeo ex voto ſuccedentibus, ut die 26. Octobris nullum morbi præter aliqualem languorem ſupereſſet veſtigium, cum ægrotum hoc die a medicatione feriari præcepiſſem, die ſequenti pulverem prophylacticum ſequentem concinnabam: Rec. pulv. abſ. Wed. ℥j. cort. peruv. electiſſ. & alcoholiſ. ℈iv. nitri cryſt. ℈j. m. f. pulv. d. ad ſcat. ſ. &c. &c. quem ad manus haberet, ſi qui veteris morbi motus denuo forte ſuſcitarentur, vel ſponte ſua id eveniente, vel admiſſo in rebus non naturalibus errore. Ceterum elixirii viſceralis balſamici Hoffmanniani ℥j. per aliquot dies poſt prandium ſumendam perſcribebam, hacque methodo percuratum calendis Novembris dimittebam. Et vidi ego quidem hunc virum, quum hoc anno ineunte ipſius liberos variolis corruptos curarem, licet tempeſtas auſterrima phthiſicisſque parum accommodata eſſet, nulla non ex parte valentem, remque familiarem & zythopoeicam, (eſt enim paterfamilias induſtrius) impune adminiſtrantem.

§. XIII.

Hæc ſunt, quæ praxi medica, imo & neceſſitate magiſtri, ςωχασμῳ

λεχ-

τεχνικῷ principiiſque artis filum ducentibus, didiceramus, illoque animo, ut nobis olim, aliiſque prodeſſent, in adverſaria noſtra retuleramus. Ut interim certiores evaderemus annon aliquid de admirabili hoc curationis genere litterarum monumentis proſtaret, varios omnino auctores, & inprimis illos, qui hodiernorum medicorum vel academicæ inſtitutioni, vel privatæ deinceps induſtriæ præfici ſolent, excutiebamus. Sed altum ubivis, de cortice inprimis, ſilentium, ſi ill. Hoffmannum excipias, cap. de ſanguinis fluxu ex pulmonibus, medic. rad. ſyſtem. tom. 4. parte 2. *Chinæ*, inquientem, Mortonus in phthiſiologia, *corticem in electuarium cum ſyrupo roſarum redigendum, mirifice commendat. Cui extractum caſcarillæ aquoſum, ſuccinum & pulvis nuciſtæ commodo adjiciuntur. Hæc enim, dum partibus motricibus a robore defectis debitum tonum blande reddunt, ut ſanguis per totum corpus promtius & expeditius cum omnibus ſuccis circumeat, ſimulque cuticularis excretio libere ſuccedat, faciunt, & ſic utilitatem præſtant.* Quibus verbis, cum directe ad Mortonum ablegati eſſemus, facile totius rei rationem perſpiciebamus, non leviter mirati, memoria hæc nobis excidere, ſeu prætervideri, potuiſſe, quum olim ex lectione hujus libri tantam percepiſſemus voluptatem, ut autores extero cuidam & ingenio & ſtudiis & praxi medica florentiſſimo medico fuerimus, ut de Hydrope ad exemplar Mortoni de phthiſi, commentarios pertexeret, quem quidem laborem uti nobis iterato rogantibus in ſe devolvi pro amicitia noſtra tandem permiſerat, ita certe in publicam utilitatem eundem nominiſque famam pertexuiſſet, niſi fata, vix ac ne vix quidem adfecto opuſculo, eundem mortalibus exemiſſent. Quemadmodum vero ex lectione Mortoni non poteramus ſine ſumma voluptate perſpicere, virum *πρακτικώτατον*, iiſdem ductum praxeos clinicæ indicationibus, medicationis genere non valde diſſimili electo, ſimiles nobiſcum, eoſque feliciſſimos, ſucceſſus fuiſſe expertum; ita non poterant non conſilia noſtra ulterius confirmari, quum commentarios ampliſſimæ n. curioſorum academiæ evolvens, celeberrimum experientiſſimumque Dn. Drem. Gothofr. Heldium, cent. 3. & 4. pag. 383. hunc in modum in *obſervatione* cui titulus, *Cortex Peruvianus polychreſtum remedium*, commentari invenirem: *porro pro mulieribus ad nimium menſium fluxum & fluorem album, item ad hæmoptyſin & vomitum cruentum, & in genere ad omnes hæmorrhagias, corticem inſtar arcani experientia edoctus commendo.*

§. XIV.

His uti juſtum experiundi deſiderium non poterat non magnopere inflammari, ita caſu adjuvante, paullo poſt, novam experiundi occaſionem denuo nanciſcebamur, in Zytopœo iſto, de quo §. XII. ſumus loquuti. Is enim, quum ita ſibi valere videretur ut qui ægrotare denuo non poſſet; hocque animo præter alios duriores, menſe Februario, in

OF MARYLAND
RARY
ed 1813
OF MEDICINE

frigido aere ſuſceptos labores, ſaccos majores hordeo plenos (quorum quilibet ſeptingentas libras pondere excederet) trochlea in triclinium levaret, motus genere totum corpus varie vehementer exercente & inprimis brachia ſuper caput violentius levante & diſtorquente; die 21. Febr., poſt prævios horrores vagos & ſenſum punctorium pulmonum in ſiniſtro latere, ſanguinem merum floridumque tuſſire incipit. Curritur quantocyus ad me, cumque adventans cauſas procatarcticas externas magis quam internas fuiſſe reperirem, bono ipſum animo eſſe jubebam. Sanguis tuſſi rejectus duas vix excedebat uncias. Nihiloſecius quum VSonem & nunc, uti in antecedenti morbi ſtadio, vehementer deprecaretur, illa omiſſa methodum antea ſalutarem reſumere ſtatuebam. Concinnata proin quantocyus ſequenti formula: Rec. cort. peruv. pulv. abſ. Wed. a. ℈ij. antim. diaph. ℈j. nitri cryſt. tartari vitriolati, a. ℈ß. m. bene tritis invicem add. inf. lax. m. ℥iß. aqu. cord. temp. ſcabios, quavis a. ʒx. m. illam tamdiu ſemi hora elapſa ad cochl. j. offerre ſuadeo, donec in exſcreatis ſanguis notabiliter minui inciperet, dein hora integra elapſa ſolum, niſi forte confertior alvi laxatio uſum ad trihoria reſtringere juberet. Paretur, & poſt nychthemeron rediens, noſtrum ſputa libere, & ſanguine non niſi leviſſime tincta exſcreantem reperio, reſpiratio non impedita, alvo confertius dejecerat, quapropter tertia potiunculæ pars adhuc ſupererat. Sudore madebat per univerſum corpus æqualiter diffuſo, urina turbatiſſima cernebatur, pulſus mollis & æqualis, fauces humidæ, verbo, nulla non ex parte notabilis erat in melius mutatio. Quod interim ob laxans καὶ ἐπικρασιν additum priori iſti potiunculæ non amplius inſiſtere poſſemus; ægrotuſque de dolore tantum punctorio in regione mammæ ſiniſtræ quereretur; ſequentem potiunculam præſcribebamus. Rec. pulveris abſ. Wed. cort. per. el. a. unc. duam nitri cryſt. unciam unam. Extracti ſeminis papaveris albi, ʒß. m. bene tritis add. aquæ ſcorzon. tormentill. papav. rh. a. ʒx. ſyr. papav. albi ʒij. m. ſ. *vorerſt eine Stunde*, *hernach alle* 2. *Stunden einen ordinairen Suppenlöffel voll.* Succedebant hæc adeo ex voto, ut die 24. Februarii eandem potiunculam denuo confici & per trihoria ſumi e re ægroti judicaremus, cui pro alvo expedienda interponerentur λείψανα potiunculæ prioris cum infuſo laxativo; his vero ad laxationem non ut antea ſufficientibus, (cum inprimis ciborum adpetitus jam creſceret, & ægrotus quoque ita jam firmari inciperet, ut maximam diei partem extra lectum ageret,) infuſi lax. m. ℥ij. cum oxym. ſcillitico & ſyrupo roſarum ſolutiv. a. ʒj. perſcribebam, cujus hemunciam omni trihorio ad ἐνεργειαν uſque ſumeret. Laxabatur inde quidem noſter valde leviter, aſt cum ſumma euphoria & ejuſmodi curationis ſucceſſu, ut jam integris diebus, præcipite Februario a lecto abeſſet, & præter languorem & tuſſiculam, (utriſque tamen valde levibus) nihil magnopere quereretur. Urina toto hujus curationis decurſu valde rubella quidem mejebatur, ſed quæ haud ita multo poſt aquam luto murario-

rum

rum ſaturate tinctam referret. Interim pro colophone curationi addendo pridie calendarum martiarum, ſequentes pilulas quotidie ad gr. iij. ter, (donec nimirum confertior laxatio pergere vetaret) ſumendas præſcribebamus. Rec. mpil. ſolutiv. n. ordin. ℈iv. de ſtyr. c. o. extr. panchymag. a. unciam unam m. f. c. el. pect. Wed. l. a. pil. pond. gr. j. ſub horum uſu ita cum ſanitate in gratiam redibat, ut & in aerem liberum prodire, & ad munia rei familiaris ſe accingere impune tentaret. Et valet quidem ex illo tempore hic vir adeo belle, ut in hanc, qua hæc typis tradimus, diem, nullis ex illo tempore adverſæ valetudinis tædiis adfectus fuerit.

§. XV.

Hoc ægroto itaque Martio menſe ineunte pulchre convaleſcente, menſe Aprili, & quum hanc commentatiunculam jam apud animum meditaremur, nova experimenti ſeſe obſerebat occaſio. Vir temperamenti ſanguineo cholerici, 35. circiter annos natus, exquiſito naturæ robore pollens, vitæ genus agens ambulatorium, quodque multa diſcurſatione conſtaret, quum vitæ morumque & animi intemperantia varie variis conflictatus eſſet acutis æque ac chronicis malis, ad quæ propria partim (callet enim chirurgiam) partim noſtra uſus eſſet curatione, medio Aprili hujus anni hæmoptoe corripitur. Suberant rationes nonnullæ quam ob rem ad nos confugere tergiverſaret. Sed ingraveſcentis mali duro adactus telo, hæmoptyſi ſub veſperam diei 19. Aprilis increbeſcente, hunc valetudinis ſuæ ſtatum nobis nuntiari jubet: quodque nec pertuſa die antecedenti in pede vena, nec proprio marte ſumta medicamenta, ullam malo medelam adtulerint. Præſcribo quantocyus Rec. cort. peruv. electiſſ. & alcoh. ℈iv. pulv. abſorb. Wed. ℈ij. ſal. viperarum fix. conch. citrat. a. unciam unam inf. lax. m. aquæ ſcabioſ. heder. terreſtris cord. temper. a. ℥x. m. ſ. *Träncklein alle halbe Stunde zu einem Löffel voll bis zu anſcheinender Beſſerung wohl gerüttelt zu nehmen.* Altero mane ægrotum inviſens, potiunculam hanc penitus, cum dimidia ejus parte ex pharmacopolio denuo repetita, conſumtam invenio; nihiloſecius ſanguinem adhuc merum floridumque tam ſponte, quam tuſſicula incitante, erumpentem, quantitate vix parciori. Febris utut ſudore viſcido bonæque notæ ſolvi inciperet; nihiloſecius adhuc incenſa, urinis fuſcis & pellucidis ſine mutatione perſtantibus, ejus pertinacitatem prodentibus. Alvo biduo non reddiderat. Duo hinc potiores enaſcebantur indicationes, nimirum ut primo hæmoptoe fortius coerceretur, dein ut alvo plus laxandæ medicamenta accomodarentur. In quam rem quum pulveris abſorbentis Wedeliani anaticum prope pondus cortici admiſcuiſſemus, (nimirum ℈iiß. ad ʒj.) & infuſi laxativi ℥iß. ad aquarum temperantium tres circiter uncias adjunxiſſemus, quid proximo nychthemero inde futurum eſſet, præſtolabamur. Altero mane rediens, parcius ſcaturientem e pulmonibus ſangui-

nem, febriculam longe mitiorem, urinas turbari incipientes, ſudoreſque optimæ notæ invenio. Sed quod alvo ne nunc quidem reddidiſſet (*l*), ſanguiſque nimis floridus per vices emergeret; non ſolum primarum viarum repurgationem modeſte urgere, ſed etiam pulveris iſchæmi Wedeliani proportionem cortici æquare, & terram foliatam tartari pro æſtus promtiori cohibitione his jungere ſtatuebam. Conflatam itaque ex horum ana ʒj. & aquis pectoralibus analepticis, mixturam ℥v. circiter, cum infuſo laxativo alternatim omni hora elapſa ad cochl. j. ſumere præcipiebam, cumque hac methodo tota illa die ſtrenue continuata, non ſolum aliquot dejectiones alvinas ſed & hæmoptoes, æſtus febrilis & tuſſiculæ inſignes inducias, obtinuiſſet, noctemque proximam valde benignam eſſet expertus; altero mane, quæ erat 22. Aprilis, adeo belle omnia reperiebam comparata, ut ægrotus jam in conclavi obambulare tentaret, ſudor per univerſum corpus calidus erumpebat, pulſus mollis & æqualis, fauces æſtu vacuæ, urinæ craſſiſſime turbatæ. Sanguinem poſt heſternas alvi dejectiones non amplius floridum & parce emicuiſſe narrabant, ſed puri ſtriatim ſolum (quemadmodum id in omni legitima vaſorum coaleſcentia evenire fas eſt) immixtum: verbo, adeo ſe omnia in meliorem frugem receperant, ut ſi morbi ſanationiſque legibus tantum obtemperaret, brevi perfectam ipſi ſanitatem, Deo ſecundante, pollicerer. Nec voto expectationeque excidebamus. Etenim triduo adhuc continuata medicatione paullo ante commemorata cum interpoſitis laxantibus, vaſculorum ruptorum ſanatio ſeu coalitio juſtam decurrebat periodum, ſomno ciborumque adpetitu & viribus paullatim redeuntibus, ſic ut die 25. Aprilis jam innocue noſtrum aëri libero ſeſe exponentem, omnique morbi ſigno vacuum reperirem; datiſque in prophylaxin pulveribus ſequentibus, quotidie ad unum alterumve præbium ſumendis: (Rec. cort. per. electiſſ. & alcoh. pulv. abſ. Wed. antiſp. Stahl. a. ʒj. m. f. jx. doſ.) ſi juſtis diætæ legibus ſe adſtringeret, reliqua naturæ ſecure committi poſſe judicarem. Et valet quidem hic ex illo tempore, in hanc, qua hæc publici juris facimus diem, rectiſſime, negotiiſque ſuis, totis diebus per vicos urbis obambulans, incolumis præeſt.

§. XVI.

Hæc erant, quæ ex praxi noſtra clinica litteris conſignaveramus illo tempore, quum hujus commentatiunculæ ſcribendæ initium feciſſemus. Interim

(*l*) Mirabar omnino hanc alvi ab initio tenacitatem, cum omnia medicamenta ipſi data κατ' ἐπικρασιν laxantia fuiſſent, & ægrotus juſcula carnium tenuia his largiter ſuperbibiſſet, qua quidem methodo alvi tenaciores, facilius utplurimum, quam activioribus purgantibus expediuntur. Sed mirari deſinebam, quum narraret ægrotus, ſe non, niſi duodecim vel quindecim ad minimum reſinæ jalappæ granis ſumtis, idque ut plurimum valde mediocriter, purgari.

terim quum varia hujus elaborationem (quod in epiſtola nuncupatoria pluribus indicavimus) morarentur, interea temporis ſequentes, adhuc fiebant acceſſiones. Juvenis ſex circiter ætatis luſtra emenſus, temperamenti melancholico-ſanguinei, duris opificii pilearii laboribus victum, idque induſtrie, quærens, oſſibus & nervis pollens, quique adoleſcens hæmorrhagiis narium vehementiſſimis fuerat obnoxius, hiſque ceſſantibus dolores capitis gravativos non raro erat expertus, anno 1742. incunte, poſt leves bronchiorum titillatorios dolores, interdum ſputa ſanguine florido tincta tuſſit, ſed quod cetera ſibi ſuiſque valere videretur, hæc non magnopere curat. Sub veris autem initium ex improviſo tuſſicula adortus, qua limpidum ſanguinem, nec parce, redderet, perterritus ad me mittit. Ego, quod nec intus furentis ſanguinis, nec ſpaſmorum in externis partibus, nec anheloſæ reſpirationis, indicia magnopere deprehenderem, ipſeque ægrotus ſibi præter hanc hæmorrhagiam valere videretur; ſtatuebam experiri, numquid cortex ſolus ejuſmodi hæmorrhagiæ compeſcendæ ſufficeret? eamque ob cauſſam concinnatam ex illius ʒiij. circiter, cum ſale viperarum fixato tritis, mixturam quinque vel ſex unciarum, quæ ſimul infuſi laxativi mannagettæ ℥ij. caperet, omni bihorio ad ℥ß. ſumere præcipiebam. Poſt duos dies ægrotum reviſens, hæmoptoen quidem non increbuiſſe accipio; attamen nec remiſiſſe magnopere. Alvo nondum liquida fluxerant. Ut proinde omnem curationis Mortonianæ rationem exploratam haberem, laxans medicamentum die tertia exhibebam. A quo cum rite purgatus eſſet, die quarta denuo corticem cum lapidibus cancrorum & nitro tritum, exhibeo, proximo biduo an exinde hæmoptyſis miteſceret expectans. Sed quum illa ſub horum uſu nihil emendaretur ſolum, ſed eodem quo ab initio tenore pergeret; hoc eſt ut per vices (licet ægrotus ab opificio illiſque omnibus, quæ hæmorrhagiam incitare poſſent, ſibi ſtudioſe caveret) nunc plenius nunc parcius flueret: ſtatuebam pulverem Wedelianum ad manus ſumere, concinnatæque ejuſmodi, qualis antecedens fuerat, potiunculæ, ſcrupulos duos addens, eamque per bihoria exhibens, bidui ſpatio hæmoptoen hanc percurabamus, ſic ut die quarta ab hujus potiunculæ ordinatione ægrotus jam convivio nuptiali agnati, bona noſtra venia, additoque ſolum temperantiæ monito, impune intereſſet, & ex illo tempore in hanc uſque diem recte valeat, opificioque manus, ſine hæmoptoes concitatione, aut alio quodam ſanitatis incommodo, ſolitum in morem admoveat.

§. XVII.

Agmen denique claudat hiſtoria vomitus cruenti ex methodo noſtra curati. Matrona ſexagenaria, tuſſi ſtomachicæ inveteratæ, eique non raro cruentæ, dudum obnoxia, & quod corporis habitus eſſet macilenti, venis turgentibus, ſemper pro phthiſica (utut cetera recte valeret rerumque

que ſuarum ſatageret) agnatis amicisque habita (conf. ſupra pag. 11. n. 8.) poſt gravem ex obitu filii mœrorem, aliaſque graves animi commotiones, vere hujus anni in febrem incidit continuam, cum aſthmate, febreque nocturna inprimis ſcorbutica adeo intenſa, ut deliraret, ſignis reliquis omnibus illam periculoſe tentari docentibus. Sed quum nihil non pro ſalute ægrotæ a nobis æque ac agnatis tentatum eſſet, benedicente divina gratia hæc quidem febris miteſcebat, nihiloſecius virium plenaria proſtratione febris lenta in locum ſuccedebat, cum tuſſi humida, admodum pertinaci. Aptabantur & his non infeliciter a nobis medicamenta, ſic ut paullatim ad ſe redire inciperet ægrota, & ad unam alteramve horam a lecto abeſſe cum ſucceſſu Majo exeunte tentaret. Sed quum gravibus famulitii ſui delictis graviſſima adficeretur animi commotione, denuo inflammata febricula, aſthmate rurſus ſicco, cum dolore ventriculi exquiſitiſſimo, tentari incipit. Adcommodabantur his denuo medicamenta, eo quidem ſucceſſu, ut omnia febrim mitigatam pauliſper poſt duo nychtemera monſtrarent. Sed dolor ventriculi, a quo aſthma non poterat non in novas concitari turbas, ſub his tantum non increbeſcens, inſidiis morbum non carere docebat. Nec vanum augurium. Etenim mane diei tertiæ agnati mihi nuntiari jubent, ægrotam poſt noctem miſere exactam, ſanguinem mane vomere cepiſſe, hincque nos avide præſtolari. Adventanti monſtratur ſanguis fuſcus pelvi exceptus, ad aliquot uncias, pituita permixtus, quem ægrota tuſſi vehementi, imo vomituriens, excreverat, neque his excretis ſputa ſanguinolenta remiſerant, ſed continuo adhuc, non ſine ægræ agnatorumque terrore, (licet parcius quam mane) exſcreabantur. Jam tametſi totus externus ægrotæ exſuccæ, & ab antecedenti morbo adhuc languentiſſimæ, habitus prognoſin nobis occentarent valde dubiam; tamen me nondum omnem deſpondere animum agnatis rogantibus exponebam, quum poſt hanc ſanguinis excretionem dolor ille preſſorius exquiſitiſſimus circa cordis ſcrobiculum, mirifice remiſiſſet, ſputaque recte ſuccederent; & quod inprimis & hic non vanum fore corticis uſum ſperaremus. Quantocyus igitur parata potiuncula, ex aquarum analepticarum tribus circiter unciis, cum ſeſqui uncia infuſi laxativi mannagettæ, cui pro baſi eſſent aliquot corticis drachmæ, cum ʒj. terræ fol. tartari & oxymelitis ſcillitici probe tritæ, novi mali curationem ordiebamur, ſic ut omni ad minimum hora elapſa tres circiter drachmas hujus potiunculæ caperet. Haurit noſtra ſtrenue, hoc per Dei gratiam medicationis ſucceſſu, ut quum pomeridie redirem, morbum egregie omni ſui parte miteſcere incipientem reperirem; reſpiratione expeditiori, ſputis bene ſuccedentibus, urinis minus quam illo mane rubentibus, pulſu molliori & æquali, & inprimis æſtu cutis ſicco in levem madorem ſolvi incipiente. Alvo nondum quidem reddiderat, nihiloſecius flatus, in ejuſmodi caſu plus ſæpe ipſis fecibus alvinis incommodi parientes, copioſe κατω ſucceſſiſſe dicebantur. Non mutatæ proinde medicationi inſiſtens, alteroque mane poſt noctem mediocriter bonam ab ægrota exactam, ſimilia plane, imo ulterius profecta, deprehendens

ſens, antecedentem potiunculam iteratam ex pharmacopolio per ſeſqui horas exhiberi jubeo, donec alvus exſolveretur, deinceps trihoriam exhibitionem ſufficere poſſe judicans. Et mirabile ſine dictu, quantum hac medicina triduo continuata ad ſe redierit, morboque liberata fuerit ægrota, nulla prope pleniſſimæ in morbum victoriæ nota deficiente, quam quod magnopere langueret, ſanguiſque inter ſputa non decreſceret, ſed potius augeri videretur, imo nunc floridior evaderet, quum antea fuſcus fuiſſet coagulatiorque, & ab initio fœtore non caruiſſet. Satis itaque repurgata ventriculi vaſa ſanguifera exiſtimans, & ne novus ad hæc vaſa præter naturam fieret adfluxus, metuens, pulverem abſorbentem Wedelianum ad manus ſumebam, illum parce cortici admiſcens, taleſque potiunculas per bihoria ex methodo exhibens, donec ſanguis inter ſputa paullatim deſineret, & factæ dein tum ſuppurationis tum coalitionis vaſorum plenariæ ſigna ſeſe proderent. His per Dei gratiam octiduo proximo obtentis, tametſi non poſſet non magnopere languere ægrota, & tametſi, (quod facile eſt exiſtimatu) poſt exantlatum hunc vomitum cruentem non poſſent non veteris morbi, aſthmatis puta humidi, inſultus ſeſe prodere: tamen quum huic juſto ſcillæ marinæ (quæ olim huic toties profuerat) uſu ſatisfieret, exquiſitiſſima diæta analeptica viribus proſpiciente; Junio menſe exeunte adeo ad ſe redibat ægrota, ut miraculi inſtar ſuis & amicis eſſet. Et vivit quidem in hanc, quo hæc prelo ſubjiciuntur diem, pro ſuo more rectiſſime, rei familiaris curæ ſufficiens, inque ædibus ſuis obambulans, & mecum divinam medicamentorum benedictionem admirans grataque mente recolens.

§. XVIII.

Nihil jam ex inſtituti ratione amplius reſtat, quam ut brevem methodi delineationem his adjungamus. Tametſi enim ex lectione curationum a nobis plenius deſcriptarum, benevolus lector haud difficulter methodum ſit perſpecturus, tamen quod boni ſcriptoris ſit omnem veritatum a ſe propalandarum rationem clare ob oculos ponere, age brevi anacephalæoſi ſuperius dictorum, methodum pingamus.

(*a*) Ad hæmoptyicos itaque vocati, ante omnia ad modum, quo ſanguis eructatur, reſpicimus, nimirum an illud impetuoſius fiat? aut ſummæ præcordiorum anguſtiæ, extremitatum ſtricturæ, & tuſſis vehementior, illum impetioſius erricaturum minentur? Vel an hæc mitiora ſint, & meliora ſperare liceat? Huic indicationi accomodamus pulverem abſorb. Wedelianum, ſic, ut potiunculæ ex aquis leniter analepticis & refrigerantibus, quatuor circiter aut quinque unciarum, pulveris hujus drachmam dimidiam, ſcrupulos duos, drachmam integram ad ſeſqui drachmas, pro re nata adjungamus.

(*b*) Ob ſpaſticas extremorum in ejuſmodi paroxyſmis ſtricturas, febrileſque ad vitalia ſanguinem reſtagnare facientes motus, tam præſentes mitigandos, quam futuros cavendos, corticem peruvianum ataxias fibrarum H. C. omni antiſpaſmodico pulvere potentius componentem, huic pulveri Wedeliano jungimus, dimidia, imo ſi ſpaſmi urgeant, æquali portione.

(*c*) Pro ratione æſtus, febriſque continuæ, ex faucium ſiccitate, cutis ardore, pulſu, reliquiſque ſignis, æſtimanda, duobus hiſce remediis adjungimus illa, quæ antiphlogiſtica κατ' ἐξοχὴν audiunt, ſalia media, terram foliatam tartari, & inde paratum ſal viperarum fixum

(*d*) Niſi hæmoptoes furor tantus ſit, ut nullum plane ægroti motum, (ſine quo tamen egeſtiones alvinas fieri impoſſibile eſt) ferat; vel proprio jam naturæ motu (quod in hujuſmodi caſu rarius evenit) alvus largiter exſolvatur: alvum blande ſubducentia enemata ſuademus, vel mite aliquod laxans potiunculæ ante dictæ jungimus, ſic ut alternatim cum illa ad cochleare unum adhibeatur, vel ipſi adeo permiſceatur.

(*e*) Modus exhibendorum medicamentorum hujuſmodi, iterum a tenore ſeu indole ſymptomatum determinatur, ſic ut illis rigoroſioribus, etiam confertior, mitioribus vero, tardior exhibitio obponatur. Sic in caſu magis urgente, omni quarta, imo octava horæ parte elapſa, cochleare unum, (quo modulo drachmas tres circiter capimus) exhibemus: ſi vero minus urgeant ſymptomata, vel jam miteſcere incipiant, tardius, quemadmodum illud benevolus lector ex hiſtoriis ſupra allatis pluribus perſpiciet.

(*f*) Ubi hac ratione conſtans & fida hæmoptoes cohibitio obtenta, primaque curationis, ut ita dicam, periodus, (quæ in hoc caſu non magis vel rectius e colore ſputorum (*m*), quam e ſudoribus (*n*), æſtimatur) abſoluta; in-

(*m*) Appoſite forſan hoc loco explicaretur, quomodo ex ſputis (quo vocabulo Hippocratis ipſiuſque interpretum in morem, illa quæ expectorantur, technice indicamus) de ſtatu ruptorum intus vaſorum judicari poſſit? & qualia illa in legitimo ſanationis decurſu eſſe debeant? qualia etiam ſint, ubi infida coalitio & imperfecta eſt. Verum quoniam inſtituti ratio hæmoptoes nec pathologiam, neque ſemioticen, a nobis deſiderat; nec medicinæ tam tyronibus, quam viris exercitatis hæc deſtinentur: ſatius hæc tanquam medicis clinicis univerſim notiora omittimus, locoque magis apto ſervamus.

(*n*) Non æque autem univerſim notum, quod in hoc morbo a ſudore ejuſque indole præ reliquis ſigna ſtatus morbi fida repetantur. Notabile eſt Hippocratem jam ad ſudores inprimis attendiſſe, non quidem ut illos extorqueret, ſed ut prædictiones inde formaret. Sed quemadmodum magnus hic medicinæ rationalis inſtaurator, etiam alios eoſque præcipuos limpidoſque prædictionis fontes in morbis acutis monſtraverat, (v.g. inſpectionis linguæ & faucium) quibus deinceps nihiloſecius relictis, artis magiſtri προσκοπεῦντες ſqualentes ſequi rivulos ſatius ducebant; ita etiam circa ſudores in doctrina ſignorum ſive ſemiotice medica, nondum generatim medicinam facientium & facturorum uſibus commendata invenio, quæ ſi bene ab Hippocrate cepta recte perficere libuiſſet, maximæ eſſe poterant utilitatis. Jam quidem inſtituti noſtri non eſt, hos ſemiotices defectus reſarcire, quum ſola tractatio de bonis vel malis ſudorum ſignis (*a*) ab indole morbi, in quo fiunt v. g. quod cum ſudores nocturni in catharroſis, vertiginoſis & ὀφθαλμicis, ſecundum Hippocratem coac. prænot. 277 bona nuntient; tum in hecticis phthiſicisque peſſimæ notæ ſint (*b*) a ſtadio morbi in quo eveniunt, repetendis, (*c*) a genere eccriſium (ſive illæ automaticæ, ſive a medicamentis exhibitis evenerint) quæ præceſſere, ubi v. g. in acutis, poſt dejectiones alvinas vel vomitus vel hæmorrhagias ſudores, ſub juſto regimine, æqualiter, nec nimis parce fluere, bonum, & vice verſa: magnum ſibi in elaboratione ſpatium repoſcere videatur. Nihiloſecius quod præcipua artis medicæ magiſtra, experientia, edocti ſcripſerimus, *fida vaſorum ruptorum coalitionis ſigna, in hæmoptoe non rectius ab indole ſputorum, quam a ſudoribus deſumi*, age paucis indicemus, quid his nobis velimus. Generatim itaque de ſudoribus notamus illos

integris deinceps horis, imo bihoriis & trihoriis, elapſis, ſub regimine convenienti, hoc eſt, non mage calido quam quieto, medicamenta antedicta exhibemus, donec omnia non tam debellatam & cedentem, quam penitus victam hæmoptoen demonſtrent.

(*g*) Venæſectionem, tamquam remedium e ſecundariis præcipuum, his adjungimus, pro re nata in brachio vel pede inſtituendam, niſi ſanguinis jam inſignem ægrotus jacturam fecerit, vel eamdem vehementer exhorreat. In utroque enim caſu hæmoptoen non ſolum nihil emolumenti, ſed damnum adeo inde reportaturam certiſſimum. Et dubitari quidem cum ratione omnino poſſe videtur, ſi vel mediocriter ſaltem ſanguis in paroxyſmo fluxerit, vel is plurium paroxyſmorum ſucceſſiva exhauſtione deperditus ſit; majoriſne ad cavendam hæmoptoen olim recidivam, quam ad curationem in paroxyſmo, venæſectio ſit utilitatis? Et memini ſane olim, antequam methodum efficaciorem calleremus, in hæmorrhagiis narium enormioribus, æque ac hæmoptyſibus vehementioribus, aliquoties nobis uſu veniſſe, ut, quum iterata Venæſectione, ligaturis, alioque adparatu iſchæmo, nihilo plus profectum eſſet, quam ut jam jam cum exiguis ſanguinis λειψάνοις animam redditurus videretur ægrotus, cucurbitulis aliquot cum ſcarificatione ad ſuras & pedes adplicatis, hæmorrhagiam promte obtemperaſſe.

(*h*) Et hæc quidem eſt illa methodus, qua, etiam ante cognitum nobis

Qq 2 Cor-

illis bona portendere, ſi α ſint calidi, β a capite ad calcem ægroti æqualiter ſint diffuſi, γ ſucceſſive, cum levi primo madore ac dein confertius erumpentis, δ non nimis aquoſi ſint & tenues, ſed conſiſtentiores tenaces ac viſcidi. In quam quidem rem medicis clinicis ex millecupla certe obſervatione noſtra commendamus, ut inprimis ad hanc ſudoris viſciditatem attendant, raro enim certe, vel nunquam nos fefellit, ſi ſub hoc ſudoris charactere, & quando ille manum explorantem, & per ſuperficiem corporis ægroti pergentem, viſciditate ſua quaſi moratur, id quod vix ac ne vix quidem latine adeo adpoſite quam quidem Saxoniæ inferioris idiomate reddas, (*wenn der Schweiſs und die Haut ſo* ſtrueff *anzufühlen,*) bene cum ægrotis agi pronunciavimus. Hæc etenim uti externe ſpaſmum cutis, in cumpluribus morbis vigentem, ſolvi, naturamque victricem craſſiores & morboſas ſanguinis & lymphæ particulas foras protrudere, produnt; ita eo ipſo internarum maxime ſenſibilium partium præternaturales tenſiones, ſeu fibram nimis tenſam, ad juſtum tonum redire indicant. Qui ſane motus tanti in medicina momenti, ipſa praxi medica (miniſtrantibus ipſi ſcientiis propædeuticis anatome & phyſiologia) magiſtra, dudum nobis viſa eſt, ut materiam ſuggeſſerit conſignandarum in adverſariis noſtris primarum linearum, *commentationis, de membranarum membranoſarumque humani corporis partium ſympathico in motibus morboſis, & ad hos motus, nexu, præcipuo quodam theoriæ tam quam therapiæ medicæ fundamento.* De quo quidem argumento ad præſentem tractationem nihil hoc tempore accommodare e re videtur, quam quod mechanicam hæmoptoes ſeu findi modum, bonam partem, (obſervatione magiſtra,) conſtituamus in ſpaſmo cutis partiumque externarum, imo & venoſi generis, ſanguinem ab extremitatibus refluum non ſolum verſus interiora cogente, ſed etiam ſanguinem ad partes externas ablegandum, ægrius a corde dimittente, hincque fortiori niſu ad arteriam pulmonalem, parteſque vicinas, ablegante, & eo ipſo in debilioribus pulmonum vel ventriculi vaſis rupturas producente. Qui ſpaſmus prout vel viget, vel tantum remittit, vel intermittit hæmoptoe aut non, aut ex parte tantum, aut per intervalla ſolum, miteſcit. Definere vero vel victas manus dare hunc ſpaſmum, ex nullo certius criterio, quam ex ſudoribus ejuſmodi indolis, qualem antea deſcripſimus, iiſque per plures dies continuos durantibus, colligitur.

Corticis ad hæc uſum, ægroto & miniſtrantibus rerum ſuarum ſatagentibus, non hæmoptoes ſolum, ſed & alias hæmorrhagias, v. c. uteri, narium, eaſque tam accidentales quam habituales graviſſimas, Deo ſecundante non raro vicimus, præterquam quod ſymptomata magnopere curare neceſſum fuerit. Quod interim hoc non obſtante, in hæmoptyſibus tuſſes vehementiores, agrypniæ itidem, interdum negotium faceſſent, pro rei exigentia, Pilulas de Styrace cum opio, vel laudatiſſimum illud Sydenhami Laudanum, (nunc ſolitarie, nunc pro aliarum indicationum ratione permixta,) interponimus, victum ægroti inprimis, prout vel incraſſare vel attenuare neceſſum videretur, morbo accommodare ſtudentes. Præ reliquis vero omnibus, poſt coalitionem vaſorum, juſtamque ſuppuratorum expectorationem, id ſerio & ex arte agendo, ne languentes a gravi morbo pulmones, deinceps pituitæ ex toto ſanguine confluæ receptaculum evadant. Quod uti olim amaricantibus cum divertentibus ſordeſque ad alias vias ablegantibus, potiſſimum peregimus; ita nunc, poſt juſtas repurgationes, Corticis potiſſimum conſertiori exhibitione obtinemus. Quo quidem medicamento, aliquot inde ab annis generatim utimur, ubicumque fibræ a gravi morbo laxatæ roborationem, ſine aliarum in motibus anomaliarum concitatione, intendimus, jungendo, ſi ægroti conditio id ferat, vinorum rubellorum generoſiorum uſum medicum. Quæ tamen omnia tanto minori adparatu neceſſaria evadunt, quanto maturius pleniuſque primis morbi periodis juſta medicatione, qualis hæc eſt, quam præſenti Schediaſmate propoſuimus, fuit proſpectum.

(1) Quemadmodum vero ſubdolum hæmoptoes habitualis ingenium, medicum rerum ſuarum ſatagentem non de præſenti ſolum malo reddit ſollicitum, ſed futuri etiam reditus juſto metu exagitat; iſchæmorum antiphlogiſticorumque continuato aliquantiſper uſu, noſtros contra novos inſultus obfirmare allaborantes, majori Corticis pondere, quam antea, admixto, pondus curationi addimus, magiſtrum ad hanc rem, poſt propriam qualemcumque experientiam, Mortonum ſequuti, graviter non minus quam vere *Phthiſiologiæ* lib. 3. cap. 5. *cortice peruviano,* inquientem, *ad flammam febrilem penitus extinguendam, & ad reſerationem obſtructionum, quæ aliter novæ efferveſcentiæ anſam præbere poſſint, perficiendam, non tantum palliativa in præſens, verum revera eradicativa etiam & perfecta curatio, ſine vel minimo hæmoptoes reditura, vel phthiſeos ſubſecuturæ, periculo obtineri ſolet. Flamma enim hoc modo perfecte extincta, ſanguis ad motum & craſin naturalem reducitur, quo appetitus ſtatim redit, pulmones naturali motu & temperamento fruuntur, & purpurei penus diſpendia ſenſim reparantur, donec æger tandem, licet paullatim, priorem robuſtum ſtatum redintegratum, vel forſan meliorem quam antea, conſequitur, ſine vel minimo caloris hectici gradu, vel ſubſecuturæ phthiſeos metu.*

FINIS.

JOANN.

L V I.

JO. HADRIANI SLEVOGT

E T

CHRISTOPHORI GRANZIN,

VOMICÆ PUMONIS

E T

VICINARUM GLANDULARUM LÆTA

E T

TRISTIA EXEMPLA.

Jenæ 22 Decemb. 1708.

PROOEMIUM.

Q*Vandoquidem*, *verbis Fernelii*, *libr.* 5. *c.* 10. *de Part. morb.* & *ſympt. Vomica Pulmonis* latens & inprimis abditum vitium eſt, ſæpe nec laboranti nec medico notum, quo laborans ipſe nec conſueta munia intermittit, nec ſe morbo teneri putat, cauſamque interitus ſui neſciens intus gerit ſub pectore; neque pauci inopinato e vivis horæ quadrante erepti ſunt, in quibus diſſectis non alia mortis cauſa comparuit, quam repentina vomicæ diſruptio in pulmonibus, e qua pus in cordis arcem penetraverat, ipſius vim extinguens atque obruens; & duo medici percelebres nec febre, nec inappetentia, nec alio ullo ſymptomate impendentem ſibi diem vitæ ſupremum præſenſerunt: *ideo operæ pretium viſum fuit, loco* Speciminis Inauguralis, *quod, ex decreto gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ, in præſentiarum publico a nobis dari debet, obſcuri hujus mali indolem, cauſas & curationem in lucem protrahere. Quod ipſum, ut proſpere & in languentium certam, etiam, tutamque ſalutem ſuccedat, devotis precibus ſanctiſſimum ſalutis fontem imploramus.*

§. I.

V*Omicam* a *vomendo*, quod pus evomat, a Neuhuſio, in ſynopſi etymol. dictam, Baſil. Faber, in lexico, *tumorem excreſcentem cum ſuppuratione*, *ein Geſchwär*, nimis generaliter appellat. Quamvis enim apud Plinium, libr. 20. c. 12. & 20. l. 22. c. 17. l. 24. c. 9. aliisque in locis, promiſcue *exulcerationem* aliquam ſignificare videatur; apud medicos tamen peculiarem ulceris ſpeciem, *humoris ſcilicet*, ſecundum Foeſium, œconomiæ Hippocratis p. 118. *ſpatio aliquo concluſi*, *ſuppurationem & in pus converſionem* notare ſolet.

§. II.

In qua ſignificatione cum nullum apud Latinos ſibi ſimilem vocem ſingularem habeat, ad Græcos abeundum eſt. Ubi equidem ſunt, qui per ἐκπύημα & ἐκπύησιν *vomicam* & *copioſam puris*, *a tumore quodam*, *præſertim phlegmone rupto*, *collectionem*, *abſceſſumque cum ſuppuratione* Hippocratem intellexiſſe, ex coac. prænot. text. 630. p. 220. editionis Foeſianæ, cui in Lindeniana Tom. I. p. 588. cap. 6. §. 81. reſpondet, nec non ſect. 7. aph. 20. & 22. probare, ideoque ibi Græca iſta nomina Latino *ſynonyma* eſſe volunt. Enimvero ſicut prior ex allegatis locis non niſi *dolentis*

ſedis,

ſedis, alter *eryſipelatis*, & tertius *partium circa ventrem a diuturno dolore ſuppurationis prognoſin exponit*, neuter vero *copioſi puris* aut *abſceſſus vomicæque* mentionem facit: ita producta vocabula nonniſi ejuſdem cum ἕλκει, *ulcere*, valoris eſſe, ex plurimis Hippocratis textibus nullo negotio probari poteſt

§. III.

Opus igitur eſt, ut, pro tuenda ſubſtantivorum horum ſynonymica ſignificatione, verbo ἐκπυεῖν, (unde ea veniunt) quod in genere *ad ſuppurationem ducere*, *in pus convertere*, *notat*, in ſpecie *vomicas* quoque *excitandi* ſenſum, cum Foeſio, œcon. l. c. tribuamus. Cum enim Cornelium Celſum id ipſum feciſſe videamus, ubi integrum ex prænotionibus locum, (qui in laterali verſione Hippocratis Foeſiana, ſect. 2. p. 41. finem textus 57, in Lindeniana autem cap. 14. p. 459. primum § conſtituit) in caput 7. libri 2. de medicina, verbotenus fere tranſtulit; hinc ſatis honeſta excuſatio nobis ſuppetit, cur ab ea notione, quam non ſolum ipſe Foeſius in laudata verſione, ſed Lindenius quoque τῷ ἐκπυήσοντα (Futuro participii, minus recte in œconom. ἀπὸ τοῦ ἐκπυΐσκεσται derivato) tribuerunt, recedamus.

§. IV.

His accedit, ex Græcorum ſcriptis ſatis patere, quod Latini vomicam appellant, id apud ipſos ἐμπύημα audire; quatenus ἐμπυήματος, ἐκπυήσιος imo & διαπυήσιος vocabula, in latiori acceptione, *quamvis ſuppurationem*; in anguſtiori vero potiſſimum *intra thoracem factam*, & conſequenter *vomicam quoque* notaſſe; hinc demum ſequentibus temporibus, iſta duo priora nomina, nonnullis ſtrictiſſime ſumpta, ſolum *effuſionem puris inter pulmones & thoracem ſupra diaphragma* indigitaſſe, hodieque ita uſurpari conſtat; cum & apud antiquiores τὰ ἐμπυήματα *vomicas* ſignificaſſe, & ἐμπυικοὺς *vomicoſos* fuiſſe appellatos, ex Cœlii Aureliani, c. 17 lib. 2. Acutorum, pateat; & Alexandrum Benedictum, medicorum Italiæ quondam decus ſalutatum, mediæque ætatis autorem, loco vocis *empyematis vomica* uſum eſſe, ex libr. 10. de morbis, c. 15. ubi puris ex pectore extrahendi modum docet, diſcamus. Hinc libertate quadam loquendi Binningerus, elapſi ſeculi ſcriptor, obſ. 31. cent. 5. in puella *empyema* vocat, quod abſceſſum potius latentem, a pleuritide non purgata relictum, id eſt *vomicam* fuiſſe, ipſe non ſolum fatetur, ſed etiam ex ea, poſt aliquot dierum lapſum rupta, prodiens materia purulenta ſufficienter demonſtravit.

§. V.

§. V.

Hoc pacto nec τὰ Φυμάτα, Latinis ſatis inconcinniter *tubercula* dicta, inter *vomicæ ſynonyma* ſtare recuſabunt; modo ex illarum numero illa fuerint, quæ frequenter glandulas occupantia ἔμπυα fiunt, ſive ad ſuppurationem tendunt. Ipſum enim Hippocratem, verbis Foëſii, œcon. p. 202. aliquando omnem inflammationem, in pus converſam, hoc nomine deſignare, & ſubinde Φῦμα appellare, quod alibi ἐμπύημα vocaverat, Galenus autor eſt, in comment. Quorſum ſpectat, quod Sennertum, Prax. lib. 2. part. 2. c. 8. p. 190. & 191. ipſiſſima Fernelii verba, quibus hic, l. c. vomicæ pulmonis ſigna exponit, ſuppreſſo autoris nomine, tuberculis hujus viſceris applicaſſe, & ex recentiſſimis ſcriptoribus Baglivium, Prax. med. lib. 2. c. 8. p. m. 203. *tuberculum pulmonum abſolute pro vomica* poſuiſſe legimus.

§. VI.

Multa ejuſmodi ex practicis exempla in medium adduci poſſent, ſi inſtituti ratio ferret, quæ ad alia properare jubet. Verbo itaque tantum indicandum eſt, *ab Illuſtri Wedelio, Patrono, Præceptore & Promotore noſtro colendiſſimo*, in exercit. pathol. therap. p. 105. §. 3. vomicam nervoſa appellatione *ulcus tectum*, & a Fernelio, l. c. ἀπόϛημα ἐν πνεύμονι ſalutari: apud chimicos autem argentum vivum *vomicæ liquoris æterni* nomine venire, phyſicaque ſignificatione ad moralem traducta, Auguſtum Cæſarem nepotem ſuum Agrippam, & Juliam, filiam atque neptem, ob infamem vitam, tres *vomicas* & carcinomata appellare conſueviſſe, quod eorum nunquam, niſi cum maximo dolore recordaretur, ut Suetonius, c. 65. ſcribit.

§. VII.

Ut autem clarius pateat, quid per vomicam intelligendum ſit, unam alteramque ejus definitionem dabimus. Primam quidem latiorem, ex clariſſ. Brunonis lexico, ubi vomica idem, quod *apoſtema ſuppuratum, abſceſſus cum ſuppuratione & ſinus* eſſe dicitur: ſtrictiorem vero alteram Fernelii, ex l. c. p. 287. quod ſit *abſceſſus exiguus, & puris in pulmonis quadam parte collectio, quod membranula, propriaque cyſti arcte adeo concluditur, vix ut quicquam de ſe tetrum in cor exſpiret.* Ubi tamen monendum videtur, (1) *abſceſſum & puris collectionem* ſimul ponere, haud fuiſſe opus: cum Latinorum *abſceſſum*, ſive Græcorum *ἀπόϛημα*, abſque pure & ſuppuratione vix concipiamus: (2) non omnes vomicas *exiguas* exiſtere, quales a Fernelio ovi columbini, vel pilulæ parvæ, aut piſi mo-

lem æquantes, viſæ, fuerunt: (3) multo minus cunctas intra arctos tunicæ clauſæ terminos ſubſiſtere; cum *apertas* quoque dari, poſt Hippocratem, omnes medici ſtatuant, nec ipſe Fernelius id neget; quando in eadem poſt definitionem linea, eas *tabidis* frequentes aſſerit, *tabem* autem, p. ſequ. 288. *pulmonis exulcerationem*, *ubi ex ſordeſcente ulcere pus exſcreatur*, appellat.

§. VIII.

Sit itaque nobis hoc loco *vomica unitas pulmonis atque glandularum prope eum ſoluta*, *purulenta*, & *definita*, *ubi pus*, *ex humoribus & ſubſtantia dictarum partium corruptis natum*, *in cyſti*, *ex vaſe aliquo aut viſceris tunica producta*, *hærens*, *toti corpori*, *ſive in ſua ſede maneat*, *ſive exſcreetur*, *ſive in thoracis cavitatem effundatur*, *gravia pericula minatur*, & *ſubinde infert*.

§. IX.

Poſuimus, loco generis, *ſolutam unitatem purulentam*: ut & *genus* morbi, tertium in ordine apud pathologos, & ſimul differentiam a *vulnere* indicaremus. Noluimus autem, aliorum more, *abſceſſus ulceriſque* nomina adhibere, quia *hoc apertæ*, illud *clauſæ* tantum *vomicæ* competit: quamdiu utriuſque vocabuli ſignificatio, in ſcholas hactenus recepta, (qua apoſtema quamcunque ſuppurationem *adhuc tectam*, nullo ad ipſius & puris vel quantitatem vel qualitates habito reſpectu; ulcus autem *manifeſtam*, in ſubſtantia molli, cum ejuſdem perditione notat) non a nova ſupprimetur; cui, neſcio an ratione, an vero autoritate aliqua inductæ, abſceſſui pus laudabile, bene coctum, fluidumque, ex ſanguine, in notabili cavitate, ortum; ulceri autem, ſtricte dicto, liquorem aquoſum, tenuem, ſalſum, acrem, verbo, *ſaniem*, in cavitate non profunda, aſſignare placet.

§. X.

Diximus porro ſolutionem continui *definitam*, quia ad eſſentiam vomicæ videtur pertinere, pus in cyſti aliqua cuſtodire: unde apud Celſum, libr. 2. c. 8. *malum in tunica* ſalutatur. Ut ſcilicet, quamdiu ea clauſa manet, ne vapor quidem, ſecundum Fernelianam loquendi rationem, ad cor penetrare, febremque accendere poſſit: vel, clarius loquendo, ne materia corrupta adeo in vicinas partes agat, tantaque in iis mala excitet, quanta ea, ſibi in corpore relicta natans, generare ſolet; & proinde malum tale latens, ipſique habenti *interdum* vix ſenſibile, diu circumferatur.

§. XI.

§. XI.

Ex quibus patet, longiſſime ejuſmodi pulmonis exulcerationem ab illis removeri, quæ nonnunquam poſt pleuritidem & peripneumoniam, aut ex vulnere in eo natæ, *indefinito progreſſu*, huc illuc & in omnes dimenſiones corruptiones promovent, donec viſceri totique corpori interitum attulerint; niſi per medicamenta eorum cauſa emendetur. Hinc etiam vomica non æque, ut Fernelium putaſſe, §. 7. indicavimus, in phthiſicis frequens eſſe poteſt; cum eodem autore ibidem afferente, ea *plerumque* (vel potius *perpetuo*) *ſine tabe*, id eſt, ſine febre hectica cum *indefinita* viſceris exulceratione extet.

§. XII.

Ut clarius pateat, quid per cyſtim, cujus ſynonyma *capſula* & *folliculus* eſſe ſolent, intelligamus, quatuor diverſas de ejus origine & generationis modo ſententias afferemus. Primum modo Bootius excogitavit, cum cap. 2. de affectib. omiſſis, tanquam αὐτόπτης operationum naturæ teſtis, de quadam vomica, ſub cranio, ut credidit, formata, ita loquitur: *Sanguini, ex vaſis profuſo, ſolers natura confeſtim tenuia quædam ex ipſo fila deproperans, ac undique retis inſtar circumtendens, iiſque alia ſuper aliis interſerens, ac obliquis quoque tranſverſiſque fibris omnia inter ſe firmiter atque arcte ligans, eodem artificio, quo membranæ in utero ſemini genitali ſtatim a conceptu circumdantur, parvo temporis ſpatio detexit firmum denſumque folliculum, intra quem concluſus cruor paulatim a ſtatu ſuo demutatur, atque in pus excoquitur.* Hactenus Bootius; cui nihil reponimus, quam ejus, de ortu folliculi, opinionem ſatis lepidam quidem eſſe, ſed cum ea, quam de membranis ſeminis in utero exſtructis affert, æquali certitudine, id eſt *nulla* niti.

§. XIII.

Haud melior de altero modo eſt Fernelii ſententia, l. c. *Quum ſanguis ex aperta, rupta aut exeſa vena in parvam quandam pulmonis regionem ſecedit, illic putreſcit, ſenſimque mutatur in pus, ac per ſummum ſicceſcens ſibi cyſtim efformat.* Quæ verba, ſalva doctiſſimi viri veneratione, ita comparata ſunt, ut a cuticulis, in pultis, vernicis, ſimiliumque corporum viſcidorum ſuperficie naſcentibus, decepto in mentem veniſſe videantur. Quamvis enim intra humidum pulmonem ſanguini cruſtam induci poſſe, minime negemus; qui in mediis undis ex fluida ſubſtantia ſolidam fieri ſcimus: hoc tamen loco ejuſmodi cruſtam, in ſuperficie cruoris coagulatam, vix ſufficere putamus, ubi integra *cyſti, ſanguinem & pus continere apta*, opus eſt.

§. XIV.

Talem igitur tertius modus, ex Illuſtr. Wedelii Exercit. Semiot. Pathol. p. 60. depromendus, ſuppeditat: ubi *vomicam a ſanguine excentrico, & hic illic in veſiculis dilatatis recepto, generari* legimus. Nimirum quando per extenſionem tenerarum ejuſmodi cavernularum, aliquot earum, ſublatis interſtitiis, in majorem cavitatem coaleſcunt: quæ ut frequentiſſimæ, ita longe periculoſiſſimæ exiſtunt, plerumque phthiſin vel empyema poſt ſe trahentes, ut in ſeqq. audiemus.

§. XV.

Quæ de veſiculis pronunciata ſunt, ſuo modo in *glandulas* quoque, *in pulmone* ipſo & *juxta eum* ſitas cadunt: utpote, præter vaſa ſanguinis, alios etiam ductus humoriferos obtinentes, ut ſi, quod non nullis placet, non ex mera convolutione vaſorum corpus ſuum acceperunt, idoneæ tamen ſtagnationi contentorum, continentiumque partium amplificationi exiſtant.

§. XVI.

Quartum denique modum ipſe tradit Hippocrates, libr. 1. de morbis. Cum enim c. 10. varios ſuppurationis pulmonis modos expoſuiſſet, tandem Tom. II. pag. 13. §. 59. ita fatur: ἢ δὲ τὸ φλέβιον παντάπασι μὲν μὴ διαῤῥαγῇ, σπάδων δ' ἐν αὐτῷ ἐγένηται, γίνεται μάλιςα οἷον κιρσός: quæ verba a Foëſio haud ſufficienter, a Lindenio autem obſcure interpretata, hoc volunt: *quod ſi vero vena non omnino diſrupta, ſed diſtenſio* (ad rupturam uſque) *in eo facta fuerit, utplurimum ut varix evadit.* Melius autem vocem σπάδων a nobis per *diſtenſionem*, quam a Lindenio per *acutum tractum* explicari, ex p. 20. c. 15. §. 2. & 3. colligimus: ubi verba Hippocratis: ὁκόται τὶ τῶν φλεβίων σπαθὲν ῥαγῇ, μὴ ῥαγῇ δὲ παντελῶς, ἀλλὰ σπάδων ἐν αὐτῷ γένηται. Lindenius ita vertit: *quum vena aliqua tracta rupta fuerit, non tamen penitus rupta, ſed ita, ut acutus tractus in ipſa factus fuerit*: hic certe nemo, quid in vena *acutus tractus*, quilibet autem, quid *diſtenſio* ſibi velit, capiet, qui cogitabit, venam haud ex ſimplici tunica componi, & interiori nervea, ex diſtenſione rupta, exteriorem muſculoſam (exemplo arteriæ pro aneuriſmate) integram manere, mox ſanguini ſtagnanti, hinc ſenſim coacervato, inque pus abeunti cedere, & ſic cyſtim pro vomica conſtituere poſſe.

§. XVII.

§. XVII.

Ubique autem ſingularis ſolertia naturæ admiranda venit, quæ in gratiam ejuſmodi capſularum, non ſolum earum tunicis hactenus conſuetum penſum nutrimenti, ut conſerventur, porrigit, ſed etiam ut earum ambitus augeri, parietumque robur moli materiæ contentæ ſufficere queat, liberaliori manu eas alit. Quale quid circa ſarcomata, polypos, ganglia, glandulaſque p. n. excreſcentes, & ſimiles naturæ a recto aberrationes, quotidie, & ſæpe in reliquæ machinæ perniciem, contingere cernimus.

§. XVIII.

Sed redeundum eſt ad definitionem, in qua cum pus ex *humorum*, & *ſubſtantiæ pulmonis* atque *glandularum*, *prope ſitarum*, *corruptione* naſci diximus, neutiquam cum iis ſerram contentionis reciprocamus, qui diſcrimen inter pus, ex *ſolido* aut *fluido* corpore proveniens, conſtituere, nec vocabulum *corruptionis* in hoc negotio tolerare volunt; dum puris productionem caloris partim naturalis, partim p. n. opus, & proinde minime φθορὰν *corruptionem*, ſed μεταβολὴν ἡμιμοχθηρὰν *mutationem ſemipravam* potius appellandam eſſe, ex Galeni comment. in progn. probare nituntur. Enimvero, nodum in ſcirpo hocce quærere, Hippocrates docebit; cui, rebus quam verbis, magis intento, in ſect. 6. aph. 20. ubi de ſanguine in ventrem p. n. effuſo loquitur, leve peccatum viſum fuit, Galeni verbis, πρὸ ἐκπυηθῆναι ἀντὶ τοῦ φθαρθῆναι, *ſuppurari* pro *corrumpi* ponere; ad cujus exemplum hiſce verbis *vice verſa* uti, quid prohibebit?

§. XIX.

Poſſemus ſtatim ipſum modum *corruptionis* & *puris generationem* ejuſque materiam & differentias exponere, niſi prius *ſubjecti ut quod* & *ut quo* ratio habenda eſſet. Prius conſtituit *uterque ſexus*; maſculinus quidem, ob magnum corporis motum, & vitia contra diætam frequentiora; a quibus ut ut nec *ſequioris* quidem cuncta individua immunia ſint, ex uteri purgamentis tamen, ſecundum & p. n. reſtitantibus, ad ejuſmodi malum admodum proclivia exiſtunt.

§. XX.

Nec *ætas* quoque ulla eximitur. Invenit enim Edwardus Tyſon, Act. Haffn. Vol. V. obſ. 26. p. 88. infantis, alterum cum dimidio ætatis annum agentis, pulmonem dextri lateris corruptum, & maxima ex parte in

Rr 3 pus,

pus, duas fere libras pendens, converſum, quod tunicæ craſſæ, ſemiputridæ, cum portiuncula viſceris ſuperiori adhuc ſana, e regione baſis cordis adhuc cohærenti, in reliquo autem thorace pleuræ atque diaphragmati affixæ incluſum fuit. In duobus comitibus fratribus, uno quidem novem annorum, obſervavit Hieronymus Faber apud Schenckium, libr. 2. obſ. 6. p. 232. grandem vomicam in pulmone, communem cum tota pleura dextri lateris tunicam habente; inque altero, duodecim annos nato, fere eundem ſiniſtri lateris ſtatum.

§. XXI.

Ne quoad reliquas ætates aliena exempla conquirere opus ſit, adducam unum ſatis memorabile, quod nuper admodum puella, 16 annorum exhibuit, cujus ſectioni intereſſe manumque admovere nobis licuit. Hæc, præterito labentis anni vere, poſt duram contuſionem ſiniſtræ pectoris partis, a machina, linteis lævigandis inſerviente, præſente & mox a terrore ſuppreſſo menſium fluxu, acceptam, de dolore obtuſo regionis læſæ, anxietate inexplicabili, & ſpirandi levi difficultate, per aliquot hebdomades conqueſta, ſub initium Junii, a pondere, lævo brachio ſublato, crepitum intra thoracem animadverterat, ex quo tempore, per 3 fere menſes, uſque ad 2 Septembris, qui ipſi emortualis erat, dolor auctior, & reſpiratio difficilior evaſit, acceſſit tuſſis, inprimis noctu, febris, palpitatio cordis, ſudor nocturnus, & virium imminutio, ut extra lectum conſiſtere, ſanoque lateri incumbere neſciens, miſerrime vitam degeret: interim multis remediis, hinc inde a medicis & empiricis per matrem congeſtis, fruſtra uſa, aliquot ante obitum dies, D. D. Præſidis conſilium imploravit; qui, præter memorata mala, artus macie confectos, abdomen turgidulum & tactui renitens, pectus macerrimum, dorſum autem a nucha ad nates œdemate, tres pollices craſſo, coſtarum ſediſque mali contrectationem prohibente, quaſi ſacco onuſtum, pulſum præterea celerem, genas cum labiis rubentes, menſeſque hactenus a morbi initio obſtructos deprehendens, matri nihil in filia ſpei ſupereſſe dictitavit, paucaque tantum aperientia & cordialia, in ſolatium magis ægrotæ, levamen cupientis, quam ſpem auxilii porrexit. Donec ea, poſt aliquot dierum lapſum, a magnitudine morbi oppreſſa fatis cederet. In defunctæ diſſectione, ab ipſa, antequam exſpiraret, ſerio imperata, & a D. D. Præſide in nobiliſſ. D. D. Hilſcheri, Practici celeberrimi, & noſtra, ſtudioſorumque aliquot præſentia, inſtituta, dorſum prorſus detumuiſſe reperiebamus. Ex abdomine 7 vel 8 libræ liquoris flavi fluebant, cujus viſcera ſana videbantur, præter veſicam felleam, cruento latice plenam. Ex ſiniſtro hypochondrio prominebat diaphragma, colore albo & copioſiſſimis vaſculis ſanguiferis conſpicuum, ut ventriculum, alimentis refertiſſimum, mentiretur, quem in latus oppoſitum detruſerat. Tumor, cultro in centro perfora-

ſoratus, ultra duodecim libras puris craſſi, bene coctì, ex albo & diluto flavo viridantis, continuo fluxu eructabat, cujus adhuc quatuor libræ in thorace aperto fluctuabant; eratque hujus cavitas tunica craſſa obducta, quam pulmonis fuiſſe, connexio cum portione lobi adhuc reſidui, itidem pure refertiſſimi, docebat. Ex pleuræ, cum hac membrana, ad volæ latitudinem, circa quartam, quintam atque ſextam coſtam, firmiter cohærentis, numeroſis foraminibus exſudabat, levi preſſu, pus album, occaſionemque nobis dabat, ut ibi primam morbi, ex contuſione pectoris profecti, originem ſtatueremus. Venarum ſcilicet intercoſtalium, σπαϑὲν ruptarum, tunicas, a ſanguine, ſtagnando putreſcente, una cum pleura ſuper inducta, in tumorem diſtentas, cum membrana pulmonis coaluiſſe, poſtmodum a thoracis, per ponderis geſtationem valida contorſione, cum crepitu diſploſas fuiſſe, ut via ſuppurationi ex muſculis intercoſtalibus in teneram pulmonis ſpongioſamque ſubſtantiam concederetur. Qualem caſum Celſus innuere videtur, cum libri 2. c. 7. vomicas pulmonum, modo a *pulmone ipſo*, modo a *coſtarum parte* naſci ſcribat.

§. XXII.

Fuimus in recenſione eorum, quæ ipſi vidimus, juſto prolixiores, breviores in reliquis, apud practicos lectis, aut a D. D. Præſide relatis, futuri, modo inde de *ſubjecto ut quo* certiores evaſerimus. Nominavimus enim in definitione primo loco *pulmonem*; ubi neque exempla, hactenus allata, de *tota* ejus *ſubſtantia*, neque adhuc afferenda, *ſeorſim* de *glandulis*, vaſis & veſiculis interſperſis, dubitare ſinunt: cum ſupra, §. 7. allegatas exiles iſtas Fernelianas *vomicellas* aliud, præter exulceratas pulmonis glandulas fuiſſe, contrarium ſtatuentes demonſtrare teneantur; provocatque D. D. Præſes ad vix numerandas vomicas, ante aliquot annos, in pulmonibus hominis, tabe confecti, in frequenti theatro publice oſtenſas, definita ſua circumſcriptione glandulas corruptas arguentes.

§. XXIII.

Præter has, ad viſceris hujus ſubſtantiam pertinentes, etiam ipſi *vicinas* allegavimus: per quas *thymum*, & *nigras* illas, vaſis circa cor adhærentes, intelligendas eſſe, cum *ſtructuræ* earum *aptitudo*, tum ipſa *autopſia teſtis* ſuadent. Quod illam attinet, ſive glandulæ ad cribri modum conformatæ, ſive ex vaſorum canaliculis conglomeratæ ſtatuantur, parum refert: cum ipſas ſpongioſæ & dilatabilis ſuæ ſubſtantiæ ope, non ſolum ſecernendi munere, eoque, propter varietatem pororum, diverſiſſimo fungi, ſed etiam ad obſtructiones, & frequentes ſuppurationes pronas eſſe, ſuſceptumque vitium conſtanter retinere, & pro ejus accumulatione, indefinitum quoque incrementum capere poſſe, dudum per *rationes* Phy-

ſiolo-

ſiologorum, & Practicorum *obſervationes* demonſtratum ſit. Iſtis nihil, his unicam, huc pertinentem, addimus, quam ex ſuis D. D. Præſes benevole nobis conceſſit. Inciderat Studioſus Suevus, ex riſu ſuppreſſo, in hæmoptyſin, lege artis ſanatam quidem, ſed per motum corporis interdictum ter quaterve reſuſcitatam. Hunc ab initio dolor jugalis regionis & tuſſis, poſt menſem dimidium exſcreatio puris, & reſpiratio difficilis affligebant, quibus hectcia tabes, & tandem mors ſuperveniebant. In corpore aperto pulmo dexter, fere ut ſcirrhus, durus & exſuccus erat, ſiniſter in ſupremo lobo parvum ulcus continebat, ex *glandulis nigris* circa cor nonnullæ pure ſcatebant, *thymus* pugnum æquans, intuſque ſuppuratus, oſtium in tracheam habebat; reliqua viſcera non valde ægrotaſſe videbantur.

§. XXIV.

Quod *mediaſtinum* etiam ſubinde ſedem malo præbeat, non ſine cauſa ſuſpicamur, ſi vaſa ejus plurima, glandulas, fibraſque, amplum ſub ſterno ſpatium occupantes, conſideramus. Novit D. D. Præſes non paucos, poſt diuturnum in media pectoris regione dolorem, ſanguinem & pus cum levamine, multos item ad finem vitæ inde acceleratum, exſpuiſſe: inter quos advocatus hujus loci, non ultimæ ſortis, fuit, qui, poſt lapſum ab equo, de pectore, ſub *ſterno* male affecto, aliquandiu conqueſtus, ſubito noctu a cruenta tuſſi ſuffocatus periit, antequam opem ex medicina impetraret. Quale fatum forſan etiam adoleſcentem, aurifabrum, aliquot tubercula livida, *mediaſtino* implicata, exhibentem excepiſſet, niſi irati adverſarii gladius, venam emulgentem diſſecans, ipſi aditum in *vomicoſorum* familiam intercluſiſſet.

§. XXV.

Sic explicata licet, poſt *nomen* atque *genus*, diverſa *ſede* vomicæ, nihil tamen nos ad cognitionem ejus adhuc præſtitiſſe, certum eſt, niſi per ſigna haud fallacia, legenti τὸ ὅτι morbi atque certitudinem præſentiæ ejuſdem patefecerimus. Hoc ipſum autem non leve opus eſſe, dudum in præfatione per Fernelium admoniti, inſuper a Williſio, pharm. rat. p. 2. ſect. 1. c. 9. *vomicam tacite, & velut improviſo in pulmone generari, nec raro non prius ſeſe prodere, quam patientem interemerit*, ſcribente, informamur: permovitque hæc obſcuritas, clariſſimi nominis virum, Gerh. Blaſium, ut nimis feſtinanter, *omnem circa cognitionem atque curam vomicæ meditationem intermittendam eſſe*, judicaverit. Enimvero, licet quoque Tulpius, lib. 2. obſ. 10. *vitium hoc vix ulla ſui judicia proferre* aſſerat; neutiquam tamen ab incepta tela manum retrahemus: cum, *inter initia tantum iſtud ita clanculum latere*, ibidem doceamur. Nec Fernelii autori-

toritate adducemur, ut credamus, duos illos medicos, percelebres vocatos, ex *nullo prorſus ſymptomate impendentem ſibi vitæ finem præſenſiſſe:* cum, unde iſtud aſſerenti innotuerit, ne verbo indicet; & contra ea notum ſit, humano generi id a natura datum eſſe, ut alii, ex ignorantia funeſti exitus, nimiaque firmæ valetudinis fiducia, principia morborum negligant: alii, ex morali magis cauſa, vitia non minus corporis, quam animi, quouſque ipſis licet, occultent. Quod ipſum videtur inprimis medicis iſtis Gallicis, apud gentem, ad illuſiones facilem, factu opus fuiſſe: ne, quod aliis ſanitatem promittentes, ſibimetipſis eam dare nequirent, irriderentur.

§. XXVI.

Obſcuritatem diagnoſios vomicæ urgentibus contrarii quaſi ſunt, qui ejus cognoſcendæ cauſa cum antiquo Celſo, & recentiſſimo Baglivio, aliiſque, medii temporis autoribus, ne Fernelio quidem atque Tulpio excluſis, vel nimis multa ſigna coacervant, vel ea, diverſis ſpeciebus gradibuſque morbi competentia, una ſerie inter ſe connexa, ac ſi in omni ſubjecto & ſemper occurrerent, non ſine confuſione diſcentis, proponunt. Quam ut evitemus, aliter vomicam incipientem, quam adultam; aliter quoque in glandulis thymi, & mediaſtini, quam pulmone hærentem; & rurſus aliter ex ſpadone vaſis, aut tunica viſceris corrupti generatam, eamque adhuc clauſam apertamque cognoſci ſupponemus: ut hinc non ſolum ad præſentes, inque ſenſus incurrentes circumſtantias & querelas ægri, nec non *eſſentialiter inhærentia* & *conſequentia* ſigna; ſed ad cauſas remotiores quoque & analogiam animum adhibentes obſervemus, difficillime *extra pulmones* ſitas, poſt has *tunica vaſis* comprehenſas, facilius vero pulmoni *immerſas*, omniumque facillime *apertas* præ clauſis, ubicunque iſtæ fuerint, deprehendi.

§. XXVII.

Communem autem cunctis vomicis *dolorem*, & in ſecundo modo proprium habendum eſſe, cum earum *generationis ratio*, tum Hippocratis autoritas ſtatuere perſuadent. Sicut enim ab humore aliquo, ex quacunque occaſione, vel *in vaſe ſuo p. n. ſtagnante*, vel inde *in ſubſtantiam viſceris effuſo*, cujuslibet vomicæ primordia & *cauſa continens* petenda ſunt: ita prout ille vel *dulcis*, vel *acris* fuerit, ubique triſtem ſenſum affectæ parti inferet: & *prior* quidem, *ſola tenſione* nocens, *obtuſum* magis & *gravantem;* alter vero ſimul *rodentem*, *acutum*, pro re nata, aut *morſicantem*, *terebrantem urentemque*, excitabit. Quæ ſingulæ dolorum ſpecies, ratione *quantitatis*, majores vel minores: ratione *durationis* vero, continuæ vel intermittentes eſſe poſſunt: prout ſcilicet magna vel parva moles

materiæ peccantis ἀθρόως καὶ βιαίως per ῥευματισμὸν; vel *pedetentim* per συναθροισμὸν, *continuoque* vel *interpolato* fluxu affectam partem occupaverit.

§. XXVIII.

Eſt quoque vomicarum dolor fixus, nec ſedem ſemel occupatam facile, antequam eam corruperit, relinquit. Sicut ille ſolet, cujus cauſa adhuc in vaſis, febricantium, arthriticorum, ſcorbuticorum, ſimiliumque natans, & ad partes exquiſito ſenſu præditas, meninges v. gr. articulos aut perioſtium appulſa, tamdiu eas dire tractat, donec vel in venas retroacta avehatur; vel ſi texturæ teneræ volatiliſque fuerit, partim reſolvatur, per poros abitura; partim in ſolidas ſubſtantias agendo, ſuos aculeos obtundat & amittat. Hinc ſi, quod haud raro fit, ſtimuli in una thoracis regione feriantes, mox alteram adoriuntur, ut ab ima ad ſupremam, a dorſo verſus ſternum, hinc iterum ad primum punctum, vel ſine ordine huc illuc abire videantur; id non uni eidemque materiæ morbificæ, ex uno loco in alium evaganti, ſed vomicarum numero, progreſſu temporis ex novis cauſis aucto, adſcribendum venit. Ubi quoque ſimul evenit, ut antiquior afflictio aliquamdiu ſopita jaceat, aut, cum conſueta mala inſuetis facilius ferantur, a nova quaſi obſcurata, non æque ſentiatur.

§. XXIX.

Et hinc eſt, cur §. 27. dolorem alium *magnum*, alium *parvum*, alium item *continuum*, alium *intermittentem* aſſeruimus. Ne ſcilicet contra ſenſum diſputare videamur, qui ipſimet §. 9. vomicam interdum vix notatu digna ſuæ præſentiæ indicia edere, conceſſimus. Quo ipſo tamen neutiquam, talem morbum prorſus *indolentem* aſſerentibus, adſtipulamur: quin potius, ſi poſſibilitatem ἀναλγησίας, ex aph. 41. ſect. 61. oſtenſuri, διὰ παχύτητα τοῦ πύου, ἢ τοῦ τόπου, *ob puris vel loci*, (illud continentis) *craſſitiem*, *ſuppurata in corpore loca nullum ſui ſignum edere*, nobis objicient, ipſis, præter ea, quæ in proximo antecedente, & ſuperiori §. 25. adduximus, ſtatim alium aphoriſmum, ſextum ſcilicet, ſect. 2. opponemus: *quicunque aliqua corporis parte dolentes, dolorem fere non ſentiunt*, τουτέοισιν ἡ γνώμη νοσέει, *his mens laborat.*

§. XXX.

Quod autem ex dolore *continuo* & *fixo* in thorace, Hippocrates atque Celſus ſignum vomicæ deſumſerint, in §. 3. a nobis citatus locus docet, dignus qui hic legatur: *quicunque dolores ex his locis* (pulmonibus) *non ſedantur*, *neque ad ſputorum purgationes*, *neque ad ſtercorum alvi ſubductio-*

nem,

nem, *neque ad venæ ſectionem*, & *medicamenta*, & *victus rationem*, εἰδέναι χρὴ ἐκπυήσοντα. Quæ verba Foëſio quidem & Lindenio in verſione, *ad ſuppurationem tendere*, *ſciendum eſt*, ſignificant; ſed in œconomia, *eos*, *ſcire licet*, *vomicas excitare*, ſonare invenimus. Idque Celſo præeunte: *dolor pulmonis*, *ſi neque per ſputa*, *neque per cucurbitulas*, *neque ſanguinis detractionem*, *neque per victus rationem finitus eſt*, *vomicas aliquas intus excitat.*

§. XXXI.

Dolori ſuccedit in ſignorum, maxime frequentium, ordine *pulſus*, quem a *vomica adoleſcente*, jam antequam æger febricitarit, mutari neceſſe eſt: quatenus a folliculo, intra pulmones nato, vel a cruore, immediate in veſiculas congeſto, atque pure, *læves arteriæ* premuntur, ut ſanguis tranſiturus, liberum per eas progreſſum haud inveniens, *cordis ſyſtolen* reſtitando turbet, ut *diaſtole arteriarum* inæqualis, dura, &, pro ſupervenientis febris ſtatu, celer atque frequens evadat, & tandem, ſub pondere fatiſcens, prorſus intermittat.

§. XXXII.

Quod *lævibus arteriis* accidere innuimur, id *aſperæ* ramificationibus quoque uſu venire ſolet, ut a foris incumbente mole non ſolum, ſed ipſas quoque ſubeunte materia excrementitia obſtruantur, unde aëris reciprocatio laborioſa & tandem impoſſibilis efficitur. Obſcurum igitur videtur nobis, cur Fernelius, l. ſæpius c. latente vomica affectis ſublividum faciei colorem, linguam in jejunis lentore oppletam, a motu corporis, ciboque & potu calido, urinam tinctam, citatumque pulſum, *citra ullam tamen ſpirandi difficultatem* tribuat: cum vel ſola *cachexia*, cujus haud levia indicia hic recenſentur, hominis, integrum adhuc pulmonem habentis, reſpirationem onerare ſoleat; & præterea citati capitis verba ultima ſymptomatibus vomicæ, nondum ruptæ, *ſpiritum gravem atque difficilem* annumeret.

§. XXXIII.

Reſtant longe plura vomicoſis familiaria accidentia, *febris nimirum*, *tuſſis* modo *ſicca*, modo *humida*, *fætor anhelitus*, *conſumtio corporis* &c. ex quibus, ſi cum hactenus memoratis conferuntur, labore haud adeo magno, diagnoſis formari poteſt. Hinc, ut non tantum præſentem vomicam cognoſcere, ſed imminentem quoque prævidere queamus, ea ſedulo conſideranda erunt, quæ ſuo loco, inter *res naturales*, *non naturales*, & *præter naturales* afferemus. Ex quibus & ſubjecti ad hunc morbum aptitudo,

& hunc ipſum, præſente tanto cauſarum apparatu, in iſto exoriri potuiſſe, elucebit.

§. XXXIV.

Ut tandem plura hujus ægritudinis phænomena uno intuitu conſpiciantur, frequentius in eo occurrentia, fictoque aliquo exemplo comprehenſa, eo ordine, quo plerumque ea ſeſe nobis offerunt, hic exponemus. Quod ſi igitur juvenis amans vini & ciborum acrium, iracundus, ſcorbuticus, poſt iter pedeſtre, hybernum, aut ſaltationem concitatiorem, potum frigidum, calenti pectori infuſum, poſt clamorem item, aut contuſionem pectoris, vulnus, hæmoptyſin, aut pleuritidem, peripneumoniam & anginam, nimis cito, ante ſufficientem continentis cauſæ remotionem, ſuperatas, ulcuſque cruris ſine medicamento clauſum &c. de dolore ſub ſterno, aut in latere tendente, aut rodente, acuto, interpolato quidem, ſed fixo tamen, per motum corporis & animi manifeſtiorem, proceſſu temporis aucto, cum tuſſi ſicca, vel ex pituita humida, & ſine roncho queritur; hunc ἀπόςημα ἐν πνεύμονι, *abſceſſumque tunicatum* in pulmone, adhuc clauſum, *exiguum*, geſtare dicimus; idque magna apud ægrum & adſtantes fide, ſi ſimul veſica una, vel plures, pure plenæ cum tuſſi prodeunt. *Magnam* vero vomicam adeſſe, tunc pronunciamus, ſi pulſus ſimul durus eſt & reſpiratio difficilis; *maximam* ſi ille intermittit, hæc vero cum anxietate & erecto collo fit. Apertionis punctum diſruptæ cyſtis crepitus patefacit; quo licet non audito, apertum tamen apoſtema in ulcus tranſiiſſe, ex tuſſi humida cruenta, purulenta, & ſubinde fœtidiſſima colligimus; certioreſque nos de folliculo dilacerato membranulæ protruſæ faciunt. Si vero mox inter initia dolorum, vel non diu poſt earum ſenſum, tuſſis materiam corruptam evehit, tunc hæret ulcus in veſiculis pulmonis, eique citius frequentiuſque, quam per σπάδονα clauſo, reſpirationis vitia & pulſus celer cum febre aſſociantur. Multo aliter rem circa thymi atque mediaſtini glandulas ſe habere, ſitus & connexio earum docent: ut, ſi a loco doloris percepti receſſerimus, eorum ſtatus p. n. a priori difficulter cognoſcatur, ex modo & via excretionis contentorum demum a pulmonis vomica diſtinguendus.

§. XXXV.

Hoc loco iterum Fernelium non intelligimus, quando diſcurſum, de medicis, §. 25. allegatis, aliiſque inopinato a vomicis interemtis, ita finit: *omnibus tamen, ſic affectis, multo tempore, antequam vomica rumperetur, cruenta exſcreatio proceſſit e pulmonibus, eaque cum tuſſi: adfuitque ſpiritus gravis ac fœtidus, corporis gravitas, pectoris levis oppreſſio & ſpiritus difficultas, quibus tabes raro comes.* Neque enim capimus, quomodo iſtis *omni-*

omnibus mors inopinata fuerit , quibus , præmiſſis tot periculi inſtantis præconibus, illa venit. Reliquum igitur eſt, ut credamus, eum ſtatuiſſe, ex vomica, nondum rupta, cruentam excretionem fieri potuiſſe; vel juxta cum veſiculoſa etiam aliam, ex tunica vaſorum ortam, pulmoni inhæſiſſe.

§. XXXVI.

Sed miſſis hiſce, in tranſitu tantum libatis, ad ſemiologiam nos iterum recipimus. De qua candide fatemur, eam, ad formandum ſignum pathognomonicum, utplurimum tantum ſufficere : cum non una ex cauſa interdum accidat, ut præter opinionem medici, ſedulo ad omnes circumſtantias animum advertentis, natura a cœpto opere, vere vel apparenter, plane ceſſet; aut hanc morbi ſpeciem in aliam, v. gr. pleuritidem, anginam &c. mutet; aut materiam, per ſuperiora educendam, ad inferiora, alvum ſcilicet, ſæpius vero ad veſicam ableget. Sunt exemplis libri obſervationum pleni; hinc unius tantum mentionem faciemus. Studioſus pugillatu ſe exercens, a valido ictu gladii, duro globo obligati, in jugulo, ſuper thymum, tumorem reportaverat, quem verſus interiora magis, quam exteriora increviſſe, ex eo colligebat D. D. Præſes, quod foris vix latum pollicem protuberans, reſpirationem tamen difficillimam redderet, ut octavo morbi die magno conatu aerem, per violentam dilatationem thoracis, attrahere quaſi, iterumque inde extrudere opus eſſet, donec, ſuffocationi proximus, ſtatim libere reſpiraret, quamprimum tumor emollitus aperiebatur; quem vomicam fuiſſe, poſt multi puris efluxum, cyſtis particulatim, protracta oſtendebat.

§. XXXVII.

Non adduximus hanc hiſtoriam, ut exemplum inſolitæ alicujus viæ, quales antecedens § commemorat, exiſtat : ſed quia mirati ſumus, hunc thymi tumorem, ſatis profunde jam verſus cavitatem thoracis demerſum, non potius per tunicam interiorem, utpote magis teneram, & a calore humido facile emolliendam, quam per firmam cutem juguli pus conceptum eructaſſe : cum non ſolum, teſte §. 34. in ſtudioſo pus ex thymo in arteriam aſperam profluxerit, ſed D. D. Præſes juvenem quendam, ex nimia vociferatione & frigidiſſimo potu, tumorem in eodem loco colli ſibi acquirentem, per multos menſes luteum pus, & tandem, cum totali morbi ſolutione, multas particulas membranaceas, abſque ulla, vel rariſſima tuſſi, ſolo ſcreatu fortiori extraxiſſe viderit.

§. XXXVIII.

Ne ſine fine *ſigna* tractare videamur, ſilentio prӕterimus ab aliis adduci ſolita. Inter quӕ *color faciei ſublividus*, poſt Fernelium, etiam a Binningero allegatus, in paucis vomicoſis obſervatur. Tumor pectoris, ut & moleſtus in latus ſanum decubitus non occurrunt, niſi ubi pulmo coſtis adhӕſerit, qui hic compreſſionem inclinati thoracis ferre recuſat, illic vero muſculos hujus in conſenſum trahit. Talem *tumorem pulſantem* tangere licuit D. D. Prӕſidi in celebri noſtratium Advocato, a duobus robuſtis viris ſtrenue pugnis cӕſo, & haud diu poſt animam cum vomicӕ contentis eructante. Atrophia adeo affectui noſtro non communis eſt, ut fere non niſi in veſiculis pulmonis natam, & ſe ad phthiſin inclinantem comitetur. Artificium Hippocratis, per cimoliam terram, pectori illitam, puris intus latentis ſedem, citius quam vicina ſana loca ſicceſcentem, inveniendi, imitantur alii panno madido, nudӕ cuti inſtrato; ſed ſucceſſu certiori, ubi pus pleuram attingit, quam ſi longe ab ea diſtans, in cyſti hӕret.

§. XXXIX.

Plura non addimus: cum ex tot paginis τὸ ὅτι affectus ſatis pateat; ut ex prӕmiſſis levi negotio judicare queamus, quo jure Jacobus Guy, apud Hildanum, c. 1. obſ. 46. p. 41. tumorem externum thoracis, ex vulnere, ante annum ſanato, redeuntem; & Bucardus, obſ. 53. p. 50. abſceſſum in lumbis, a Griffonii crudeli manu, horrendoque ſpectaculo, per *novaculam ignitam* ad *indicis* (non latitudinem ſive craſſitiem forſan, ſed) *longitudinem* immerſam, apertum, inter vomicas retulerint: cum ille, prӕter apoſtematis ſimplicis, hic vero profundi, carnique immerſi conditiones, nil peculiare exhibuerint. Deinde quam nimis audacter Arnoldus Bootius, l. c. civem Londinenſem *vomicam hypocraniam*, ut vocat, ex puro ſanguine, in *cyſtim* propriam collecto, natam, per ſex vel ſeptem annos, inter meningem & os petroſum, cum moleſtis cruciatibus geſſiſſe aſſeruerit, ex cujus aure, a grandi flatuque turgida pila percuſſa, pus ſubito ac copioſe, cum perpetua ceſſatione dolorum, effluxerat: cum tamen Bootio nec caput inſpiciendi copia data, nec ullibi veſtigium cyſtidis repertum fuerit.

§. XL.

Haud abſimile judicium forſan de plurimis aliorum viſcerum, hepatis ſcilicet, lienis, renum, teſtium muliebrium, vulvӕque vomicis, poſt Plinium & Celſum, paſſim allegatis, ferendum eſſet, ſi accurate earum qualita-

litates examinarentur: quod in præſentia nobis nec licet facere, nec libet: utpote nunc cauſarum rationem potiſſimum habituris.

§. XLI.

Cum in definitione *genus* atque *formam* vomicæ per *ſolutam unitatem purulentam* expreſſerimus, & nunc ſtatus hujus prorſus p. n. cauſa genuina & *immediata* producenda ſit: communi quidem medicorum voce, *acre* quoddam, partes corporis viventis ſolidas erodens, fermentans, & in fluidam ſubſtantiam immutans nominatur: ſed de qualitate ejus atque ortu non una eorundem ſententia circumfertur. Dum enim ab *acido* & *alcali* quotidie manifeſtos, in reſolutione corporum, effectus fluere videntes, quoad productionem ſuppurationum, in diverſas partes abeunt, fit, ut pro *illo* pugnantes, non ſolum oculos ad ſpiritus vitrioli, nitri atque ſalis, in cute, pro fonticulis exulceranda, vim convertere, ſed ulceribus quoque, acidulum odorem exhalantibus, nares admovere jubeant, ſimulque puerum quinquennem, a D. D. Chriſtiano Helwichio, Eph. German. D. 3. an. 5. & 6. obſ. 68. p. 134. deſcriptum, producant, ex cujus labio ulcerato tam acris & acidus liquor effluxiſſe dicitur, ut in quaſcunque corporis partes is inciderit, eas illico eroſerit & vulnerarit: nec deſunt ipſis a juvantibus nocentibuſque deſumenda argumenta, quæ acidum ulcera habentibus nocere, huic vero adverſa, abſorbentia ſcil. fixa & volatilia prodeſſe docent.

§. XLII.

Sunt contra ea alii, qui concentratum alcali non ſegnius cutem atque carnem, quam minerales ſpiritus, corrumpere oſtendentes, idem quoque in ulceribus regnare, inde colligunt, quod ex ſanguine & carne recentibus non minus, quam fermentatis, nulla arte liquorem acidum liceat extrahere, ſed merum alcali inde expellatur: deinde ipſum acidum ulcera producere, ex fœtore horum negant: cum, ſine ulla ejus nota, liquores acidiſſimi in objecta operentur: nec humores corporis vitales tam infenſum fluidiſſimæ texturæ ſuæ ſal in vaſis toleraturos eſſe dicunt, quod partes ſolidas exulceret: nec etiam alcalia volatilia atque fixa adhiberi, ut iſtud cicurent; ſed potius, ut humores blande agitando atque reſolvendo, eos a ſtagnatione, ſuppurationi faventiſſima, liberent & præſervent, corruptaſque particulas a ſanis per emunctoria excutiant: nec fruſtra tandem chirurgos alcalia ulceribus inſperſuros, eaque magnæ ſine dubio & celeris utilitatis futura eſſe, ſi acida in illis, a ſe enervanda, invenirent.

§. XLIII.

§. XLIII.

Quod ſi tertiam ſententiam, probabiliorem nobis viſam, amplecti licet, neque propter experimentum chimicum citatum, neque ob ſolum fœtorem quidem, acida ex ulceribus excludimus: coactam nimis conſequentiam cenſentes, qua propter alcali, ex carne atque ſanguine fermenteſcentibus, per ignem elevatum, ipſis tunc etiam acidum denegatur, quando in corpore ambo ulcus adhuc conſtituunt: quia, eadem argumentandi ratione, nec in tartaro, nec in vini fecibus acidum ſtatuere liceret; quia ex his ignis alcali volatile, ex illo fixum producit. Deinde, fœtoris ratione, haud accurate phænomena, ex *puri acidi* liquoris actione venientia, ad impurum ſal ulceris trahuntur; quod nimirum, tot particulis ſulphureis immerſum, non meliorem odorem poteſt gignere, quam acetum, aut quemlibet ſpiritum acidum, ſulphuri communi, per coctionem cum alcali ſoluto, aut lixivio ſcoriarum reguli ♁ii inſtillatum, producere olfacimus.

§. XLIV.

Haud nimis tamen acido, in ſuppurato loco ſtatuendo, addicti ſumus. Nam, quamvis illud ex primis viis, ſubinde acidiſſimis, in maſſam ſanguinis venire, inque ea natare, & pro moleſtiſſimis doloribus, ſpaſmis & ſolutionibus continui excitandis, huc illuc duci ac deponi poſſe minime dubitemus: in *quovis* tamen ulcere ad ejus præſentiam energiamque *potiſſimum* reſpiciendum eſſe, neutiquam putamus: neque, niſi adultior quiſpiam §. 41. acorem ulceris labii ſe guſtaſſe, teſtatus fuerit, linguam pueruli, de ſaporis acris ab acido differentia, infallibile judicium tuliſſe credimus: cum ipſum clariſſimum obſervationis autorem ambos ſapores indifferenter juxta ſe ponere, iiſque id intendere cernamus, *humorem, nulla acrimonia linguæ moleſtum, æque ac ſalſum, vel acidum partes corporis exulcerare poſſe.*

§. XLV.

Quam ſententiam jam diu veritati plane conſonam illi agnoverunt, qui famoſum *acidi*, *alcali* & *ſalſi* ternarium vix ad phænomena, in laboratorio occurrentia, nedum ad naturæ operationes, in viventibus ſanis atque ægris explicandas, ſufficere, & recte, Hippocratis effato, *dulci* quoque & *amaro*, nec non *inſipido* magnam vim ineſſe didicerunt: cum aquæ ſimplicis ſolvendi vim, poſt liquorem Alcaheſt (itidem omnis ſaporis expertem creditum) latiſſime patere, nemo dubitet; & Steno, in Conject. 4. de Gloſſopetris, p. 99. Borrichium calculum duriſſimum inſipida aqua in aquam redegiſſe viderit. His accedit, quo minus *ſolis* puriſque ſalibus

exi-

eximiam agendi facultatem aſſignemus, quod ubique ab iis, per acceſſionem aliorum corporum, varie modificatis, majorem; quam ſi ſibi relicta perſtitiſſent, effectum proficiſci obſervemus. In exemplum jam producimus ☿ium, cum acido communis ſalis in cryſtallinam ſubſtantiam coagulatum: cujus tria grana, quamvis acidum in iis duas tertias totius molis haud conſtituat, acerbius tamen ventriculum, quam 4 vel 6 guttæ ſpiritus ſalis, ad olei conſiſtentiam ſpiſſati, afficiunt: id quod ex ☿ vitæ quoque & tartari emetici, ſimiliumque actione, vires tantilli inexiſtentis ſalis multum ſuperante, patet.

§. XLVI.

Securius idcirco, ut videtur, agimus, (conditione ſalium jam dicta ratione ſe habente,) ſi *τὸ acre* ad nullam ſalis ſpeciem, ſimplicem vel compoſitam, reſtrictum, porro, ut §. 41. fecimus, *cauſam primariam* vomicæ ſtatuerimus; cum facile hoc pacto ejus originem inventuri ſimus. Quamvis enim, judice Williſio, l. c. p. 118. *undenam materies* (vomicæ) *ab initio proveniat, & cujuſmodi indolis, antequam in pus maturetur, fuerit, determinare non liceat; quoniam morbi ſemina ſecreto jacta & clanculum adulta originem prorſus occultam ducunt:* aliter tamen, & tanquam de negotio manifeſto, veteres non minus, quam recentiores ſentire legimus, qui *materiam* tam cauſæ morbificæ, quam producti puris, ab initio ex humoribus noſtri corporis, deinde ex ſolidarum quoque partium continentium ſubſtantia derivant. Ex antiquis inſtar omnium nobis eſt Hippocrates, ex cujus multis locis in præſentia §. 42. & ſeqq. libr. 1. de morb. cap. 10. allegamus: *Fit pulmo ſuppuratus, cum una ex venis in ipſo rumpitur: & ubi rupta fuerit, ſanguinem fundit; multum quidem, ſi ea amplior fuerit; ſin minor, paucum, & æger quidem confeſtim ſanguinem ſpuit: ſi vero vena non conſtringitur, in pulmonem funditur,* καὶ σήπεται ἐν αὐτῷ, καὶ ὅταν σαπῇ, πῦον ποιεῖ. *& putreſcit in eo, & quando putrefactus fuerit, pus facit.*

§. XLVII.

Loquitur artis Parens h. l. de *ſanguine*, per quem noſtris temporibus ſimul *ſerum* quoque intelligitur. Aliis vero in locis ejuſdem libri, e. g. c. 14. §. 2. p. 18. & c. 24. §. 6. p. 30. &c. ſeorſim *bilis* etiam & *pituitæ*, ſuo in pulmonem decubitu apoſtemata excitantium, mentionem facit. Ubi nos, miſſa bile, quæ de *pituitæ putredine* afferuntur, in noſtros uſus converſuri, ea ad *lympham*, ſive *ſuccum glandularum* pulmonalium ac vicinarum, vomicis obnoxiarum, applicamus. Cum enim nonnulli idem dubium, de ejus ad puris generationem ineptitudine, foveant; quod, Mercato teſte, libr. 1. de int. morb. cur. c. 8. p. 208. quondam aliis, ex

carne ſaltim atque ſanguine pus naſci poſſe ſtatuentibus, de pituita in mentem venerat: opportunum erit, dum his per autoritatem Hippocraticam ſatisfacimus; illis quoque oſtendere, nos nihil lectoribus apponere, cujus fundamentum non in libris veterum (ad quorum lectionem illi, non ſine magno eruditionis ſuæ damno, raro veniunt) reperiatur. Poſſemus paginam textibus, noſtræ intentioni reſpondentibus, implere: ſed unicum, ex p. II. c. 10. §. 26. excerpemus: ὁ πλεύμων ἑλκοῦται ἔσωθεν ὑπὸ τοῦ φλέγματος ἐνισταμένου καὶ σηπομένου. *Pulmo intrinſecus a phlegmate inſiſtente & putreſcente ulceratur.*

§. XLVIII.

Offert ſe hoc loco commoda occaſio, de *cauſa mediata proximiori* vomicæ, ceu τοῦ *acris*, ſupra accuſati, *efficiente* differendi. Ubi ex Phyſiologia repetendum eſt, quod neque ſanguis, neque lympha, quamdiu *craſi* & *mole*, individui ſanitati reſpondentibus, inſtructa ſunt, *motumque* ſuum integrum obſervant, ulla unquam injuria vaſa aut viſcera afficiant. Quamvis enim omnino in machina ejuſmodi, ex mere heterogeneis moleculis, unde quotidie nutrimentum ſuum capit, compoſita, per continuam fermentationem digeſtivam neceſſario particulæ, œconomiæ vitali atque animali inutiles, nullo non tempore emergant, excernuntur tamen illæ per emunctoria deſtinata, nihilque moleſtiæ actionibus vitalibus & animalibus creare poſſunt.

§. XLIX.

Maximum autem ad harum conſervationem momentum fluidorum in corpore motus confert; ut, licet eorum elementa non adeo juſta proportione miſta ſint, nec ſingula organa inculpabili ſymmetria, decenteque robore polleant, homo tamen & vivat, & ad munia ſua, non perfecte quidem, ſed ut ſcorbutici, hypochondriaci, aliique cacochymici ſolent, mediocriter, id eſt, non prorſus bene, nec omnino male obeunda, valeat, quamdiu humorum *inteſtinus* & *progrediens* motus durant: & contra ea horum στάσιν, in una vel pluribus partibus *intentatam*, ſtatim morbi comitentur, *completam* vero partis vel totius mors excipiat. Diſponit enim *internus* humorum motus, a ſanguine materno dudum in ovo excitatus, (unde *primus* merito vocatur) & poſt modum ab *aëris mercuriali elatere*, per reſpirationem & cum alimentis hauſto, conſervatus, particulas *activas* aſſumtorum *aqueas*, *ſalinas*, & *ſulphureas*, ut cum *paſſivis terreis* continuo, per fermentationem digeſtivam, congredientes, diverſis naturæ operationibus aptæ fiant; totaque machina inde *caleat*, *nutriatur*, *moveatur* atque *ſentiat*, & ſimul hiſce ſcopis utiles particulæ ab inutilibus ſeparentur.

§. L.

§. L.

Quæ omnia cum ſine tranſitu humorum ex uno viſcere in aliud, variaque loci mutatione, fieri non poſſint, motu adhuc alio, quem *progreſſivum* ſive *circularem* vulgo vocant, opus eſt: non ſolum, ut ejus ope ſolidis partibus nutrimentum afferatur, & fluidorum excrementa, bona atque mala, ad organa ſecernentia, veluti ad cribra perducantur: ſed etiam vitalis calor per univerſum corpus diſpenſetur; ejuſque fonti, motui nimirum inteſtino, decentes limites ponantur. Ne ſcilicet, quod in cadavere non minus, quam vivente corpore contingere videmus, tot heterogenea humorum elementa, diutius in uno loco ſubſiſtendo, per fermentationem excedentem, vel turgeſcendo ſua vaſa rumpant, vel concepta inde acrimonia erodant. Utrumque malum prohibet fluidi progreſſio: ut neque muſtum, neque aquam, cum farina miſtam, ſi perpetuo agitantur, tam cito, ac ſi in loco calido & humido quiete fruerentur, fermenteſcere vidimus.

§. LI.

Detecto nunc progreſſus & circuitus humorum ſummo uſu, ſtatim patet, *impeditum* eorundem, per pulmonum & vicinarum partium poros atque vaſa, *motum* acredini exulceranti occaſionem dare; hujuſque *mediatam propiorem*, & vomicæ *remotiorem* cauſam ſtatuendam eſſe. Fit hoc fermentationis interventu: quæ partim præſentes atomos ſalinas concreti, ſub ſulphureis & terreis latitantes, ſuſcitando, partim novas ex reliquis, per figuræ earum mutationem, fabricando, non ſolum ex *phyſice dulcibus*, lacte, melle, ſaccharo, muſto &c. acres, acidos auſteroſque ſapores producit; ſed ex inſipidis quoque, ſive *medice dulcibus* & inodoris, fontana ſcilicet aqua, albumine ovorum, gummoſis &c. linguam nareſque vellicantes particulas extricat & elaborat. Quod ipſum cum haud dubiæ veritatis ſit, ideo rectius *fermentationem*, quam *putredinem*, inter cauſas vomicæ referri, ejuſque mediatam proximiorem appellari credimus.

§. LII.

Quamvis enim veterum, fermentationis indolem (per Kergerum, Willifium, cunctoſque limatioris Phyſicæ ſcriptores in lucem tractam,) ignorantium, loquendi conſuetudo, quæ mutationes mixtorum ſpontaneas æque ac artificioſas, nec non ulcerum & febrium frequentiorum geneſin paſſim per *putrefactionis* & *putredinis* obſcuros terminos declarare laborarunt, nonnullos ex recentiſſimis ſcriptoribus permoverit, ut *putredinem* & *humores*, *in cavitate putrefactos*, non ſolum *geminam*, ſed *pro-*

ximam etiam ſuppurationum cauſam ſtatuant : duæ tamen rationes obſtant , quo minus idem ſentiamus. Prima eſt , quod putrefactionem *ſpeciem* fermentationis , & nullo modo , ut quidam voluat , *ſoli animali* regno propriam dicendam eſſe arbitremur. Errant enim, qui animalibus, propter fœtorem cadaveroſum, quem putreſcendo ſpirant , & ineptitudinem ad ſpiritus ardentes , quales vegetabilia fermenteſcentia largiuntur , inde extrahendos , fermentationem denegant , illamque ſolis vegetabilibus concedunt : dum non attendunt , multa quoque ex his enormiter fœtere , quando fermentantur , plurima quoque nihil φλογιϛȣ̃ , pauca eorum ſal volatile oleoſum , copioſiſſime ex reſolutis animalibus habendum , ſuppeditare. Ut proinde ex hujuſmodi phænomenis haud leve argumentum credendi capiamus, memoratos corpora immutandi atque deſtruendi modos, pro diſtinctis hactenus habitos, non quidem, niſi ratione variæ ſtructuræ ſubjectorum, & copiæ atque diſpoſitionis particularum, ea conſtituentium, differre ; apertius tamen & ſignificantius per phraſes , modernis auribus uſitatas , cauſas rerum explicari , poſtquam hodie uſus fere obtinuit, ut τὸ *fermenteſcere* & *fermentatum eſſe* ideam concreti , activis & paſſivis elementis , in motum concitatis , prædíti , noviſque entibus producendis adhuc apti , in animo audientis formet : *putreſcere* autem de corpore, omni agendi vi jam jam orbando prædicetur, *putridumque* rem fatuam , effœtam & inefficacem deſignet ; & proinde, (quæ altera noſtra ratio eſt ,) *putredo*, ceu *abſtractum*, ut cauſam ulceris vel vomicæ genuinam & proximam conſtituat, prorſus inidonea videatur : cum ad hanc potius *acre* quoddam, per fermentationem humorum ſtagnantium , enatum requiri , in antecedentibus aſſeruerimus.

§. LIII.

Confirmata hoc modo fermentationis inter cauſas ſede , nulla quoad *puris ex humore*, alicubi *ſubſiſtente*, productionem , difficultas manet, nec pro explicanda *coloris* ejus *albi*, *viridis* , *lutei*, *fuſcique* origine, *ſal* quoddam *acidum* vel *alcali*, ad inducendas varias præcipitationes, aliunde huc ciendum eſt : cum ſola inverſio texturæ , & tranſpoſitio miſtioque nova particularum conſtituentium , tam ad conſiſtentiæ , quam coloris & reliquarum qualitatum mutationem ſatis ſit. Etſi enim ſupra , §. 33. allegata lactis ſulphuris, & ſulphuris aurati ☿ii præparatio, ☿iique, ex ▽ forti præcipitati, color niveus a muria , perſicus ab urina , luteus ab oleo tartri , griſeus a ⏜ ✳ci proveniens, efficaciam præcipitantium ſalium in variandis coloribus ſatis oſtendant : vix tamen taliſmodi apparatu h. l. opus eſt, cum eſſentia quævis reſinoſa, aquæ inſtillata, oleumque cum eadem conquaſſatum albeſcat , cereviſiaque & ipſum atramentum ſcriptorium , per *ſolam agitationem* ſpumam albam concipiant : ideoque *purum* ſanguinem levi negotio in *pus album* & laudabile, *impurum* vero , v. gr.

ſcor-

ſcorbuticorum, pro varia ſalis vel ſulphuris exuperantia & miſtura, in *viride*, vel *flavum fuſcumque* converti, prorſus probabile, & proinde non male factum videatur, quod ab illis recedamus, qui *pus & purulentos liquores albicantes unice ex partibus ſanguineis ſeroſis, gelatinoſis & chyloſis, minime vero rubicundis & ſanguinolentis generari, & nihil tamen impedire* ſcribunt, *quin tales etiam* (ſcil. rubicundæ) *ex eroſis vaſis ſanguiferis iſtis permiſceantur, ut rejecta ulcerum lutea, rubicunda & æruginoſa appareant.* Cum enim aliud ſingularis ſuæ ſententiæ fundamentum haud adducant, niſi quod *ulcera qualibet, etiam interna & pulmonaria phthiſicorum, quotidie magnam copiam puris lactei, abſque vaſorum ſanguineorum apertura, ſanguiniſque imminutione fundere videamus*: hinc reſpondemus: niſi vaſorum pori laterales aut extrema hiaverint, ne quidem partes ſanguinis ſeroſas, gelatinoſas, chyloſaſque in viſcera venturas eſſe; per apertas autem tales vias etiam moleculas rubellas ire poſſe, purpuramque ſuam, modo in ſuperioribus deſcripto, facile deponere, & hoc pacto minui omnino; ſed earum loco quotidie novas ex alimentis generari, quamdiu ſcil. ea aſſumuntur, & in primis viis concoquuntur.

§. LIV.

Quod ſi jam, remotis hiſce, porro, ut ordo inſtituti noſtri fert, occaſiones ςάσιος & fermentationis p. n. perluſtramus, præter ea, quæ in antecedentibus de ætate & ſexu adduximus, nativam pulmonalium veſicularum teneritudinem, & glandularum poroſam recipiendiſque cauſis obſtructionum aptam compoſitionem deprehendimus. Haud diſquiremus autem, quam bene Sponius, aphoriſmorum novorum 33. ſect. 1. *pulmonem*, ob delicatam ſuam, ex meris veſiculis & dilatatis vaſis factam ſubſtantiam, *ſanguine tenui &ilioſo nutriri, & hinc frequenter inflammatione & eryſipelate, a ſanguine bilioſo præfervido oriundis*, affici ſcribat: cum materia talis nutrimenti valde dubia ſit, & potius viſcus hoc a mole non minus, quam qualitate vitioſa humorum tranſeuntium, horumque & ſuo perpetuo motu, nec non ab aëris, variis effluviis referti, inevitabili acceſſu detrimenta ſua capiat. Quibus circumſtantiis Sennertus, ut videtur, motus, ex ſola pulmonis *debilitate innata*, humorem in eo acrem, ſubſtantiam ejus arrodentem, colligi ſcribit: hanc vero debilitatem etiam a parentibus in liberos derivari poſſe, nemo forſan negat.

§. LV.

Evidentiorem noxam inferunt *res non naturales*, de quibus in genere notamus: nec ubique uni earundem, recte conſtitutæ, nimis fidendum, nec vitioſe ſe habentem, nimis metuendum eſſe: cum ex unica ſperandum bonum, vel timendum malum, ſæpe ab alterius bona vel prava

qualitate ita immutetur, ut vel plane nihil, vel minus præſtet, quam ſibi relicta manens effeciſſet. Reſpectus igitur ſimul omnium, vel plurium ſaltem habendus eſt, & quæ de ſingulis, ut moris eſt, prædicantur, poſtmodum combinanda ſunt, ut certius de origine morbi judicium formari queat. Nominavimus equidem in proximo § dudum *aërem*; aſt quia de ejus calore atque frigore quoſdam temere litigantes legimus, utrum ab hoc, an vero ab illo majus periculum metuendum ſit: ideo verbo monemus, ſolutionem controverſiæ, modo tempora diſtinguantur, mox expeditam eſſe. Nocet enim omnino ejus frigus: dum in pulmonibus & glandulis humores ad ςάσιν diſponendo, generationi vomicæ inſignem anſam præbet; inque facta & aperta ejus repurgationi per tuſſim & ſcreatum valde officit. Calidus, humores agitando, metum ruptionis vaſorum incutit, febremque auget, ut ex vomicoſis fiant phthiſici. Silentio præterimus, quantum aër ad contagium, ex morbido pulmone in ſanum transferendum valeat, & quantopere ille propter effluvia minerarum, partes fluidas coagulandi, ſolidas autem corrodendi facultate prædita, & cum eodem haurienda, formidandus ſit. Inprimis autem ſubitanea mutatio calidi in frigidum periculoſa eſt, & ſtagnationes facit, quod hyemali tempore, ex balneis improvide in aërem liberum euntes ſæpe ſentiunt. Quam dives pure apoſtema in pulmone, illuſtris & ætate jam provectior perſona ab aëre frigidiſſimo, in corpus, per iter pedeſtre probe motum, admiſſo contraxerit, mirabundus deſcribit D. D. Gerbezius, obſ. 130. ann. 1. dec. 3. Eph. Germ. pag. 223.

§. LVI.

Quid cibus atque potus poſſint, ex recepto canone, *qualis chylus, talis ſanguis*, liquet. Nimirum quicquid humores vel viſcidos, auſteros, acidos & melancholicos; vel bilioſos, acres, tenues, nimiſque elaſticos reddit, favet generationi hujus morbi, eumque, ab externa vi, aut interna quadam cauſa corpori illatum, deteriorem facit.

§. LVII.

Per *motum corporis* vehementem, juvenem vomicam, columbinum ovum adæquantem, cum tuſſi excreviſſe, a Fernelio loc. cit. relatum legimus; nec deſunt teſtimonia autorum, per motum tunicas intus in corpore latentium abſceſſuum diſruptas, exitumque ſic contento puri præparatum eſſe. De tuſſi, corpus interdum impetuoſe quatiente, nemo dubitat, eam ſæpe a natura huic ſcopo deſtinari; cui nos in præſentia, ex communicatione D. D. Præſidis, riſus efficaciam ſubjungimus: non quidem prout is gaudentis animi indicium præbet, ſed quatenus motum corporis, & inprimis thoracis excitat. Quamvis autem alias cachinnus, ceu in-

intenſior riſus gradus, quod viſum corruperit, hæmoptyſin, hernias, abortum, & plura alia mala, mortemque ipſam mortalibus intulerit, peſſime ubique audiat: hoc loco tamen lætabili ſpecimine ſe commendabit. Cum enim anno 1698, puella 14 annos nata, per lumborum titillationem, cachinno præter voluntatem valde quateretur, uncias aliquot puris albi, ſpatio 3 horarum extuſſiebat, & hoc modo feliciter ab anxia ſpiratione, ante quatuor menſes, cum catamenia, altera vice fluentia, ſubito per terrorem ſubſiſterent, contracta, liberabatur. Hanc vero vomicam, tracheam anguſtantem intus aluiſſe, hujuſque folliculum inanem a natura ſenſim iterum reſolutum, aut in cicatricem compactum fuiſſe, immunitas ab omni pectoris labe, poſt ἔκκρισιν dictam hactenus perſiſtens, cogit credere.

§. LVIII.

Ex his apparet, quod parum abſit, quo minus valida membrorum agitatio inter remedia morbi referatur. Aſt cum omne nimium inſuetumque naturæ inimicum, nec idem ſit, cum duo idem faciunt; & inſuper Hippocrates *ex labore nimio* σηπεδόνα producit, cap. 15. lib. 1. de morb. diſerte doceat, hinc recte motum machinæ, ejus vires ſuperantem, *vomiciferum* appellamus: cum ſi cuncta ejus damna recenſenda eſſent, haud pagina ſufficeret. Ne vero ſine omni exemplo hæc aſſeruiſſe videamur, producimus uxorem civis hujus oppidi, honeſti & ſatis opulenti, quæ anno 1706, adverſus monita mariti, φίλεργα, mergitum ſublevatione lacertos probe exercebat; donec per dolorem pectoris, a labore penitus inſueto deſiſtere cogeretur. Ex eo tempore, uſque ad annum 1707, tuſſi ſanguinea, & purulenta, reſpiratione difficili, cum rhoncho, & dolore obtuſo lateris dextri thoracis, febre, imminutione corporis, & extrema laſſitudine conflictata, ab omnibus pro phthiſica deſperata habebatur. Sed poſtquam aliquamdiu decoctum pugillare, a D. D. Præſide præſcriptum, calidum bibiſſet, d. 12. Februarii, non ſine ſuffocationis anxietate, minimum uncias quatuor puris cruenti & fruſta tunicæ albæ, craſſæ, diverſæque magnitudinis ejiciens, per ſingularem *Dei* gratiam, eodem momento quaſi omnium querelarum expers facta, per ſaltus ad priſtinam ſanitatem properabat.

§. LIX.

Conveniunt autem *motus* & *quietis*, nec non *vigiliarum* atque *ſomni*, mediocritatem excedentium noxæ, in multis cum *aëris* effectibus, ſimulque facultatis naturalis operationes modificando, aſſumptorum energiam, pro re nata, & augent atque minuunt. Quæ omnia, & ſingulorum nocendi modos atque gradus recitare, prolixus non minus, quam tædioſus lecto-

lectori nobiſque labor eſſet. Id quod etiam de animi affectibus ſuo modo valet; prout ſcil. ad coctiones juvandas, vel turbandas, humorumque motum plus juſto excitandum, vel ſupprimendum concurrunt.

§. LX.

Quæ de menſibus in § antepenultimo ὡς ἐν παρόδῳ attulimus, ad alias quoque excretiones, a natura, ſponte pariter quam coacte agente, inſtitutas, applicari debent, ſi quacumque ratione ab ægro, adſtantibus, aut medico illegitime tractantur. Tales ſunt hæmorrhoides, criſes febrium, inprimis exanthematicarum, μεταςατικαὶ, nec non inſenſibilis tranſpiratio (a qua in medico, poſt pleuritidem, ſuppreſſa, vomicam, per copioſi puris dulcis excretionem ſanatam, D. D. Schmidius, Eph. Germ. Dec. I. ann. 8. obſ. 97. p. 160. derivat) imo hæmoptyſis ipſa quoque, ſive mere ſymptomatica, ſive periodica & critica fuerit, ut & fonticuli, ulcera antiqua &c. de quibus Sepulchretum Boneti, & paſſim practici videri poſſunt.

§. LXI.

Num, quod Williſio, l. c. p. 120. placet, pulmones, *pleuræ adnati*, vomicæ occaſionem dent, ut in ejus partem, per cohæſionem immobilem redditam, materia peccans delata, ibi quietam ſedem nanciſcatur, non diſputabimus; modo vomica non ut neceſſarium conſequens ejuſmodi connexionis nobis obtrudatur, ſed utramvis abſque altera exiſtere poſſe ſtatuatur. Plus negotii *vulnera* pulmoni creant; inprimis ſi ejus regioni ſuperiori per inſtrumentum ſubtile infliguntur. Vidit D. D. Præſes in ſtudioſo nobili Polono vomicam oppido memorabilem, peculiaremque διάσκεψιν merentem, quam pulmonis dextri, trans muſculos ſecundæ atque tertiæ coſtæ, oblique perfoſſi tunica, corii taurini craſſitiem adepta, formabat. Hæc non pure, ſed liquamine fuſco, cereviſiam hordeaceam, fecibus mixtam referente, ex veſiculis, glandulis vaſiſque hujus viſceris, una cum ſanguine, ibidem ſtagnante, plane corruptis, genito adimpleta, & ſine gravibus, morbique magnitudini ullo modo reſpondentibus ſymptomatis, nata & adulta erat.

§. LXII.

Poſſemus hic verbis Hippocratis, dudum in noſtra collectanea congeſtis, nativitatem vomicæ ex *angina* & *pleuritide* non minus, quam ex *deſtillationibus*, a veteribus tantopere deprædicatis, ſed imprudenter a novis hominibus deriſis, oſtendere; niſi tempori chartæque parcituri, iſta cum aliis mul-

multis, huc pertinentibus, librum ſcripturo linqueremus, & ad reliqua expedienda abiremus.

§. LXIII.

Ex his primo loco ſeſe offerunt, quæ vomicas ab aliis affectibus diſcernunt, ſecundo quæ multiplices earum differentias & accidentia exponunt, viamque cum ad prognoſin, tum medendi methodum felicius formandas præparant. De *empyematicis* cum vomica ratione *nominis* convenientia, dudum §. 4. actum ſpecificaque eorum diſcrepantia verbo tantum ibi tacta eſt, quam clarius ex M. A. Severini chir. effic. p. 2. c. 7. p. 127. & Hippocraticis, ibi allegatis locis, cognoſcere licebit. Obſcurum igitur eſt, quomodo Williſius, l. c. p. 117. empyemati & peripneumoniæ pulmonis vomicam *nonnihil affinem* potuerit pronunciare, quod ejus *materies morbifica pus merum* ſit. Nam ſicut peripneumoniam *ſemper* ſuppurari, biga obſervationum, ab ipſo l. c. p. 100. & 101. allatarum, minime oſtendit; ita levis, ex *pure mero*, inter empyema atque vomicam affinitatis nota naſcitur; ſi ſcilicet τὸ merum idem eſt, *ac purum*; cum fœtidum quoque ex vomica exſpui, ipſe autor pagina ſequente ſcribat: nec puris *qualitas*, ſed *locus* potius & alia plura hoſce affectus ab invicem diſcriminent: inter quæ haud ultimum eſt, quod vomica facile empyema, non vero hocce illam generare queat.

§. LXIV.

De phthiſios *indefinito*, vomicæque *definito* ulcere, non una vice, in ſuperioribus verba fecimus, falliturque inſigniter h. l. Muſitanus (egregius ille librorum, ex Germanorum medicorum, Sennerti, Ettmulleri, aliorumque compilatione, fabricator) libr. 2. c. 2. p. 437. trut. med. ubi *hanc* ab *illa*, ut *abſceſſum* ab *ulcere* differre, *pus purum*, album, læve & æquale, *citra excretionem*; ſuis membranis incluſum, intra pulmones fovere, & tamdiu vomicæ nomen gerere ſcribit, *quamdiu pus non expurgatur*; phthiſin vero dici, cum hoc excernitur, & *ulcus ſordidum* relinquit. Quippe non adeo inuſitata eſt puris ex vomica excretio, ut potius eam nomen inde accepiſſe, prima noſtræ diſſertationis linea, §. 1. ex Neuhuſio oſtendat; inque ea non magis ſemper *pus laudabile*, quam in phthiſi *ulcus ſordidum* occurrat. Longe concinniora igitur ſunt excellentiſſ. Vateri verba, ex diſſert. de pulm. vomica, §. 12. huc transferenda: *Tamdiu ulcera pulmonum vomicæ titulo veniunt, quamdiu propriis adhuc terminis & membranis, vel capſulis continentur, nec corruptionem ſuam aliis viſceribus aut ſuccis prætereuntibus communicant: quam primum autem adjacentibus partibus ſucceſſive eroſis, maſſam ſanguineam afficiunt & inficiunt, aut etiam pulmones extrorſum perforant, potius in phthiſin, empyema aliaque mala abeunt.*

§. LXV.

Poſitis hiſce vomicæ conditionibus, facile *ſcirrhus pulmonis* atque *hydrops pectoris*, prætermiſſis aliis differentiarum ſpeciebus, per *inhabilitatem ad ſuppurationem* hac vice ab ea diſtinguentur; dum ſcirrhoſus pulmo, teſte §. 23. *durus*; in hydrope vero ut plurimum *corruptus* quidem, ſed *ſine pure* tamen offenditur. Vidit D. D. Præſes in duorum aſciticorum ventre aquam ab omento putrefacto *turbidam*, in pectoris autem alterutra cavitate ad aliquot libras *limpidiſſimam*, ut una cum ſectionis ſpectatoribus miratus fuerit, quomodo ea pulmonis fere totam ſubſtantiam, abſque ulla conſiſtentiæ ſuæ atque coloris immutatione, in poris ſuis occultare quiverit, quaſi non niſi ſal quoddam reſolviſſet.

§. LXVI.

Plura, aliqualem cum vomica convenientiam habentia, non addimus: nec proinde veſiculas iſtas, aqua plenas, & piſcium veſiculis prorſus ſimiles, per tuſſim & ſcreatum a ruſtico Fuldenſi, quantum conſtat, ſano, & muliere tabida, cum ſanitatis ſuæ recuperatione, rejectas, huc ciemus; cum inter hydatides, ex membranis glandularum, aut vaſorum lymphaticorum extenſis ortas, eas referamus, & ad ea potius progrediamur, *quæ vomicam a vomica differre docent.*

§. LXVII.

Primam autem eas diſtinguendi rationem earum *ortus* nobis præbet, cum hactenus dixerimus, earum alias ex glandulis, alias ex vaſorum ampliata tunica, rurſumque alias ex veſiculis pulmonis, hujuſque extima membrana ſuos folliculos accipere; horumque alios, pro ſecunda diſtinctionis ſpecie conſtituenda, ſemper *clauſos* manere, & *integros* excerni; alios vero cito vel tarde in ſede ſua rumpi, & vomicas *apertas* veraque ulcera formare. Cum porro vomicæ diverſæ *magnitudinis* exiſtant, hinc nova inde diſcrepantia emergit. De minimis enim, ſive *pilularibus* Fernelii, ſupra in §. 7. actum eſt. Quibus forſan non majores D. D. Præſes propediem a ſtudioſo, tales ſubinde cum reſpiratione difficili ejiciente, ſe accepturum eſſe ſperat. Piſum grandiuſculum & ceraſum fere §. 22. memoratæ, ovum columbinum autem a Fernelio, gallinaceumque a Nicolao Maſſa, Corn. Stalp. van der Wiel c. 1. obſerv. 32. & Schenckio, l. c. p. 250, viſæ, adæquarunt. Quas, ſine dubio *mole*, §. 58. recenſita, aliquot nimirum uncias puris fundens, ſuperavit; omniumque maximæ merito cenſendæ fuerunt, quas in §. 21. adoleſcentula, & in §. 61. nobilis Polonus obtulerunt. His enim ſimilem cum Foreſto, ampliſſimæ praxeos

xeos medico, ſemel tantum in Dn. de Albenbronck offendere contingeret, mox, admiratione plenus, obſervationem 51. libr. 16. p. 79. ita ordiebatur: *Pulmonem exulcerari novum non eſt, ſed totam ejus ſubſtantiam in pus converti, & nil aliud, quam pus eſſe, & ſola membrana, pulmonem ſuccingente, contineri, ut in cavitatem thoracis ea minime rupta defluxerit, id rarum exiſtimo.*

§. LXVIII.

Suffi iunt hæc variantis magnitudinis exempla, quoad numerum, in uno ſubjecto non adeo frequenter occurrentia; cum *uni ſoli* vomicæ ſuſtinendæ ſæpe vix homo ſatis virium poſſideat. Hinc præterea, quæ pro differentia vomicarum, e pluralitate earundem deſumenda, ex §. 7. & 22. hauriri poſſunt, unicam tantum eximiamque obſervationem G. Clauderi, ex eph. Germ. dec. 2. ann. 6. p. 373. huc trahemus: ubi in fœminæ quinquagenariæ pulmone, a ſero *acri bilioſo*, ſpatio 12. annorum, non unam vel alteram, ſed 40 ad 50. imo 60 circiter *vomicas* (ab autore ita ſalutatas, forſan rectius, ob incertitudinem folliculorum, *ſimplices exulcerationes* appellandas) genitas fuiſſe legimus.

§. LXIX.

Parit denique humorum acrimonia itidem notabiles inter vomicas diſtinctiones, dum pro diverſo ejus gradu, pus quoque plus minus noxium ex illis præparatur. Vidit enim Panarolus ſaniem tam malignam extuſſitam, ut muſcas, eam deguſtantes, interemerit. Quapropter operæ pretium videtur, ex habitu externo de ejus qualitatibus internis judicare poſſe: cum id Hippocrates, coac. prænot. c. 3. §. 205. 207. & 217, p. 562. & 563. egregie exponat; uti τό πύον λευκον, ἄνοσμον, λεῖον, ὁμόχροον καὶ ἀφλεγμάντον, *pus album, odoris expers, læve, unius ejuſdemque coloris & nulla pituita miſtum*, laudabile ſalutat, & contra ea illaudabile τὸ πέλιον, χλωρὸν, φλεγματῶδες, ἀφρῶδες, βορβορῶδες καὶ δυσῶδες, *lividum, viride, pituitoſum, ſpumoſum, cœnoſum, & fœtidum* ab ipſo cenſetur.

§. LXX.

Hinc quoque eſt, cur aliæ vomicæ *acutæ*, aliæ *chronicæ*, *benignæ*, item ac *malignæ* eſſe ſolent: quatenus ſcil. ob lenitatem vel vehementiam efficientis cauſæ, materiæque contentæ majorem minoremque acrimoniam, magis vel minus dolent, aliiſque mitibus vel gravibus ſymptomatibus ſtipatæ, curationem admittunt vel reſpuunt; vel porro diu in corpore vix ſentitæ geſtantur, vel multas moleſtias geſtanti creant; vel denique pau-

corum dierum ſpatio a natura robuſta prorſus expelluntur, aut ipſæ debilioris conſtitutionis ægrum ad interitum promovent; ut ex *prognoſi* patebit.

§. LXXI.

Circa hanc autem ſemioticos inter ſe admodum diſcordantes deprehendimus. Secundum Tulpium enim, vomica *abſolute lethalis* ſtatuenda eſt: quatenus ex ejus ſententia, *poſt tuſſiculum primo ſiccam, mox humidam, & aliquandiu continuatam, ſpiritus difficulter trahitur, anima deficit, corpus paulatim marceſcit, &, ſi ea rumpitur, homo, nec opinans, dictum ac factum occiditur.* Ab hoc Mercatus l. c. p. 207. non multum abludit, *ulcus in pulmone, utcunque fiat, nunquam coaleſcere* ſcribens. Argumenta, ab ipſo & aliis allata, petuntur potiſſimum (1) a materia pulmonum *ſpermatica* non renaſcente, (2) a motu eorum *naturaliter* perpetuo, & per tuſſim multo aucto: cum tamen ſanatio quietem poſtulet: (3) ab abſceſſu *aëris continuo*, novam ſemper in ulcere fermentationem excitante. Enimvero, ſicut plurimos, culpa vel ſua, vel morbi, per vomicas perire, poſt tot lugubres aliorum obſervationes, nec noſtræ theſes inficiantur; ita Tulpio Williſium; experientia propria ſuffultum, ſtrenue ſemet opponere legentes, adducta argumenta vix alicujus ponderis eſſe, mox oſtendemus. Nam lubrico fundamento proprietates partium, olim in ſpermaticas & ſanguineas diſtinctarum, innituntur, & membranas, vaſa glandulaſque, ex quibus hoc viſcus conſtruitur, quotidie a natura renovari, palam eſt. Proſtant enim innumeræ & enormes ejus læſiones, feliciter ſanatæ, qualis ſine dubio Simonis Marci, exercitatiſſimi Ohrdruffienſium chirurgi fuit, qui, juvenis adhuc & miles exiſtens, ſervum ſclopeto verberaturus, ſuum pectus globo perfodit, ſemeſtrique fere ſpatio non ingentem ſolum copiam puris, ſed plurimas quoque particulas ramorum bronchialium ac ſanguiferorum (quos exſiccatos apud ipſum D. D. Præſes vidit) extuſſiens, ita convaluit, ut, licet annis onuſtus eſſet, ne minimum tamen in reſpirationis uſu, (quem eph. Germ. dec. 3. ann. 2. vir doctiſſimus, de phthiſicis loquens, poſt excretionem magnæ vel parvæ portionis pulmonis, ob regenerari neſcia vaſa bronchialia, nunquam perfectum reſtitui aſſerit,) defectum ſentiret.

§. LXXII.

Ad 2. argumentum reponimus, motum ordinarium pulmonum eſſe blandum & mediocrem, nec a tuſſi eos concuti, niſi is *violentior* fuerit. *Talem* enim omnino, æque ac reliqui corporis animique immodicam exagitationem, non ſanandis pulmonum ſolum; ſed omnium quoque membrorum ulceribus valde noxiam pronunciamus: levem autem, læſæ alicujus partis commotionem, haud promiſcue ſanationem ejus impedire; ſed

ſed, pro re nata, potius promovere, plane perſuaſi ſumus. Ad 3 non opus eſt reſpondere, quia aer vel ad ulcus ipſum non pertingit, quod in folliculo hæret; vel in aperto ſuperficiem tantum puris afficere poteſt, quod omne ejicitur, & ſub quo nova ſubſtantia viſceris, hiatum, a vomica factum, expletura, ſuccreſcens tecta latet.

§. LXXIII.

Tutius igitur eſt, cum Claudero l. c. vomicas *utplurimum ſaltem* lethiferas pronunciare: quando ſcil. ſecundum §. 21. & 61. majores ſunt, quam ut earum contenta decenter excerni queant; aut vires ægri, dudum per alias ægritudines fractæ huic operi non ſufficiunt; aut ipſa excretio cum impetu & ſubitanea ſpirituum confuſione contingit. *Quod ſi* porro, verbis Celſi, l. 2. c. 8. *ne rupta quidem vomica, febris quieſcit, aut quamvis quieverit, tamen repetit: item ſi ſitis eſt, ſi cibi faſtidium, ſi venter liquidus, ſi pus eſt lividum & pallidum, ſi æger nihil excernit, niſi pituitam ſpumantem, periculum certum eſt.* Addit Riverius, prax. l. 7. c. 7. ex Sennerto, quem paſſim ſequitur, vel ex Fernelii l. c. lin. 3. *Si pus e rupta vomica effluens, in cordis ventriculos fertur, ægrum ſubito interimit.* Quod ipſum forſan fit, quando natura, per modum criſios, pulmones trans alvum atque renes purgatura, in opere turbatur, & materia peccans, per venas pulmonales in cordis ſiniſtrum ventriculum delata, ut inde per arteriam magnam ad deſtinata loca transferatur, ibi ſubſiſtit, cumulatur, ſyſtolemque tandem tollit. Aut quæ Williſii eſt opinio, l. c. p. 118. *ſi ad puris exitum viæ non patent, ſanguini ſe id immiſcet, ipſumque aut venenat, aut præpedit in circuitu, vel in ductus tracheales confertim irruens, ſimul plurimos eorum implet, adeoque infarcit, ut aëri aditus ſufficiens denegetur, & illico flammula vitalis expiret.*

§. LXXIV.

Sunt præter hos alii *pereundi modi*, partim in ſuperioribus indigitati, partim in ſequentibus tangendi. Nuſquam enim, quod alias de capitis læſionibus dici ſolet, hoc loco *tuta fides* eſt. Hinc, quamvis vomica parva, ſingularis & benigna ſit, pulmonumque lobum ſuperiorem tantum occupet, prætereaque vel integra expellatur, vel tempeſtive rupta, pus, cunctas bonitatis notas, §. 67. laudabili tributas, poſſidens, per ſuperiora porrigat, & conſequenter omni periculo vacare videatur; neutiquam tamen, Galeno judice, libr. 4. de loc. aff. c. 5. haud omnium, a vomica liberatorum, ſanitas durabilis eſt; quin calloſum aut fiſtuloſum quid, in eorum pulmonibus reſiduum, ex levicula occaſione recrudeſcat. Quorſum Riverius quoque collimat, l. c. ita loquens: *Si pus e rupta vomica ad bronchia tranſmittitur, per anacathar-*

tharſin expurgari quidem poteſt, ſi corpus ſit validum, & materiæ quantitas exigua: ut plurimum tamen, relicto ulcere in pulmone, φθίσις *inde oritur.*

§. LXXV.

Ut per exempla *incertitudo prognoſis* appareat, *pus fœtens* allegamus: quod ab Hippocrate quidem *inter mala* relatum legimus, ſed viderunt J. Francus, apud Schenckium, l. c. p. 250. & Wiliſius p. 721. (ut alios jam taceamus) plane contrarium. Priori enim obtigit vomicoſus, adeo fœtentem ſpiritum halans, ut nemo adſtantium, niſi janua & feneſtris apertis, eum potuerit ferre: qui tamen, poſtquam graviter olentis puris copiam, & *duas membranas, thaleri magnitudine, veluti ex aluta madefactas cum tuſſi* ejeciſſet, præter omnium opinionem reſtitutus fuit. Deinde, quamvis Fernelius vomicas adhuc *integras*, ex ægris ſuperſtitibus ejectas memoraverit; ſimiles tamen mortis prodromos fuiſſe, Hollerius & ſcholiographus Galeni narrant. Tandem ſuppuratis quoad pulmonem pus *per alvum* ſecedere, lethale pronunciat Hippocrates, in coac. præn. c. 3. §. 244.; ſed innoxiam ejuſmodi ἔκκρισιν pleuriticis (quidni etiam vomicoſis) Alexand. Benedict. l. 5. c. 9. anatom. & Amatus Luſitanus, centur. 7. curat. 42. teſtantur. De pleuritidis, empyematis & vomicæ multis ſalutari, paucis vero minus proſpera, per urinæ vias expurgatione, nihil addimus, ne illos irritemus, quibus tales, ex medio ventre ad alvum & veſicam viæ, haud dubiles videntur: ſed illis præter Galenum, Dodonæum, Benivenium, Aretæum, Euſtachium, Fallopium, Michinum, Donatum, Laurentium, Panarolum, & Hildanum, a Schenckio allegatos, adhuc Ruffum, Æginetam, Meſuen, Horſtium, Langium, Borellum, Ettmüllerum &c. cum ephemerid. Germ. evolvendos commendamus, fuſioremque de *eventus* & durationis varietate diſcurſum, verbis Hippocratis, de *medio ventre* (quem ille paſſim *ſuperiorem* vocat) ſuppuratis, lib. 1. de morb. cap. 11. §. 49. 50. 51. 52 & 56. agentis, finimus: *Qui hujuſmodi morbos habent, partim ab his brevi pereunt, partim diutius tempus extrahunt. Differt enim corpus a corpore, & ætas ab ætate, & affectio ab affectione, & tempus a tempore, & annus ab anno, in quo ægrotant: & aliqui majorem tolerantiam in morbis habent: alii omnino ad tolerandum impotentes ſunt. Proinde temporis certitudo exacta, in qua pereunt, non eſt, &c. At ſi quis de ipſis recte cognoſcere ac dicere velit, is cognoſcet, omni tempore & perire, & ſuperſtites evadere, & pati, quæcunque tandem patiuntur.*

§. LXXVI.

Cum nunc, cognito morbo, curatio non valde difficilis eſſe ſoleat: hinc in *methodo curatoria* ſtudendum, ut vomicæ *clauſæ apertio*, apertæ-

que

que *expurgatio* & *conſolidatio* promoveantur. Ne vero fruſtra labor ſuſcipiatur, æger a *recidiva* per ea, quæ *ſtagnationem* humorum, unde fermentatio oritur, tollunt, & acrimoniam in M. S. jam præſentem corrigunt, ejuſque ulteriorem generationem impediunt, præſervandus eſt; ut ſimul, quæ ſymptomatice morbum alias comitari, & ad phthiſin perducere ſolent, minuantur aboleanturque. Semper vero virium etiam ratio per roborantia balſamica, præ aliis in hoc affectu deſiderata, inprimis vero per convenientem diætæ uſum, habenda eſt.

§. LXXVII.

Remedia conſueti *fontes* ſuppeditabunt, ex quibus chirurgicus *venæſectionem*, prioribus duabus indicationibus optime reſpondentem, commendat. Eſt equidem ea Borello, cent 4. obſ. 15. poſtquam virum atque fœminam, pulmones ulceratos habentes, paucos poſt ſanguinis miſſionem dies, interire vidit, plane adverſa: attamen ab Hippocrate ipſo, libr. cit. c. 10. §. 59. in principio curationis *in manibus* laudata, & ab aliis cum ſucceſſu uſurpata: quæ etiam in homine juvene plethorico, eoque non ſolum exquiſite tali, ſed multo quoque ſanguine ſcorbutico pollente, non parum ad derivationem humorum a loco affecto faciet: inprimis ubi febris ſymptomatica compeſcenda fuerit. Erit quoque chirurgi manus ad *maturationem* apoſtematis, per litus, fotus, cataplaſmata & emplaſtra, ex paregoricis, emollientibus, blandeque reſolventibus applicanda, valde neceſſaria: poſtquam tales labores a pharmacopœis vel medicis amplius exerceri deſierunt. Materiam hujuſmodi remediorum Syllabus Wedelianus abunde largietur, & in ſequentibus etiam nonnulla nominabuntur.

§. LXXVIII.

Quæ in progreſſu curationis, de *apertione pectoris* inſtituenda, ab autoribus proferuntur, cum grano ſalis accipienda ſunt: cum, niſi pulmo pleuræ adhæſerit, & circa vomicas ſubſtantiam ſuam adhuc integram habuerit, vix certum auxilium inde promitti poſſit. Hinc quamvis Pheræum, (vel Phaleræum) hoſtili manu in pectore vulneratum, ab inſanabili vomica liberum evaſiſſe, a Plinio & Valerio Max. literis proditum ſit; *nulli* tamen, ex hactenus a nobis adductis vomicoſis, ſalutem ex vulnere ſperandam fuiſſe patet: cum empyici potius, ſtricte dicti, magis certiuſque eam ſibi inde promittere queant. Quod ſi vero caſus evenerit, ut apertio thoracis indicetur, neutiquam per *cauterium potentiale*, utpote operationis *incertæ*, teſte D. D. Riedlino, Eph. Germ. Dec. 3. ann. 1. obſ. 126. & interdum minus *coercendæ* operationis; nec per ferrum candens cum Mercato; ſed cum Petro de Marchettis aliiſque, per *lanceolam* potius ſive ſcalpellum, vagina & ala inſtructum, muſculos intercoſtales perforandos eſſe putamus: miſſa facti iſta dolentiſſima coſtarum *perterebratione*, ab Hippocrate & M. A. Severino uſurpata.

§. LXXIX.

§. LXXIX.

Regimen puris emittendi, quoad quantitatem, in eo conſiſtit, ut per vices fiat, & injectiones ex mundificantibus, balſamicis & traumaticis, melle roſato ſcilicet, aloë, myrrha, terebinth. balſamo de Copaiba, (Peruvianum eſt valde acre) rad. fraxinellæ, cichor, plantag. ſarſaparill. chinæ, herb. ſcabios. ſanicul. betonicæ, nicotianæ, acmellæ, fl. hyperici, prunellæ, roſar. lign. juniperi, ſantal. nephrit. colubrino &c. c. ▽ f. ferrarior. &, pro renata, ▽ C. V. parentur.

§. LXXX.

In pharmaceutico apparatu offendimus *evacuantia*, neutiquam negligenda, ubi cruditates in primis viis hærere ſuſpicamur. Eligenda vero ſunt mitiora, ex ſenna, agarico, manna, gialapa, ſcammonio, ☿ dulc. in pulveres, bolos, pilulaſque compacta. Longe alio fine *emetica* a celeberrimis practicis præſcribuntur; ut ſcilicet per compreſſionem concuſſionemque pectoris vomica rumpatur, ruptaque emulgeatur quaſi. Sed ob impendentem ruptionem majorem pulmonis & ulceris definiti in indefinitum mutationem, talia dictu faciliora tutioraque, quam factu & imitatu videntur. Quod ipſum prævidentes, qui ea commendant, non tam vomitoria proprie talia, quam nauſeam tantum ſua copia, aut blandam ſimul irritationem excitantia adhibent, ▽ ſcil. tepidam, in vaſe cupreo coctam, & butyro vel oleo pinguefactam, ſirubum item de eryſimo, de peto, fl. acaciæ, perſicor. ſimiliaque in doſi dupla triplave offerunt. Sed nil temere eſt audendum: interdum enim non audit currus habenas, inque ſtomacho latentes cruditates, aut ex duodeno allecta bilis, plus, quam ſatis eſt, operantur.

§. LXXXI.

Quod *alterantia* medicamenta attinet, reſpiciunt iſta vomicam vel adhuc *clauſam*, vel *apertam*, ad illam commendantur pus viſcidum *attenuantia*, *maturantia*, folliculum *emollientia*, ejuſque *ruptionem* adjuvantia. Pro interno uſu laudamus pulveres Wedelii pectorales, majoris & minoris apparatus, ſine opio, addito pulvere benzoes, loco florum ejus, hinc myrrha, aloe violata & roſata, terebinth. cypr. & noſtrate cocta, tartaro 🜖lato, croco ♂ ſaccharino, ⏀, extr: nicotian. helleb. nigr. ☿ dulc. diaphoret. ♀ diaph. &c. Deinde linctus ex ſirubo de nicot. ſimpl. & compoſ. dia🜍 Williſii, de eryſimo, hyſſop. looh ſani, melle violat. o°o amygd. dulc. ſperm. ceti. Nec non decocta ex lignis, rad. ſcabioſ. malv. irid. flor. polypod. herb. hyſſop. ſcabioſ. urtic: cherefol. eryſim. flor. ſcabioſ. lil. alb. malv. ſem. naſturt. nicot. rapor., caricis, jujub. paſſulis. Sic etiam oblinitur pectus unguento pectorali, Agrippæ, ex bdellio, nervin. butyro rubro, o°o aneth. lil. alb-

fl.

fl. cheiri, rapor. pingu. humana, leporis, additis ₒ°ₒ diſtill. aniſ. fœniculi, ſtrobil. pini. Ubi vero dolores negotium faciunt, adhibetur ſimul ungu. popul. de alth. ₒ°ₒ ſem. hyoſcyam. papaveris &c. Quibus cataplaſmata ex rad. ariſtol. irid. bryon, lil. alb. cepar. ſigill. Salom. ſcillæ, flor. malv. chamæmel. melil. ſambuc. cort. ebuli, farina fabar. ſem. lini, fœni Græci, ₒ°ₒ lini. amygd. dulc. & amaror. butyroque concinnata: vel loco horum empl. diachyl. magn. compoſ. oxycroc. de melilot. ammon. diaphoen. calid. de ran. c. ☿, dia🜍 &c. cum ſupra nominatis ₒ°ₒ is & unguentis malaxata, imponuntur.

§. LXXXII.

Ad *apertam* vomicam requiruntur, ut diximus, *excretionem* facilem *reddentia*, *abſtergentia*, *mundificantia*, & tandem *conſolidantia*, ulterioremque *corruptionem prohibentia*. Quæ omnia paſſim inter ſe confuſa legimus; cum illa rectius præcedant, hæc ſequantur, ſeorſimque haberi queant. Priori ſcopo cuncta jam citata, ſi mucilaginoſa removeris, conveniunt; quibus, pro interno uſu laudatis, adhuc paululum acriora admiſceri poſſunt. Rad. helen. ſcill. herb. marrub. rorell. terebinthina quævis, cum vitell. ovi trita, & cum ▽ ſtrobil. pin. ſiruboque de hyſſop. violar. &c. in potionem redacta; ſimiliter decoct. & eſſ. lignor. el. propr. balſamum 🜍 ſ. & ♁t. ex ſcor. reg. terebinthinatum aniſatumque. Plinius commendat *petroſelinum*, in ſaxis natum, libr. 20. H. N. c. 12. ſuccum *marrubii albi*, cum ovo & melle coctum, c. 22. *Parthenium*, cum mica ſalis, libr. 21. cap. 17. decoctum *chamædryos*, libr. 24. c. 13. &c. Ab Epiphan. Ferdinando, Hiſtor. 32. & 42. decocto nicotianæ maximæ vires hoc loco aſſignantur; ſuntque omnino inde parata ab initio linguæ & faucibus valde acria, ſed diluuntur tamen facile ſpicula eorum & obvelantur per mucilaginoſa atque dulcia. Quantis laudibus Zacutus Luſit. vires guajaci, quod ebenum vocat, per experientiam ſibi notas, in phthiſi & ulceribus internis mundandis ſanandiſque extollat, patet ex Hiſt. Med. Princ. libr. 2. hiſt. 33. p. 239. & Praxi Hiſtoriar. lib. 21. c. 11. p. 395. ubi, quaſi per epiphonema, illud ad abſumendam ſaniem & humiditatem excrementitiam, *unicum alexipharmacum* eſſe concludit.

§. LXXXIII.

Ad conſolidationem durabilem faciunt traumatica & balſamica: rad. bardan. cichor. ſymphyt. herb. conſol. Saracen. plantag. veronic. hed. terreſtr. piloſell. pulmonariæ omnes, fl. hyperic. roſ. cich. balſ. de Capaib. & eſſ. ejus, nec non myrrhæ, ſuccin. traumatica, 🜍 Williſ. ſtrobil. pin. ocul. populi, quibus merito eſſ. ⊖ li ♂tis ♄na, ipſaque TR antiphthiſ. Gramanni jungenda, quam D. D. Præſes, ut in variis affectibus ſcorbuticis & hypochondriacis, motibuſque ſanguinis vitioſis, ita in tuſſi contumaciori non ſolum, aliis remediis non cedente, ſed inprimis quoque ad phthiſin ſeſe inclinante, admodum proficuam experitur.

§. LXXXIV.

Præter hæc nec *ſuffitus* omni utilitate carent, ex thure, maſtiche; tacamahaca, gum. animæ, terebinthina, herbis item traumaticis, ſummit. pini & juniperi, ligno aloës &c. parati. Williſius fumum ex myrrhæ, ſuccini alb. a ℥ß. ♃ vivi, auripigmenti a ʒij. corticum piſtachiorum ʒiß. ſurgentem, mane & veſperi in pulmones, per infundibulum chartaceum, dirigere jubet: quem nondum omnes, Dioſcoridem ignorantes, imitari audent; qui tutius judicant, vapores ex decoctis traumaticis plenis faucibus haurire.

§. LXXXV.

Tandem nec eorum nulla mentio facienda eſt, quæ abſorbendo, diluendo, temperando, cuicunque acredini reſiſtunt, impedimenta ſanationis tolbunt, *vitalique* indicationi poſitive & privative ſuppetias ferunt. Talia ſunt per'æ, earumque mater, corallia, oc. ♋; ebur. cc. phil. ♁ ♂le, ♃le, ſpec. de gemmis, diatr. ſantal. de hyacinth. &c. quæ in forma pulveris, vel cum ▽ veron. ſcabioſ. flor. acac. rub. id. ſummit. pin. ceraſ. nigr. namphæ, cinnam borrag. ſirup. de betonic. conf. alkerm. &c. in potiunculas redacta, aliis interponi poſſunt.

§. LXXXVI.

In *diæta* Hippocrates, lib. de ulcer. calidam tempeſtatem anni pleriſque ulceribus magis conducere ſcribit, quam hyemem, præterquam iis, qui in capite & ventre ſunt. Nimirum; quia in his ſanguis copioſior exiſtens, ex agitatione inflammationes infert & auget: id quod imprimis ad thoracem quoque applicandum eſſe; Sponius putat. Idem Hippocrates ægro; ex varicoſa vena pulmonem ſuppuratum habenti; diætam tenuem; eumque *ξηρότατόν τε καὶ ἀναιμότατον*; *ſicciſſimum & exſanguiſſimum* reddentem; eumque in finem, alio in loco cibum pauciſſimum & aquæ potum commendat. Sed præſtet cibis facilibus concoctu; iiſque non multis quidem, aſt boni ſucci, gelatinis ſcil. emulſionibus, ipſoque lacte, Sponio balſamum pulmonum vocato, uti. Pro potu laudatur ſubinde mulſum. Quoad motum, quietem & reliquas res nonnaturales vitetur exceſſus, cujus noxæ patent ex ipſa Diſſertatione; cui hac vice finem imponemus.

D. S. L. H. E. G. I. S. A.

LVII.

JUSTI GODOFREDI GUNZII

ET

JO. HENRICI SCHMID,

DISSERTATIO.

Qua Derivationem puris ex Pectore in Bronchia, ad Galenum de Loc. affect. Lib. V. Cap. III. exponit.

Lipſ. 29 Aug. 1738.

Q. B. F. F. Q. S.

I.

UT omnes antiquos Medicos in quamplurimis rebus, ſic Hippocratem in Anatome recentiores carpunt. Eumque arguere quidem ſolent, nec jecoris ſitum noviſſe: ſiquidem id ſcribit in thorace eſſe (α). Veruntamen diligentiores Medicum e Philoſopho (β) exponunt, qui omne id, quod in corpore humano a jugulo ad pubem, & retro a cervice ad coxam eſt, nomine thoracis comprehendit. Alii hanc partem truncum corporis vocant, quem interne ſeptum transverſum in binos ventres diducit. Horum ſuperiorem thoracem, aut cum Celſo & Plinio (γ) pectus nominamus. Quod ab utroque latere duodecim coſtis, & interpoſitis carnibus, in medio, pectorali oſſe, a præcordiis cartilagine mollito, & retro duodecim vertebris ſpinæ dorſi circumſcriptum, ſuperius in jugulis, inferius in ſepto tranſverſo terminatur. Atque videtur formam ſphæroidi, ſeu ovo diſſecto ſimilem habere, ſed ſterno paululum compreſſo, & baſi, quam ſeptum tranſverſum efficit, a pectoralis oſſis cartilagine ad duodecimam vertebram obliqua (δ). Quod tamen cavum non ſimplex, ſed duplex eſt: utpote membranis, quas græci ὑπεζωκότας, noſtri Diſſectores pleuram vocare conſueverunt, formatum. Hæ enim ab utroque latere coſtas, earumque cartilagines & muſculos ſuccingentes, in pectorali oſſe ac ſpina, propius ad ſe accedunt, & hinc ad priora, illinc contra tendentes pericardium velant, mediaſtinumque efficiunt. Ex quo apparet, binas membranas eſſe, quas jam olim Apollonius Mys (ε) atque Galenus (ζ) novit, ſed noſtra æſtate Winſlovius (η) deſcripſit. Eodemque auctore diſci poteſt, eas binos quaſi oblongos ſaccos ſeu veſicas, efficere, in quibus pulmones contineantur, easque Garengeotus (θ) fuſe expoſuit. Aliter ejuſdem ac peritonæum, vel ſimilis ad minimum fabricæ ſunt,

(α) De Arte Sect. I. p. 6. Ed. Fœſii 1657. ὅτε γὰρ θώρηξ καλεόμενος, ἐν ᾧ τὸ ἧπαρ στεγάζεται. Quam adeo vocem, mirum eſt, in Fœſii Oeconomia non legi.

(β) De Hiſt. Anim. l. 1. c. 7. p. 201. T. 2. Ed. du Vall. 1654. Plura vide apud. Caſp. Hofmannum de Thorace I. 1. c. 1.

(γ) Sæpius tamen & græco thorax utitur, quod legitur l. 20. c. 6 7. 17. l. 23. c. 8. l. 25. c. 5.

(δ) Videatur Borellus de Motu Animal. l. 7. prop. 90. Winslovius Expoſ. Anat. t. 3. de la Poitr. §. 6. Ed. Amſt. pectus ovo ſimile eſſe ait.

(ε) De Secta Herophili ſeu vol. 18. apud. Cælium Aurelianum Acut. Morb. l. 2. c. 13. p. 110. Ed. Amſt.

(ζ) De Adm. Anat. l. 5. c. 8. vid. tamen & l. 7. c. 2.

(η) l. c. §. 26.

(θ) L'Anatomie des Viſceres p. 349. ſeqq.

ſunt, pariterque duplices ab Anatomicis, ſed æque male deſcriptæ (ι), quarum altera coſtas, altera pulmones reſpiciat, venis arteriisque inter utramque diſcurrentibus. Siquidem hæ ex ipſa magna arteria eductæ, in ſulco, inferiori margini coſtarum inſculpto, ad os pectorale pertingunt, & toto ſuo decurſu numeroſiſſimis rivulis coſtas earumque cartilagines, membranas, carnes & ſternum irrigant (κ). Similique ratione ab arteriis reflexæ venæ diſcurrunt, tandemque in venam, quæ pari deſtituitur, confluunt, præterquam quod, a ſiniſtris, ſuperiores aliquot utplurimum ad ſubclaviam tendunt. A prioribus venæ potiſſimum cum internis externisque mammarum venis, arteriæ cum iiſdem aliisque partium propinquarum arteriis ſæpe junguntur. Nervi autem, ab intercoſtali (λ) atque dorſalibus orti, hic admodum copioſi ſunt, &, ſi a tumidis muſculis atque membranis comprimuntur, homini acerrimum dolorem afferunt. Verique ſimile eſt, hos morſus arctiore membranarum cum coſtis nexu intendi (μ). His enim omnino preſſius incumbunt, & raro contexto opere diſtinguuntur, quod Diſſectores cellulosum vocant: quod tamen, qua illæ carnibus adjacent, pariter atque in peritonæo (ν), licet non æque ſpiſſum amplumque, conſpicitur. Idque latere non poteſt, qui ſuccingentes membranas ab oſſe pectorali & vertebrarum corporibus ſolvit. Eſt enim his in locis vel ideo amplius clariusque, quod utræque membranæ non quidem ſe ibi attingunt, ſed laxius, hoc in cellulas effficto opere intercedente, cohærent. Huncque duplicem panniculum, a prioribus ad terga productum, plurimi mediaſtinum, pauci interſepientes membranas vocant (ξ). Veſalius (ο) tanquam triangularem deſcripſit, ac delineavit, ſed propterea forte minus adæquate, quoniam tertium latus, quod deberet a pectorali oſſe ad ſpinam uſque, ſepti tranſverſi convexæ parti jungi, plus quam dimidia parte ſcilicet a priori, deficit. De quo panniculo adeo diſcrepantes Medici ſunt, ut nihil magis. Plures utramque membranam ſcripſerunt ab jugulis a lateribus pectoralis oſſis, ubi cartilagines excipit, ad ſeptum tranſverſum tendere, ibique tantum inter ſe diſtare, quanta ſit ipſa oſſis latitudo. Contra recentiorum pauci arctiſſime inter

(ι) Ex his nominare ſaltem liceat Columbum de Re Anat. l. 11. c. 3. Spigelium Anat. C. H. l. 9. c. 3. Laurembergium Colleg. Anat. Exerc. 9. §. 25. Highmorum Diſquiſit. Part. C. H. l. 2. part. 1. c. 4. p. 125. & Th. Bartholinum Anat. Reform. l. 2. c. 4. p. 344. Ed. 1686.

(κ) Vid. Ruyſchius Epiſt. 2. Tab 2. F. 1. & Adverſ. Anat. 11. Tab. 2. F. 3.

(λ) Conf. Illuſtris Waltheri Progr. de Anat. nerv. paris intercoſt. & vagi. Lipſ. 1733.

(μ) Ita quidem differre laterum dolores etiam Galenus jam indicavit de Loc. affect. l. 2. c. 3. ὅς (ὑπεζωκὼς ὑμὴν) ἐν οἷς μὲν ὁμιλεῖ τοῖς ὀςοῖς ἐξ ἀνάγκης θλίβεται. τὸ μεταξὺ δὲ πᾶν ἄθλιπτον τ' ἐςὶν αὐτοῦ, καὶ μόνον τῷ λόγῳ τῆς φλεγμονῆς ὀδυνώμενον. Conf. Cælius Aurelianus l. c. p. 116.

(ν) Vid. Douglaſſii Diſſ. de Peritonæo.

(ξ) Græcis ſcilicet διαφράττοντες membranæ dictæ ſunt, unde Veſalius de C. H. Fabr. l. 6. c. 3. & Faliopius inſtit. Anat. T. 1. Opp. p. 443. interſepientes vocant. Laurembergio l. c. §. 29. placent voces: Diſcretorium, diſcrimen & diribitorium. Vid. Caſp. Hofmannus l. c. c. 5.

(ο) l. c. Figura in margine adjecta eſt.

inter ſe nexas, & omnino nihil diſtantes membranas, ſecundum medium circiter oſſis proferri, propoſuerunt (π). Equidem non auſim negare, has adeo diſſonas deſcriptiones e cadaveribus deſumtas eſſe: ſiquidem ſcio, maxime ejuſmodi partium, raro in aliquot cadaveribus perfecte ſimilem ſitum atque figuram eſſe. Id tamen ex omnibus, quæ ſecari vidi, vel ipſe incidi, cadaveribus mihi clarum, aliorumque Doctorum oculis teſtatum eſt, membranas, quæ latera ſuccingunt, pectus ſub jugulis claudentes, utrinque a cartilagine primæ coſtæ, ubi oſſi jungitur, incipere, glandulamque thymum comprehendentes, oblique deorſum tendere. Maximeque dextram, inde a tertiæ coſtæ cartilagine, ſecundum longitudinem, fere in medio pectoralis oſſis deſcendere, & a fine hujus oſſis ſubito ad dextrum latus reflexam, ſeptum tranſverſum contegere. Contra ſiniſtram a cartilagine ſecundæ vel tertiæ coſtæ ad quintam propemodum recta, indeque in margine oſſis, admodum oblique ſiniſtrorſum ad ſeptum ferri, quod hæc pariter ac dextra operit. Ideoque utraque membrana triangulum fere rectangulum in inferiore parte fingit (ρ). Ergo etiam clarum eſt, interſepientes membranas non medium oſſis pectoralis occupare, quod quidem aliqui ſcripſerunt (σ)., ſed oblique verſus ſiniſtram, maxime inferiore parte; ad ſeptum tranſverſum tendere. Ex quo eo magis apparet, factum id eſſe ob cordis obliquum ſitum, quod a quarta circiter dorſi vertebra ad ſeptum tranſverſum pertinet (τ). Deinde non minus ex his apertum eſt, interſepientes membranas non quidem, quantum a veteribus ſcriptum eſt, ſed ita diſtare, ut ſub media oſſis pectoris parte minimum ſpatium, majus ſub jugulo & ad primam coſtam, maximum prope ſeptum tranſverſum ſit (υ). Vix autem fides habenda eſt iis, qui fieri hanc cavitatem aiunt, dum os pectoris elevatur. Nam ratio & experientia docent, binas membranas inter ſe laxe aptas, ſi vi eleventur, non diduci, ſed potius comprimi. Aliqui vero ex ſuperioribus ſæculis Diſſectores figuram interſepientium membranarum, qua vertebris adhærent, ſatis luculenter expoſuerunt (ϕ). Quandoquidem a lateribus vertebrarum

(π) Blaſius in Comm. ad Veslingii Synt. Anat. p. 140. & Th. Bartholinus l. c. contendunt, hoc primum a Falcoburgio obſervatum eſſe, quod uterque etiam probat, pariter ac Jo. Maur Hofmannus ad van Horne Microcoſm. p. 122. & Fantonus Anat. C. H. Diſſ. 11. p. 274. Plenius hanc rem expoſuit & defendit Ruyſchius l. c. p. 19.

(ρ) Quicunque etiam negant interſepientes membranas, ſub oſſe pectoris, inter ſe diſtare: eas tamen concedunt, prope ſeptum tranſverſum, aliquam cavitatem efficere, quam fere triquetram optime expreſſit Cowperus in the Anat. of humane bodies Tab. 21. C

(σ) Winslovius l. c. §. 29. omnes olim ita ſenſiſſe Anatomicos ſcribit. Quod vel inde conſtat minus probabile eſſe, quod plurimi docuerunt, tantum membranas diſtare, quanta ſit oſſis latitudo Forte ipſum fefellit, quod aliqui eas ſcribunt in medio pectore eſſe.

(τ) Conf. Winslovius in Act. Acad. Reg. Sc. 1715. p. 309. ſeqq. Ed. Amſt. & Santorinus Obſerv. Anat. c. 8. §. 1. p. 141.

(υ) Hoc quodammodo jam indicavit Veſalius l. c. & Riolanus Anthrop. l. 3. c. 6. p. 217. Opp.

(ϕ) Veſalius, Fallopius & Th. Bartholinus l. c. Hic & Veſalius ſtomachum ſaltem, ejuſque nervos in hac cavitate eſſe, affirmant. Sed vid. Winslovius T. 4. l. c. §. 27.

tebrarum oblique proferuntur, inque hoc triangulo, quem formant, decurrentem magnam alteriam, venamque ſine pari, & thoracicum ductum, in cellulas efficta membrana, nec raro copioſa pinguitudine completa involvunt. In utraque vero interſepiente membrana, etiam a priori, binæ arteriæ decurrunt, ex ſubclaviis eductæ, venæ totidem, ſed recta ad cavam ſuperiorem, ſiniſtra ad ſubclaviam tendit. Neque illud omittam, quod primum Winslovius (χ) propoſuit, propter adeo obliquum ſitum interſepientium membranarum, ſiniſtram pectoris cavitatem dextra minorem eſſe. Quoniam autem, quomodo ex his locis pus in pulmones veniat, potiſſimum quæritur, ante omnia horum aliorumque extorum ſitus in pectore conſiderandus eſt. Igitur ea, quæ a faucibus ad pulmones fertur, aſpera arteria, poſtquam ad os pectorale acceſſit, poſt thymum glandulam, inter mediaſtini membranas ad pulmones dirigitur. Veniens autem ad tertiam circiter dorſi vertebram, obliquo arteriæ magnæ arcui, & pulmoneæ cedens, paululum in dextram partem inclinat. Qua de cauſſa ejus ſiniſter ramus longior, dexter brevior eſt. Uterque vero, ubi interſepientes membranas attingit, cum pulmonibus committitur. Neque vero illæ perforantur, ſed reflexæ, interna parte fibras pulmonum tunica ſuper contegunt. Igitur utramque pectoris cavitatem ſoli pulmones occupant, convexa parte lateribus, pauliſper concava mediaſtino & cordi, magis ſinuoſa ſepto tranſverſo adjacentes, omni tamen ab nexu in ſanis liberæ. Neque tamen diſſectoribus fides habenda eſt, qui tantum non omnes ſcribunt, pulmones utrinque mediaſtinum attingere, corque ſub illis condi, quale quid etiam tabulis expreſſerunt. Cor igitur, nobiliſſimum viſcus, coni quodammodo formam habens, ſic fere tranſverſim, inter pulmones, poſitum eſt, ut latiorem partem, quam baſin vocant, dextro, mucronem ſiniſtro lobo obvertat, inferiore, propemodum plana facie, ſepto tranſverſo incumbat. Baſis oblique ſub pectorali oſſe poſita, paulum ab eo in dextrum latus excedit, ac propior tergo eſt, adque tertiam propemodum vertebram pertinet. Apex ad ſiniſtram cavitatem excedens, paululum levatus, ſextæ circiter veræ coſtæ extremam partem oſſeam ferit (ψ). Itaque ex magna pulmoneaque arteria, & vena cava ſuperiore potiſſimum cor quidem pendet, inque pericardio libere movetur. Hoc autem quinque maximis vaſis adhærens (ω), a

(χ) l. c. §. 30. & in Act. Acad. Reg. Sc. 1715. p. 309. ſeqq.

(ψ) Hanc ſententiam jam propoſuit Plinius Hiſt. Nat. l. 11. c. 37. Cor homini infra lævam papillam, turbinato mucrone in priora eminens. Sed accepit ab Ariſtotele, qui ait: *εἰς τὸ πρόσθεν ἔχει ἡ καρδία τὸ ὀξύ.* de Hiſt. Anim. l. 9. c. 17. Vid. Laurentius Hiſt. Anat. l. 9. c. 9. & Caſp. Hofmannus l. c. l. 1. c. 8. p. 11.

(ω) Non quidem orbiculatim tantum, quod a Diſſectoribus ſcriptum eſt, venis arteriisque pericardium annectitur, ſed ab ea parte, qua vaſis adhæret, altera interna membrana reflexa, ipſa propemodum ad cor uſque conveſtit, altera autem externa, quatenus in pectore atque pulmonibus ſunt, vaſa involvi Lanciſius docuit de Motu Cordis l. 1. prop. 7. 8. p. 24. Vid. tab. 2. fig. 1.

a priori & in tergo, interſepientibus membranis firmatur, jungiturque inferius ei ſepto, quod ventrem a præcordiis diducit. Hujus enim nervoſæ parti undique arctiſſime adſtringitur (α), eamque ſatis validam facit. Sed a priori, interſepientium membranarum dextra pericardio ita fere annexa eſt, ut altera pars baſis cordis in dextro latere, altera ſub oſſe pectoris conſpiciatur. Siniſtra oblique mediæ parti pericardii adhæret, idque arctius tenet, magisque levat, ut cor apice ſuo ad ſextam coſtam convertatur. Ideoque cor maxime ſub ſiniſteriore mamma ſitum, pulmonem hac parte lateri apprimit, qui a ſuperiore parte uſque ad cartilaginem quartæ coſtæ, anteriore margine mediaſtino adjacet. Inde oblique recedens, hunc marginem, ad extremitates quintæ, ſextæ, ſeptimæque veræ coſtæ convertit. At pars cordis, quaſi triquetra, ſub harum coſtarum cartilaginibus conditur, quæ cum pectorali oſſe, & ſepto tranſverſo formam trianguli efficiunt (β).

I I.

His veluti in conſpectum quendam, quatenus, quæ dicenda ſunt, facilius in notitiam venient, adductis, earum partium morbos exequar, in quibus pus generari ſolet. Ex his illum, qui a lateribus, quæ in hoc morbo laborant, græcis πλευρῖτις (γ) nominatur, decet in primis exponamus. Qui latine dolorem lateris vocant (δ), non quidem hunc morbum a quocunque dolore laterum externo, aut per conſenſum orto, nedum verum a notho diſtinguunt. Eſt autem hæc notha pleuritis maxime ſub cute & in carnibus, coſtis extra interpoſitis, ab effuſa lympha vel ſero orta. Ergo etiam videtur ad catarrhos pertinere. Vera pleuritis eſt inflammatio ſuccingentium membranarum, carniumque, quas in lateribus contegunt, a ſanguine in tenuiſſimas arteriolas, in quibus alias ſaltem lympha fluit, transfuſo, & conſiſtente, vel his ruptis effuſo, quo febris acuta accenditur, graviſſimique dolores, & in primis punctorii in latere, difficilis reſpiratio, ac tuſſis plerumque humida moventur (ε). Fue-

(α) Lanciſius l. c. p. 23. inter alios de hoc nexu ſcribit, eum non ſolum ad nervoſam, verum etiam ad carnoſam ſepti partem pertinere, potiſſimum ubi vena cava inferior deſcendit. Eundem formam triangulam habere Cantius propoſuit Impet. Anat. p. 17. Uſum hujus nexus luculenter expoſuit Fantonus l. c. p. 276. ſeqq.

(β) Hunc ſiniſtri pulmonis cordisque ſitum bene expreſſerunt Veſalius tom. 1. p. 355. & l. 6. fig. 2. M. M. atque Cowperus l. c. optime Euſtachius Tab. anat 15. fig. 1.

(γ) Fœſius in Oeconomia hunc morbum ἀπὸ τῆς πλευρᾶς, membrana ſuccingente dictum eſſe, judicat, quæ tamen græcis Medicis vix hoc nomine nota fuit. Melius Pollux Onomaſt. l. 2. Segm. 166. νόσον περὶ τὰς πλευρὰς vocat, quæ coſtæ ſunt: nam paullo poſt ait: τὰ δὲ ὀστᾶ πλευραί.

(δ) Celſus de Medic. l. 4. c. 6.

(ε) Qui ipſam medendi artem ſcriptis illuſtraverunt, varios, qui morbum producere ſoleant, humores eſſe, Hippocratis auctoritate propoſuerunt. Sanguinem enim vel ſolum, vel cum bile, aut pituita mixtum in has partes incidere. Eoſque etiam in ſputo dignoſci poſſe. Et hi quidem, prout diverſi ſunt, ita probabile eſt, cauſſas, quas medentes προηγουμένας vocant,

Fuerunt autem jam olim, qui pulmones aut ſemper (ζ), aut plerumque ſaltem (η), ſimul cum pleura affici propoſuerunt, morbumque Pleuripneumoniam nominarunt. Poſt quos Vincentius Baronius (ϑ) & Illuſtris Fr. Hofmannus (ι) hanc doctrinam ita mutaverunt, ut in vera pleuritide proprie pulmones, per accidentia etiam ſuccingentes membranas inflammari poſuerint. His igitur obviam eundum eſt, qui hanc ſententiam, ut veram amplectantur, quod credunt, non poſſe comprehendi, quo pacto pus ex lateribus ad aſperam arteriam in pulmonibus perveniat (κ). Cum vero hæc Viri graviſſimi per multas rationes probare anniſi fuerint, ſubjiciendum eſt, quam parum illi a noſtra opinione abhorreant, vel ipſam infirment. Nam quæ demum inciſorum hominum exempla allegant, quos pleuritis ſuſtulerat (λ), ne quidem ipſi negant, ſuccingentem

cant, vel cum ſanguine per corpus diffundi, vel magis jam in laterum vaſis conſiſtere. Similiterque ex eo apparet, quam ob rem eadem cauſſa προκαταρκτικὴ, quæ in altero pleuritidem facit, alteri nihil noceat, etſi hic corpus impuris ſuccis æque repletum habeat. Sed quomodo pleuritis fiat, apte Hippocrates expoſuit de Morb. l. 1. ſect. 5. p. 457. ſeq.

(ζ) De ſede veræ pleuritidis adeo copioſæ lites ſunt, ut non ſit in noſtris viribus, eas omnes componere. Ex ſputo tamen judicarunt, morbum ſimul in pulmonibus conſiſtere debere: idque ſemper fieri inter alios ſcribunt Hocchſtetterus Obſ. Med. Dec. VII. Fel. Platerus Prax. t. 2. c. 10. & Bohnius Diſſ. de Pleuritide vera Lipſ. 1666.

(η) Conf. Muſculi Diſſ. de Pleurit. Nat. & Cura §. 9. Erf. 1685. Andr. Petermann Diſſ. de Pleuritide §. 9. Lipſ. 1690. Veſti Diſſ. de Pleuritide §. 5. ſeqq. Erf. 1690. Junctum morbum Pleuropneumoniam primus vocavit Riolanus, ut ipſe ſcribit in Enchir. Anat. l. 3. c. 4.

(ϑ) In libro de Pleuropneumonia, quem ipſe conſulere non potui. Non vero prætereundum eſt, hunc, & qui eum ſequitur, Conr. Vict. Schneiderum Diſſ. de Pleuripneumonia Viteb. 1679. contendere, in peripneumonia utrumque lobum pulmonis, in pleuritide alterutrum pati. Quam ſententiam loco Hippocratis in Libr. de Loc. in Hom. ſect. 4. p. 414. ſatis quaſi munitam credunt, ſi vocabulum πλευρὰ eo in loco pulmonum lobos ſignificare ponatur. Equidem hanc aliasque conjecturas Eruditorum ſuper hoc loco non excutere volo: attamen cum Hippocrates pleuritidem oriri dicat, ſi bilis ἐς τὸν κίθαρον, i. e. thoracem fluat, quem cum ipſe ibidem, tum Erotianus, Galenus, & in primis Heſychius a pulmone diſtinguunt: (conf. Fœſii Occon.) & Cous Senex paullo poſt ſcribat: μείζων ὁ λοβὸς γενόμενος, ἀμφοτέρων ἔψαυσεν τῶν πλευρέων, ſatis patere exiſtimo, quantum Hippocrates & Schneiderus de ſede veræ pleuritidis diſcrepent.

(ι) In Diſſ. de Pleuritide & Peripneumonia Halæ 1699. & alia de Affectu rariſſ. perpet. ſucci nutrit. ex thor. ſtillic. ſect. 1. §. 7. Halæ 1704. Qui aliam viam ac illi ingreſſus, in pleuritide leviorem in membrana pulmonum, in peripneumonia majorem in ipſa carne eorum inflammationem eſſe contendit. Ex reliquis, qui pleuritidem in pulmonibus eſſe opinati ſunt, veteres nominavit Cælius Aurelianus Acut. l. 2. c. 16. & de Demetrio Herophilo c. 25. recentiores etſi non omnes ex Welſchio recenſuit Ill. Fr. Hofmannus de Pleurit. §. 9.

(κ) Schneiderus l. c. §. 32. 34. & Ill. Hofmannus l. c. §. 7. 8. Reliqua argumenta minus gravia ſunt: ut adeo ſi doceatur, quomodo in pulmones pus veniat, tota fere ſententia corruat.

(λ) Bonetus in Sepulchreto plurimas obſervationes collegit, quas alii in ſectis pleuriticorum cadaveribus fecerunt, quibuſque maxime confidunt adverſarii, quod plerumque pulmones ſimul affecti inventi ſunt. Eſt autem dolendum, illos rarius adjeciſſe, an ægri aliquid per tuſſim exſcreaverint, an hæc nihil emolita ſit. Præterea dubium eſt, an omnes jure pleuritici judicati fuerint, quorum forte non pauci peripneumonia laborarunt. Atque Riverius Prax. l. 7. c. 2. p. 248. ſeqq. Opp. Ed. Lugd. 1679. certiſſimam ſententiam tulit, mirum non eſſe, in pleriſque pleuriticis, ſi præcordia incidantur, pulmones corruptos inveniri, ſiquidem pleuritis per ſe rarius hominem interimat, ſed brevi ſputo ſolvatur: quod ſi pulmones exſcreare nequeant, fieri, ut purulenti fiant, nec tamen ſigna inflammationis præbeant, ſed homo diem ſupremum obeat.

gentem membranam, qua inflammato pulmoni adjacuerit, in multis valde affectam, pureque plenam fuiſſe. Quod quidem quacunque de cauſſa in hac membrana collectum ſit, æque incomprehenſibile eſt, qua via in pulmones veniat. Deinde etiam apertum eſt, pulmones inflammatos pleuram contactu immundo adeo fœdare vix poſſe, ut non ſolum inflammatio eam occupet, ſed ſub integra etiam membrana ingens vis puris colligatur. Profecto autem veriſimile eſt, ſuccingentes membranas facilius inflammatione occupari poſſe quam externam pulmonum. Diſcurrunt enim per illas multæ arteriæ, ex aorta, velut exigui rivuli a magno flumine, deductæ, ſanguineque fervido atque crudo, nec ſatis præparato pleræ. Membranæ vero ſuper coſtas accurate extenſæ hisque arcte adſtrictæ, quaſi rigidas arterias nervosque efficiunt, ut illæ vel leviſſimam injuriam perpeſſæ obſtrui, hi vero ab illis preſſi vehementes dolores concitare queant. Sed multo omnino laxior pulmonum membrana eſt, neque adeo copioſis arteriis nervisque interſtincta. At ſive hæc, ſive ſuccingentes membranæ pure adeſæ ſint, malum æque grave, comprehenſuque difficile eſt, pleura ne an pulmonum membrana intra ſeptem dies facilius ſanari poſſit (μ). Neque ignorari oportet, utrumque morbum facile diſtingui poſſe, eorumque ſigna a præſtantiſſimis Medicis accurate obſervata eſſe. Ex quibus omnibus diſci poteſt, ut ſæpe conjuncta utraque mala ſint, tamen pleuritidem non ex pulmonum membrana, ſed ex ſuccingentibus oriri. Quod ſi vero hi morbi intra quatuordecim vel viginti dies non ſolvantur, eos ſciendum eſt ad ſuppurationem tendere (ν), pus que in pectus deſtillare, qui morbus ἐμπύημα a græcis (ξ) nominatur. Interdum etiam thorace perfoſſo, laſisque, quæ intus ſunt, ingentem ſanguinis profuſionem ἐμπύημα ſequitur: maxime ſi ſanguis vulnere ampliato non evocatur. Ergo hoc pus in iis, quibus vires non nimis fractæ ſunt, tuſſis accedens emolitur, in aliis ſectione evocatur, plures tabidos facit, vel brevi interimit. Denique ſanguis etiam non præteriri debet, quem tuſſis aliquando e pectore trahit (ο).

III.

(μ) Ill. Hofmannus l. c. §. 8. An ſanguis in pleuritide ſemper purus atque ſincerus ſit, quod ibi §. 7. ſcribit, alii judicent.

(ν) Hippocrates Sect. V. Aph. 8. Conf. Interpretes & Commentatores.

(ξ) Ἐμπύημα quidem de quavis collectione puris dicitur, ut luculenter docuit Fœſius in Oecon. Et Cælius Aurelianus l. c. c. 17. & Chron l. 5. c. 10. ἐμπύημα vomicam vertit, quæ quidem, ut etiam ex Celſo manifeſtum eſt, omne ἀπόςημα denotat, non vero tumorem propria tunica incluſum. Ut plurimum tamen etiam veteres voce ἐμπύημα, puris collectionem in cavo pectoris ſignificarunt.

(ο) Sanguinem enim etiam, qua ex latere, qua ex pectore, exſpui affirmarunt Celſus lib. 4. c. 4. §. 5. Aretæus de Cauſſ. & Sign. Acut. l. 2. c. 2. p. 13. 15. Ed. Boerh. Galenus de Loc. affect. l. 4. c. 5. Meth. Med. l. 5. c. 8. Trallianus l. 7. c. 1. p. 93. Ed. Rob. Steph. & Jan. Damaſcenus Meth. l. 4. c. 25. De recentioribus nihil dicam.

III.

Ingenioſiſſimus ſecundi poſt C. N. ſæculi Medicus Galenus, cujus hic expendemus, illuſtrabimusque ſententiam, a nobis propoſito loco, de his morbis parum vel nihil expoſuit. Ejusque oratio ſtatim a derivatione puris in aſperæ arteriæ ramos proficiſcitur. Sed enim quia Galenus ſæpius de cavis pectoris loquitur (π), quæ diligentiſſimus Cælius Aurelianus (ρ) pectoris inania vocat, eum ſcire oportet, ſpatium inter pulmones & latera hoc nomine ſignificare. Ex quo etiam apparet, Galenum de eo ſanguine ac pure loqui, quod in hanc cavitatem effuſum eſt, minime de illo, quod adhuc in coſtas ſuccingentibus membranis conſiſtit. Nam ipſi etiam incredibile viſum eſt, e lateribus pus educi poſſe. Ideoque non tam eos refutavit, qui negabant, poſſe ex lateribus pus trahi, ſed qui neque ex pectoris cavo id in pulmones derivari poſſe, volebant. Hoc autem ait cum ex eo manifeſtum eſſe, quod, quibus ex abſceſſu rupto pus, vel ex vulnere ſanguis in pectore eſt, utrumque exſcreent, tum ex eo patere, quod ita affecti guſtum aquæ mulſæ, quæ in thoracem infuſa ſit, in ſputo habeant. Hoc autem licet non pauci in dubium vocent, illud tamen quam maxime certum eſt, ſiquidem ſectionibus confirmatur. (σ). Evidentiusque id in ſanguinis ſputo eſt, ex ruptis arteriis profuſi, quo, cum homo ſæpius brevi pereat, præcordiis inciſis, res poteſt in conſpectum dari. Quoniam autem Galenus Eraſiſtrati quoque ſententiam, quæ maxime ad pleuritidem pertinet, propoſuit & confutavit, hæc etiam præteriri non debet. Et cum alii ſibi perſuaſerint, omnino impoſſibile eſſe, ut, in pleuritide pus per aſperam arteriam educatur, horum etiam argumenta confutavimus, evicimusque, veram pleuritidem in coſtas ſuccingentibus membranis, carnibusque adjacentibus eſſe. Inque hoc morbo, ſi benignus eſt, ab initio utplurimum pituita, protinus, ſi gravius malum, ſanguis, aliter flave coloratus, ſanguineque etiam miſtus humor, denique purulenta per tuſſim exſcreantur. Ex quo diſci poteſt, quales humores, e pectore, per aſperam arteriam, educi contendamus, etſi, brevitatis cauſſa, pus ſemper nominabimus. Idque dicemus in pleuritide ex latere, in empyemate e pectore ferri, quamvis aliter etiam voce pectus utemur. Quibus propoſitis, opus non eſſe exiſtimo, ut operoſius dicam, quid puris ex latere pectoreque derivatione in aſperæ arteriæ ramos ſeu bronchia ſignificemus.

IV.

(π) Nam pleriſque in locis *τὰ κενὰ τȣ̃ θώρακος*, interdum etiam *τὴν χώραν μεταξὺ θώρακός τε καὶ πνεύμονος* vocat.

(ρ) De Morb. Chron. l, 5. c. 10. p. 586. ſeq. Hippocrates, Aretæus & Trallianus voce *θώρηξ* vel *θώραξ*, Hippocrates etiam in Libro de Loc. in Hom. *κίθαρος*, & Celſus vocabulo pectus utitur, quo etiam aliquando latera ſignificat.

(σ) Conf. Riverius l. c. & Riolanus Anthrop. l. 3. c. 5. & Enchir, Anat. l. 3. c. 4.

IV.

Igitur ii, qui pleuritidem in lateribus eſſe credunt, ex his, inque empyemate e pectore, pus ferri per pulmones docent (τ). Erunt autem non pauci, qui ſupervacaneum eſſe clamabunt, has vias rimari velle, per quas in pulmones derivetur. Quibus tamen opponimus, in curatione horum morborum plurimum intereſſe, utrum per unam aut plures vias, an vero per aliam e pectore, aliam ex latere pus educatur? Jam vero nihil duco eſſe commodius, quam Eraſiſtrati (υ) verba examinare, quæ etiam Galenus primo loco excuſſit. Eaque verba ita latine convertimus: „ Quæ vero ex his locis ore ejectantur, hac via feruntur. Ab „ illa arteria, quæ ſpinæ adjacet, ad ſingulas coſtas in utrumque latus „ vaſcula quædam æqualiter procedunt. Eaque in vicinas ſedes multi- „ plici diviſione diſperſa, adeo exilia fiunt, ut eorum extremitates om- „ nem ſenſum fugiant. Quando igitur ſanguis in has arterias verſus ca- „ vam transfunditur, aliquando ad ea loca, quæ circa pulmones ſunt, „ & in ſurculos, quibus pulmo arteriæ prope ſpinam jungitur, aſcendit. „ Et quæ huc inciderunt, pari modo ad pulmones perveniunt. Ex qui- „ bus, quomodo ejiciantur, antea dictum eſt." Primo itaque repetendum eſt, ex Eraſiſtrati opinione, a corde in arteriam magnam ſpiritum, in venas ſanguinem exprimi, eoque in arterias transfuſo inflammationem ac febrem fieri. Quod quidem in noſtro exemplo clarum eſt ita debere contingere, ut ſanguis in minimas arterias transfuſus, quæ per coſtas diſcurrunt, ad magnam arteriam, quæ in ſiniſtro ſpinæ latere deſcendit, & quam Eraſiſtratus *κοίλην* vocat, derivetur. Deinde etiam cognoſcimus, Eraſiſtratum hoc loco de ſputo ſanguinis dicere, qui ex lateribus fertur. At quidem Galenus levibus frivolisque Eraſiſtratum inceſſens, poſtremo opponit, cum ſpiritus a corde in arterias magna vi impellatur, ſanguinem in eas transfundi non poſſe. Verumtamen a Galeno vel Eraſiſtrato poſitum non fuit, qua parte major vis cordis ſit, celerius ne ſpiritus in arteriis, an ſanguis in venis moveatur. Neque attendit

(τ) Omnia his verbis comprehendit Aretæus de Cauſſ. Chron. l. 1. c. 9. p. 37. Καὶ ἐν μὲν θώρηκι, ἐν τοῖσι ἕλκεσι, ἤτοι ἐν πλεύμονι, ἣν ἐκδέχεται φθόην, ἢ ὑπεζωκότι ἐν πλευρῷ, ἢ στέρνῳ, ἢ κάτω πῆ πρὸς τῇ ξυμφύσι τῦ πνεύμονος κατὰ ῥάχιν, ἢ πῆ τῦ θώρηκος ἄλλη, ξυμπάντων δὲ ἐς ἀναγωγὴν ὁδὸς τῷ πύῳ πνεύμων. Conf. de Cauſſ. Acut. l. 2. c. 2. p. 15. Cælius Aurelianus Acut. l. 2. c. 16. p. 116. & Trallianus l. c.

(υ) Ex lib. περὶ τῆς ἀναγωγῆς τῦ αἵματος, ex quo Galenus tranſcripſit. His vero omnibus jam perſcriptis, neſcio quo caſu in Act. Erud. Suppl. T. 6. p. 128. incidi, ubi Jo. Bapt. Vernæ librum, Princeps acutorum morborum pleuritis inſcriptum, Eruditi Lipſienſes recenſuerunt. Inter alia vero deprehendi, Auctorem maxime cum Eraſiſtrato facere, quatenus hic ſanguinem ex pleuritide per arteriam bronchialem in pulmones ferri contendit. De modo autem, quo ſputum in has vias & carotides arterias veniat, & exſcreetur, varia paradoxa propoſuit, quæ tamen accurate expendere mihi non licuit, quod ipſum librum nuſquam invenire potui.

attendit Galenus, in inflammatione omnes partes vicinas incitari, ad ſanguinem hærentem propellendum. Quare probabile eſt, ſi vera ſit Eraſiſtrati ſententia de ſpiritu atque ſanguine, hunc in arterias, quæ inter coſtas decurrunt, transfuſum, ad arteriam magnam ferri poſſe. Atque etiam Galeno hoc non omnino impoſſibile ineptumque eſſe videtur: qui tamen eam partem orationis, qua ſanguinis, ex magna arteria ad pulmones, derivationem Eraſiſtratus deſcribit, prorſus obſcuram eſſe affirmat. Nam ſurculos, quibus arteria magna cum pulmonibus jungatur, eum non declaraſſe, cujus naturæ ſint. Debere autem vaſcula quædam eſſe, cum membranæ vel fibræ nihil huc conferant. Siquidem vero Eraſiſtratus voce πρόσφυσις (φ) uſus eſt, non potuit Galeno obſcurum eſſe, de quibus ſurculis ille loquutus ſit, quoniam ex arteriis non poſſunt fibræ vel membranæ, velut rami ex arbore, germinare. Ut adeo Galenus videatur hunc ſaltem deludere, cavillarique voluiſſe. Accedit ad hæc, quod ne quidem ipſe Galenus negat, qui Eraſiſtratum ſequuntur, hæc de vaſis interpretatos eſſe; eaque ſatis diſtincte, accurate que a Galeno deſcripta eſſe. Et quam faciilime intelligitur, hæc vaſa non poſſe, niſi bronchialem arteriam eſſe (χ). Colligitur autem ex tota oratione, Eraſiſtratum credidiſſe, ſanguinem ex coſtas ſuccingentibus membranis, earumque arteriis ad magnam delatum, inde in arteriam bronchialem aſcendere, ejuſque e finibus in alteram arteriam deſtillare. Quæ Galenus impoſſibilia, & cum alio Eraſiſtrati dogmate pugnantia eſſe contendit: ſiquidem veri ſimile ſit, ſanguinem ad aortam delatum, cum ſpiritu ad inferiores partes propelli debere: nec poſſe, vi cordis ſuperata, ad bronchialem arteriam aſcendere, inque hac denuo ſpiritui a pulmonibus venienti reſiſtere: ſed multo minus alio tempore tam facile per arteriæ fines elabi, alio in illis ſubſiſtere, inflammationemque excitare. Primo itaque negari non poteſt, illam ſanguinis, e lateribus in pulmones, derivationem cum veterum ac recentiorum Medicorum doctrinæ de ejus, qui in arteriis reſidet, humoris motu, tum Eraſiſtrati opinioni adverſari: ſaltem non cognitum eſſe, quæ vis ſanguinem in hos rivos impellat. Deinde vero, etſi Eraſiſtratus docuerit, ſpiritum, in arteria pulmonea, non a corde ad pulmones, ſed ab his ad cor dimanare, nec tamen de bronchiali, verum de illa, quæ ex corde deducitur, id intelligi debet. Et contraria quoque non ſunt, quæ Galenus ultimo objicit. Nam,

(φ) Galenus hos ſurculos προσφύσεις nominavit, quæ vox ſimpliciter connexiones denotat.

(χ) Primus quidem Cl. Morgagnus Adv. An. I. n. 24. p. m. 31. docuit, ante Ruyſchium, qui bronchialem arteriam in Dilucidat. Valvul. Lymphat. Obſ. 15. p. 61. ſeqq. deſcripſit ac delineavit, eam inter arteriæ magnæ ramulos enumeratam eſſe a Galeno de Ven. & Art. Diſſ. C. 9. & Fernelio de Part. Hum. Corp. Deſcr. C. 12. Quam etſi affirmare nolim, ab Hippocrate cognitam fuiſſe, videant tamen me ingenioſiores, an forte aliqua hujus rei veſtigia ſint in Lib. de Oſſ. Nat. p. 280. Sed Eraſiſtratum ejusque aſſeclas hanc arteriam probe noviſſe, nemo, qui vel ipſius vel Galeni verba, quæ expendimus, legerit, ignorare poteſt. Atque conſuli etiam inſuper debent Galenus de Uſu Part. L. 16. C. 10. Vidus Vidius Anat. L. 3. c. 15. p. 136. & cujus locum mox proferam, Sennertus.

Nam, ut de diverſa laxitate pulmonum in variis hominibus nihil dicam, obſervatum eſt, purum fluidumque ſanguinem ut plurimum vaſa perrumpere, atque exſpui, contra inflammationem a lentis ſpiſſisque humoribus fieri. Attamen ex his, æque ac illis, quæ de circuitu ſanguinis novimus, efficitur, eum, quem tuſſis e lateribus trahit, ſanguinem per has vias in pulmones non pervenire poſſe. Conſiderandum tamen eſt, an forte ad puris derivationem aliquid conferant. De arteria enim, quæ, quod aſperam arteriam irrigat, bronchialis dicitur, Diſſectores docent, eam utplurimum ex arcu magnæ arteriæ, aliquando etiam ex ea educi, quæ ad primam coſtam procedit (♆). Ob quæ conjicio, ſi pleuritis in his ſedibus conſiſtat, pus partium vicinarum reciproco motu, intenſioreque impetu, in minimas arterias apertas, & cum bronchiali communicantes, indeque in bronchialem impelli poſſe, qua in aſperam arteriam incidat. Taliaque interdum in morbis fieri, Medicinam facientes compertum habent. Quamvis ne ſic quidem hæc propoſita ſunt, quaſi in nullam controverſiam venirent. Nam & ſanguis, e corde ejectus, perque arterias hæc in loca propulſus, omni contra tendenti humori, etiam in minimis arteriolis obſiſtere videtur, & pleuritis rarius ex his ſedibus oritur.

V.

Poſt hanc opinionem de ſanguine, qui ex latere fertur, Eraſiſtratus, qua via purulenta ex his locis in pulmones perveniant, aliam ſententiam propoſuit. Ejusque orationem pariter excerpſit Galenus, ex eodem, ut videtur, libro deſumtam. Hanc ita latine reddimus: „ In his ipſis morbis „ magna interdum copia puris exſcreatur, quod natura venarum fit, quarum hæc ratio eſt. Magna illius venæ propago, quæ e corde naſcitur, „ ſpinæ adjacens deſinit eo in loco, ubi ſeptum tranſverſum a vertebris „ exortum facit. Ex hac vena eæ educuntur, quæ ad coſtas ductæ arteriis adjacent. Quando igitur ulcus vel abſceſſus in his locis fit, multo „ pure collecto, id in pectoris cavum, quod inter coſtas atque pulmones eſt, non facile effunditur, quoniam coſtas ſuccingens membrana „ nervoſa & fortis eſt, difficulterque dividitur. Ideoque in vaſa, quæ „ ſub membrana ſunt, irrumpit. Cum vero vena tenuior imbecilliorque „ arteria ſit, hæc vaſa prius dividuntur, quam quæ ex arteriis educuntur: perque has diviſiones pus venis infunditur. Hoc itaque per inferiora loca deſcendere non poteſt, quia ad hæc venæ non perveniunt, „ ſed ibi finem habent, uti dictum eſt, ubi ſeptum tranſverſum exoritur. „ At

(♆) Conf. Winslovius l. c. T. 3. §. 109. ſeqq. Galenus l. c. ex arcu arteriæ, Eraſiſtratus aut potius ejus aſſeclæ, ut videtur, ex una intercoſtalium eam educi contenderunt. Hoc forte Sennertus aſſentitur Eraſiſtrato Pract. L. 2. P. 2. C. 16. Quæſt. 3.

„ At vero continua loca ſemper replentur, ideoque neceſſe eſt, ut pus ad „ ſuperiora feratur. Quare perpendatur oportet, quam actionem pulmones „ inter reſpirandum exerceant, & quomodo ſpiritum atque humores attra„ hant, rurſusque expellant. Hacque ratione pus ex lateribus in pulmo„ nes fertur. Unde, quomodo ejiciatur, antea dictum eſt". Poteſt autem ex hac tota oratione facillime intelligi, Eraſiſtratum de vena ſine conjuge loqui. Eaque ex cava ſuperiore, proxime ſupra nexum cum pericardio (ω), oblique paululum a tergo exortum faciens (α), ad ſpinam, ubi quarta & quinta dorſi vertebra committuntur (β), iter flexuoſum convertit (γ), quo curvamine, quæ ad dextram pulmonis fibram feruntur, vaſa amplectitur (δ). Itaque ſub dextra coſtas ſuccingente membrana, in ejusque trianguli, quem ſupra deſcripſimus, dextro angulo, ad latera corporum vertebrarum, inter ductum thoracicum, & capitulatas coſtarum partes deſcendit (ε). Ex ſummo arcu plerumque major ramus in dextrum latus procedit, inque minores aliquot diductus, ad tres ſupremas coſtas, earumque carnes fertur (ζ). Inde ad octo vel novem inferiores ſingulæ venæ excurrunt. Rurſus in ſiniſtro latere, ſubclavia vena plerumque rivum quendam demittit (η), qui ſuperiores aliquot coſtas irrigat, is que interdum

(ω) Notiſſima inter Anatomicos lis eſt, quæ mota fuit inter Veſalium, Sylvium & Euſtachium de dubia Galeni ſententia de hujus venæ origine. Veri autem ſimile eſt, Euſtachii expoſitionem eum Galenum optime excuſare, tum etiam cum Anatome congruere. Et Eraſiſtrati verba ἐκ τῆς καρδίας κεῖται παρα τὴν ῥάχιν ita accipienda ſunt: A corde, vel ex eo loco, ubi ſumma pars cordis ſpinæ adjacet, ipſa vena ad ſpinam poſita eſt, non vero in tota ſpina. Conf. Bauhini Theatr. L. 2. C. 18. & Rolfineii Diſſert. Anat. L. 5. c. 29. p. 964. ſqq.

(α) Vid. Winslovius l. c. Traité des Veines §. 40. Propterea etiam, ſi cor & vaſa majora in ſitu ſuo maneant, licet levetur dexter pulmo, venæ origo vix conſpici poteſt. Hujus tamen obliquitatem bene notavit Veſalius in delineatione Venæ Cavæ T. 1. p. 315. & Euſtachius Tab. Anat. 4. & 27. fig. 5. 6. 7.

(β) Jo. Mar. Lanciſius in Epiſt. ad Morgagnum de Vena ſine pari, adjuncta hujus Adverſ. 5. Tab. 1. Interdum paulo altius poſita eſt.

(γ) Hic flexus non ſolum minus obliquus eſt ac ille arteriæ magnæ arcus, ut obſervavit Winslovius l. c. verum etiam hic multo major eſt, quod a ſitu cordis, & arteriæ venæque principio dependet. Bene hunc flexum exhibet Lanciſius l. c. minus accurate Fallopius Obſerv. de Venis T. I. Opp. p. 533.

(δ) In Lanciſii figura ſolius aſperæ arteriæ ramus expreſſus eſt. Tranſeunt autem cum illo & reliqua vaſa, vagina quaſi pericardii comprehenſa.

(ε) Vid. Cantius l. c. Tab. 6.

(ζ) Multi ex antiquis & recentioris ætatis Anatomicis, etiam dextra parte, ad tres ſupremas coſtas, venas e ſubclavia deſcendere, opinati ſunt. Sed Euſtachius luculenter oſtendit, ἄζυγον primo unum majorem ramum effundere, qui diviſus deinde ad illas coſtas procedat. Contra hunc Veſalius L. 3. C. 7. p. 323. ſeq. ex vena ſine pari ad ſingulas coſtas venas ferri contendit, easque delineavit. Vid. Fallopius l. c. & Lanciſii Tabula I. N.

(η) Rarius enim ex ipſa vena ſine pari etiam ad hoc latus omnes venæ excurrunt, quales tamen Veſalius l. c. & Euſtachius Tab. Anat. 4. fig. 1. expreſſit. Non enim commode ex arcu ad ſpinam demitti, nec ob majora hic ſita vaſa ad ſiniſteriorem partem deduci poſſunt. Sed minorem ejuſmodi rivum ex ſubclavia eductum Fallopius l. c. delineavit: eumque ex ipſo trunco ſubclaviæ, antequam dividatur, educi, & ſiniſtram bronchialem venam dare, Winslovius propoſuit l. c, §. 68. Sed de his binis venis elegantiſſima obſervatio eſt Illuſtris noſtri Ordinis Decani Aug. Fr. Waltheri, quam dedit in Progr. quo Obſerv. Anatom. ſelect. tres exhibet. Lipſ. 1731. Scilicet diaphragmaticam ſuperiorem in binos ramos diduci, quorum

dum ad quintam ſextamque coſtam ſurculos protendens, Lanciſio hemiazyga dicitur (θ). Reliquas deinde inferiores coſtas totidem ex trunco ἀζύγȣ eductæ venæ alluunt atque irrigant, tanto longiores iis, quæ ad dextras tendunt, quanto remotiores dextræ a media ſpina ſunt. Sub ſepti vero tranſverſi appendicibus, ſi ſimplex venæ truncus eſt, binæ ultimæ propagines, in quas ipſe diducitur, conduntur (ι), eæque in abdomen progreſſæ, cum variis venis ibi diſcurrentibus cœunt (κ). At ab ipſo flumine circa octavam (λ), nonam (μ) vel decimam (ν) dorſi vertebram frequentius major aliquis rivus, ſuper corpora vertebrarum, ad capitula coſtarum ſiniſtri lateris, ſub arteria magna tendit, qui vel ſimplex quatuor, aut paucioribus, vel bifurcus (ξ) ſex ſeptemve inferioribus coſtis rivulos, illis a dextra parte eductis pares, & æque longos offert. Raro admodum truncus, in ipſo arcu, in binas æquales venas dividitur, ab utroque vertebrarum latere ſimiliter procedentes (ο). Quibus cognitis, Eraſiſtratum quidem fatendum eſt, de puris generatione ſub pleura admodum oſcitanter loquutum eſſe: ſiquidem, ex quibus vaſis eum in locum effundi humores debeant, neglexit dicere. Perperam tamen Galenus contra eum contendit; pus facilius per validam denſamque pleuram deſtillare, quam tenues venas diviſas ſubire poſſe. Sed jure in Eraſiſtratum animadvertit, quod pugnantes ſecum ſententias de ſanguine a corde per venas dimanante, pureque in iiſdem ad cor aſcendente, propoſuit. Omnia tamen eo magis cum recentiore doctrina de ſanguinis circuitu, utque alii credunt (π), etiam cum experientia congrua ſunt. Et ante Eraſiſtratum vetuſtiſſimus auctor-

rum alter ad ſuperiores coſtas tendat, alter denuo diviſus majorem ad pulmones, minorem ad ſeptum tranſverſum protendat. Ex quibus diſci poteſt, quomodo cera in venam pulmoneam injecta ad intercoſtales veniat, de qua re vid. Albrechti obſerv. Anat. §. 11.

(θ) l. c. p. 82. Ejuſque deſcriptio admodum conſona eſt Euſtachii iconibus, Tab. 4. & 27. Veſalius l. c. p. 324. ſcribit, ſibi perſuaſum eſſe, etiam in ſiniſtro latere, ſimilem ac in dextro venam aliquando ex jugulo deduci. Forte quod ex aliis audiverat.

(ι) Hinc Eraſiſtratus ſcripſit: ἀποτελευτῶσα καθ' ὃν τόπον αἱ φρένες ἐκ τῶν σφονδύλων ἐκπεφύκασιν Conf. Fallopii Obſ. Anat. T. 1. p. 596.

(κ) Hæ quidem ἀναςομώσεις admodum variant, tamen in ſiniſtro latere utplurimum in emulgentem, in dextro aliquando in cavam, alias in lumbarem, & a ſiniſtris in ſpermaticam, aut in utroque latere in lumbares venas ἀζύγȣ extremitates apertæ ſunt, Conf. Fallopius l. c. p. 596. & 533. Euſtachius l. c. Riolanus l. c. p. 221. ſeq. Lanciſius l. c. p. 82. & Tab. 1. R. Q. & Winslovius l. c. §. 41. & 54. Veſalius ἀναςομώσεις invenire non potuit. Vid. Exam. Obſ. Fallopii T. 2. p, 795.

(λ) Fallopius de Venis Obſ. 5. T. 1. p. 533. in figura adjecta C. Euſtachius l. c. & Lanciſius Tab. 1. P. Euſtachius talem ramum etiam a ſexta vertebra deducit. Tab. 4. fig. 3.

(μ) Veſalius Tom. 1. p. 323.

(ν) Euſtachius Tab. 27. fig. 7. Riolan. l. c.

(ξ) Talem expreſſit Veſalius figura ſecunda in margine T. 1. p. 324. Vid. Winslovius l. c. §. 50.

(ο) Tale quid obſervavit Th. Bartholinus Hiſt. Anat. Rar. Cent. 2. Hiſt. 54. p. 270. & Winslovius l. c. §. 51.

(π) Lanciſius l. c. p. 88. Scilicet mulierculis, potiſſimum Romæ, in more poſitum eſſe, in pleuriticis dolentem partem oleo inungere, & carnes inter coſtas poſitas, ab oſſe pectoris uſque ad ſpinam pollice fricare. Hoc facto ægros ſtimulum ad tuſſiendum ſentire, & utplurimum ſanguinem exſpuere, qui nempe frictione in venam ſine pari coactus fuerit.

auctor Hippocrates (ρ) judicavit, pus ex latere per venam ſine conjuge ferri. Quam ſententiam poſt paucos alios (σ), noſtra ætate tuitus eſt ſolertiſſimus Anatomicus Lanciſius (τ). Isque pus omne in eas quidem venas, quæ inter coſtas decurrunt, & inde in venam ἄζυγον incidere, ex ea vero partim per tenerrimos tubulos in aſperam arteriam, partim in cavam venam & cor, & ab hoc in arteriam pulmoneam ejectum, per hujus fines, in aſperæ arteriæ ramos in pulmonibus effundi dixit (υ). Ut vero de tubulorum eorum natura nondum omnino conſtat (φ), ſic de arteria pulmonea habemus, plurima huic ſententiæ opponi poſſe. Nam licet probabile, & ſi ad inflammationes in partibus externis animum advertimus, fere extra dubium poſitum ſit, humores, qui in arterias vulgo intercoſtales dictas decumbunt, ibique conſiſtunt, accedente inflammatione, ab initio crudos, deinde vero coctos, vi circuitus humorum in venas transfundi, adque ἄζυγον, cavam, cor & arteriam pulmoneam pervenire: tamen nulla cauſſa cognita eſt, quæ efficiat, ut pus non quidem cum ſanguine in venas propellatur, ſed in aſperæ arteriæ ramos deſtillet. Quamvis enim Graſſius (χ) credat, cogi naturam, ut, quod nocivum eſt, in hæc loca deponat: tamen multum metuo, ne ita naturæ actiones adſcribamus, quæ nullo pacto defendi queant. At illa ſaltem conſideranda ſunt, quæ, dum ſanus homo eſt, in pulmonibus fiunt: ſiquidem & naturalis & morboſa ejuſmodi ſecretio, ut per eaſdem vias, ita pari etiam modo fieri debet. Ita ab arteriæ pulmoneæ ramis in aſperas, earumque veſicu-

(ρ) De Morbis L. I. Sect. V. p. 461. πτύεται δὲ ἀπὸ διατάσιος τῶν φλεβῶν. τῆς μὲν πλευρίτιδος ἐκ τῶν ἐν τῷ πλευρῷ. Exſpuitur autem, dum venæ diſtenduntur, & quidem in pleuritide per eas, quæ in latere ſunt.

(σ) Conf. Sigiſm. Graſſius in Miſcell. N. C. Dec. I. Ann. 3. obſ. 213. Aug. Quir. Rivini Diſſ. de Thorac. Empyemate §. 22. Lipſ. 1686. & de vena arterioſa, ſeu pulmonum arteria, per quam omnia ejectamenta ſanguinis in bronchia deponantur, conf. Benneti Theatr. Tabid. Exerc. 16. & Th. Bartholinum de Pulmon. p. 47.

(τ) L. 2. Conf. Löſcheri Diſſ. de Mechaniſmo Venæ Azygæ, Pleuritidis cauſſa. Viteb. 1724.

(υ) L. c. p. 88. Bina vero hic eſſe, quibus puris derivatio ex ἀζύγῳ in cavam juvari queat, Lanciſius ibi propoſuit. Scilicet carnoſum ſemicirculum in oſtio venæ ἀζύγȣ, & actionem muſculi triangularis ſub oſſe pectoris. Ille igitur ſemicirculus id tantum præſtare poteſt, ut impetum ruentis ex capite ſanguinis ſuſtineat, quod alii valvulis hic appoſitis fieri contenderunt. De quibus quæ lites inter Anatomicos fuerint, diligenter expoſitum fuit a Rolfincio l. c. p. 971. ſeqq. Commoneo tamen, ne quis forte ſemicirculum illum a Lanciſio primum inventum eſſe, exiſtimet, quem jam olim Veſalius vidit, & accurate deſcripſit. Vid. T. I. p. 309. & Exam. obſ. Fallopii T. II. p. 795. Deinde non diffiteri queo, me nec conjectura aſſequi poſſe, quid triangularis muſculus, vel ſterno-coſtales Winslovii hac in re efficere valeant. Præterquam enim, quod Anatomici omnes ſcribunt, muſculum vix ad ſecundæ coſtæ cartilaginem aſcendere, nec ad thymum venamque cavam pertinere, nullæ ibi membranulæ ſunt, quibus his partibus jungi queat. Ad quæ accedit, nec vires harum carnium adeo pro voluntate augeri, nec, ſi prematur vena cava, ſanguinis motum accelerari, quin etiam impediri poſſe.

(φ) Neceſſe ſine dubio eſt, ut hi tubuli venæ vel ſanguinem, vel lympham in ἄζυγον derivantes ſint. Ergo etiam licet in mortuis, ubi motus humorum non reſiſtit, liquor in ἄζυγον injectus in aſperam arteriam transfuſus fuerit: id tamen in vivo corpore, ſine maxima omnium humorum turba fieri poſſe, animo concipi omnino nequit. Vid. Lanciſius l. c. p. 87. & 91. ſeq. Bronchiales venas, quæ ex arcu ἀζύγȣ veniunt, jam perſpectas habuit Conr. Victor Schneiderus l. c. §. 11.

(χ) Loc. cit.

ſiculas exigui tubuli demittuntur, qui illas continuo lympha tenui irrigant, rurſus cum aëre in venas cogenda. Per hos ergo tubulos in pleuritide, partim ob fortiorem febrilem humorum motionem, partim ob validiorem pectoris muſculorum actionem in reſpiratione contentiore, humor ſeroſus, majori copia atque vi, in aſperæ arteriæ ramos deſtillat. Deinde purulenta, quæ primum non multum a ſeri natura abludunt (ψ), per has vias apertas fluunt, indeque per tuſſim exſcreantur. Eamque expoſitionem adhuc plura experimenta confirmant (ω). Quin etiam rarius accidit, ut omne quod intus nocet, exſpuatur: ſed multum in venas pulmoneas transfuſum per corpus fertur, & frequenter per varia loca excernitur, nec raro phthiſin & tabem inducit (α). Idque accidere obſervatur, ſi antea vel fractis viribus æger eſt, vel vitio pulmonum laborat, quo fit, ut nec pus in has vias cogere, nec eaſdem apertas ſervare queat. Ideoque ſive in extremis arteriis conſiſtat, ſive ex veſiculis pus exſcreari non queat, pulmones certiſſime exedit.

VI.

Sed ut olim in philoſophia, Ariſtotelis, ita Galeni in medica arte, auctoritate depreſſa veritas, emergere non potuit. Siquidem inde uſque ad decimum ſextum ſæculum omnes propemodum medentes in hujus magiſtri verba juraverunt, adeo, ut non ſolum aliqua emendare, verum etiam addere quædam ſibi religioni duxerint. Ergo etiam pauciſſimi auſi ſunt in dubium vocare, quod Galenus docuit, pus etiam in pleuritide in pectus deſtillare, & inde in pulmones trahi. Qui potiſſimum reſpirationi læſionem metuentes, ſi per integram pulmonum membranam pus in bronchia cogi deberet, pleuritidem ſemper cum peripneumonia conjunctam eſſe, crediderunt. Quod tamen cum ſæpius non incidat, oportet de utroque caſu diſpiciamus. In quo vero vitio Galenus Eraſiſtratum reprehendit, eo quidem ipſe adeo laborat, ut ejus oratio ſummam obſcu-

(ψ) Lanciſius l. c. p. 89. Id enim ex Phyſiologia conſtare debet, quoſvis tenuiores humores ſenſim craſſos ſpiſſoſque fieri, ſi in majorem cavitatem in corpore effundantur, ubi quieſcant, maximeque ſi aëri aditus ad cavitatem pateat: id quod de iis, quæ intus ſunt, patet ex bile cyſtica, & ſemine in veſiculis contento, externe vero ex narium muco & aurium ſordibus.

(ω) Etenim ab initio morbi, & ubi exſcreare ægrotus incipit, ſputum non quidem indole ſua, ſed copia ſaltem ab eo differt, quod ſani etiam ex his locis ejiciunt. Ex quo apparet, vias, per quas hæc in pulmonibus fluunt, ſenſim ampliores fieri, & humores quaſi effundere. Qui ſine dubio in iis minus facile deſtillare poſſunt, in quibus e bilis abundantia & acrimonia, vel aliis ſpiſſis humoribus inflammatio orta eſt.

(α) Equidem nullam pleuritidem adeo perfecte per ἀνακάθαρσιν ſanari exiſtimo, quin per alias quoque vias aliquid excernatur. Itaque quo minori copia humores in aſperam arteriam deſtillant, eo majori vel in lævium finibus hærent, & peripneumoniam faciunt, vel in venas transfuſi per corpus dimanant, idque phthiſicum reddunt. Optime autem judicavit acutiſſimus Hippocratis interpres Duretus, facilitatem expectorati puris explicatas pulmonum alas indicare, in rariſſimo Comment. ad Libr. de humoribus. p. 40.

ſcuritatem & tenebras adferat. Et quoniam Eraſiſtratus ſcripſit, pus non facile per coſtas ſuccingentes membranas in cavum pectoris perrumpere poſſe: id tamen fieri ex eo apertum eſſe contendit, quod ſi os aliquod fractum ſit, cruentus humor in nonnullis per cutem effundatur. De qua quidem adeo dicere neglexit, quam vehementer diſtenta & carnes contuſæ fuerint. Quin etiam omne pus in pleuritide per ſuccingentes membranas depluere, nullibi affirmavit, ſed quomodo id, quod in pectoris cavo ſit, in pulmones veniat, Eraſiſtratum debuiſſe ſolicitum eſſe, contendit. Sed de illo quidem nos affirmare non dubitamus, per illa foramina, quæ vulgo pori vocantur, etiam ex pleura, aliquantum pituitæ deſtillare. Pus verò, non niſi in fine morbi, & ſi tuſſis parum emolita eſt, pleura rupta atque pereſa, in pectus effundi. Ex quo quidem Galenus poſtulat, ut ſibi detur, membranam, qua pulmones obductæ ſunt, pus omne attrahere, & in aſperas arterias cogere. Quod licet ita concedi debeat, ut pus maxima ex parte in pulmones impelli ponatur: veri tamen etiam ſimile eſt, multum ejus humoris in ſuccingentes membranas, & apertas venas in his decurrentes imbibi, inque ἄζυγον venam transfundi. Illud vero negare non niſi ii ſuſtinent, qui pleuritidem in pulmonibus conſiſtere contendunt, ubi pulmones ſimul affecti ſint (β). Verum, ut illos jam ſupra confutavimus, ſic his vel ſputum ſanguinis opponi poteſt, qui venis arteriisve ruptis, in pectus effuſus eſt. Neque adeo neceſſe eſſe, exiſtimo, ut hoc probetur, cum aliis, qui nobis cum faciunt, ad ea confugere, quæ niſi impoſſibilia, ſaltem incomprehenſibilia ſunt. Scilicet turundam in pectus vulnerati intruſam, poſt ſextum menſem, a feliciter ſanato exſcreatam eſſe, quam Tulpius obſervationem habet. Qui tamen cum ipſe non adfuerit ægro, etſi ſit aliter fide digniſſimus, mihi propemodum perſuadeo, ſi de re ipſa non dubitare licet, non turundam, ſed lapidem ita formatum exſcreatum fuiſſe, quales, ex antiquioribus, Cælius Aurelianus & Alexander Trallianus, ex recentioribus complures viderunt. Deinde, cum ſectiones probent, pulmones ſemper ea parte affectos eſſe, qua inflammatum latus adtingunt, nullum fere ἐμπύημα ita ſolvi poſſe, manifeſtum eſt, niſi pulmones ima parte adeſi ſint. Siquidem in hoc morbo, ſi pectus perforatur, ut pus evocari queat, ferramentum in imam pectoris partem, inter ſextam & ſeptimam coſtam plerumque demittitur, quo nempe pus omne confluit. Et illud quidem omnino fieri, adverſarii eam ob rationem docent, quia, dum homo ſpiritum trahat, pulmones non apertos eſſe poſſe, exi-

(β) Conf. Sennertus l. c. quæſt. 2. & 3. Williſius pharmac. ration. p. 2. ſect. 1. c. 8. Barbeyrac. diſſ. ſur les maladies de la poitrine chap. 3. p. 57. ſeqq. & plurimi alii. Ex quibus omnibus alii ſine nexu pulmonum cum pleura id fieri poſſe dicunt, alii eos ſemper huic adhærere debere, contendunt. Quare etiam Diemerbrœckius ſententiam tulit, pulmonem, ſi adnatus ſit pleuræ, ſemper ſimul inflammari, & pleuritidem per ſputum ſolvi, aliter vero pus in pectus effundi.

exiſtimant. Quam tamen ſententiam admodum infirmis argumentis niti, vel ex eo intelligitur, quod nullam cauſſam interſerere queunt, quamobrem patuli pulmones ſanos vita privare debeant, adeſi vero & magis aperti, in pleuriticis nihil detrimenti importent (γ). Eſt autem pulmonum membrana multis foraminulis pertuſa, quæ ſingulari artificio videntur perfecta eſſe (δ). Hoc enimvero cavetur, ne in pectoris hydrope, lympha in pulmones cogi poſſit (ε). Verum in pleuritide & empyemate, viſcidi craſſique humores explicatis pulmonibus illinuntur, iiſque inhærent. Deinde, ubi ſpiritum homo reddit, pulmonibus contractis, viæ illæ antea clauſæ aperiuntur, puſque in ipſas motu pectoris cogitur. Ex his vero in cellulas, quæ in ambitu pulmonum ſunt (ζ), tandemque in veſiculas aſperæ arteriæ (η) impelli oportet. Pulmones vero pus ſepto tranſverſo incumbens, ſaltem ima parte ſorbere poſſunt, difficulterque in aſperæ arteriæ extremas veſiculas propellunt. Ac ne ex his quidem facile per tuſſim exſcreari pus poteſt. Facilius tamen eos humores in pulmones cogi, & exſcreari veriſimile eſt, quos ſuccingentes membranæ exſudant; ſiquidem in harum ſuperficie hærentes ab explicatis, lateribus que appreſſis pulmonibus commode ſorbentur, nec in imam pectoris partem depluunt. Ex quibus omnibus apparet, morbum, qui græ-

(γ) Vid. Severini epiſt. inter Bartholinianas cent. 1. p. 279. ſeqq. & Th. Bartholinus de pulm. p. 62. ſeqq. Lites de hac re olim agitatas non denuo monere volo.

(δ) Scilicet rem ita mente concipio, non ſimplices poros eſſe, ſed quaſi infundibuli formam habere. Unde clarum eſt, pulmonibus in inſpiratione expanſis, internas anguſtas tubulorum productiones, tanquam valvulas, oſtia claudere, nihilque effluere ſinere, in exſpiratione autem aperiri, & puri aditum præbere. Has vias fortaſſis λοχοθεωρήτους, vocaverit Cælius Aurelianus l. c. p. 116. 587.

(ε) Non enim tenaciter ſatis poris pulmonum lympha inhærere poteſt. Vid. Hippocrates de priſc. med. ſect. 1. p. 18. ſed luculentius id quidem expoſuit Galenus de loc. affect. l. 4. c 8. τὸ μὲν γὰρ λεπτὸν ἀναφερόμενον ὑπὸ τοῦ κατὰ τὴν βῆχα πνεύματος, ἀντικαταρρεῖ περισχιζόμενον αὐτῷ.

(ζ) Winslovius t. 4. de la poitr. §. 107.

(η) Ex his vero apparet, Galenum, & qui eum ſecutus eſt, Fernelium in univerſ. medic. p m. 557. male ſcripſiſſe, extremitates aſperæ arteriæ in pulmonum tunica patere, puſque ſatis facile abſorbere. Ceterum hoc maxime facit Hippocratis locus de morbis l. 1. p. 457. ὅ, τε γὰρ πλεύμων, οὐ κάρτα ἕλκει ἐς τὰς ἀρτηρίας, πυκνότερος ἐών, αἵτε ἀρτηρίαι λεπταὶ καὶ στεγναὶ οὖσαι, οὐκ εἰσδέχονται τὸ πῦον, εἰ μὴ ὀλίγοντε καὶ ὀλιγάκις, ὥστε ἀνάγκη τὸ πύος ἐν τῷ θώρακί τε καὶ ἐπὶ τῶν ἑλκέων, ἀθροίζεσθαί τε καὶ παγύνεσθαι, τῷ δὲ ἀφηλικεστέρῳ ὅ, τε πλεύμων ἀραιότερος καὶ κοιλότερος, καὶ αἱ ἀρτηρίαι εὐρύτεραι, ὅστε μὴ ἐγχρονίζειν τὸ πύος ἐν τῇ κοιλίῃ, καὶ ἐπὶ τῶν ἑλκέον, καὶ ὅ, τι ἂν ἐπιγένηται, τοῦτο ἀναγκη πᾶν ἀνασπᾶσθαι ἄνω ὑπὸ τοῦ πλεύμονος ἐς τὰς ἀρτηρίας, καὶ παραχρῆμα ἐκπτύεσθαι.

græcis ἐμπύημα dicitur, niſi, pectore perforato, majores rami aſperæ arteriæ in pulmonibus diſciſſi ſint, ſemper tarde ſolvi, ſæpius ad perniciem procedere, hominemque ſuffocare, vel ſanguine infecto, corpori tabem, & mortem lentam inferre, niſi pus ex pectore evocetur. At pleuritis, quæ pus venæ ſine conjuge infundit, celerius frequentiusque ſputo ſolvitur, hominemque raro interimit.

VII.

Atque hæc quidem in derivatione puris, in aſperæ arteriæ ramos, perpetua ſunt: quædam tamen obſervationes veriſimile faciunt, id etiam aliquando venis conceptum per corpus dimanare, atque per varias vias critice excerni (θ). Plures enim poſt Hippocratem (ι) obſervarunt, peripnevmoniam abſceſſu pone aures ſolvi, qualem etiam in crure viſum eſſe, poſt eundem Hippocratem Henr. a Monichen tradidit (κ). In femina pleuritide laborante, totum corpus intumuiſſe, Mich. Angelus Morus retulit (λ), & Alex. Camerarius de miliaribus pleuritici (μ) diſputavit. Zacutus etiam per nares (ν), & Riverius (ξ) per uterum, pus cum ſanguine fluxiſſe memorant. Tulpiusque (ο) memoriæ prodidit, in virgine pleuritide laborante, pus ex abſceſſu in alis, & alio prope umbilicum erupiſſe. Sunt vero patentiores, naturæque quaſi magis familiares viæ per alvum atque veſicam. Ex his locis pus non raro in illis exit, quibus vel vomica in pulmonibus rumpitur, vel pus in pectore collectum eſt. Idque veteres non minus ac recentiores medici diligentiſſime

(θ) Andr. Laurentius l. c. l. 9. quæſt. 12. p. 361. opp. ed. Francof. ex Hippocrate obſervat, pus, in pectoris morbis, quatuor modis expelli, nempe per ἀνακάθαρσιν, περίῤῥοιαν, διάῤῥοιαν, & inferiorum partium abſceſſus. De variis autem locis, per quæ pus e corpore expellitur, conf. Ortlobii diſſ. de pleurit. §. 22. Conringii diſſ. de peripneumonia §. 19. Jo. Theod. Schenckii diſſ. de pleuritide c. 6. Wedelii diſſ. de empyemate p. 17. 18. Veſti diſſ. de pleuritide §. 23. Vateri diſſ. de vomica pulmonum theſ. 22. Rivini diſſ. de thoracis empyemate § 31. 32.

(ι) Coac. prænot. ſect. 2. p. 180. ὅσοισι δὲ ἐκ περιπλευμονίης ἀποστάσιες παρ᾽ οὖς, οὗ ἐς τὰ κάτω γίνονται καὶ ἐκπυοῦσί τε καὶ ἐκσυριγγοῦνται. Baglivius prax. med. l. 1. c. 2. §. 10. & c. 9. de pleurit. & Godofr. Dav. Mayer in eph. n. c. cent. 3. obſ. 138.

(κ) Obſerv. med. chir. 2. Hippocratis verba l. c. hæc ſunt: αἱ δὲ ἐς τὰ σκέλεα τῶν ἀποστασίων, ἐν τῇσιν ἐπικινδυνοίῃσι, λυσιτελέες κὲν πᾶσαι. Tamen & ſequentia huc pertinent.

(λ) Ephem. n. c. cent. 1. obſ. 74.

(μ) Diſſ. de pleuritide maligna miliaribus critice ſoluta. Tubing. 1735.

(ν) Hiſt. med. princ. l. 2. obſ. 9. conf. Hollerius in Hippocratem aph. 38. l. 7.

(ξ) Obſerv. med. cent. 1, 73. 2, 63.

(ο) Obſerv. med. l. 2. obſ. 6.

me annotaverunt, quorum de puris cum urina (π) pariter ac per alvum (ρ) facta excretione, permultæ obſervationes leguntur. Quas etſi non omnes audeam in dubium vocare: in aliquibus tamen, dolores in latere fuiſſe, vel ex adjacentis viſceris vitio, vel ex conſenſu cum remotioribus per nervos, non temere affirmo (σ). At in reliquis, ubi in pulmonibus vomica rupta, vel in his aliquid extra pereſum eſt, pus, vena pulmonea conceptum, in ſiniſtrum cordis ventriculum, indeque per magnam arteriam ad alvum vel renes derivari (τ), mihi perſuaſum, ac veriſimile eſt, ſi pus ex pleura rupta effuſum ſit, id rurſus in venas, quæ inter coſtas decurrunt, cogi, & longiore via per venam ſine pari (υ) & cavam pulmonumque vaſa & magnam arteriam ad illa loca pervenire poſſe. Vomitum vero in his morbis non ſolum circulatores commendant, ſed diligentiſſimi etiam medici diſputant (φ), an iis omnibus, pectoris pulmonumve ulcere laborantibus, poſſit utilis eſſe. Et quidem interdum accidit, ut in viis, qui vomuerunt, vena in pulmonibus rumpatur; ſanguisque ex ore prorumpat. Ob quæ conjicio, ſi vomica in pulmonibus hæreat, vel pus tenacius non exſcreari ex pulmonum veſiculis queat, vomi-

(π) Hippocrates de morbis l. 1. p. 459. *πολλάκις δὲ ἢν ἐς τὰ κάτω τράπηται, ὀδύνην διαδιδοῖ ἐς τὴν κύστιν διὰ τῶν φλεβίων, καὶ οὐρέει πολλόν τε καὶ χολῶδες.* Clarius fuſiusque Galenus de loc. affect. l. 6. c. 4. fere toto. Cælius Aurelianus morb. chron. l. v. c. 10. p. 588. ubi rationes hujus rei reddit. Aetius l. 2. ſerm. 4. c. 66. Trallianus l. 8. c. 5. p. 147. *ἢ καὶ ἀπὸ τοῦ πνεύμονος, ἢ ἄλλου τινὸς μορίου, εἴτε ἀναπνευστικῶν, ἢ θρεπτικῶν, καὶ γαρ εἰ σπανιως, ἀλλ ὅμως ἐξ αὐτῶν ἐκκρίνεται πῦον.* Paulus Aegineta l. 3. c. 32. p. 90. ed. Baſ. 1538. Avicenna canon. t. 1. l. 3. fen. 10. tr. 4. c. 1. p. 647. Benivenius de abdit. morb. cauſ. c. 43. Jo. Matthæi quæſt. med. p. 80. Mercurialis prælect. piſan. p. 162. Ballonius defin. med. p. 23. Pariſ. 1640. 4. Petr. Borellus obſerv. rar. cent. 1. obſ. 17. Jo. Rhodius cent. 2. obſ. 13. Glandorpius ſpecul. chirurg. obſ. 26. Conringius de ſangu. gener. p. 459. Th. Bartholinus epiſt. med. cent. 1. p. 283. Petr. de Marchettis obſerv. med. chirurg. 46.

(ρ) De Hippocrate & Galeno vide magnif. Platneri diſſ. de thoracibus p. 51. 9. Ceterum conf. Paulus & Avicenna l. c. Jan. Damaſcenus l. 4. c. 28. Sennertus l. c. p. 471. & Marchettis obſ. 43.

(σ) Vide ſis obſervationem, quam habet Hildanus cent. 1. obſ. 31.

(τ) Conf. Laurentius l. c. & Horſtius opp. t. 2. p. 132. Norib. 1665. fol.

(υ) Fallopius aliique ex antiquioribus opinati ſunt, pus per venam ſine pari ad renes per emulgentes deſcendere poſſe, id quod in Fallopio propterea excuſandum eſt, quia de circuitu ſanguinis eo tempore nondum conſtabat. Sed Lanciſium id adhuc defendere, id valde mirum eſt, cum aliter pus derivandum tanta vi impelli deberet, ut ſanguinem ex venis emulgentibus per renes in arterias protrudere poſſet. Sed quantum hæc reſiſtentia valeat, intelligunt, qui cordis arteriarumque vim norunt.

(φ) Jan. Damaſcenus l. c. Septalius animadv. & caution. med. l. 6. p. m. 176. Bern. Albin. diſſ. de pleuritide vera §. 22. Frf. 1696. & de vomica pulmonum p. 12. ibid. 1693. Juſtus Veſtus diſſ. de pectoralibus affect. §. 10 Erf. 1690. & de vomica pulmonum p. 15. ibid. 1698.

mitum non ſolum non inutilem eſſe, verum etiam ægrotos aliquando inde levatos eſſe, experimentis credo (χ). Commoneo tamen, ne quis facile ad hoc remedium confugiat. Nam, quod longe gravius malum eſt, tabemque infert, vel ſanguinem vomitus e pulmonibus extundit, vel, vomica confeſtim rupta, pus vias vitales claudit, hominemque de medio tollit (ψ).

F I N I S.

(χ) Hippocrates de morbis l. 2. p. 481. de tuberculo pulmonis: *φάρμακον διδόναι, ὑφ' ἧ ἡ κοιλίη ἡ κάτω μὴ κινέιται, καὶ ἢν ἅμα τῷ ἐμέσματι πῦον ἕπεται, ἢν μὲν τὸ πῦον ἢ λευκὸν, καὶ ἶνες ἐν αὐτῷ ὕφαιμοι ἐῶσιν, ἐκφυγγάνει.* Conf l. 1. de morbis p. 449. & Jo. Theod. Schenckii diſſ. de pleuritide cap. 8. Jen. 1663.

(ψ) Schenckius potiſſimum l. c. ſapienter monet, etſi ipſe viderit, rem bene ceſſiſſe, maxime in iis, qui pulmonum vomica laboraverint: non tamen in omnibus id æque ſecurum eſſe. In primis vero oportere, ut medicus videat, ne pulmones cum pleura, vel ſepto tranſverſo cohæreant, quod aliter pectore validius moto, ii vehementius concutiantur, & metus ſit, ne vena aliqua major in illis rumpatur.

GEORGII

LVIII.

GEORGII ERNESTI STAHL

ET

CHRISTIANI FEDER,

DE

PHTHISI.

Halæ 1704.

PROEMIUM.

Etiamſi Democrito, ap. Hipp. epiſt. ad Damag. totus homo a nativitate morbus eſſe videatur, & revera innumeris propemodum læſionibus partium & actionum ſui corporis expoſitus ſit; ſunt tamen harum utique varii gradus, ut aliæ aliis non ſolum facilius ipſi eveniant, ſed etiam gravius lædant. Inprimis autem præ aliis conſiderationem majorem poſcere videntur illæ, quæ non ſolum pertinacius aliquam partem obſident, ſed præcipue nobiliorem, & quæ tum primariis, tum pluribus ſimul uſibus dicata ſit, quibus ſine ruina ſua corpus carere non poſſit. Quanta ſit dignitas pulmonum, imo quanta neceſſitas, ad ipſam vitam propius conſervandam, neminem latet; non conſervant enim tantum circulum ſanguinis, ſed juvant eundem maximopere, dum magis ipſi bonitati ſanguinis, quam nudo progreſſui, efficaciſſime velificantur. Unde quidem pulmones ſartos tectos conſervari, plurimum intereſt totius Oeconomiæ animalis ſpecierum reſpirantium; interim ſumma hujus viſceris teneritudo, plurimum utique expoſita, tanto promtiori læſioni, æque ac reliqua ſtructuræ veſicularis configuratio, tanto magis periculo violationis viſcus hoc exponere indies obſervatur. Quamvis enim per harmoniam motuum vitalium, a ſapientiſſimo creatore naturæ impreſſam, non adeo plane familiares admittantur læſiones hujus viſceris penitiores; cui rei etiam textura ipſa, ſumme flexilis & ſimul ſatis tenax, ſubſidium affert: ingruunt tamen ipſis variæ & familiares injuriæ, per numeroſas occaſiones externas, quæ, ſive neglectu, ſive infarctu aut impetu, prævaleſcentes, gravioribus etiam, & vix tandem ſuperandis, non aliter viam ſternunt, quam e parva ſæpe ſcintilla, triſte erumpit incendium. Graviſſimus & omnium reliquorum difficillimus hujus viſceris affectus, eſt Phthiſis*, ubi ſemel innidulata eſt; inprimis mora diuturniore actis radicibus, vix ullam ſpem veræ reſtitutionis in integrum, relinquens; imo, quod magni momenti eſt, medicationibus pleriſque, facilius in deterius, quam in melius, progrediens. Hujus morbi pertractatio cum dignum thema præbere poſſit, in quo medicus peritiam ſuam practicam, æque atque ſcientiam theoreticam, comprobare valeat, viſum mihi eſt non contemnendum operæ pretium, ut illam pro ſpecimine inaugurali eligerem. Exequar etiam hoc meum propoſitum, quantum fieri poteſt, ſuccincta deductione, quam ſine ulterioribus ambagibus auſpicari aggredior, Divinam benignitatem humiliter venerans, ut huic meo propoſito benedictione ſua & animi viriumque exoptata directione clementiſſime favere dignetur.*

CAPUT PRIMUM.

Phthiſis quid proprie ſit & dicatur.

NOminum rationem exquiſitiorem, inprimis, ubi aliquid lucis ipſi deſignatæ rei indoli fœnerantur, nemo improbaverit; at prolixum in illis eſſe, præcipue, ubi non æque reſpondent rei denotatæ, neceſſarium non exiſtimamus. Græcum nomen eſſe φθίσις, a φθίνω, *conſumor*, *abſumor*, *fatiſco*, *tabeſco*, Grammaticis notum eſt; interim noſtrum affectum juxta ſuam ſpeciem ne attingere quidem nedum exhaurire, medicinæ vel primos apices dictis nihilo, minus perſpectum. Quamvis enim dici poſſet, quod illa *conſumtio*, quam *pulmonalis* phthiſis univerſo corpori tandem inducit, hoc nomine quaſi κατ' ἐξοχὴν notari poſſit; quia nulla alia, neque certior ſit, neque fortior, neque pertinacior, imo omni curationi difficilior; ſive, ut rem ſine ambitu eloquar, ab omni vera & perfecta reſtitutione alienior; negari tamen non poteſt, quod, ſive compoſito quocunque, ſive etiam libero quolibet primitivo vocabulo, pari jure, certa hæc ſpecies morbi, denotari potuiſſet.

Secuti ſunt Græcos *Latini*, neſcio, an de libertate loquendi deſperantes, ut plane etiam nomen *Græcum* retinuerint: Imitati vero Græcos Germani, dum *die Schwindſucht* appellant.

In verbis faciles eſſe, modo in re conveniamus, admodum cordate jubet *Galenus*; interim *Homonymiam* matrem eſſe confuſionis, quiſque facile agnoverit. Sane vero, licet vocabulum *phthiſis*, hactenus in ſchola medica ſatis certo *ſpeciem* hanc morbi, nempe *pulmonalem* affectum, non vero totum Genus *tabidarum* conſumptionum, ſolenniter deſignet; inſuper etiam ipſi circumſpectiores e noſtris *Germanis*, diſtinctionem conſtituant inter *Schwindſucht* & *Dürrſucht*: Exhibet tamen non tam nomen, quam ejus forte occaſione, ipſa res hoc nomine directe & ad literam ſignificata, trivialium practicorum turbæ, negotium ſubinde ſatis pro patientibus periculoſum, dum *hecticam* hypochondriacam, cum *phthiſi* a *pulmonibus* ortum trahente, confundentes, *traumaticorum* (quamvis etiam ad *phthiſin* veram irrito, ad antiquam etiam noxio) abuſu, *hecticæ* & certiſſime & graviſſime nocent.

Verbo, affectum *pulmones* exulceratos foventem, ſolum a præcipuo *Symptomate*, nempe hectica *tabe*, ſeu *conſumtione*, abſoluto vocabulo inſignire, certe minus conveniebat. Unde propemodum melius facere videntur, qui *hecticam* conſumptionem a diuturno *renum* ulcere corpori evenientem, cum addito, *phthiſin renalem* appellant, reſtricto hac ratione, ſincero interim, ſignificatu phthiſeos ſeu *conſumptionis*.

Quicquid horum ſit, recidit tandem negotium eo, ut ſciamus, quod utique vocabulo *phthiſis* denotari ſoleat *ulceroſus pulmonis affectus*, cui ſen-

ſen

ſim *tabes*, *extenuatio*, ſive ut vulgus interpretatur, *conſumtio* corporis, ſuccedit & complicatur.

CAPUT II.

De phthiſeos vera conſtitutione & ſimul differentia ab hectica.

DIximus, quid vocabulo *phthiſis* deſignetur, nempe *ulceroſus pulmonum* affectus; poſcit rei conditio, ut verum ſenſum hujus noſtræ deſcriptionis pariter enucleemus. Vulgo dicunt, *phthiſis eſt ulcus pulmonum.* Sed profecto merito diſtinguendum eſſe arbitramur, inter *ulceroſum & ulceratum*; inter *collectionem*, inquam, *corruptioni* in ulcus *proximam*, imo *lentiori* tali corruptione jam infectam: & inter ipſum jam erumpens; & plane *abſolutum ulcus.*

Tanto magis autem juſtiſſimam judicamus diſtinctionem, ſicut ipſæ res utique differunt, inter ulcera *cito* erumpentia, & valde *depaſcentia*, & contra diu *latitantia*, & cum etiam eruperunt, *ſegniter* progredientia.

Qui veram & realem ulcerum indolem intelligunt, perſpectum ſatis habent, quam ἀκύρως loquantur, qui etiam axiomatica authoritate, edicere volunt, *ubi pus*, *ibi ulcus.* Cum pro rei veritate, adeoque fundata in veritate rerum diſcretione, potius verum ſit, quod *ulcus*, nempe *proprio* ſenſu, non ſit, ubi verum & purum *pus* generatur & procedit: Quandoquidem in hoc, in puris, inquam, efformatione & proventu, tota differentia *apoſtematis* ſeu *abſceſſus*, ab *ulcere*, quatenus *abſceſſui* contradiſtinguitur, fundatur, imo conſiſtit.

Ex eodem fonte fluit, quod *abſceſſio ſive ſuppuratio* quidem, non niſi *ſanguiferis* partibus; *ulceratio* exſanguibus, mollibus tamen, & humidis, conveniat; ſed & ne *ulcus* quidem ἄπυον ex abſceſſu ἐμπύῳ, citra ſummam difficultatem fieri poſſit: Cum *ulcus* abſolutum, in *exſangui* parte genitum, ſponte quidem nunquam, difficulter etiam arte, aut caſu, in ſuppurationem vergat.

Hæc ipſa interim differentia, complectitur ſub ſeſe adhuc alias, etiam altioris indaginis pro *Pathologia Medico-chirurgica*, diverſitates. *Primo* enim, *ſuppuratio* abſolute requirit *inflammationem*; *Secundo*, eſt longe *brevioris*, imo præcipitis *ſucceſſus*, & quod ex eodem fundamento fluit, *copioſiore* intra breve tempus, diffuſione, & generatione ſeu proventu materiæ conſpicua: *Tertio* longe præſentioris *periculi* ad graviſſimam *ſphaceloſam* degenerationem: *Quarto*, ſi his circumſtantiis, quacunque de cauſa, *febris* accedat, *inflammatoriam*, *acutam* indolem parturiens: *Quinto*, ſi corruptæ portionis *generati puris*, non ſuppetat exitus, & *certiſſimi*, & *promptiſſimi & graviſſimi* nempe ſphaceloſi, exitus ferax. *Sexto*, materia, ve-

ro atque puro *abſceſſui* generando idonea, ultra tempus ſatis exiguum, ſine corruptione intus perſiſtere non poſſit. Quorum omnium contrarium, aut certe plurimum diverſum, contingit in conſtitutione *ſtricte* dicti *ulceris* & *ulceroſæ* tam *diſpoſitionis*, quam *corruptionis*.

Quid enim familiarius eſt, quam *externa* etiam *ulcera*, æque atque *phthiſicam pulmonum* læſionem, non per unum, ſed plures etiam *annos*, ſine ſpectabili, aut a poſt facto credibili, progreſſu depaſcendi, ita tranquille, atque placide perennare? Neque hoc ſolum, ſed inveniuntur toto die in cadaveribus, a violenta, aut quacunque certe alia cauſa, demortuis, nodi tales & *collectiones*, *mucido-ſcirrhoſæ*, in *pulmonibus*, maximæ avellanæ capacitatem æquantes, in meditullio etiam tophaceam duritiem, ſeminis cannabis & amplius magnitudine continentes, quorum poſſeſſor, dum viveret, vix ullam ſuſpicionem male affectorum *pulmonum*, ſibi aut aliis formaverat.

Conſpicua tanto magis eſt hæc res, in *ovillo* genere; ſiquidem in horum *pulmonibus*, ſatis familiariter inveniuntur hujus indolis *nodi*, qui ſi attentiore ſcrutinio evolvantur, *cavitatem* capacem, cum infarctu *tenacis muci*, exhibent, ambitum vero, veſiculæ forma, ad avellanarum capacitatem diſtentæ, monſtrant: quæ interim non ſolum reliqua pulmonum textura denſior, ſed & ſatis ſæpe ad *cartilagineam* aſperitatem appropinquantis *duritiei*, reperitur, cum conſpicua communicatione *tubulorum aſperæ arteriæ* bronchialium.

Neceſſitas ipſa poſtulat, ut hæ res ſolertius allegentur, poſtquam omnino hinc maxime pendet non ſolum *diuturna* iſta ſubinde phthiſeos *duratio*, & lenis atque languidus ſucceſſus; ſuſtentata videlicet ab hujuſmodi diſpoſitione ſolum *ulceroſa*, nondum abſolute in actum deducta; ſed etiam facta omnino jam *actuali* ulceratione, ex nimio ſæpe *lentore* atque ſegni progreſſu, ſeſe exerens: quando *ſanguinea* vaſcula non ſimul eroſa ſunt, ideoque ſanguinis concurſu præſentiorem corruptionem, qualem ipſe format & ſubit, non recipit nedum, ut inferat.

Hæc certe ad univerſam *ulcerum* indolem pertinens, *ulceroſa diſpoſitio*, ad actualem hujus generis corruptelam ſubeundam, minime præceps aut promta, eſt illud, quod ſub *abſceſſum latentium* nomine deſignaſſe videtur *ſcreta*, quando *hecticæ* cauſam illis adſcribit.

Certe, modo ipſi pari jure licuerit *abſceſſum* pro *ulcere* accuſaſſe, quo alii, etiam claſſice, *pus ex ulcere*, nempe aquam ex pumice, eliciunt; quoad ipſam rem, de vera *hecticæ* cauſa certiora attulit, quam alius quiſquam: quapropter etiam mitiorem certe merebatur cenſuram, quam illam tanquam blaſphemiæ imputationem, quod veteribus hoc minus perſpectum eſſe putaverit.

Interim, ſicuti hæc res maxime in culpa eſt, ut ipſi quoque *pulmonum ulceroſæ* conſtitutioni, *hectica* cum conſumptione *tabida* accedat; ita ex eodem fundamento, notanda venit utique differentia *hecticæ* in genere,

re, & inprimis diverſarum ejus *ſpecierum*, a *phthiſi*, quatenus totum affectum illum *pulmonum*, aut magis præcipuam ejus partem, proprium, inquam, *pulmonum* vitium, ſignificare debet *phthiſeos* vocabulum.

Quantum autem differat *ſuppuratoria* congeſtio in pulmonibus, ab *ulcere phthiſeos* autore, nemini ignotum eſſe poteſt, qui differentiam inter *vomicam* pulmonum, & *phthiſin* intellexit. Quamvis enim e *vomica*, æque ac *vulneribus* pulmonum, *phthiſis* ortum trahere, iiſque ſuccedere ſatis ſæpe ſolet; tam evidens tamen eſt differentia rei ſuccedentis, a præcedente, ut prolixiore diſtinctione nuſquam opus eſſe videatur. Ceterum quanquam verum ſit, ex incommodis etiam *diutius* in pulmone receptis, *vomicam* tandem erumpere; tamen nulla juſta conſequentia hinc inferre licet, quod ipſe actus *ſuppurationis*, tam ſegni ſucceſſu, *ſeptimanarum*, imo *menſium*, demum abſolvatur: longe enim indoli *ſuppurationis* convenientius eſt, ut alteri, hactenus magis *ulceroſæ*, ſegniori, nondum in corruptionis plenum actum deductæ, collectioni, ex accidentali aliqua occaſione, magis præceps tandem & *inflammatio* & *ſuppuratio* ſupervenerit. Unde quidem etiam *vomica* pulmonum vera inter tot φθίσεων exempla, revera rari eſt proventus, & inſuper circa tempus, quo tandem vel erumpit, vel æger illa adhuc concluſa, interit, ſatis acri *inflammatoria febre* ſtipata. Magnæ vero diffuſionis ſuppurationem in pulmonibus, intra parvum tempus, ſine exquiſite *peripneumonica* febre, *ſanis antehac pulmonibus* immediate obtingere, παράλογον eſt.

CAPUT III.

Hiſtoria Phthiſeos.

MEdicina niti debet *ratione & experientia*: *ratio* nempe cum *experientia*, i. e. veris facti circumſtantiis recte conſpirare, ne quid amplius ſit in ſuppoſitionibus *ſpeculationis*, quam experientia revera ſiſtat; Nec in circumſtantiis *experientiæ* aliquid abundet, cujus concurſui non reſpondeant *rationes* illæ, quæ vel univerſis reliquis circumſtantiis, quadrare viderentur: Quandoquidem non magis in *jure*, quam in *phyſica*, æque ac *arithmetica*, quin univerſa *matheſi*, minima quoque circumſtantia, variat rem.

Sunt certe in *phthiſi* etiam variæ hujuſmodi circumſtantiæ, quæ ſuperficialibus hujus morbi rationibus reddendis, multis modis adverſantur. Producimus, ſuffragante etiam de reliquo ipſo rei ordine, *primo* loco, *frequentiam* hujus morbi, quantacunque de reliquo ſit, certe immane quantum *minorem*, quam ex illis trivialibus traditionibus, quod ab *acrimonia* irritante, erodente, ortum ducat, ſequi debebat.

Certe

Certe enim, quod merito *ſecundo* loco ponimus, immenſo etiam numero, qui inter halitus *corroſivos*, tam pulverulentos, qnam vaporoſos toto die, longo tempore, quin maxima totius ſuæ vitæ parte, verſantur, *Phthiſin* tamen non incurrere, quotidiana monſtrat experientia. Et quamvis etiam aliquis numerus hominum, hujuſmodi rebus expoſitorum, *phthiſin* experiri obſervetur, non fit hoc tamen nec ita *certo*, nec ita *prompte*, ut inde ad *immediatam* efficaciam *corroſivam*, ullo jure concludere ſit integrum.

E contra illud quidem longe magis ipſius *Experientiæ* obſervatione innotuit, quod de illis, qui *tuſſi* diutius aut frequentius obnoxii ſunt, numero majore, quam ante dicti in *phthiſin* prolabi ſoleant. At vero, *tuſſim* ſimpliciter *acri* & vellicanti irritationi imputare; & ſimpliciori *tenacitatis*, & inprimis copioſæ, proventu, & talium humorum, vel ſimpliciter liberam veſicularum pulmonalium expanſionem obruentium, debitæ excuſſioni, efficaciam ad provocandam tuſſim, denegare, utrinque tam rationi, quam experientiæ adverſiſſimum fuerit, vel ſolius ſimplicillimæ aquæ, temere in aſperam arteriam illapſæ, quotidiano exemplo.

Interim, quod hanc etiam circumſtantiam maximopere limitet & reſtringat, eſt ingens illud, experientiæ certe, ſed neſcias, utrum magis medicis, quam plebi, notæ, negotium, quod etiam maxime *tuſſiculoſis*, & ſane *tenaciore* & copioſiore humorum in pectus erumpentium proventu male affectis, ſive plane *teneræ*, ſive admodum *provectæ ætatis*, hominibus, *phthiſis* tamen vera, longe rarius eveniat, quam illis, de quibus jam dicemus.

Nempe quod vix non princeps eſt genus circumſtantiarum, ad *hiſtoriam phthiſeos* pertinentium, *certæ* demum *ætati*, præ omnibus aliis circumſtantiis, inprimis imputanda eſt *phthiſis*. Quod idem non fefellit ſolertiam antiquiſſimorum, *Hippocratis*, & e quibus ſua forte hauſit; unde tam 3. *aph.* 29. *Juvenibus tabem*, Φθίσιν, inquam, præ aliis ætatibus, obtingere tradit; & ne cuiquam *ætatis hujus periodus* crucem figeret, definit hanc prorſus *numero annorum* 5. *aph.* 9. quod totidem verbis iterum ponitur 8. *aph.* 7. & *coac. prænot. text.* 439. nimirum *ab anno* 18. *ad* 25.

Reddit palmam huic circumſtantiæ ambiguam, altera; a ſolertiſſimo noſtro *Sene*, allegato illo *aphor.* 29. *ſect.* 3. non ſolum longe peritiſſime allegata, ſed ordine etiam prorſus experimentali & rationali, collocata. *Juvenibus*, inquit, (nempe præ aliis ætatibus) familiarius ingruunt *ſanguinis ſpuitiones*, *phthiſes* &c.

Ut incredibilem illam ſuam ſolertiam & circumſpectiſſimam peritiam & experientiam, ſolerter imitaturæ poſteritati, penitiſſime inprimeret, obſignat aphoriſmum expreſſione illa, attentionem prudentem maxime merente, *quod licet juvenili ætati etiam alii morbi*, & varii quidem, ſatis facile conveniant, *maxime* tamen (μάλιστα, *potiſſimum præ aliis*,) *ante-*

tedicti, *hæmoptyſis* nempe *tabes*, *febres acutæ*. Quid vero aliud hoc eſt, quam ipſa re dixiſſe, quod *hæmoptyſis & tabes* non ſolum præ aliis *ætatibus*, ſed etiam præ aliis *morbis*, eveniant præcipue *juvenibus*.

Sicut autem res ipſa in hodiernum diem obſervationi huic peritiſſimi ſenis ſuffragatur; ita merito ſubjicienda eſt obſervatio illa populi noſtratis, quod *pueri* cum primis, quin etiam *puellæ*, qui ſub illa *ſua ætate*, nimium *frequentibus atque promtis*, inprimis autem *copioſis narium hæmorrhagiis* laborant, *phthiſi* expoſiti ſint. Dicere ſolent: *Es iſt ein ſchwindſüchtiger Junge*, . . . *Er wird nicht alt werden*, *es iſt die klare Schwindſucht mit ihm* &c. Quamvis enim hoc de *atrophia* velut a priori, intelligere videri poſſent, quod etiam aliqui vel diſerte faciunt, *Er komme nicht zunehmen*, *blute ſich alle Kräfte aus dem Leibe heraus* &c. Teſtatur tamem vera experientia etiam *a poſteriori* quod pueri jam hac ipſa ſua ætate enormibus ſanguinis eruptionibus affecti, revera *phthiſi* ſubinde obnoxii evadant; non tamen æque immediate ab his ſanguinis eruptionibus, quæ *per nares* procedunt; ſed tunc demum maxime, quando hæc evacuatio, quacunque occaſione, ſponte, vel imperita arte, ipſis *ſupprimitur*. Quod adeo verum eſt, ut etiam illi adoleſcentuli, qui non tam plane enormibus, ſed tamen *copioſis*, *narium* hæmorrhagiis obnoxii fuerunt, ceſſantibus his, omnino certiſſima mox *in pectore* incommoda hinc incurrant atque perſentiſcant, & facile vere phthiſici evadant.

Neque vero ſolum *ætas*, ſed tanto magis etiam *ſexus* phthiſi magis expoſitus deprehenditur *fæmineus*; vix tamen aliter, quam ſi negotium excretionis *menſtruæ* graves defectus patiatur: quod ipſum, cum præcipua ſui parte *annos* illos complectatur, quos *Hippocrates* phthiſi magis expoſitos obſervavit, tanto minus mirum hinc eſt, quod plus uno nomine, huic *ſexui* phthiſeos periculum præ altero impendeat.

Ut autem experientiam circa hæc negotia quovis modo exhauriamus, tenendum præter hactenus dicta, omnino eſt, quod & *ætas* & *ſexus*, & quælibet alia pauxillo remotior diſpoſitio, (cujuſmodi ſunt *plethora*, cum habitu corporis *cholerico* & *cholerico-melancholico*) non æquali propinquitate ad phthiſin diſponant hominem, quam undecunque, ſive externa vi, ſi interno motu aut impetu, ad *evacuationem actualem* tendentes, tanto magis autem jam eo deductæ, *commotiones hæmorrhagicæ*, ſive copia, ſeu cum primis *frequentia*, in qualemcunque *habitum* deductæ. Tales enim reliquæ diſpoſitioni vere colophonem adjiciunt.

Inde enim eſt, quod non ſolum *fæminis*, ab interna illa ſanguinis ſolita evacuatione ſuppreſſa, ſed viris etiam, ab *hæmorrhoidalibus* moliminibus & excretionibus titubantibus, *pectoris* anguſtiæ, oppletiones, *phthiſin* minitantes, & quandoque parientes, velut impetu facto, ingruant. Tanto magis tamen, ſi jam prægreſſa *juvenili* ætate, quod quidem talibus admodum ſolenne eſt, congeſtiones ad pectus familiares habuerint.

Qui jam actuali *phthiſi* obſidentur, habent utique inter ſe mutuo di-

verſam conſtitutionem in eo, dum alii vehementioribus, & *brevi tempore* patientem maxime debilitantibus & extenuantibus ſymptomatibus infeſtantur; alii vero *ſegniſſime* viribus & corpore fatiſcunt, imo, quantumvis ſenſim contabeſcant, *vires* tamen, quantumcunque vegetiores retinent, & non niſi per intervalla gravius habentur, *vere*, *autumno*, *tempeſtatibus*, aut externis injuriis exacerbato magis morbo.

Tuſſiunt vix non omnes, & plerique *acrius*: alii cum multa *excretione*, alii cum *pauca*: cum *nulla*, vel per *initia*, vel in *fine*. Recte enim ſane Hippocrates 7. aph. 16. *a puris ſputo, phthiſis, & fluxus: poſtquam vero ſputum retinetur, moriuntur.*

Colorata, *odorata*, *purulenta*, minime omnibus obtingunt ſputa; nempe nec illis, quibus *ulcus* nondum abſolute conſummatum eſt, nec illis, quibus nudum & *ſimplex* ulcus bronchiorum, aut membranaceæ pulmonis portionis, citra *ſanguinis* concurſum adhuc perſtitit: In contraria enim conſtitutione, tanto magis invaleſcit corruptio, quanto major eſt ſanguinis communicatio: ea tamen differentia, *ut paucitas* ſanguinis, tantum ulcerationis *acrimoniam* intendat; Abundantior ſanguinis concurſus, vel *ſuppurationem* inferat, vel *ſphacelum*, vel *hæmoptyſin*, & hanc aliquando etiam incoercibilem & lethalem.

Phthiſicis, poſt omnes corporis partes, non ſolum ultimo loco *facies* extenuatur; ſed quandocunque hecticus illorum *calor* exaſperatur, & *turgidior*, & *florido colore* conſpicua illa evadit. Pari ratione & venæ circa caput tum alias tum inprimis in febrili tali exacerbatione, turgent.

Præcipuum autem, & ſymptoma, & ſignum eſſe ſolet phthiſicæ pulmonum conſtitutionis, ſi non ſolum ab intemperie *aeris*, anguſtia atque *tuſſis* augeſcat; ſed etiam ab arbitraria atque voluntaria *profundioris reſpirationis* attractione, tum exacerbationem talem tuſſis atque preſſionis ſentiant, tum plane aliquando, certam quaſi ſedem alicujus impedimenti renitentis diſtinguant.

Qui reliquis phthiſeos ſymptomatibus abſque *copioſa exſpuitione* laborant, illi quidem commodius aliis durare ſolent; his ſi intempeſtive ingeſtis expectorantibus, immoderatior congeſtio ad pectus inducatur, cito pejus habere deprehenduntur: imo facile, non tam *ulcerationis*, quam *ſuppurationis*, impetu corripi, & ſæpe in præſentius mortis periculum, imo lethalem eventum citatiorem, conjici ſolent.

Sicut *excretionum ſanguinis* conſuetarum ſuppreſſiones, & evocare, & aſperiorem reddere ſolent phthiſin; ita ratio ſuadere videtur, quod moderatæ atque tempeſtivæ illius *ventilationes*, e contra, ventilare morbum poſſint, & exacerbationes ejus, *inprimis præveniendo*, mitigare. Confirmat hoc ſane experientia; quæ eadem ſimul ſatis docet, quod in *exacerbationibus* phthiſeos inprimis *inflammatoriam febrem* jam validiorem excientibus, temere ſuſceptæ venæ ſectiones, periculoſæ, imo aliquando præſentiore effectu lethales ſint.

Veræ

Veræ & indubitatæ phthiſeos, veram atque ſolidam *curationem*, paucæ certe relationes commemorare audent; aliis vero, quæ audaciſſime hoc faciunt, fidem detrahunt, vel diſſimulatarum verarum morbi circumſtantiarum, vel allatarum alienarum, defectus. *Suppuraſcentes* pulmonum affectus, æque ac inſignia etiam illorum *vulnera*, reſtitui, citra ſummam difficultatem, docet experientia. Cum tamen *ſpeciale robur* patientis, & huic faventes plane peculiares circumſtantiæ, inprimis *quantitatem & commotionem ſanguinis*, adeo perplexæ communiter, una requirantur, *in ambiguo* ſemper poſita eſſe ſolet hæc ipſa quoque curatio, & qualiſcunque ejus ſucceſſus.

Solent utique phthiſici expoſiti eſſe frequentioribus *hecticæ* ſuæ complicatæ *exacerbationibus*; hæ ipſæ vero, quoties admodum frequenter & fortiter exaſperantur, eo magis diffundi & increbeſcere ſolet corruptio, & *brevior* ad *lethalem exitum* fieri periodus.

Exitus ipſe *lethalis*, contingit, vel acerbiore tali *febrili* progreſſu, magis *inflammatorio*; qualem veteres comprehenderunt ſub cenſu *hecticarum* cum *putrida* complicatarum. Sin autem etiam languidiſſime exeat ad mortem morbus, langueſcentibus indies viribus, tandem, ut aiunt, ellychnii inſtar, cui nutrimentum deficiat, placide atque tacite extinguuntur.

Illis, quæ de *juvenilis ætatis* diſpoſitione ad hunc affectum ſuperius adduximus, addendum adhuc eſt, quod hæc ætas, non ſolum facilius corripiatur, ſed & intemperantius afficiatur, phthiſi; adeoque & facilius & violentius illa interimatur. E contra *ſeniores*, alacritate illa ac impatientia corporis & animi motuum, juvenili, non adeo amplius affecti, vel ipſam phthiſin, longe patientius & tranquillius ſuſtineant, ſi vel a prægreſſa ætate, vel a fortuita quadam cauſa externa, contractam, in iſtos annos tranſtulerint, modo a fortuitis graviorum exacerbationum occaſionibus ſibi caveant.

CAPUT IV.

Conſtitutiones Phthiſi intermortuorum.

CAdaverum poſt mortem ſpontaneam ſectiones, ad illuſtrandam pathologiam medicam plurimum poſſe, ut in genere nemo negaverit, ita tamen in ſpecie tanto majorem utilitatem ſine dubio afferre poſſunt in ejuſmodi morbis, ubi abſtruſior quædam ratio atque minus ſolita, adeoque rara conſtitutio adeſſe apparet: quam neque aliis ejuſdem indolis affectibus, neque propriis evidentioribus ſymptomatibus ſatis æſtimare integrum videatur. Eodem intuitu non contemnendæ certe ſunt, *rariores* obſervationes, in variis morborum generibus deprehenſæ; minime tamen, quod ſæpe, ſed perperam ſane fit, e rarioribus ejuſmodi, mox

ſuſpiciones, nedum concluſiones, de communibus & ſimplicioribus, ſive talibus, ſive tantum ſimilibus affectibus, eliciendæ.

Sane vero illi, qui praxeos cum circumſpectione ſtudioſus atque peritus eſt, non poteſt non innumeris exemplis dilucescere, quantum incommodi pathologiæ medicæ, forte ab ultimo triente præteriti ſeculi, attulerit, neglectio illa diſtinctionis, inter illud, quod *familiariter*, & quod *raro in praxi* occurrit. Ita enim *ſpecialiſſimorum* caſuum frigida immixtio, in morborum trivialium & obviorum, *communem* & maxime conſuetam fiendi rationem, perplexum reddit tironum de ejuſmodi rebus conceptum: imo quod minus adhuc decuerat, pervertit ipſam morborum ſolenniorem & communem hiſtoriam. Ego certe ad ſolidam doctrinam & informationem praxeos, quam maxime pertinere, cum D. D. Præſide ſentio, ut vel in quorumlibet morborum hiſtoria tradenda, curioſe ſimul attingatur, an etiam illa *ſpecies morbi*, admodum *ſæpe & familiariter* hominibus obtingat? cui deinde adjungi poſſit, *qualibus* præcipue *hominibus*, *temporibus*, *locis*, &c. familiariter accidat, &c.

In noſtro negotio *conſummata phthiſi* mortuorum corpora, exhibent ſemper fere *ulceratam pulmonum* corruptelam; quos vero phthiſicos alio morbo aut caſu interire contingit, illi ſi ſecentur, exhibent etiam ſubinde tolerabiliorem, & magis *inchoatam*, quam *conſummatam* ulcerationis conditionem, *ſcirrhos*, *nodos ſcirrhoſo-mucidos* &c.

Poſſemus numerum locupletem ejuſmodi exemplorum tranſcribere ex aliis authoribus, niſi hoc eſſet actum agere, cum labore hoc jam optime defunctus ſit *Theophilus Bonnetus* opere illo, ab aliis ejus lucubrationibus, *quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi*, eminente, *Sepulchreto*, ſive *anatomia practica*.

Inter inſignes *phthiſicæ* abſumtionis caſus, eſt *ingens* viſceris hujus corruptio, & illa quidem duorum generum. Altero enim caſu, *acutiore febre*, & inflammatorio ſuppuratoria corruptione, breviore tempore abſumitur, & *in pus* ſimplicius convertitur, magna pulmonum portio: altero vero modo, minore febris aut inflammationis impetu, adeoque etiam *longo tempore*, fatiſcit ſenſim, ingens pars pulmonum, *in feroſum liquamen*, vix quidquam inſigniter *olens*, neque *cruentum*, neque, ut aliquo jure pro vere tali agnoſci poſſit, *purulentum*. Habentur utriuſque exempla apud authores. *Prioris* apud *Foreſtum* libr. 2. obſ. 37. *Heurnium* obſ. 3. & 17. *Platerum* obſervat. l. 3. pluribus uno exemplis. *Poſterioris* generis hiſtoriam affert *Cardanus* part. 3. De cauſ. &c. morbor.

Quamvis autem longe plurimi phthiſicorum, ab inſigni corruptione, majore morbi impetu emorientes, ſinceriore *ſuppuratione*, per inflammationis atque febris coortum prædominium, ad mortem deducti legantur, teſtante magno numero in hoc conſpirantium obſervationum, a laudato *Bonneto* conquiſitarum: non tamen ita abſolute rariſſimum eſſe, illum quoque caſum, quo pulmones non æque in verum *pus* fatiſcunt, per-

ſuaſit

ſuaſit mihi propria experientia, qua in cadavere viri qui *ſegni* phthiſi, cum fluctuatione in ſiniſtro latere, perierat, ſiniſtrum pulmonis corpus, quantum quantum mediaſtino a dextro ſeparatur, univerſum abſumtum vidi, neque quicquam ejus loco, niſi largam quantitatem tenuis liquoris reperi, *lactea* penitus, eaque prorſus æquali albedine conſpicui: altero pulmonis latere, quod forte haud multo minorem admirationem merebatur, nullo prorſus indicio a vera ſua integrare declinante. Quem etiam caſum excell. Dn. D. Heldio non ita multo poſt tempore, expoſui.

Quamvis autem dicta hæc corruptio duorum generum, phthiſicos præſentiore pulmonum deſtructione ad mortem deducat; tamen etiam exempla non deſunt, ubi phthiſis mortem induxit, ſolo proventu adhuc *crudorum* tuberculorum, nondum in ulcus actuale deductorum, cujuſmodi exemplar, nempe *Heurnii* obſervationem duodecimam adducit *Bonetus* l. 2. ſect. 7. n. 27. Tanto magis autem reperiuntur ejuſmodi conſtitutiones in ægris, poſt ſegnem tabem, alio morbo ſuperveniente, vel etiam violenta morte, abſumtis. *Vermes* in pulmonibus vid. in *Bartholini* hiſtor. anatom. n. 46. cent. I. quamvis quidem corpus ipſum non fuerit ſectum, & inſuper in ſarcophago totum cadaver ſimilibus vermibus ſcatuiſſe memoretur.

CAPUT V.

De vera phthiſeos diagnoſi & prognoſi.

AUdias valde frequentem inter practicos diſceptationem, *an* etiam *certa atque firma phthiſeos ſigna* dentur, e quibus inprimis *incipientem* phthiſin deprehendere atque judicare fas ſit; quin etiam vel gravius *radicatam* phthiſin ita certo ac indubie deprehendere, ut nulli *hecticæ* pro *phthiſi*, falſæ nimirum, acceptioni ſit locus.

Si veritatis ipſius luculentam determinationem ſpectemus, curioſa utique eſt quæſtio. Sin autem de uſu *practico* hujus determinationis ſit ſermo, tanti, ut putari poſſet, pretii illam non eſſe, auſim aſſerere. Si enim e circumſpecta praxi, imo ipſa ratione experientiæ innixa, intellexerimus, quod remedia *placide reſolventia & diſcutientia*, & ſine omni acredine *balſamica*, phthiſeos unica vera ſint ſolatia; *adſtringentibus* autem *vulnerariis*, illi certo certius plus poſitive *noceatur*, quam conſulatur: Et quod *methodus* æque ac *remediorum* apparatus, quo *hecticis* vere ſubvenire licet, *phthiſi* quoque conducant; quæ vero *hecticæ* nocent, *phthiſi* quoque noceant, & viciſſim: haud ſane quicquam periculi ſubeſſet, ſi quis vel maxime non exquiſite aſſequi valeret, *hectica* potius, an *phthiſi*, patiens, qui præ manibus ſit, laboret.

Lenius incipientis, & inſidioſe progredientis ac repentis *phthiſeos*, vix ullam a corpore patientis ejuſque actionibus immediate petendam ſuppetere *diagnoſin*, non dubito affirmare.

Sicut enim eo tempore nihil, niſi *tuſſis*, & illa quidem ſæpe numero admodum *exigua*, ſeſe ſiſtit, & vix conſideratu digna; ita, ut etiam in cadavere illuſtris adoleſcentis, viginti, & quod excurrit, annorum, octo *nodos ſcirrhoſos*, magnarum avellanarum mole, in pulmonibus repererit D. D. Præſes, quorum plerique in meditullio exhibebant granum tophaceum ſeminum cannabis minutorum & majuſculorum inſtar: reliqua etiam ipſorum conſiſtentia, ita tenax & firma erat, ut nude diſſolvi, & abſque corruptione in ulcus, cum veſicularum, quas æque, atque vaſa & tubulos involvebant, integritate, diſcuti, inpoſſibile fuiſſe appareret. Hic interim juvenis dum viveret, interdum quidem tuſſiebat, verum ita parum & obiter, ut vix unquam tres aut quatuor exiguos tuſſis ſonitus elideret. Alter juvenis 23. circiter annorum, e vulnere pulmonum, cum majorum vaſorum diſſectione, ſecundo die mortuus, uti ſiniſtram pulmonum molem liberam, ita dextram thoraci per innumeras robuſtas fibras, tranſverſum minimum digitum longas connexam habens (quam etiam vulnus ad dorſum uſque penetraverat) gerebat ſimul *ſcirrhum*, magnæ avellanæ quantitate, qui ſuperficiei pulmonis ex uno latere connexus, illam eo loco corrugaverat; intus autem *duram denſam ſubſtantiam* qualis propemodum *renum* eſt, referebat, in cujus medio *tenax mucus*, cum aliquot exiguis granis tophaceis hærebant. Hic juvenis interim, quantum cognati ejus meminerant, neque queſtus erat, unquam de ulla circa *reſpirationem* alteratione, neque poterant prædicti ejus cognati, ullo modo recordari, quod illum a longo tempore, nedum frequentius aut fortius, *tuſſientem* audiverint. Illum vero *ſcirrhum*, citra ulcerationem diſſolvi potuiſſe, conſiſtentia ejus univerſa, nedum *tophi iſti*, credere vetant.

Vulgo pro *phthiſis* ſigno interpretantur, ſi patiens *ſæpe* & per *longum tempus*, *tuſſi* etiam *parva* & *inani* ſeu *ſicca* laboret; inprimis ſine manifeſtioribus cauſis. Quamvis autem hoc non ſit de nihilo; tamen neque firmiter inſiſtere his judiciis integrum eſt: neque *phthiſeos* ſtricte dictæ, nempe *pulmonalis affectus*, proprium hoc ſignum reputare. Noverunt enim utique practici peritiores, quod *hectica* ex hypochondriis, imo ipſa interdum primæ concoctionis vitia non minorem *tuſſim* provocent; imo vero potius familiariter *graviorem*, quæ etiam fortaſſis verior ejus differentia a *pectorali* haberi mereatur, nempe *ſiccitas cum magno impetu* conjuncta.

Quamvis autem *valde diuturna*, præcipue vero ſimul *ſicca* tuſſis, ſuſpicione valde juſta, pectoris aut hypochondriorum vitii pertinacis, non careat; imo pro minus dubio ſigno ejuſmodi conſtitutionis, e qua *phthiſis* aut *hectica* alia, majore impetu prorumpere poſſit, non injuria habeatur: non præbet tamen ſignum, neque *phthiſeos* ſtricte dictæ, nec ip

ſius

ſius neceſſario admodum *tabidæ* hecticæ, nempe ab *ulceroſa* vix amplius reſolubili, aut actu jam *ulcerata* conſtitutione, dependentium affectuum.

Purulentum ſputum, miſerum eſt ſignum; nempe jam ad maximam *ἀκμὴν* deductæ phthiſeos; interim uti ſupra dictum non abſolute *unicum*: cum etiam *phthiſis* conſummata detur, ſine pure: & in immenſo etiam, ulcerationis minus aut nihil purulentæ progreſſu, ad mortem uſque vix quicquam notatu dignum a patientibus hujuſmodi excerni, frequentiſſime contingat.

Nuſquam turpius quam in *phthiſeos* divinatione dare ſe ſolent *Uromantæ.* Ubi nihil, niſi præſtigiatoriis illis captioſis quæſtiunculis, de morbo *diu durante*, patiente *fatigato*, malo colore affecto, appetitu exiguo, (*Es ſchmecke ihm kein Eſſen*,) reſpirationis aliqua anguſtia, tandem conſultantibus eliciunt reſponſa illa: *Ja wohl hängt es ihm ſchon lang an; ja wohl iſt er müde und matt; ja wohl iſt ihm der Odem ſchwer*, &c. Quibus rebus, vel etiam ſi jam ante tentaverint, aut e ſpuma, in urina etiam minus craſſa, diu durante conjecerint, præſentiam *tuſſis*, & huic etiam ſolliciti conſultantes adjecerint illud ſuum: *Ja wohl* &c. tandem pronuntiant, *Es ſey die klare Schwindſucht mit dem Patienten.*

Uromantia nempe *affectata* tanto magis in quibuslibet *promiſcue* morbis, uti ſemper præſtigiatoria eſt; ita miſera profecto eſt medici conditio, in ejuſmodi locis, ubi exiſtimatio ejus, ita inter ſtolidæ plebis, & nequam adverſariorum captationes jactatur, ut etiam opus habeat conſilio illo, quod *doctiſſ. Lentilius* ſuppeditat: nempe ut meminerit, oblata urina interrogare, quod patienti ſit nomen; ut inde agnoſcere poſſit, utrum ille mas ſit, an fæmina.

Cæterum *urinæ phthiſicorum*, & ſæpe quam maxime in gravioribus exacerbationibus, citra inſignem inflammationem, admodum frequenter *ſanis* ſunt ſimillimæ; niſi quod *ſpumam* communiter diutius ſervent: quod tamen etiam ſimpliciori *tuſſi*, imo reliquo habitui patientis, ut vocant, *phlegmatico-pituitoſo* admodum familiare eſt.

Sicut autem niſi cumprimis ad extrema jam prolapſæ, phthiſeos nulla fere *abſoluta*, præcipue vero *ſingularia* ſuppetunt ſigna; adeo ut etiam *veri puris* perita diſcretio inſtituenda ſit, ab illa, etiam in *ſimpliciore tuſſi* exire ſolita materia craſſa quaſi *pultacea*, ex flavo *vireſcente*, innoxia: quantumcunque etiam illam formidare ſoleant patientes, & conteſtari adſtantes, *der Patient werfe ſo ſchröcklich garſtiges Zeug aus*: conjungenda tamen eo magis ſunt ſigna *ſocia*, nempe *ætas*, tuſſis *diuturnitas*, *perennitas*, præcipue ſimul ſiccitas, aut humiditatis *profundius* excuſſæ, *ſanguineis ſtriis* infecta conſiſtentia: inprimis cum hac conſtitutione, qualitercunque *ſanioſa*; aut *puris* æmula: item tuſſis hujus exacerbatio ab *aëre* frigido, halitibus *acribus*: humidæ exaſperationes a rebus *acidis* aſſumtis.

Sicut autem univerſis hiſce circumſtantiis concurrentibus, nondum tamen

men propterea dignitas, *abſolute*, inprimis *ſpecifice*, *pathognomicæ diagnoſeos* competit; ita merentur vix non indubiam hujus generis certitudinem, ſi illis accedant prægreſſæ conſpicuæ *violationes* pulmonum, inprimis *hæmoptyſis*, *peripneumonia*, *violentæ* læſiones, *vulnera*, obverſatio inter *corroſivos*, aut *metallicos* vapores diuturnior, *hæreditaria* diſpoſitio.

Poſtquam autem his omnibus evidens & conſpicua non ſolum *extenuatio* corporis, ſed ante omnia ſenſibilis *hectica* acceſſit, de veritate phthiſeos certo eſſe licet medico.

Pro diſtinguenda adhuc *mitiore*, ſed tamen valde *diu continuata* tuſſi, cum quantalibet *hectica febricula*, duo veluti ſpecimina, reliquis ſubſidium ferre poſſe exiſtimat D. D. Præſes; nempe primo ſi tuſſis a ſucceſſive quidem, ſed profunde tamen adducta *reſpiratione*, nihil intendatur, nec ullum in pectore, ſive *anguſtiæ*, ſive *reniſus* cujuſcunque veſtigium ſentiatur: *Tabem* illam atque *tuſſim hypochondriacam* judicandam potius reputat, quam *pectoralem* phthiſin. *Secundo*, tantam ab experientia deprehendit, *Tabaci* recte præparati, *internam* efficaciam, in *pulmonali* tuſſi, ut cum alias illam, etiam cum ſuffocativo pene humorum infarctu conjunctam, certiſſime cohibeat; ſi etiam levior *ſuſpecta tuſſis* ab illo remedio nihil miteſcat, a *pectoris* vitio, illam, & quibus aliis ſtipata eſt, pathemata, non proficiſci, pro certo habet. In graviſſimis autem cum *inflammatoria febre*, commotionibus ſuppuraſcentibus, etiam hoc ipſum experimentum non ſemper ſatisfacere, præmonet.

Putamus ſatis dictum eſſe de ſignis, phthiſin *manifeſtantibus*, & ab hectica *diſtinguentibus*. Interim paucis & certe in uſum, repetimus, quod ad ipſam *praxin*, anxia talis determinatio, *neceſſitatem* nullam, *utilitatem* etiam longe minimam afferat: quod partim e practica tractatione, partim e *prognoſi*, judicare poterit, quam proinde mox ſubjiciemus.

Placet hoc loco ponere vulgi ſententiam, & ad praxin pertinentem, conſultandi rationem. Deferunt ad medicum patientis urinam, & ſæpe captatorias illius quæſtiones, ita pertinaciter eludunt, ut medico, vel ad primam quæſtiunculam, edicant, *ſibi neque patientem ipſum, nec ullas ejus res, cognitas eſſe: ſed tranſmiſſam aliunde urinam.* Imo qui callidiores ſunt, ſuſpiciunt etiam taciti, aut ſcriptum petunt, medici reſponſum & judicium. Si vero loqui in animum induxerint, inprimis, quando forte generalibus a medico tactis circumſtantiis moventur, tandem breviter & rotunde petunt: *Sie verlangten eigentlich nur das einige zu wiſſen, ob der Patient die Schwindſucht hätte oder nicht*; Addunt ſtatim moroſiores: *Dann ſo wüßten ſie, daß ihm nicht zu helfen wäre:* moderatiores, etiam in hoc medici judicium ulterius poſcunt: *Er möchte ſagen, ob ihm auch noch zu helfen ſtünde, daß ſie die Koſten nicht vergeblich verwenden müßten* &c. Ita nempe *diagnoſin* quidem tentare, *prognoſin* autem præoccupare ſolent.

Prognoſis certe phthiſeos, etiam adhuc *incipientis*, ſumme *anceps* eſt; imo

imo ita comparata, ut bene cum patiente agatur, ſi tantum lentioris atque *mitioris* progreſſus paulo evidentiora ſuppetant ſigna. *Prævalentis* autem phthiſeos, ſi ſummam rei ſpectemus, ut mitiſſime dicam, συναποθανασία, ut ad tumulum uſque patientem comitetur, eſt certiſſima: at æque certus, etiam ad accelerandam mortem certiſſimus, effectus, ſi vel ſponte, vel arte, quocunque modo exaſperetur.

Quamvis autem *ſuppuraſcentis* phthiſeos, ſi & *ſeparatio* & *excretio*, vegete ſuccedat, in robuſtis ſubjectis, aliquando obtingat curatio; oppido tamen rara ſunt illa exempla, & immani numero plura, ubi male cedat & exeat negotium.

Requiritur autem etiam ad iſtius modi *melioris* eventus qualemcunque ſpem, ut ante omnia portio læſa, majoribus bronchiorum ramificationibus, ita proxima ſit, ut per has *tempeſtiva* & *copioſa puris evacuatio* optime ſuccedere; *mundificatio* huic veſtigia legere; & denique *conſolidatio* juſta, bonum colophonem negotio imponere queat. Cum autem ad hæc poſtulata neceſſario ſimul optanda ſit, aut ſane non faſtidienda, inſignis *inflammatio*, & conſequenter *febris acuta*: ramorum quoque, tam aſperæ arteriæ, quam qui hos jugiter comitantur, ſanguiferorum vaſorum, concurrens *abſceſſio* & *in pus* converſio; difficultas autem *conſolidationis*, in viſcere ad indefinentem motum, & inſuper aëris externi incurſum, abſolute deſtinato, una etiam innumeris ſanguiferis vaſibus repleto: ſub his omnibus neceſſariis circumſtantiis, quam inſuperabilis, etiam ipſi mox theoriæ occurrat, totius hujus ſpei bonus exitus, cujuslibet judicio relinquimus atque commendamus.

Quid multa? valet certe hic ſi uſquam, diſtinctio illa, *praxi* tamen medicæ utique plus, quam illi alteri negotio, accomodanda, differentia nempe inter *poſſe* & *eſſe*, inter id, quod *ſpeculatio* credibile, & quod *obſervatio* factu poſſibile declarat. Hæc ſane experientia, ita certam reddit, ſummam illam, & ſuperlativam ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ *nulli curæ obedientem* hujus morbi pertinaciam, ut ſummo jure, vulgus non ſolum diffidat medicis, curam paulo certioris phthiſeos in ſe ſuſcipientibus: ſed paulo intemperatiores de plebe, quando magis indubiam phthiſin, confidentius & acrius aggreditur medicus, contemptim præſagiant: *er werde ihm bald vollends hin helfen.*

Sane vero ſi vel *vulnerariis* remediis inprimis *adſtringentibus*: aut acrioribus balſamicis: aut *expectorationem*, ſeu potius *purgationem* per pectus, fortius impellentibus: opiatis quoque: *volatilibus* copioſioribus, (ut *vomitoria*, acriora, *purgantia*, *balſama ſulphuris* cum oleis *deſtillatis*, abunde oblata, mercurialia &c. agyrtis potius, quam medicis imputemus) phthiſicos tractare incipit medicus, habet vulgus, quod ipſi imputet, nec ſuo præſagio fallat: certo certius enim *in pejus* inde ruit, & ab illo tempore gravius habere incipit, & magis magiſque pergit imo perit, phthiſicus æger. Sin autem *temperatis* remediis, *temperandi* ſolum ſcopum ſequitur, imo aſſequitur,

 neque

neque *patienti* ſatisfacit, neque *cognatis*, neque *curioſis* viſitantibus, neque fere pleriſque aliis per trivia praxin aucupantibus. Unde proximum eſt, ut patientes alium medicum eligant, & ſecundum methodum tali eventui magis idoneam, maturius, & cum majore impetu pathematum, moriantur.

Quicquid autem hic illic allegatur, & interdum de experientia in proprio corpore, a concurſantibus, patienti bene cupere videri volentibus, enarratur, quod videlicet hic, aut ille, aut ipſe, a *phthiſi* jam admodum increbeſcente, revocatus atque reſtitutus ſit, uni fere de ſequentibus fundamentis innititur.

Vel enim (1) ſola fuit tuſſis & *fluxio catharralis* in aliquem habitum deducta, & inprimis craſſum illum, *pulpoſum* atque viridem veluti mucum, præcipue ſub incraſſantium uſu, proferens; Vel (2) *febris* potius *lenta* ſimplicior, cum repentina contabeſcentia, & *nimiis ſudoribus*, tali febri familiaribus; vel (3) e lenta tali pullulans adhuc *recentior hectica*: vel (4) *aſthmatica* ſolum pectoris affectio: vel (5) ſuperveniente *minori* alicui *ſcirrho*, vegeta aliqua ſuppuratione, cum ancipiti periculo evaſit æger: vel (6) ſimplicior adhuc *hæmoptyſis* pro phthiſi venditata: vel denique (7) non ſolum plane peculiare, ſed & pro ejus *temporis* peculiaribus circumſtantiis adhuc ſpecialius auctum, *robur naturæ*, vix inter mille alia exempla pari conſtitutione expectandum. E quibus ſingulis ad *veram*, & inprimis *antiquam ulcerationem* phthiſeos, prognoſi aut therapia applicationem facere, irritus ſit labor.

Unde merito pronunciationi noſtræ inſiſtimus, quod *prognoſis* phthiſeos, in *mitiſſimis* caſibus, anceps atque difficilis maneat; *profundior* autem, *commori ſoleat: exaſperata* etiam *mortem accelerare.*

CAPUT VI.

Pathologia Phthiſeos.

Ita comparatus eſt hic morbus, ut ſcholaſticis ejus cauſarum proximarum extricationibus immorari, nulla poſcat neceſſitas. Cum enim ſit *ulceroſus* pulmonum affectus, de *ſolutione continui*, *ſtaſi*, *collectione*, *infarctu*, *corruptione* humorum, prolixe philoſophari, ad *ulceris* quidem cauſalem expoſitionem faceret; ſed cum hic ſermo nobis non ſit, de *ulcere* ſimpliciter, ſed quatenus *pulmonibus* ingruit ac innidulatum eſt, abſurdum ſit de *genere* prolixe tractare, ubi de *ſpecie* agendum ſit.

Equidem minime negamus, quod non ſine uſu eſſe poſſit, *ulceris* veri atque *ſtricte* dicti verior atque dilucidior diſtinctio ab *apoſtemate*; cum autem illud ſuperius, non ſolum verbis, ſed ipſarum rerum diſcretione, jam affatim notaverimus, non placet dicta repetere.

Di-

Dignior autem eſt quæſtio, quænam cauſæ, non ulcerationem, *in genere*, ſed hanc maxime ulcerationem, non tam producant, ſed *in hunc maxime locum* inducant.

Sane vero, ut alias conſideratio *materialis* conſiſtentiæ atque ſtructuræ corporis, ad ſtuporem uſque diverſa eſt, a materialibus *effectibus*, qui in loco contingunt; ita cum *finalium* ejus effectuum ratio non omnibus pariter in mentem, nedum in intellectum veniat, manent utique hæ quæſtiones, non ſolum extra juſtam tractationem, ſed etiam penitus extra ullam conſiderationem.

Aveo certe doceri, quis unquam quæſtionem moverit, nedum evolverit, *cur phthiſis tam paucis hominibus eveniat?* At pauciſſimis (ſi ad reliquos comparentur, ab hoc malo liberos,) & vix milleſimo cuique; imo nemini abſolute *tam cito* aut *tam facile*, quam utique poſſet, evenire manifeſtum eſt.

Imo vero miraculo ſimile videtur, eminenti loco, inter omnes alias corporis partes, præcipue *trium* illarum, tam facilis ad corruptionem aptitudo, & tamen rara (& inprimis vera atque ſimplex, quali abſolute expoſita eſſent de ſua materiali craſi) actualis corruptio: *ſanguinis* puto, *cerebri*, *pulmonum*.

Certe vero tanti eſt hæc, a *mechaniſmo* præſertim, nempe *juſto motu*, harum partium & per has partes, unice dependens *conſervatio*, (ne tam facile lædantur, quam per ſuam *materialem* conſtitutionem lædi poterant) ut ſumme neceſſarium arbitremur, in reddendis cauſis illarum læſionum, quæ ipſis tandem aliquando obtingunt, omni animi intentione quam maxime diſpicere, de ejuſmodi cauſis tandem deprehendendis, (nam adſunt revera tales) quæ hoc ſpecialiſſime exhauriant, ut non, *in genere*, corruptioni inferendæ quadrent; ſed potius non niſi *tam raro* evenienti effectui, maxime ſatisfaciant.

Liceat mihi, ex mente præſertim D. D. Præſidis, *Canonis medico-pathologici* loco ponere, quod *pathologia medica* abſolvatur, in *omnibus & ſingulis* morbis, enucleatione ejus quæſtionis: *Quænam ſint illæ cauſæ, quæ in tali parte aut actione corporis, præſertim illum effectum, inter tot homines tam raro; in uno homine aut altero, tam ſero: ſucceſſu & exitu, inprimis ſalutari, tam brevi & expedito: reditu tam tardo; imo forte nullo*, præſtent & exhibeant?

Ad hunc lapidem lydium ſi exigantur cauſæ morborum, quæ communis pathologiæ utramque paginam abſolvunt, vereor, ne in utraque pagina parum ſinceri remanſurum ſit. Ita enim turmæ illæ cauſarum inſtitutæ ſunt, ut per illas, vel *quilibet homo*, nedum quælibet, *ætas*, *ſine ceſſatione*, *non uno*, ſed *multis ſimul* morbis, diripi deberet: vel deberet ad minimum providentia antiquorum ſyſtematum phyſicorum, qua inter præcipuas rerum naturalium circumſtantias, *fortunam & caſum*, numerant, reliquis effectibus æque ac defectibus trivialium illarum cauſarum, ita ac-

cenſeri, ut reliqua tota cauſarum illarum conſtitutio, *materiæ* rationem haberet; *fortuna* vero, aut *caſus*, *formam* ad producendum effectum abſolverent.

Immenſi laboris fuerit, &, quod maxime abominamur, inſuper ſterilis, monſtrare, quantum a ſcopo deficiant vulgo decantantæ illæ *phthiſeos cauſæ*; vix ulceri in genere, aut frivolæ cuidam tuſſi, ſatis exprimendæ ſufficientes: alieniſſimæ vero ab illa circumſtantia, cur phthiſis *tam raro & tam ſero* eveniat? Miſſis itaque illis, inprimis ne nimium excreſcat noſter labor, nos potius poſitive mentem noſtram, imo ut ſperamus, veritatem ediſſeremus. Operam vero dabimus, ut haud multo plura verba, quam res proferamus.

Si illorum phthiſicorum, qui ſine probabili *externa cauſa*, pulmones magis immediate lædere idonea, ab *internis* adeo cauſis, phthiſeos initia incurrere ſolent, numerus, conferatur, cum illis, qui talem *externarum* cauſarum concurſum demonſtrant, nimio quantum plures invenientur *prioris* illius, quam *poſterioris* generis.

Iterum, ſi illi, qui ita ab *internis* cauſis phthiſici evadentes, e *robuſto*, *ſano*, imo *florido* corporis ſtatu, *ſanguineo* habitu, *plethorica* ſanguinis affluentia, &c. in phthiſin prolabuntur; conferantur cum illis, qui magis *exſangues*, *mucoſi*, *ſcabioſi*, aut minimum *pallidiores*, *phlegmatici*, &c. apparent: longe pariter major erit *priorum*, quam horum numerus.

Si illi, qui *catharrhalibus* defluxionibus, *coryzæ*, *tuſſi* ſimplici, *diarrhœis*, *ſcabiei* ſeroſiori, & *ulceribus* externis, alias obnoxii, tandem vero in juſtam ſuſpicionem phthiſeos devolvuntur, comparentur cum iis, qui alias *hæmorrhagiis* frequentioribus, capitis *æſtuoſis & lancinantibus* doloribus, *hemicraniis* acutis, repentinæ difficultati *reſpirationis*, a motu corporis citatiore, nedum actuali *hæmoptyſi*, expoſiti fuerunt, & hinc in phthiſin tranſeunt: iterum invenietur non ſolum numerus major poſteriorum, ſed & inſuper altera conſideratu pariter digniſſima differentia.

Nempe *poſteriores*, maxime vero, qui qualibuſcunque *hæmorrhagiis* aſſuefacti fuerunt, non ſolum longe *promtiora* ſuccedentis phthiſeos pericula experiri deprehenderimus: ſed & ipſius *manifeſtioris & præſentioris* corruptionis genio, præ alteris, plurimum diſtingui poterunt.

Iidem tales, in quibus manifeſtior *copia & impetus ſanguinis* emicuit, & magis *ſannioſa* excernent; & *hecticæ* manifeſtiora, imo graviora offerent ſigna: diverſo modo conſtituti, *mitiora* & *ſegniora* hæc omnia exhibebunt.

Ex his inprimis circumſtantiis, ſtatuimus; quod præcipua phthiſeos, in *pulmonibus*, inquam, orientis, *ulceroſæ* diſpoſitionis cauſa, ſit *ſpecialis congeſtio* ſeu conſtrictio *ſanguinis*, ſive *floridioris* (& inprimis quidem hujus) ſive etiam *ſeroſioris*, ad *pulmones*; quæ quidem *directe* & primario, ad *evacuationem*, hæmoptyicam, aut becchicam, deſtinata ſit: ex accidenti autem, propter difficultatem perrumpendi, adeoque *ſtaſin* inflammatoriam; vel etiam, non penitiſſime evacuatum ſanguinem, ſed ſubmu-

c.di

cidi coaguli, quantumcunque exigui, intra paucas etiam veſiculas hæſitantis corruptionem; a poſteriore, ſeroſa, cauſa vero, tenacioris mucoſitatis tandem ingruente ſalſa, ulceroſa alteratione, adeoque in genere quidem *evacuationis propoſitæ defectu*, heteroclitus hic effectus, nempe affatim congeſtæ materiæ aliqua ſtaſis, & inde abſceſſio aut ulceratio, ortum ſuum & nativitatem ſuam ſortiatur.

Juxta hanc connexionem, ſi perpendatur, quam facile quidem natura ſanguinis *exonerationes*, per *expeditiora* loca, nares, hæmorrhoides, menſes, inſtituat, iiſque non magis inſiſtat quam indulgeat; item *ſeri mucidi* excuſſiones, per *coryzam*, *diarrhœam*, *ſudores*, (ingens enim hujus evacuationis ſubſidium per urinam minime omnium debita attentione animadvertere ſolemus:) Et ex adverſo conſideretur, quanto *rarioribus cauſibus*, excretiones has, *ſanguinis* præcipue, quin etiam (longe minus ad nocendum apti) mucoſi ſeri, per *impeditiora* illa, & ſuccedentibus illis majoribus periclitationibus expoſita, loca ſuſcipiat: unde *hæmoptyſis*, *vomitus cruenti*, *mictus cruenti*, citra cauſas accidentales illis viam ſternentes, immenſum quantum rariores ſunt, reliquis ante dictis, æque *vomitus* & *humida tuſſis*: hæc, inquam, qui ita, uti decet, & ipſa res eſt, penſitaverit, longe alia conſequentia hinc deducere poterit, *unde dependeat* illud, quod *phthiſis*, & alii *graviores pectoris* affectus, longe *paucioribus* hominibus, cuilibet etiam homini longe *tardius* & *minus prompte*, quam per alias rationes *potuiſſe* viderentur, eveniant & obtingant.

Cum enim pulmones perpetuo craſſiuſculorum humorum tranſitui, tum tota ſua *ſtructura*, tum forti illo reſpirationis *motu*, ſervire poſſint & debeant; minime vero ulli, præcipue craſſioris materiæ *excretioni* ſubſervire debeant; minime vero ulli, præcipue craſſioris materiæ *excretioni* ſubſervire debeant, aut ſatis commode poſſint: Et inde, ut præpoſtero niſu, ad illos facta congeſtione imo compreſſione, ad *expreſſionem* & *eliſionem* connitente, non ſolum ſub hoc niſu & infarctu, tranquillus ille ſucceſſus directi ipſorum officii, vim patiatur; ſed etiam minime opportuna *perruptio*, ne tam facile iterum coëat, ab illo perpetui *directi uſus* tranſitu, nempe materia perpetuo appellente, tanto magis impediatur.

Factæ ſemel *ſtaſeos*, & propter difficillimum regreſſum ſuccedentis hinc *corruptionis*: diverſi corrumpendi *impetus*: & *ſuppuraſcentem* impetum, ejuſque ſubſidiariam *inflammationem* ordinarie comitantis *febris*, prolixiores rationes reddere, ut in rebus planioribus, nudique ſupervacuum ducimus: Aeque atque abunde patere putamus, & jam in præcedentibus breviter, ſed non leviter, expoſuiſſe ſperamus, *cur phthiſica pulmonum ulceratio*, *minimam ſpem abſolutæ curationis* admittat? *Febris* vero huic internæ ulcerationi accedens, communis ipſi eſt cum quibuslibet aliorum *viſcerum* ulceribus & apoſtematibus.

CAPUT VII.

De curatione phthiſeos.

PRoſtant in omnibus propemodum ſyſtematibus practicis, numeroſa & conſilia & remedia, quibus phthiſis expugnari, & patiens in integrum reſtitui poſſit; ſed odioſa penitus in hoc genere eſt experientia, quæ ſi non abſolute calculum ſuum denegat, in immenſum tamen extendit triſte illud ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Tempus non permittit, neque animus fert, prolixitatem. Dicemus proinde potius in noſtro ordine, pro virili noſtra parte, ſententiam.

Frequentiores circa pectus *anguſtias*, *a motu corporis*, aut poſt illum, increbeſcentes, ſanguinis *turgeſcentis* effectum, certius & ſolidius nihil expugnat, quam venæſectio, NB. *tempeſtiva*; non *curative*, ſed *præſervative*, circa *æquinoctia*, inſtituta, & ad minimum 4. unciis, operæ pretium factura. Si *hæmoptyſis* jam emicuit, efficacius, inprimis etiam ſecurius, *in pede* facienda. Minime omnium vero, alias *conſueta*, negligenda, etiam jam in ipſa phthiſi.

Enim vero etiam *in ipſa* phthiſi, *dicto tempore*, ſecta vena, omnia *mitiora* reddit. Minime omnium tamen in aliqua inſigni *exacerbatione inflammatoria-febrili*, præcipue jam per multos dies vigente: ſed omnino tranquillioribus rebus, & melius *in pede*, nec nimium parce.

In tuſſi ſicca, ut communiter *cholerico-ſanguineis* potius, quam ſanguineo phlegmaticis familiari, quo magis jam ſuſpecta eſt, eo major eſt pari *tempeſtivæ* venæ ſectioni locus; in primis inpede, ſufficiente quantitate, & ſubjungendo pediluviorum uſum. In fœminis menſium defectum paſſis, tanto magis rationi hæc conſonant, τὸ *tempeſtivum*, ſimul ad *phaſes lunæ* dirigendo, & nihil nimis parce! Edicimus autem, pro *mitigatione* phthiſeos, ſine *diverſione ſanguinis a pectore*, & quidem cum ventilatione, quicquid reliquum agatur, eo magis irritum futurum.

In *ſicca* tuſſi, cum *contabeſcentiæ*, febricula *hectica*, inprimis cum *coloratione* faciei, reliquo corpore palleſcente, ab *incraſſantibus & expectorantibus* præſtat penitus abſtinere; niſi prudentiſſime, & parciſſime, & breviſſima pro una vice, continuatione uti ſciveris. Quicquid agas, operæ pretium exiguum reportabis, periculum facillime creabis. Non tam e pectore *evacuant* expectorantia, quam *per* pectus; proturbant, inquam, humores craſſiores ad pectus, & *expurgant per* pectus, quod abſit.

Quæ phthiſi ut ulceri deſtinantur, ſi *balſamica acriora*, ſint, *myrrha*, *balſama* exotica, *terebinthina*, *olea deſtillata*, & ex his parata *balſama ſulphurata*, augent *febrem*, concitant aut exaſperant *inflammationem*, *extenuationem*, *inquietudinem*, *ſitim*. *Vulneraria* ſtringunt, ſupprimunt excretionem, coarctant reſpirationem, irritant febrem: cooritur inflammatio

tio profundior, concluſa materia corrumpitur acrius: omnia pejora: ſi jam ante pejora fuerint, mox peſſima, & irreparabilia. Mirus contra omnem rationem abuſus! Quis unquam in ſuperficie corporis debellat ulcus, inprimis in exſangui parte, traumaticis immediate?

Miſerum vero per horulam forte ſolatium ab opio! Si fortius aut ſæpius detur, omnia pejora: *febris* in primis; quæ hinc etiam aſperior & inordinatior: *vires* quaſi ruina labentes, irrevocabiles. Ubi uſus eſſe videtu. anodyno præſtat M. P. de cynogloſſa.

Auro certe redimendum eſſet antimonium diaphoreticum, ſi, juxta Sylvium, abſceſſus & ulcerationes internas reſtitueret; ſed inauſpicato veritas deſtituit effatum. Longe facilius autem, tam illius, quam aliorum terreorum abſorbentium uſu, debilitantur penitus concoctio, digeſtio excretiones. Qui vero per compendium hæc omnia, *anxietates* inſuper, *cardialgias*, *flatulentias anxias*, *tormina*, *diarrhœas*, vix, imo ſine graviore noxa nunquam, cohibendas, perpetuum externum *algorem*, *frigidum*, *multum*, *colliquativum*, *ſudorem*, maturam & anxiam mortem, in patiente ſuo videre geſtit, utatur diligenter *antihectico Poterii*, & erit voti compos. Si hoc ad manus non ſit, aut varietas delectet, vocet in ſubſidium *tincturam antiphthiſicam.*

Nitri abuſus in phthiſi nocet; prudens uſus, quantitate & tempore juſtis, pluris eſt quam multa alia medicamenta, ad mitigandi ſcopos.

Efficaciam *balſami Locatelli*, ab illuſtriſſima quadam matrona in proprio ſuo corpore comprobatam, intellexit Dn. Præſes; ſed cum univerſæ morbi circumſtantiæ minus ſibi ſint cognitæ, tantiſper ἐπέχει. B.D. D. *Meibomii* balſamus pectoralis, ratione ingredientium in fundo idem, correctior tantum & auctior, in frequenti uſu fuiſſe memoratur celeberrimo huic viro: De effectus certitudine, non idem. Univerſa efficacia ſine omni dubio imputanda eſſet *Ceræ*: nam *oleum olivarum*, etiam *hyperico* imbutum, *terebinthina*, *ſperma ceti*, & in ſingulas doſes parum *ſantali*, *balſami Peruviani*, minimum *ſanguinis Draconis*, & *croci*, quid poſſint inexpectatum, experientia docere debet: (quam interim etiam aliquando, e rebus minus ſpecioſis, eximios fructus præſtare, non credimus magis quam ſcimus) ratio interim hoc loco nihil perſpexerit.

Quamvis autem nota ſit Paracelſi promtitudo, ad medicamenta tanquam ſpecialiſſimæ efficaciæ, ad varios morbos difficillimos promittenda; temperans tamen obſervatur fuiſſe in ſpecificis, aut alia facilliore atque certiore curatione *phthiſeos* pollicenda. *Murem campeſtrem* laudat, ſed modeſte tamen. Quod ille dubitavit facere, ſuppleverunt affectati ejus ſequaces, philoſophica illa ſua expreſſione, quod medicamenta ab ipſis jactata, *pulmonem*, *hepar*, *renes*, reſtituant, reſarciant, imo regenerent, etiamſi jam abſumta ſint omnia, ad *juglandis* forte magnitudinem, nempe ut ſaltem ſeminium adhuc reſtet. Pax.

Nolumus chartam prodigere, transſcribendo catalogos commendatiſſimorum

morum, ſimplicium & compoſitorum. Abundamus ejuſmodi indicibus, imo ut minus errare poſſit practicus incipiens, poteſt invenire talia jam in multas formulas compacta, non apud unum ſolum autorem. Sed proſpiciat ſibi omni modo de evictione promiſſi effectus.

Sulphuris uſus non plane ſicco pede prætereundus eſt. Efficacia ejus in *ſcabie* notiſſima eſt, quod illam extus ad interiora; intus autem ad exteriora, propellat; imo alia etiam ulcera ad tempeſtiviorem *deſiccationem* deducat. Interpretabimur, quod inter prudentiores, magis ab hoc effectu ejus, argumentatio continuata ſit etiam ad *ulcera interna*, potius, quam ut crudis illis ſuperſtitionibus & frivolæ hyperbolæ chimiaſtrorum, totam rem tribuendam cenſeamus. Sed reclamat effectui experientia. Exoptatiſſimum alias utique eſſet, difficillimum morbum tam vilis pretii & maxime parabili remedio manus dare. Oportet ergo ut in applicatione ſeu argumentatione ſit vitium: & eſt profecto. Sulphur enim nullum ulcus, imo neque puſtulam unam, de fœcunda etiam ſcabie, curat; ſed ſolum *motum humorum* illorum alterat: *Motum*, inquam; & hoc præſentiſſime, & pauciſſima quoque ſui quantitate, *craſin*, vel plane non, vel languide demum, & magnæ quantitatis exigua, ſub longo tempore, efficacia. Unde eſt, quod ulcera quoque non ita velociter deſiccet; quantumvis autem etiam hoc faciat, non tamen eo ipſo portionem corruptam etiam inſtauret & in integrum reſtituat, quod vel balneatores ſatis ſciunt. Non quadrat itaque applicatio ad phthiſici ulceris curationem.

At vero non ſolum non curat; ſed turbat etiam, tum *æqualitatem excretionis* liberioris, tum in ſpecie *febrim*. Unde certe, qui in phthiſi per *ſulphur* operæ pretium facere ſciverit, peculiares artes calleat neceſſe eſt.

Auſim plus ſperare de ſulphure (ſed non flammam adepto,) *florum exhalantium* forma extrinſecus per inſpirationem attracto. Movet me ad hanc ſententiam, quantum mihi conſtat inaudita antehac, experientia D. D. Præſidis; qua aliquot vicibus in proprio ſuo corpore uſus, confirmationem etiam ab aliis, quotquot illum imitari auſi ſunt, pariter prompto ſucceſſu expertus eſt. Nempe moleſtiorem & pertinaciorem tuſſim, fumo antimonii crudi, e crucibulo, in quo fuſum ſtet, & evaporet, data opera, pando ore & profunda reſpiratione, in intimum pectus adducendo: Unde tuſſis ejuſmodi intra paucas horas evaneſcit. Quid de *Realgaris* ſeu *Sandaracæ Græcorum* fumo habeat Riverius, notum eſt: ſecurius autem quolibet intuitu, eſt antimonium.

Conſummatæ phthiſeos nullam eſſe curam, inprimis vero prævalidæ ac diffuſæ, ſuperius diximus; loquimur practice, de cura, cui de meliore, certiore atque firmiore eventu fidere liceat: certe enim cum grano ſalis accipiendum eſt illud monitum practicorum (de chirurgia majore jure intelligendum) *præſtare remedium experiri anceps, quam plane nullum.* Etenim ſi remedium ita comparatum ſit, ut frequentius in pejus, rariſ-

ſime

ſime in melius, convertat malum, imo toties hoc agat, quoties tentatur, ibi quod paulo moderatiores dicunt: *ec muß gehen oder brechen*, id quibus paulo acutior eſt naſus, non ita male interpretantur, *es gerathe oder verderbe*: At maledico ſuo more plebs appellat: *auf Galgen und Rad loß probieren.*

Res in eo verſatur. Nullum ulcus *capacius*, reſtituitur, niſi per modum quantæ libet *inflammationis* & *purulentæ* abſceſſione factæ mundificationis; ut ſubcruentam ſuperficiem (ac ſi talis pars recenter diſſecta eſſet, unde *friſchen Grund* appellant;) nanciſcatur. Huic rei, remediis & manuali opera mundificatoria, in externis partibus proſpicere (ut & inflammatio & ſuppuratio moderate fiat & ſuccedat) apex eſt officii circa talia, medico-chirurgici. In occluſo autem, ubi hæc accidentia ſuo, ut ita loquar, flumini relinquere neceſſe eſt, in parte inſuper, perpetuo forti motui, imo violentæ tuſſis concuſſioni obnoxia, alia eſt rerum facies. De reliquo vero illi ſolum, qui has res condigne intelligunt, recordabuntur, quod nullum ulcus, niſi *tota ejus ſuperficies* antiqua æqualiter abſterſa ſit, aut, ubi manuali applicationi locus non eſt, *abſceſſerit*, reſtituatur: id ſi ad ulcus in pulmonibus applicetur, nemini conceptu difficilis erit ratio, cur difficultas in hoc ulcere curando, communiter inſuperabilem ſeſe gerat.

Conferantur cum his aliquot obſervationes apud unum & alterum practicum legendæ, ubi cum magna excretione puris, etiam poſt ramenta vaſorum, bronchiorum, imo ſubſtantiæ pulmonum ejecta, tamen reſtitutus memoratur æger; quamvis alii plures inde mature intereant.

Optandum certe eſſet, ut traditio illa Paracelſi, *de ulcerum expurgatione & mundificatione ſpontanea*, *ab intra*, jam ante ducentos propemodum annos propoſita, melius, ſed per circumſpectam experientiam, recte pertentata fuiſſet. Niſi enim in illa, aut illi fundamento innixa ſimili, tractatione, aliquid adhuc ſubſidii ſolidi pro phthiſico ulcere ſupereſt, de aliis male ſperamus.

Inter traditiones de ſpecificis conſiderationem meretur illa, quam de *Nummularia* circumferunt: quod nempe hæc herbula *ovibus* ulcerationem pulmonum inducat, hominibus vero potius ſalutaris ſit. Item, quod de radice *trifolii fibrini* hominibus phthiſicis æque ac ovibus ſalutari, prædicant: de phthiſico, per aſſiduum uſum *naſturtii aquatici* reſtituto, vide an credas *Bonneto l.* 2. *ſ.* 7. *n.* 23.

Pulmones *vulpis*, & aliorum animalium; ranæ pulmones & hepar, *ſperniola* crolli & alia ſimilia, ſine dubio præcipuam conſtellationem, tam in medico, quam patiente præſupponunt, pro laudato effectu obtinendo.

De equitationis uſu & efficacia in phthiſi, quam velut indubiam facit Sydenham, legi poteſt ille ipſe in ſuis ſcriptis. Confer. programm. D. Præſidis de hac annotatione. Profundius diffuſæ multum derogare, ſola confirmare debet experientia, cui negotium commendari meretur.

Acidularum uſum, phthiſicis, quocunque etiam morbi gradu atque ſtatu, nemo ſuadet; de *thermis* diffident practici: laudant aliqui *peculiares* aliquas, alii etiam *pleraſque omnes:* Damnant aliqui ſolum *internum* uſum; aliqui etiam, inprimis *moderatum*, admittunt, aut laudant prorſus. Plerique, qui etiam illis favent, non *fervidiores* approbant; utpote quas evidentius patientem exagitare etiam ratio ſuadet. Operæ pretium in vera phthiſi nemo per illas fecerit eximium; periclitationem promptius incurret. Tolerabilius illas feret, qui ſanguinem prius ventilavit, quam qui id omiſit. Ad ſummam vero rei inania hæc ſunt.

Lactis cura, non indiget novo laudatore, jam abunde ab aliis deprædicata; at ſane ſi indigeret, noſtram operam non locaremus. Putamus enim nihil aliud eſſe, quam modice cibare, & negotium naturæ commendare. Experientia eſt optima rerum arbitra.

Interim illud, quod in *cura lactis* palmarium eſt, aliis etiam lenioribus methodis & medicamentis accommodari poterit, ut minime faſtidiat æger continuationem jugem, etiam per *multos menſes.* Certiſſimum enim illud eſt, quod in vera phthiſi nihil *breviter* fiat, inprimis *ſecure;* ſed quicquid impetum præ ſeſe fert, *inflammationis* & *ſuppurationis*, præcipitis excretionis, niſi plane *ſuppreſſionis* & *ſuffocationis*, *febris virium lapſus*, exaſperationes data porta introducat.

Speramus hoc modo officio & propoſito noſtro ſatisfeciſſe. *Practicorum* & *experientiæ* judicia non reformidamus: facile fuerat, tantundem, quantum vulgo fit, polliceri, aut ſane conſarcinata farragine affatim proſtantium remediorum & commendationum illorum, ſpem facilis curationis fovere: nos vero maxime cordi habemus

Non fumum ex fulgore, ſed e fumo dare lucem.

POLICARPI

LIX.

POLICARPI GOTL. SCHACHER,

PROGRAMMA

QUO INCISIO PHTHISICI CONTINETUR CADAVERIS.

Lipſiæ 1730.

QUi minima corporis noſtri initia, quotidiana ejus incrementa, cum plenaria partium formatione, & eleganti ſymmetria, attentius paulo contemplantur, ii affatim habent, cur divinam ſummi Creatoris ſapientiam, ex ſtupendo illo opere undique emicantem, pie venerentur ac demirentur. Sed mortales plerumque ea, quæ conſueto naturæ ordine fieri ſolent, parum curant, nedum digne expendunt. Quod ſi vero accidit, ut pars quædam organica, perfecte formata, inſolite in liquidum mutetur, & plane evaneſcat, protinus in admirationem quivis pene abripitur, & valde inſolentis phænomeni rationem ſcire avet. Profecto obſervatio, a *Bartholino* [a] litterarum monumentis conſignata, admirationis eſt plena, & fidem propemodum ſuperare videtur. Hæc namque virum quempiam ſiſtit, qui vigeſimo quarto ætatis anno in arthriticos dolores delapſus, pedetentim eam omnium oſſium mollitiem contraxit, ut brachia ejus, cruraque, ſine ullo doloris ſenſu flecti potuerint. Imo vero oſſa quævis adeo mollia tandem evaſerunt, ut, muſculis contractis, homo ſtaturæ alioquin juſtæ & elegantis, ad tantas anguſtias fuerit redactus, ut vix ſtaturam pueri trium annorum æquaverit, omnibus, cum corporis, tum animi, functionibus, excepto ſaltem motu, integris fere permanentibus. Atque ejuſcemodi mutationi omnes pene ſolidas corporis partes obnoxias eſſe, obſervationum medicarum gnaris ignotum haud eſt. Memoratu omnino digna ſunt, quæ paucis ante annis in juvene, ex antiquiſſima & illuſtriſſima gente orto, præclaris animi dotibus ornato, phthiſique exſtincto, animadvertere nobis licuit. Etenim is a teneris gracilioris corporis erat conſtitutionis, atque ad affectus pectorales, & phthiſin ipſam proclivis, qua parens ejus, & alii cognati, laboraverant olim, & frater germanus, vigeſimum tertium ætatis annum nondum ſupergreſſus, atque eodem affectu diu multumque fatigatus, brevi poſt laudati juvenis obitum, præmaturam quoque obierat mortem. In primis vero, octo circiter hebdomadas ante obitum, non modo pectoris anguſtia eidem anxietates creabat ineffabiles, ſed & abdomen paulatim intumeſcens aſciten prodere videbatur. Et licet animi ſui ſenſa clara voce explicare, & alimenta euchyma non ſine omni appetentia comedere valeret: tamen attritis ſenſim ac ſenſim viribus, corporeque atrophia extreme extenuato, tandem placide ultimum edebat halitum. Aperto poſt fata thorace, tota cavitas dextra, ſero corrupto repleta, tantaque hujus copia inveniebatur, ut idem diaphragma ultra os ilium dextrum protruſerit, pulmonis veſtigio nullo ibidem comparente, excepta ſaltem membrana duplicata, incraſſataque, & albo colore tincta. Hæc vero quatuor circiter pollices longa lataque, ei tracheæ parti, e qua ramus dexter educitur, ita adhærebat, ut levi contactu,

[a] Vid. Act. Hafnienſ. Vol. III. obſ. 24.

tactu, & ſuapte veluti ſponte decideret, quam curioſitatis ergo adhuc aſſervamus. In latere oppoſito parum ſeri extravaſati, & lobus pulmonis, integer quidem, ſed pluribus vomicis fœdatus, in conſpectum prodibat. Ex morbi hiſtoria concise deſcripta apparet, genuino aſcite nequaquam laboraſſe noſtrum, utut abdomen in eam excreviſſet molem, quam in aſciticis vix majorem deprehendamus; quandoquidem putridus humor iis ſaltem partibus, quæ thoracem componunt, huncque ab imo ventre diſtinguunt, comprehenſus, in oculos incidebat. Sane aſcitis alibi deſcripti occaſione tam inſolitum diaphragmatis ſitum delineavimus, ut idem aquarum mole preſſum, in latere thoracis dextro ad coſtam ſuperiorem ſecundam, in altero ad tertiam uſque adſcenderet, ibidemque partibus vicinis, fibris interjectis, adhæreret. In præſenti thoracis empyemate contrarius eſt ſepti tranſverſi ſitus, utpote profunde admodum cum ipſo hepate in abdomen delapſi. Quapropter laudatum juvenem ex pectoris anguſtia inſignes perſenſiſſe anxietates, nemini mirum videbitur. Licet namque latus adfectum omni deſtitueretur pulmone, idque parum ad reſpirationem amplius conferret; tamen maxima putridi ſeri moles, indeque oriunda difficilis, & diaphragmatis, & cordis, & pulmonis reſidui, motio, non poterat non inquietum reddere miſellum, tunc demum aliquid ſolatii percipientem, quando erectum corporis ſitum ſervaret, aut in lecto cubans lateri morboſo incumberet. Illo enim tempore liberius paulo, ſero putrido ad inferiora, aut latus adfectum converſo, ſpiritum ducebat, vocemque ſatis claram edebat. Equidem plerique phthiſicorum cum propter aërem, foedis puris particulis inquinatum, minuſque hinc ſonorum, tum in primis propter glottidem, puris acore eroſam, & ſciſſuris veluti exaratam, aut, pro circumſtantiarum varietate, nimium vel humectatam, vel exſiccatam, aliqua raucitatis ſpecie affliguntur: at ab hoc incommodo immunis permanſerat noſter. Quandoquidem glottis, vocem naturaliter fingens, ſuperficiem glabram politamque veriſimiliter ſervaverat, pure non tam frequenti ſcreatu ejecto, ſed potius in alterutro thoracis latere congeſto, pulmone reſiduo interea temporis aërem, ad vocem formandam neceſſarium, adhuc ſuppeditante. Potiſſimum vero dextri pulmonis defectus, qui mihimet ipſi non levem movit admirationem, paulo attentius conſiderari meretur. Sane cum ne tantillum pulmonarii vaſis, vel ſubſtantiæ veſicularis, in tota thoracis cavitate apparuerit, non ſine probabilitatis ſpecie defectum hujus pulmonis fuiſſe nativum, exiſtimare quis poſſet. Præterquam enim quod Cl. *Goellerus* [*b*] plenarium pulmonis defectum in abortu monſtroſo humano obſervavit, abſtruſiſſimi certe hujus phænomeni rationem multo facilius animo concipi poſſe, arbitror, ſi, tenerrima futuri pulmonis ſtamina diſſoluta fuiſſe, nec debite explicata, aſſeratur, quam ſi, tantæ molis viſcus in liquorem putridum fuiſſe converſum, exiſtime-

[*b*] Ephem. N. C. D. 2. A. 1. obſ. 143.

ſumctur. At enimvero illam quo minus complectamur ſententiam, haud pauca prohibent. Siquidem conſtat, juvenem optimum ſæpe pectoris, & in primis lateris dextri, puncturis, item tuſſi, lenta corporis conſumtione, excretione fœtidæ materiæ, febre hectica, ſimilibuſque ſymptomatibus, fuiſſe conflictatum; quæ omnia non tam pulmonis defectum, quam potius labem ejus indicant. Copioſiſſima inſuper materia corrupta, in adfecto latere deprehenſa, non tam hydropem, quam rectius empyema deſignat. Parum namque ſimilitudinis materia illa cum hydropicorum aqua habebat, ac præterea pulmo ſiniſter, vomicis multis ſcatens, malorum fontem dilucide declarabat. Ut nihil jam de reſidua membrana dicam, quæ quidem externa pulmonis membrana longe erat craſſior; cum tamen illi trunci aſperæ arteriæ parti, a qua dexter ramus, ad pulmonem ejuſdem lateris excurrens, ordinarie exit, adhuc adhæſerit, & pleræque viſcerum tunicæ externæ, quorum ſubſtantia interna paulatim conſumitur, haud mediocriter craſſeſcant: non ſine cauſa memoratam membranam pro reſidua pulmonis portione habemus. Accedit, quod alia quoque viſcera hujuſcemodi mutationem ſubinde ſubeant. Sic alia occaſione renes, quorum tota ſubſtantia vaſculoſo-tubuloſa erat conſumta, deſcripſimus. Atque alio in cadavere maximam veſicæ urinariæ partem, pure depaſtam, ac in femina quadam, maligno fluore albo laborante, ingentem vaginæ uteri portionem exeſam, conſumtamque, ac in infante mortuo in lucem edito cerebrum fere totum, in liquorem putridum commutatum, obſervavimus. Alias hujus generis obſervationes ut jam taciti prætereamus. Neque vero inauditum quiddam eſt, pulmonem alterutrum purulento humore prorſus fuiſſe abſumtum. Certe ingenuus anatomicus, & attentus rerum medicarum obſervator, *Diemerbroeckius* [c], de quodam ex vulnere thoracis in phthiſin delapſo, tandemque vita erepto, ſequentia proponit: *aperto thorace*, inquit, *invenimus vulnerati lateris totum pulmonis lobum ſuppuratione adeo conſumtum, ut ne minima quidem ejus particula in latere illo ſupereſſet, imo vero dixiſſes, nunquam in illo latere quidquam pulmonis fuiſſe: atque hinc magnopere admirati ſumus omnes, quomodo ille homo tanto tempore in vita ſupereſſe potuiſſet.* Alias a probatæ fidei viris recenſitas obſervationes brevitatis ergo jam de induſtria omittimus. Potius nonnihil rimari juvat, quomodo pulmo, ex cartilaginibus, ut & vaſis ſanguiferis, minimis, majoribus, maximiſque, & aliis partibus, contextus, ægro adhuc ſuperſtite, conſumi, & in liquorem converti poſſit. Id quidem nemini obſcurum fore arbitror, prægrandis hujus viſceris conſumtionem haud repente, ſed lente & pedetentim fieri. Etenim ſi vaſi uni alterique pulmonis majori vulnus latum infligeretur, quid lethiferum ſanguinis effluxum, præcipue cum hic loci cor prope poſitum impetuoſe vitale liquidum in vicinum pulmonem impellat, impedire queat, ego perſpicere nequeo. Proinde ut pulmo in embryone quotidiana, at inſenſibilia capit incrementa, ac

[c] Anat. l. 2. c. 13. p. 320.

ac progreſſu demum temporis inſignem acquirit magnitudinem: ita pulmonem perfecte formatum, & ad debitam magnitudinem perductum, ac denuo conſumendum, minimarum, & inſenſibilium, particularum jacturam perpetim facere, veri eſt ſimillimum. Jam vero omnia vaſa naturali fibrarum, e quibus conſtruuntur, virtute partim contrahuntur, partim abbreviantur, eademque liquidorum contentorum vim multum ſuperantia, hæc non modo expellunt, verum eodem etiam tempore paulatim eo uſque criſpantur, & anguſtantur, donec latera ſe mutuo contingentia transfluentibus liquidis remoram injiciant, & eorumdem transfluxum plane cohibeant. Proinde rationem jam elucere opinor, cur pulmo in alterutro thoracis latere, ſine lethali ſanguinis effuſione prorſus conſumi poſſit, ac ſoleat. Quandoquidem ſuppono, portionem pulmonis, ulceris labe infectam, vitali ſenſu paulatim exui, vicina vero vaſa eodem adhuc pollere, atque hinc puris acore exſtimulata fortius contrahi. Inſuper ſuppono, liquidi in vaſis exulceratæ partis reſidui vim minui haud parum; quippe humorem elaſticæ naturæ ex vaſis amplioribus in minora, minimaque, compulſum, atque ideo compreſſum, longe potentius vim ſuam elaſticam, & renitendi conatum exſerere illo, qui ex anguſto ſpatio in auguſtum tendit, nemo temere inficias iverit. In exulcerata vero parte vaſcula ſunt corroſa, proptereaque ex iis ſtillantes liquores, inque ſpatium auguſtum tendentes, vim ſuam renitendi atque elaſticam amittunt, ideoque nec ſanguini noviter adfluenti, nec vaſis ipſis amplius renituntur. Quare fieri aliter nequit, quam ut vaſa, in peripheria ulceris poſita vellicataque, debilitatis contentorum liquidorum viribus, adhuc potentius conſtringantur, oſtiolorumque diameter anguſtetur, atque hac ratione adfluenti ſanguini efficacius reſiſtatur, & liberior effluxus cohibeatur. Ex his autem porro conſequitur, ulcere paulatim latius profundiuſque ſerpente, circumpoſita vaſa, utut ſecundum naturam magna & ampla, reſpectu partis exulceratæ contracta eſſe minimaque, adeoque totum pulmonem ſine mortifera ſanguinis effuſione conſumi poſſe. Neque vero ejuſcemodi majorum etiam vaſorum coarctationem cum autopſia pugnare, opinor. Quis enim ignorat, poſt infantis nativitatem, & canalem arterioſum, & foramen ovale, ſpontaneo naturæ ductu, & ſanguinis curſu aliorſum directo, contrahi, anguſtari, tandemque penitus conſolidari. Eſt præterea explicatu perarduum atque difficile, quomodo tantæ molis viſcus in liquidum converti poſſit. Si prima corporis rudimenta probe penſitemus, & ſententiæ etiam eorum, qui futuri embryonis ſtamina ante conceptionem in ovulo materno jam tum præexiſtere, exiſtimant, accedere velimus: tenerrima tamen ea ſtamina liquidum potius, quam ſolidum corpuſculum formare, nemo, credo, inficiabitur. Jam vero conceptionis, ſuccique nutricii virtute, exiliſſimæ tenerrimæque fibrulæ explicantur, ſolideſcunt, ac earum non paucæ in oſſeam ſubſtantiam indureſcunt. Quare quamdiu corpus creſcit, tamdiu liquidum in ſolidum mutatur. Prolixum nimis foret, ſi ſtupendi hujus phænomeni rationem digne explicare moliremur. In eo autem phyſiologorum pleroſque

con-

concordes eſſe, animadverto, liquidi mutationem in ſolidum a particulis gelatinoſo-terreſtribus, a flumine ſanguineo ſecretis, inque mutuos amplexus compulſis, & arctius tum inter ſe, tum cum partibus nutriendis unitis dependere, atque ideo ea particularum nutriciarum, & ex his contextarum fibrarum & laminarum unione, modo laxiore, modo ſtrictiore, modo firmiſſima, omne, quod in partibus ſolidis ratione firmitatis obſervatur, diſcrimen effici. His ita poſitis, modum, quo ſolidum in liquidum tranſit, facilius jam enodari poſſe exiſtimo. Etenim neceſſe eſt, ut unio particularum ſtricta ſolvatur, particulæ minimæ antea quieſcentes, nunc vero ſolutæ, interfluente humido, diſcontinuentur, perpetimque moveantur, quo hac demum ratione, pars ſolida liquidi, a quo olim originem traxit, naturam denuo induere poſſit. Id enim nequaquam adſeruerim, particulas terreſtres in aquam prorſus mutari, ſed crediderim potius, eas in minimas moleculas diviſas, & vehiculo aquoſo ſufficienter dilutas, cum hoc liquidum componere. Quid autem particularum concretarum unionem ſolvat, nondum adeo clare innoteſcit. De famoſa illa machina Papiniana conſtat, oſſa in eandem, cum ſufficienti aquæ copia, indita, intra breve temporis ſpatium, caloris externi miniſterio, colliqueſcere, & in liquamen veluti converti. Similem in modum vivi corporis partes ſolidas in fluidum mutari, vero minime videtur ſimile. Quandoquidem aër, in machina præmemorata concluſus, & externo calore expanſus, immenſis viribus aquam in oſſium poros adigit, particulaſque ſtrictiſſime unitas impetuoſe disjungit; quales certe potentiæ in aëre, corpori vivo inexiſtente, ne animo quidem concipi poſſunt. Inſuper ſpiritu vini, ſalis ammoniaci aliiſque ſpiritibus ſulphureis & alcalicis, carnem viſceraque haud diſſolvi, ſed iiſdem a corruptionis labe, ceteris paribus, immunia præſtari, & indurari, autopſia edocemur. Quare ſoli, & ſimili humorum acredini, viſceris in liquidum converſionem nemo fortaſſis adſcribet. Porro aqua regia, & aliis ſpiritibus acidis corroſivis oſſium carniſque & viſcerum compagem paulatim diſſolvi, eademque in minimas particulas redigi, experimenta, eum in finem inſtituta, ſatis ſuperque docent. Nolim tamen propterea præſentis pulmonis converſionem in putridum liquorem corroſivo iſtiuſmodi ſali acido attribuere. Præterquam enim quod hujus naturæ ſal in ulcere pulmonis dominari, nondum eſt evictum, certe in ipſo liquore, copioſe in thorace collecto, cauſtica vis deprehendi haud potuit; præcipue cum neque diaphragma, neque pleura, neque alia pars, putrido illo liquore irrigata, ulla corroſionis veſtigia exhibuerit. Denique pulmonem, in aquam projectum, ſenſim putreſcere, diſſolvi, ac diuturna maceratione ac putrefactione totum in minimas particulas diſcerpi, haſque ſufficienti aquæ copia dilutas, fluidi tandem naturam induere, autopſia locuples eſt teſtis. Proinde pulmonem exulceratum putridumque ſimili modo in liquidum converti, veritati maxime videtur conſentaneum. Siquidem cum ante ſuppurationem liquorum motus per minutiſſima vaſcula plus vel minus impediatur, iidemque ibidem cumulentur, cumulati vero & exagitati latera vaſorum diducant, exte-

extenuent, eorumque poros ampliatos juſto copioſius ſubeant: fieri tunc aliter nequit, quam ut intimior particularum contactus nonnihil diſſolvatur, tubulique elongati elanguefcant & molleſcant. Quando autem humores ſtagnantes paulatim corrumpuntur & putreſcunt, ac eadem labe intrinſeci tubulorum humores inficiuntur: ratio omnino patet, cur tubuli pedetentim elaſticitate omni, ac vitalitate exuantur. Continuata vero, tum extrinſeci, tum intrinſeci, humoris corruptione, tandem iidem tubulos, vitalitate omni privatos, atque hinc ſuapte ſponte ad reſolutionem putredinoſam pronos, divellunt, diſcerpunt, inque minimas particulas reſolvunt, reſolutas porro diluunt, ſicque una cum iis liquorem corruptum componunt. Quod ſi itaque iſtiuſmodi corruptio putredinoſa profunde lateque ſerpat, fieri omnino poteſt, ut totus tandem pulmo conſumatur, inque putridum liquorem convertatur.

FINIS.

L X.

ABRAHAMI VATER

ET

J. EPHRAIM MUTILLET,

DISSERTATIO.

QUA FEBRIS TERTIANA OB EMPYEMA E VOMICA PULMONIS RUPTA IN CAVITATEM PECTORIS DEXTRAM EFFUSUM, INDEQUE PULMONEM HUJUS LATERIS COMPRESSUM, PENITUSQUE AB OFFICIO REMOTUM MORTEM POST SE RELINQUENS EXPONITUR.

Witembergæ 23 Aug. 1731.

Q. D. B. V.

PROOEMIUM.

GRaſſantibus, in urbe noſtra, aliiſque locis, præcedente Autumno, epidemice febribus intermittentibus, inprimis quartanis, frequenter exauditæ ſunt querelæ, de harum febrium longitudine, tenacitate, ac iterata recidiva. Multi, præprimis e vulgo, remediis ſuis domeſticis atque empiricis corpora ſua labefactarunt ac Cachexiam & Leucophlegmatiam, aliaque graviſſima mala, ſibi conciliarunt; alii ab uno ad alterum, ſive Medicum, ſive Empiricum, ut fieri ſolet, tranſmigrarunt, & nunc ab hoc, nunc ab illo, auxilium petierunt. Ita ſane eſt, quam plurimi febris, ipſis moleſtæ, citam tantum profligationem deſiderant, &, cum videant, quoſdam mox ab illa liberari, in illo errore verſantur, id ſemper, & in omnibus, fieri debere, adeoque idem efflagitant, non curantes, vel ſaltem non intelligentes, quid mali inde ad eos redundet, donec id ſuo damno experiantur. Magna tamen, uti intelligentes norunt, inter has febres intercedit diverſitas, quarum alia præ alia altius in corpore radices egit, cum graviori Cacochymia, non raro etiam viſcerum labe conjungitur, adeoque curam ſat difficilem reddit, quandoque etiam, præcipue negligenter habita, aut præpoſtere tractata, alios morbos graviſſimos, ipſamque mortem, poſt ſe relinquere poteſt. Exemplo nobis in præſenti ſit Fœmina, quam febris primum tertiana corripuit, quæ tamen, quia anguis latuit in herba, ob curam neglectam, aut perverſam, exitum funeſtum habuit. Defunctæ corpus aperuimus & Empyema enorme, e Vomica pulmonis rupta, in dextro pectoris cavo invenimus. Dignus hic caſus nobis eſt viſus, qui, ſpeciminis inauguralis loco, proponatur, ut eluceſcat, quibus ſubinde morbis febres intermittentes complicentur, qui curam eorum difficilem reddunt, aut plane eludunt, adeoque ægri hoc exemplo diſcant, febres intermittentes, earumque curas, non unius eſſe generis, & Tyrones Medicinæ commoneantur, eaſdem non una ratione eſſe tractandas, Empiricis vero aures pervellantur, ut curis ſuis ineptis ſaluti hominum ad internecionem uſque inſidiari deſinant. Faxit Deus, ut hoc cedat in ſui gloriam proximique languentis ſolatium.

CASUS.

FOemina L. circiter annorum, trium antehac liberorum mater, bona huc uſque valetudine fruens, aliquot ante obitum ſeptimanis corripitur febre tertiana, quæ poſtmodum in quotidianam aut tertianam duplicem, quotidie

novo paroxyſmo urgentem mutatur. Ab adhibitis, pro more vulgi, variis, neſcio quibus, quæcunque ipſi a quibuſcunque commendata ſunt, remediis ita dictis domeſticis, nil quicquam levaminis percepit, ſtatus potius in dies deterior factus eſt. Accedunt tormina & cruciatus graviſſimi in abdomine ac pectore, conjungitur aſthma vehementiſſimum quotidie augmentum ſumens, ſequitur inflatio abdominis cum tumore pedum œdematoſo, quo non obſtante, illa, neceſſitate coacta, quamdiu potuit, licet ægre, obambulavit. Evaneſcit tandem tumor corporis, ſed ſpiritus redditur difficilior, uſque dum gravitate morbi victa & ſuffocata fatis cederet, nobiſque corpus extrema macie confectum ad ſectionem relinqueret. In aperto abdomine, canalis alimentorum valde contractus & extenuatus repertus eſt, in quo hinc inde vaſa ſanguine turgebant, inteſtinis vix digiti craſſitiem habentibus, colo vero ad ſuetam alias tenuium capacitatem accedente, meſenterium atque omentum pinguedine omnino caruerunt, pancreas duriuſculum, ac veſica fellea bile atra, & ſpiſſa, turgida fuit, quæ viſcera circumjacentia colore fœdo infecerat, ac quicquid eandem tangebat, inſtar ſolutionis Vitrioli, aut æruginis, viridi colore tingebat. Præterea viſcera ibi contenta nullam manifeſtam labem monſtrarunt. Inciſo vero thorace, in dextro latere minima apertura facta, effluxit materia purulenta, qua ſinus dexter pectoris ad exundationem uſque replebatur; poſteaquam ſternum elevatum & pus eductum eſſet, maximam nobis movebat admirationem, quod nullus in hoc dextro latere pulmo in oculos incurreret, utpote quem fruſtra quærebamus. Dexter quippe pulmo contractus ac compreſſus, albi coloris, ob membranam externam induratam ac quaſi calloſam, pericardio ita accumbebat & agglutinabatur, ut juraſſes, pulmonem hunc non eſſe, ſed illum hic deficere, quia hæc tenuis maſſa nequaquam conſuetam pulmonis faciem præ ſe ferebat, In eoque fere confirmati fuimus, quia exſecto pulmone cum corde, nullum flatum per tracheam immiſſum in eam penetrare vidimus, quo tamen ſiniſter lobus pulchre diſtendebatur. Adhæſerat tamen ſuperius pauxillum coſtis ſuperioribus, unde detracta hoc loco inter ſeparandum membrana externa, interior ſubſtantia in conſpectum prodibat, quæ quidem ſueti coloris griſei, ſeu ex nigro & albo variegati, ſed denſa atque compacta erat. Ut adeo lobus dexter, quamvis integer adeſſet, officio tamen reſpirationis penitus defunctus fuerit. In ſcaturiginem copioſi puris inquirentes, invenimus cavernam in hoc lobo pulmonis, ubi pericardium in ſuo exortu cum pulmone ſuperius & anterius connectitur, quæ in hunc penetrabat, ac in duos ſinus fiſtuloſos, ad ſuperiora & inferiora tendentes, pariterque intus calloſos, abibat. En fontem omnium perpeſſorum malorum, mortiſque ſubſecutæ cauſam.

THESIS I.

QUandoquidem ex hiſtoria morbi prægreſſi patet, primarium affectum, quo ægrotare cœpit fœmina, fuiſſe febrem tertianam, de hac primum deſpiciendum nobis eſt. Hanc quidem, utpote e numero intermittentium, nullam cum Empyemate connexionem habuiſſe, nec ab hoc ortum traxiſſe, rerum medicarum periti facile ſubodfacient, quia illud in exortu febris ne quidem adfuit, aut, ſi adfuiſſet, aliam tamen, quam hanc, febrem nimirum lentam, produxiſſet. Febrium ſiquidem intermittentium fomes nidulatur in primis ita dictis viis, canali nimirum alimentorum, atque viſceribus abdominis ſecretoriis atque depuratoriis, hepate præprimis, liene ac pancreate, glandulisque, quippe quæ organa ſola ob ſtata cibationis, chylificationisque tempora chylum vitioſum, lymphamque in ſanguinem invehunt, adeoque tales Paroxyſmos febriles, certis intervallis repetentes, excitare poſſunt. Quando enim ſufficiens ad paroxyſmum producendum materia cruda in maſſam ſanguineam delata eſt, iſta hinc inde, præprimis in extremis, ſtagnat, ac per vaſa capillaria difficulter movetur, quamobrem circuitus vitalis in minimis tubulis ſubſiſtit atque turbatur, unde horror & frigus cum refrigeratione extremorum, in acceſſu ſingulorum paroxyſmorum communiter obſervatus, dependet. Sed mox ſequitur calor & æſtus, quando ob mixturam inæqualem ſanguinis cum cruditatibus, circulo vitali obſtantibus, partes ſalinæ ac ſulphureæ purpuræ vitalis, inter ſe & cum heterogeneis fortius exagitantur, motus inteſtinus ac circularis intenditur, ſanguiſque, fons omnis caloris, in corpore incaleſcit & exæſtuat. Quamprimum vero validus cordis motus & pulſus arteriarum materiam crudam, mutuo cum particulis ſanguinis attritu, ſenſim attenuavit & diviſit, ac per vias ſecretorias atque excretorias expulit, aut ſaltem ſanguis eam ſubegit, redit ſenſim æquilibratus ſanguinis motus, febriſque ceſſat. Poſt aliquod tamen, pro cruditatum majori minorive copia, fluxilitate vel tenacitate varia, viſcerum plurium vel pauciorum leviori vel graviori obſtructione, adeoque ſecretionum & excretionum turbatione læſioneque diverſa, longius vel brevius intervallum, ſanguine novo fomite febrili repleto, idem malum recurrit, eandemque tragœdiam ludit, & ita vel quotidiana, vel tertiana, vel quartana, oritur. Pro circumſtantiarum iſtarum, nec non curæ atque diætæ diverſitate, febris nunc anticipat, nunc tardius accedit, interdum duplicatur, vel triplicatur, variiſque ſymptomatibus ludit, ex una in aliam mutatur, cum aliis morbis complicatur, aut in alios graviores deſinit. Notatu digna eſt obſervatio tertianæ quadruplicis, intra bidui curriculum, quatuor circuitibus in eundem ordinem revolutæ, quam annotavit *Tulpius L.* 4. *Cap.* 47.

Memo-

Memoria etiam prodiderunt Autores febres quintanas, ſextanas, ſeptimanas, nonanas, quæ tamen rectius ſtatuuntur ſpecies ſimplicium typorum, interpolata una acceſſione, aut pluribus, ita ut quintana tertianæ, ſeptimana quartanæ, interpolata una acceſſione, ſpecies æſtimanda ſit, judice *D. Schulzio*, uti videre licet *Bonet. Med. Sept. P.* 2. *L* 5. *S.* 3. *Obſ.* 24. De Menſtruis & Annuis nil addimus, quæ ſpuriæ omnino reputandæ ſunt.

Thesis II.

Ad noſtram quod attinet defunctam, quoniam ab Empyemate febris tertiana non poteſt derivari, non immerito quæſtio erit, ubinam fundamentum febris hujus conſtituendum ſit, unde illa ortum traxit. Nolumus quidem cum *Sylvio* in aſſignanda cauſa febrium intermittentium accuſare unice ſuccum pancreaticum in ductibus ſuis lateralibus ſtagnantem, nec tertianam ſolum adſcribere bilis vitio & reſtagnationi, quia longe major eſt numerus cauſarum huc concurrentium, quam ut adeo anguſtis limitibus includi ſe patiantur. Nihilo tamen ſecius bilis cum ſucco pancreatico in opere chylificationis atque chyli ſecretionis primarias partes tenent, uti notum eſt ex Phyſiologicis. Quoniam igitur, uti antea vidimus, febrium intermittentium cauſæ ſedem ſuam radicalem potiſſimum habent in primis viis, nullum eſt dubium, horum humorum degenerationi ac ſecretioni vitioſæ, ſi non unice, tamen primario, tribuendam eſſe originem febrium intermittentium. Idque pulchre confirmat caſus noſter præſens, ubi in Fœmina hac febrem tertianam ex nullo alio fonte deducere licet, quam ex induratione & obſtructione glandulæ pancreaticæ in ſectione repertæ, ac bile craſſa viſcida in veſica fellea valde diſtenta ſtagnante, unde chylificatio atque chyli ſecretio non potuit non lædi. Lubenter tamen largimur, contingere poſſe, ut in corpore, febre intermittente ob varias circumſtantias concurrentes defunctorum, nulla manifeſta labes pancreatis atque hepatis & humorum in his viſceribus ſecretorum in oculos incurrat, quia non omnes viſcerum & liquidorum contentorum læſiones ſenſibus patent. Sicut etiam inficias nullatenus ibimus, vitia manifeſta eorum non neceſſario ſequi febres, quia alii morbi, malum hypochondriacum, icterus, cachexia & hydrops, ac plures inde dependent.

Thesis III.

Quamvis de febribus intermittentibus Prognoſticon *Hippocratis* noſtri *L.* 4. *Aph.* 43. adhuc valeat, eas, quovis modo intermiſerint, periculi expertes pronunciandas eſſe, id tamen de iis, qua talibus, ſaltem intelligendum eſſe, Medici norunt. Exempla quippe ab Autoribus conſignata

gnata teſtantur, iiſdem etiam quoſdam mortuos fuiſſe, ſive quod tales genuinæ non fuerint, ſed potius continuæ remittentes, vel quia, ob alios morbos graviores complicatos, his potius, quam illis, ægri interierunt, uti noſter quoque caſus confirmat. Ob has enim aliaſque circumſtantias concurrentes, alia præ alia eſt diuturnior ac curatu difficilior. Generalis quidem indicatio requirit, ut cruditates in primis viis, fomitem his febribus ſuppeditantes, medicamentis præparantibus digerantur, ac deinde evacuentur, viſcera obſtructa aperiantur, tonus eorum corroboretur, digeſtiones atque ſecretiones promoveantur, atque in ordinem redigantur naturalem. At quis non videt, ob tantam febrium harum diverſitatem, cacochymiarum peccantium miram varietatem, obſtructionum in viſceribus variis, itemque temperamentorum atque ætatum, complicationumque cum aliis morbis differentiam, diverſis opus eſſe digeſtivis & aperitivis, atque evacuantibus quoque appropriatis? Quis enim in noſtra, quæſo, cognita interna conſtitutione, ſuaſor eſſe voluiſſet, aſſumendi vomitorii, inprimis fortioris? Utut enim forte ad rupturam vomicæ, ſiquidem illa jam in acceſſu febris præextiterit, aliquid valere potuiſſet vomitorium blandum, ut materia contenta viam ad bronchia inveniſſet, ac expectoratione foras ejecta fuiſſet; æque tamen facilis fuiſſet eruptio intra cavum thoracis, cum ſuffocationis vitæque periculo, uti ſitus vomicæ ſuperficialis & eventus ipſe in noſtra confirmat. Aut forte purgante fortiori materia purulenta evacuari potuiſſet, quale ægra anxie efflagitavit, nil magis, uti nobis relatum eſt, in votis habens, quam ut purgante potiretur efficaci, ad pectus ab oppreſſione liberandum. Exempla quidem ab Autoribus fide dignis conſignata reperiuntur, etiam Empyema, ſeu materiam in cavitatem thoracis elapſam, hac via evacuatam fuiſſe. Sed quis fidem ſuam interponet, exoptatum inde effectum certo promitti potuiſſe. Forſan tamen corticis peruviani febrifugi decantatiſſimi atque optimi etiam tutiſſimique, ſi debita cum circumſpectione adhibeatur, uſu, febris tertiana in ipſa herba extingui, vomica nondum facta præcaveri, aut præſens jam ad exitum præparari potuiſſet? Talia vero, utpote mere contingentia, nemo promittere valet. Tantum ergo abeſt, ut febres intermittentes omnes una eademque ratione, iiſdemque remediis tractari velint, ut potius reſpectus ubivis habendus temperamentorum, morborum complicatorum, vel antecedentium aliarumque circumſtantiarum.

THESIS IV.

Ex hactenus dictis apparet, quam male ſibi conſulant febricitantes, curæ Empiricorum ſe committentes, & quam impie agant hi, tales curas, abſque omni cauſarum, ſubjectorum aliarumque circumſtantiarum cognitione & conſideratione, ſuſcipientes. Sed ſurdis narratur fabula.

Non commemorabimus nunc curas ſympatheticas per Amuleta & tranſplantationem, quæ non merentur, ut earum mentio hic fiat. Mira tamen ſunt, quæ alias contra febres profuiſſe narrantur. Hic eſu halecis a febre liberatus fuit, alter comeſto petaſone crudo cum braſſica muria condita convaluit, in tertio crapula ſoluta fuit febris, & quæ plures ſunt hujus farinæ curationes. Quis autem non videt bonitati Naturæ, aut medicamentis præmiſſis, aut evacuationibus validis inde ſecutis, effectum ſalutarem potius, quam his remediis, adſcribendum eſſe. Probat hoc obſervatio *Lanzonii* in *Ephem. Germ. Dec.* 3. *&* 4. *obſ.* 46. *p.* 153., qua plebeius Ferrariæ, temperiei bilioſæ, quartana affectus, libras duodecim uvæ comedit, a cujus eſu alvi fluxus ſecutus eſt, ſicque febris abiit. Sordidius paulo fuit antifebrile, quod, referente *Cummeno*, cuidam Weſtphalo Tremoniæ ad febrem tertianam, poſt ſex menſium curam fruſtra a Medicis tentatam, exhibuit Monachus Dominicanus, ſtercus nimirum ſuillum in libra ſemis ſpiritus vini per horam infuſum & colatum cum expreſſione forti, a quo hauſtu æger in ſudorem lapſus egregie ſudavit, febriſque ceſſavit, *vid. Bonet. Med. Sept. P.* 2. *L.* 5. *S.* 1. *obſ.* 3. Plures hujuſmodi curas e. gr. per potum fœtidiſſimi nectaris ex ſpurciſſima pecorina colluvie, quæ porcorum ſordibus luſtrandis & abluendis (vulgo *die Sau Schwemmen*) deſtinata eſt, nec non lactis ebutiriſati, in quo prius catus lavatus fuerat, vid in *Ephem. citat. Dec* 3. *A.* 2. *obſ.* 216. *p.* 336. *&* *A.* 1. *obſ.* 63. *p.* 91. Ecquis omnia abſurda, a vulgo ad curationem febrium adhibita, remedia enarrare poterit, a quibus tamen, quandoque, caſu, medela ſequitur, quod equidem non mirum, quandoquidem etiam alapa febrem curatam fuiſſe, obſervat *D. Albrecht l. c. A.* 2. *obſ.* 202. *p.* 313.

THESIS V.

Quas hactenus curationes febrium ſingulares commemoravimus, tales ſunt, ut nemini illas ad imitandum commendare queamus. Utut enim ab uſu hujuſmodi remediorum, etiamſi non ſordidorum, tamen abſurdorum, febres ceſſarunt, alia tamen haud raro mala, multo pejora, ſecuta ſunt. Piſcator enim ille, qui e pecoraria colluvie bibit, febrem quidem amiſit, non tamen prorſus innoxie, lautitias has, ſi Diis placet) & impune bibit, ſed tumore abdominis & torminibus vehementiſſimis guloſitatem ſuam aliquantiſper luere debuit, uti loco cit. videri poteſt. *Bonet. l. c. obſ.* 5. *&* 6. refert. binas Segeri obſervationes, de febris fuga per lardum muriaticum, ſingulis digitorum in pedibus interſtitiis interpoſitum, unde in Patre Cantore Dominicanorum, febris tertiana ceſſavit quidem, qui tamen haud ita diu poſt hemiplegia tactus interiit, & in fœmina, eodem remedio ad prædicti Cantoris commendationem uſa, febris non remiſit, ſed potius majori violentia ægram invaſit

vaſit. Non poſſumus a nobis obtinere, ut taceamus hic caſum, nuper in noſtra urbe uſu venientem, utpote qui dignus eſt, ut memoriæ prodatur, ad terrorem a medicamentis empiricis incutiendum. Miles gregarius e noſtro præſidio, natione Vandalus, ex inferiori Luſatia, triginta circiter annorum, bonæ alias & robuſtæ naturæ, præcedente Autumno epidemice graſſantibus hic & alibi intermittentibus, inprimis quartanis, febre affectus, inter alia domeſtica remedia, ſingulis paroxyſmorum acceſſionibus, durante frigore, copiam ſpiritus frumenti ingurgitavit, ac videns, vomitum inde ſequi, potum hunc continuavit, ſicque a morbo convaluit. At quid fit? Ex patria, ubi tunc verſabatur, redux lætus ad urbem noſtram ad ſervitia continuanda revertitur, quam vix ingreſſus, pauco dierum intervallo, ſubito viſu totaliter & omnimode privatur, cum intolerabilibus capitis, oculorumque doloribus, horum diſtorſione & palpebrarum occluſione, quæ vi etiam adhibita ſe dilatari non ſunt paſſæ, ob ingentes cruciatus contactum digitorum non tolerantes. En egregium remedium domeſtirum.

Thes. VI.

Ad noſtrum nunc caſum revertimur, quo ſiſtitur fæmina, ex febre tertiana, licet non culpa febris, tamen empyematis, durante febre, vel poſt illam generati, defuncta. Quid illa ad profligandam febrem uſurpavit, ignoramus quidem. Sciſcitantibus enim nobis nullum aliud, uti ſolet, reſponſum datum eſt, præter illud, domeſtica varia applicata fuiſſe remedia. Magna itaque eſt ſuſpicio, iſta nec morbo, nec naturæ ægrotantis, fuiſſe congrua. Et ſi vel maxime largiamur, innocua illa, nec quicquam ad ſiniſtrum eventum feciſſe, ſolus tamen neglectus aut defectus curæ convenientis ſufficit, ut eidem generatio empyematis ac ſubſecuta mors adſcribi queat. Induratio pancreatis ac repletio veſiculæ biliariæ bile atra æruginoſa ſatis ſuperque confirmat, hos duos liquores ad chylificationem & chyli ſecretionem abſolute neceſſarios, in defuncta libere ad inteſtinum duodenum non affluxiſſe, adeoque, generatis in primis viis cruditatibus, iiſque ad ſanguinem delatis, febrem tertianam ortam fuiſſe, uti ſupra vidimus. Neglecta igitur evacuatione earum, aut plane per inconvenientia remedia turbis in ſanguine auctis, quid facilius fuit, quam ut, iiſdem in ſanguine cumulatis, abſceſſui & vomicæ in pulmone generandæ occaſio data ſit? Idque tanto magis, ſi jam diſpoſitio ad vomicam in pulmone aut vomica minor, uti probabile, præſens fuerit. Quid enim vulgarius eſt, quam quod ex poſthabita decenti, aut adhibita imprudenti, febrium intermittentium cura, indurationes, inflammationes, atque exulcerationes viſcerum oriantur? Teſtimonium de hoc præbent febres continuæ, inflammatoriæ, lentæ cachecticæ atque hecticæ, icterus, cachexia atque hydrops, hæmoptyſis, phthiſis, atque plures morbi

Fff 2 gra-

graviſſimi & exitioſi, ex febre intermittente male curata ſubinde oriundi, quales obſervationes ab autoribus conſignatæ ſunt, ac a quovis practico e praxi clinica ſuppeditari poterunt. Imo frequentiſſime in dictis morbis cura medicorum efflagitatur, ubi in cauſas ac vitam anteactam inquirentes, experimur, febrem intermittentem neglectam vel male curatam, interdum uno vel altero anno, hos morbos præceſſiſſe.

Thes. VII.

Ut propius ad rem accedamus, de vomica nunc diſpiciendum erit, quia ex hac rupta, empyema pectoris in noſtra repertum, ortum traxit. Vomica a vomendo dicta, quod virulentum quid vomat, merumque virus contineat, eſt ulcus occluſum, aut materia purulenta in capſula, quam pus ipſum ſibi efformat, collecta & incluſa, a ſanguine ſtagnante & extra limites egreſſo, putreſcente ortum. Vomicæ tales obſervatæ quidem fuerunt in quam plurimis viſceribus internis, cerebro, hepate, renibus, imo in mediaſtini interſtitio, frequentius tamen iiſdem obnoxius eſt pulmo ob ſubſtantiam laxam & mollem, contextum vaſorum, cellulas & veſiculas membranaceas perreptantium, nec non ob continuum motum in reſpiratione, immediatum acceſſum aëris frigidi, impuri, variiſque effluviis permiſti, injuriaſque alias ſtagnationi humorum & extravaſationi faventes & occaſionem præbentes. Sanguis quippe extra ſua vaſa egreſſus, ac extra circulum conſtitutus, niſi cito evacuetur vel reſolvatur, ob heterogeneitatem partium, mox putredinem concipit, & quoad partem præprimis ſeroſo-chyloſam in pus mutatur, uti de abſceſſibus & ulceribus quibuſcunque conſtat. Hæc materia purulenta, in minima licet quantitate incluſa, ſtagnando acrior reddita, partes circumjacentes rodit ac corrumpit, ſinumque ſibi format, donec data via excludatur. Tunica pus includens ab ipſis membranis vaſorum ac cellularum pulmonalium expanſis, atque acredine materiæ occaleſcentibus & induratis dependet, ut adeo opus non ſit cum *Sylvio Prax. Med. Appen.d. Tract. IV.* §. 51. hic accuſare glandulas ac tubercula glanduloſa, quia glandulæ in ſubſtantia pulmonum per naturam, nullæ dantur, utut ille dicat, eas minimas eſſe, oculorum aciem in ſtatu naturali fugientes, quæ præter naturam grandiores factæ, in conſpectum prodeant. Notatu dignum eſt, ejuſmodi vomicas pulmonales integras & tunica ſua adhuc circumdatas, ovi columbini & gallinacei mediocris magnitudine tuſſi ejectas fuiſſe, teſtantibus obſervationibus *Stalparti van der Wiel in obſ. rar. cent.* 1. *obſ.* 32. adductis. Mirum ſane, talia, abſque ſuffocatione per bronchia & tracheam penetrare poſſe. Reperiuntur vomicæ modo ſimplices vel plures, ſeparatæ vel inter ſe communicantes, in extremitates vel baſi pulmonis, & quidem vel ſuperficialiter, vel profundius, in ſubſtantia

ejus,

ejus, in dextro aut ſiniſtro, aut utroque lobo, unde periculum majus vel minus imminet.

THES. VIII.

Eſt autem vomica talis morbus, qui admodum occulte radices agit, inſenſibiliter creſcit, inſidias ſtruit ſanitati ac vitæ, atque cuniculis eam oppugnat, hominesque ſæpe citius interimit, quam ſe ægrotaſſe ſenſerint. Latet enim hoc vitium, teſtimonio *Tulpii L. II. obſ. med. cap.* 10., inter initia adeo clanculum, ut vix ulla ſui proferat indicia, præter tuſſiculam primo ſiccam, ſed mox humidam. Qua aliquandiu continuante, trahitur difficulter ſpiritus; deficit anima & emarceſcit paulatim corpus, licet interim, nec pus, nec ſanguinem, præ ſe ferant ſputa. Sed ſi rumpatur nec opinanti vomica, occiditur dictum ac factum homo. Confirmat hoc idem duplici exemplo Senatoris, cui adeo exitialis fuit diſrupta thoracis vomica, ut intra biduum ipſum occiderit cum dolor eruptionem antecedens, tum pus eam inſequens. Hic tamen religioſe aſſeruit, ſe nullas inſidiantis vomicæ animadvertiſſe notas, nedum tuſſiculam, aut ullum inceſſus ſui incommodum. Attamen ſe ſatis evidenter nunc videre, dixit, inexpectatum illud pus non heri atque hodie, ſed diu ante, fuiſſe collectum, conſtare ſibi abunde, res & eventus humanos ſæpe latere, in alta nocte, &, ut ferrum rubigo, ita & abſconditas cauſas tecte nonnunquam conſumere homines, nihil ſequius cogitantes. Ob mollem enim, membranoſam laxamque ſubſtantiam, exquiſito ſenſu pulmo deſtituitur, unde in generatione hujus apoſtematis, nec dolor acutus oritur, nec idem jam tum factum, niſi in medio ac baſi pulmonis exiſtat, & ramificationes majores vaſorum circulantium atque bronchiorum premat, reſpirationi multum obeſt. In aliis viſceribus exiſtens vomica adhuc difficilius cognoſcitur, quia ibi nullam tuſſim, aut aſthma, quæ inter alia ſignum ejus probabile præbent, excitare poteſt. Contingit non raro, ut homines obſtructione ac corruptione viſcerum internorum laborantes, faciem bene coloratam, floridam ac bene valentium ſimilem præ ſe ferant, ob ſanguinis circulum in viſceribus difficilem, quamobrem ille tanto magis in externo corporis habitu turgeſcit. Sed latet anguis in herba, quia tales ſæpe ſubito pereunt, unde non male comparantur cum pomis rubicundis, quæ ſæpe vermes in interioribus alunt. Quando vero ex pleuritide, aut peripneumonia malum oritur, dolor acutiſſimus conjungitur, ſed abſceſſu facto dolor iſte febriſque inflammatoria ceſſat quidem, ſed continuat calor lentus ac hecticus. In *Actis Berolinens. Dec. I. Vol. III.* in hiſtoria morbi Lichtſcheidiani, annotatur, ægrum hunc in generatione vomicæ ex peripneumonia per duodecim dies ineffabiles fere cruciatus in toto corpore, excepto capite, horribiles vellicationes, roſiones ac dilacerationes mordaciſſimas, ac ſi prunæ

 can-

candentes intus laterent, ſenſiſſe, mox vero totum corpus occupaſſe dolorem gravativum, ac ſi undique furunculis eſſet obſitum, qui ſenſim, rupta vomica & pure in cavitatem effuſo, remiſit.

Thesis IX.

Quando itaque, uti non immerito fit, quæritur, utrum vomica in noſtra defuncta, febrem tertianam præceſſerit, & in ejus exortu jam adfuerit, an vero culpa febris aut curæ perverſæ, vel ſaltem neglectæ, generata ſit? Sane certi quid definiri hic non licebit. Nihil quidem adhibita omni diligentia, explorare potuimus, illam de incommodo quodam ante febrem conqueſtam fuiſſe, ut potius omnes, qui eam noverunt, affirment, ipſam forti appetitu inſtructam, in laboribus ſuis ſtrenuam ac indefeſſam omniſque tuſſis, aſthmatis, aliorumque malorum, quæ ſuſpicionem aliquam præbent, fuiſſe expertem. Attamen hæc nos nullatenus movent, ut in nos ſuſcipiamus, pro certo affirmare, nulla adfuiſſe vomicæ rudimenta; quoniam ex antea dictis conſtat, nulla interdum, vel ſaltem valde obſcura, eſſe ejus in corpore latentis ſigna. Nihilo tamen ſecius nemo contrarium tueri, aut idoneis argumentis demonſtrare poterit, illam certo adfuiſſe, febremque nihil ad eam adtuliſſe. Contra maxima adeſt ſuſpicio, iſtam a febre negligenter habita aut male tractata, ortum habuiſſe. Id enim ſuadet locus, ubi ſedem habuit vomica in pulmone, qui non eſt in extremitate lobi pulmonalis, ſed in ipſa baſi ſuperius in ortu pericardii, ubi ingrediuntur trunci bronchiorum & vaſorum pulmonalium, adeoque cordi proximus, quo loco diutius ſubſiſtere non potuiſſet vomica, inprimis grandior, quin tuſſim, difficilem reſpirationem, cordis palpitationem, aliaque incommoda induxiſſet, ſuique præſentiam mox prodidiſſet. E ſi vel maxime largiamur, aliquale initium ejus, aut vomicam exiguam, ibi latuiſſe, tanta tamen in principio febris non fuit, quanta, durante illa facta eſt, ut potius extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit, eam febris aut curæ culpa incrementa tanta ſumpſiſſe, uſque dum, aucto humorum affluxu, ac materia copioſius collecta, perrupta exteriori pulmonis tunica, pus in cavitatem effunderetur, qui frequentiſſimus eſt exitus hujus mali.

Thesis X.

Quod enim nunc ad vomicæ prognoſin attinet, ex hactenus dictis ſatis ſuperque conſtare credimus, quam malignus atque periculoſus morbus ſit vomica, quia præter ſpem & opinionem homines citius jugulat, quam, ſe ægrotaſſe, ſenſerint. Materia quippe purulenta, in exigua licet quantitate primum in capſula incluſa, continuo affluxu humorum per vaſa lacerata, rupta atque corroſa augetur, eadem acredine ac putre-

tredine latius ſerpit, parteſque ambientes latenter corrodit, nec quieſcit, donec viam quaquaverſum elabendi invenerit. Fit autem ſæpiſſime, ut ob denſitatem capſulæ ambientis, aut profundiorem ſitum, via erumpendi impediatur, unde circulum ſanguinis per pulmonem, ac reſpirationem inhibendo, ægrum ſubito ſuffocare poteſt. Idem quoque ſuffocationis periculum adeſt, quando ob nimiam materiæ copiam, una & ſemel bronchia inundantur, & ſic reſpiratio intercluditur. Exemplum hujus occurrit in *Jacobi Guillemeau* operibus p. 856. citante *Bonet. ſepulc. l.* 2. §. 2. *obſ.* 11. ubi ſectio corporis Caroli IX. Regis Gallorum deſcribitur, in cujus pulmone prodidit ſe vomica rupta: e qua colluvies purulenta, putrida & graveolens effluxit, cujus tanta fuit copia, ut in aſperam arteriam redundarit, & præcluſa reſpiratione præcipitis & repentini interitus cauſam attulerit. Contingere etiam poteſt, ut truncis aut ramis vaſorum pulmonalium acredine materiæ exeſis, hœmoptyſis lethalis excitetur. Imo pus hac via in cordis cavum penetraſſe, teſtatur *Fernelius pathol. l.* 5. *cap.* 10. *non pauci*, inquiens, *inopinato e vivis horæ quadrante erepti ſunt, in quibus diſſectis non alia mortis cauſa comparuit, quam repentina vomicæ diſruptio in pulmonibus, e qua pus in cordis arcem penetraverat, ipſius vim extinguens atque obruens.* Nihilo tamen ſecius exempla adſunt eorum, in quibus vomica feliciter per expectorationem rejecta eſt, aegris ſuperſtitibus & ſanatis, uti exempla ſupra ex *Stalparto van der Wiel* citata monſtrant, quibus addi poteſt, quod idem l. c. affert, ubi adducit quendam vomica infeſtatum, e qua perrupta duodecim quidem puris libræ (illud enim a curioſis appendebatur) diverſis temporibus provenere, qui tamen priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit, pluresque recte valens annos tranſegit. Adſtipulatur etiam *Williſius pharm. rat. p.* 2. *ſect.* 1. *c.* 2. *p.* 142. dicens: *novi plures, qui cum e pulmonis vomica orta, maturata, & demum rupta, pus copioſum & fœtidum expuiſſent, cumque tale ſputum per multas hebdomadas, imo menſes, quotidie excernentes, debiles adeo & veluti tabidi evaſiſſent, tandem medicamentorum ope, cum ulcus detergeretur & ſiccaretur, integre convaluiſſe.* Frequenter tamen pulmonis corruptionem poſt ſe relinquit ac phthiſin efficit, vel ſi ſuperficialiter magis ſita ſit vomica, in cavitatem perrumpit, uti in noſtra factum eſt, unde fit empyema.

Thesis XI.

Sic tandem accedimus ad Empyematis conſiderationem, quia hoc in defuncta immediata ſuffocationis mortiſque cauſa extitit. Empyema quidem vi vocis, ac in ſenſu generaliori, indicat quamcunque ſuppurationem internam, in quocunque loco factam, ſeu pus intus contentum; in ſpecialiori ſignificatione tamen Medicis dicitur tantum pus in cavitatem quandam notabilem, in ſpecie pectoris, effuſum atque collectum.

Oritur

Oritur hoc e ſanguine ac humoribus eidem admixtis, ſive per vulnera atque rupturam vaſorum in cavitatem elapſo, ibique putrefacto, ſive in abſceſſu quodam partium, in cavitate pectoris contentarum, in pus converſo, ac demum per hujus rupturam in eam effuſo. Sequi propterea obſervatur hoc malum non tantum vulnera, aliaſque injurias thoraci ab extra illatas, ſed etiam morbos varios male judicatos, inflammationes internarum partium, pleuritidem, peripneumoniam, atque anginam, in abſceſſus abeuntes, unde pus ſive in ſubſtantia pulmonis, aut inter pleuram & muſculos, aut ſub ſterno in mediaſtini duplicatura ac interſtitio ejus celluloſo colligitur, ac poſtmodum in cavum pectoris effunditur. Diſtinctionem quidem hic adhibent inter pus & materiam purulentam, illud humorem nutritium ſanguinis, aut ipſum ſanguinem corruptum, hanc vero humorem excrementitium, ichorem, ſeu ſerum eſſe dicunt, quæ quidem diſtinctio non adeo improbanda. Quia tamen uterque humor, tum pus, tum materia purulenta, interdum inſigniter fœtet, interdum odore tetro immunis eſt, judice *Williſio Pharm. ration. P.* 2. *S.* I. *Cap.* 10. multi tædii res eſſet, ſingulorum hujuſmodi accidentium & alterationum rationes particulares deſignare, in quantum perexigua tantum puris aut materiæ purulentæ alteratio iis fœtorem inducit adimitque. Et quoniam, teſte eodem, indicium non ſemper malum, nec etiam valdé bonum eſt, ſi phthiſicorum ſputa & empyematicorum abſceſſus, cum vel ſine graveolentia excernuntur, cum utriuſque caſus quoſdam ſalubres, alioſque funeſtos, extitiſſe conſtet, parum utilitatis hæc diſtinctio ad Prognoſin, multoque minus ad curationem, habere videtur. Differentia tamen eſt inter Empyema & Hydropem pectoris, qui duo affectus ſignis ſuis judicandi, ac a ſe invicem diſcernendi ſunt.

Thesis XII.

Prodit ſe quidem tam aqua, quam pus, & quodcunque liquidum, in cavitatem thoracis elapſum, tum pondere diaphragma premendo, ac reſpirationem laborioſam reddendo, tum fluctuatione ſua, pro varia inclinatione corporis, nunc huc, nunc illuc, decurrendo. Stando ægri pondus in dorſo, ob ſitum diaphragmatis declivem ſentiunt, decumbendo vero in dorſo propter molem pulmoni truncisque vaſorum incumbentem, difficilius, ac cum metu ſuffocationis reſpirant, quod etiam fit, ſi in latus ſanum ſe vertunt, quia tunc pericardium ac mediaſtinum premitur. In morboſo vero latere commodius quieſcunt, quoniam ita materia viſceribus thoracis non eſt moleſta. Utrum vero Hydrops, an Empyema pectoris adſit, manifeſtant cauſæ prægreſſæ, ac ſymptomata concomitantia. Hydropem enim pectoris antecedunt & comitantur ſigna Cachexiæ atque hydropis univerſalis. Accedit quidem in Empyemate etiam habitus corporis leucophlegmaticus & œdematoſus, quemadmodum etiam

in

in noſtra contigit, qui tamen hydropem pectoris potius antecedit, ac in ſummo gradu adeſt, antequam aqua in cavum thoracis elabatur. Præcedunt præterea empyema læſiones variæ thoracis ac pulmonum, uti ſupra vidimus, vulnera, pleuritis, peripneumonia, vomica, phthiſis, conjungitur febris lenta hectica, quin etiam, obſervante *Riverio L. VII. cap.* 4. utplurimum tumor in loco affecto doloroſus apparet. Hoc etiam in hiſtoria morbi Lichtſcheidiani ſupra ex *Act. Berolinens. citat.* obſervatum eſt, in quo ſiniſtrum pectus ob empyema intus contentum expanſum fuit, ac extuberavit paulatim, inſtar gibberis. Hoc etiam ſignum præbet, paracenteſis in iſto loco inſtituendæ.

THESIS XIII.

Materia quippe purulenta in cavitate hærens, niſi quantocyus evacuetur, viſcera adjacentia pulmonem cum corde in pericardio ſuo hærente ac pleuram rodit & vellicat, ac dolores non tantum excitat graviſſimos, ſed etiam putredinem iiſdem communicat, quemadmodum in noſtro caſu vidimus, pleuram ac pulmonis membranam externam cum pericardio hujus lateris, denſam ac calloſam redditam fuiſſe, quin etiam in corde ipſo extrinſecus maculam albam obſervare licuit, quam materia acris per pericardium eidem affricaverat. Præterea materia in cavitate cumulata pulmonem comprimit ac reſpirationem valde lædit, cor ipſum quoque & truncos vaſorum pondere gravat, ac palpitationes cordis, lipothymias, aliaque graviſſima inducit ſymptomata, tandemque ægros ſubito vel lente ſuffocat. In tanto, tamque præſentaneo, vitæ periculo nullum aliud remedium regulariter ſuppetit, præter apertionem ac inciſionem thoracis, pro materiæ eductione, juxta artis regulas inſtituendam. Hujus remedii inventionem fortunæ tribuunt, empyicum quendam ex deſperatione caſtra ſecutum, in conflictu cum hoſte vulnere thoracis accepto, educta hoc caſu materia, liberatum fuiſſe, perhibentes. Periculo quidem non caret hæc operatio, ac ſæpe fruſtra inſtituitur, quia frequenter corruptio pulmonis ſubeſt, ac ægri quandoque in ipſa operatione & eductione materiæ intermoriuntur, inprimis ſi tardius inſtituatur operatio, viribus ægri jam tum dejectis. Nihilo tamen ſecius, nullo alio remedio in caſu neceſſitatis ſuperſtite, duro nodo durus cuneus adhibendus eſt, ac in ſtatu deſperato & conclamato ſatius eſt, anceps eligere remedium, quam nullum.


THESIS XIV.

Exempla tamen quam plurima in ſcriptoribus conſignata ſunt eorum, in quibus empyema non tantum per expectorationem, ſed etiam per urinam, alvum, umbilicum evacuatum legere licet, conf. *Stalpart. van*

der Wiel. loc. cit. Tulpius &c. Imo per ſcabiem illud ſolutum fuiſſe relatum legimus in *Ephem. Germ. obſ.* 14. *A. II. Dec. I.* Tantus eſt numerus hiſtoriarum ab auctoribus fide dignis relatarum, ut omnium veritatem in dubium vocare aut negare non liceat. Hactenus tamen, præter circulum ſanguinis univerſalem, nulla alia patet via, per quam ejuſmodi metaſtaſes ac translationes materiæ ad loca remotiora fieri queant. Verendum etiam quam maxime, ne autores interdum decepti fuerint, empyema cum vomica & affectibus cognatis confundentes, quia in his quidem, ulcere adhuc dum in pulmone exiſtente, facilior & expeditior via erit, qua pus a venis pulmonalibus receptum, circulo ſanguinis ad renes atque inteſtina adduci poſſet. Sed cum hi caſus rariſſimi, inuſitati ac extraordinarii, nullam regulam forment, ut medicus iiſdem adductus, medelam negligat, ac naturæ conatum in expellenda materia per vias incognitas expectet, merito de his judicium noſtrum ſuſpendimus. Per expectorationem tamen materiam, in cavitate pectoris hærentem, promoveri poſſe, nulli dubitamus, quando nempe per hiatum in pulmone patentem, illa ad tracheæ ramificationes, æque patulas, penetrare poteſt. Hujus illuſtre exemplum habemus in hiſtoria morbi Lichtſcheidiani antea adducta, in cujus viri corpore, poſt mortem aperto, in pulmone ſiniſtro, ab empyemate diuturno ſuppuratione omnino conſumto,. fiſtula interius callo obſita, in tracheam penetravit, qua duce, ubi durante adhuc vita, deligatio vulneris paracenteſi facti, & cum ea eductio materiæ per aliquot dies neglecta fuit, materia inſolitam hanc viam quærens, excitata tuſſi moleſta & expectoratione violenta, per os evacuata fuit. Notatu dignum in hoc caſu præprimis eſt, empyema per integros quatuor annos in pectore occluſum fuiſſe, vita ſuperſtite, antequam paracenteſis facta ſit. Memorabile præterea, quod natura novam viam illud evacuandi non invenerit, licet ſufficiens tempus & ſpatium deliberandi habuerit. Præbet hoc ſane fortiſſimum argumentum contra illos, qui providæ, ut illis audit, naturæ, multum ſagacitatis, ingenii & conſilii, in excogitandis viis extraordinariis, ad morbos expellendos, tribuunt, atque, neglecta cura convenienti, tales evacuationes extraordinarias expectant. Attentionem etiam meretur paracenteſis effectus exoptatus & ſalutaris, quoniam, hac facta, æger, ceſſante illico pulſu cordis dolorifico & anxio, ſtatim poſt deligationem libere circumambulare potuit, ac per tot annos, educta continuo materia, ſuperſtes fuit, ac munia ſua obiit.

Thesis XV.

Hunc caſum ſi cum noſtro comparamus, parum abeſt, quin credamus, fæminam hanc paracenteſi in tempore adhibita in vita ſervari, vel



Tab. III.



Disput. Medico-Pract. Tom. II. VATER FEBRIS TERTIANA OB EMPYEMA. pag. 419.

vel ſaltem a ſuffocatione præſervari potuiſſe. Nullum in ejus viſceribus reliquis vitium eminens adfuit, quod mortem neceſſario accelerare debuiſſet. Pulmonis quidem dexter lobus compreſſus erat, ita, ut, compreſſione ab ambiente materia durante, in reſpiratione officio ſuo ſe abdicaverit, interna ſubſtantia, ut ut denſa, mollis tamen atque indurationis & ſcirrheſcentiæ expers fuit, quæ etiam, iteratis injectionibus aquæ & inflationibus, aliquantulum extendebatur. Siniſter vero lobus omnis vitii expers fuit. Contra in citato caſu pulmonis lobus lateris affecti totus putredine conſumtus, alter vero lobus pleuræ & diaphragmati adnatus, ac purulenta materia ibidem repletus fuit. Vomicæ ſinus in noſtra non profunde in ſubſtantiam pulmonis penetrabat, ſed ſatis ſuperficialiter ſitus erat, quod in præparato & exſiccato pulmone adhuc monſtrare poſſumus. Sed quia hæ tantum ſunt conjecturæ, ac ſero poſt mortem medicina paratur, ab his abſtineamus. Sufficit nobis, duce præſente obſervatione, in hac Diſſertatione monſtraſſe, quanta mala cum febribus intermittentibus ſubinde complicentur, aut a cura neglecta, vel male inſtituta, ex iis oriantur, quantaque propterea in earundem curatione opus ſit prudentia atque circumſpectione.

EXPLICATIO FIGURÆ.

Sistit hæc figura pulmonem, cujus lobus dexter, ab empyemate ambiente & cavitatem hanc pectoris replente, compreſſus, mediaſtino & pericardio ita adhærebat, ut abeſſe videretur. In hujus parte ſuperiori & anteriori, quo loco pericardium in ſuo exortu cum eodem connectitur, hiat caverna ſinuoſa, a rupta vomica, unde prodiit empyema, relicta. Notandum vero, lobum hunc pulmonis dextrum paulo tumidiorem in figura expreſſum eſſe, ac primum in ſectione apparuit, quia delineatio poſt iteratam inflationem & injectionem aquæ, qua dictus lobus aliquantulum intumuit, facta eſt.

A. *Cor in pericardio ſuo incluſum.*
B. *Lobus dexter pulmonis.*
C. *Caverna ſinuoſa, in eodem a rupta vomica reſidua.*
D. *Lobus ſiniſter pulmonis integer & ſanus.*
E. *Aſperæ arteriæ rudimentum.*

ABRAH,

LXI.

ABRAHAMI VATER

ET

J. CHRIST. FRIDERICI RUPP

DISSERTATIO

QUA QUID IN JUDICIO ET PROGNOSI

DE

MORBIS MAGNIS

EX PARVIS INITIIS ET LEVIORIBUS CAUSSIS ORIUNDIS OBSERVARI DEBET EXEMPLO VIRI ANTEGRESSO LAPSU IN GENUA LENTA FEBRE EXTINCTI DOCETUR.

Wittembergæ 6 Novemb. 1744.

Q. D. B. V.

INnumera & admodum varia ſunt morborum mortiſque genera, quibus miſeri mortales debitum naturæ reddunt, & e vita migrant. Alii quippe, morbo acuto, interjectis paucis diebus, ſubito extinguuntur; alii morbo chronico, mitioribus, vel gravioribus ſymptomatibus ſtipato, diu conflictati, ſat longo intervallo, lenta morte pereunt. Multi, abſque morbo, a cauſſis externis violentis interimuntur; quidam etiam, apparenter ſani, ſine cauſſa manifeſta, ob in corpore latentes circumſtantias, ſæpe inter actiones, repente ultimum ſpiritum efflant. Interdum quidem antecedunt cauſſæ externæ occaſionales; quibus tamen morbum, vel mortem ſecutam, non ſemper adſcribere licet. Non opus eſſe ſentio, ut hoc exemplis pluribus demonſtrem, cum toto die, in foro, occurrant caſus, ubi homines, ex levioribus vulneribus, vel plagis, moriuntur, propter morboſam conſtitutionem corporis, quæ ideo per accidens lethales pronunciantur, ac rei a pœna ordinaria liberantur. Exemplum de alapa lethali recenſetur in *Miſcell. Curioſ. Acad. Nat. Curioſor. Dec. I. A. VI. & VII. p.* 306. a D. *Raygero* relatum, quando junior ſeniorem, reddendo alapam ab ipſo acceptam, vola in faciem inopinato feriit, unde ſtatim ſenex concidit & exſpiravit. Quapropter idem addit: mirabile, quomodo levi iſta volæ percuſſione, nullo alio ſuperveniente ſymptomate, in uno momento fuerit extinctus. Non enim ſolum in ejuſmodi caſibus conſideranda eſt inſtrumenti lædentis qualitas, & percuſſionis gravitas, ſed etiam aliæ circumſtantiæ ſunt conſiderandæ. Id quod illuſtrat caſus, non æque fatalis, ab ipſo *Raygero* ibidem additus, ubi refert, virum uxori ſuæ, poſt aliquam altercationem, colaphum dediſſe, adeo quidem efficacem, ut ad proximum ſcamnum conciderit, lividis manus veſtigiis in genis remanentibus. Hæc, octiduo elapſo, nullis aliis præviis ſymptomatibus, in hæmoptyſin, adeo violentam, incidit, ut, intra duas horas, ultra quinque libras ſanguinis expuerit. Adſtantes omnes hunc affectum alapæ inflictæ effectum dixere, quod tamen ipſe negavit, nec potuiſſe cauſſam eſſe aſſeruit, niſi valde per accidens, commovendo nimirum illam ad iram, qua calefactus & attenuatus ſanguis venam rupit pulmonis, & ita cum impetu proſiliit; potius tamen, ex alia cauſſa fuiſſe, arbitratur. Iſta vero, adminiſtrata venæſectione, & medicamentis, iterum convaluit. Ad rei hujus illuſtrationem majorem, producimus, in præſenti, caſum ſingularem viri, qui, antegreſſo lapſu in genua, ægrotare cœpit, tandemque, lenta febre, extinctus eſt. Ipſe quidem, & agnati non tantum, ſed & alii, culpam morbi & mortis ſubſecutæ in lapſum conjecerunt. Ex hac vero tractatione, ſpeciminis inauguralis loco pro-

propoſita, ni fallor, patebit, non huic, ſed conſtitutioni ægri, utrumque eſſe adſcribendum. Faxit ſummum, quod omnia moderatur, numen, ut hic labor cedat in ſui honorem, ac inprimis in hac morte afflictorum ſolatium.

CASUS.

Vir plurimum reverendus, noſtræ civitatis, ſacris functionibus occupatus, ſub introitum in templum, greſſu ſucciduo, ab uno gradu in atrio cecidit in genua, ſed ſtatim ſurgens, præter terrorem, nil quidquam incommodi ſenſit, ut, per quatuor fere ſeptimanas, ſine moleſtia, quaquaverſum ambulare potuerit. Poſt hæc ſenſim greſſus difficilior factus eſt, dum ille, inter ambulandum, percepit dolorem in parte exteriori, & ſuperiori femoris ſiniſtri, cum intumeſcentia quadam, ſed abſque omni inflammatione, adeo, ut pedem poſt ſe trahere cogeretur. Præſente nulla alia cauſſa manifeſta hujus doloris, præter lapſum illum antegreſſum, huic unice tribuitur, atque, ex conſilio medici, atque chirurgi, ad ſanguinem, eo loco ſtagnantem, digerendum, & abſceſſum præſuppoſitum maturandum, per aliquot ſeptimanas, cataplaſmata & unguenta emollientia applicantur, ſed abſque ullo levamine doloriſque imminutione. Ego, tandem in conſilium vocatus, nullam, in loco affecto, inflammationem videns, quæſivi ex ægro: utrum, quieſcente crure, dolorem aliquem punctorium percipiat? Sed reſponſum tuli: nullum, præterquam inter movendum & ambulandum. Conſiderans itaque abſentiam inflammationis, & maturationis, in hoc loco, difficultatem, ut abſtinerent ab emollientibus ſuaſi, eorumque loco commendavi fomentationem, mediantibus ſacculis, ex ſpeciebus nervinis reſolventibus, præmiſſa inunctione loci affecti, cum ſpiritu lumbricorum camphorato, applicandis. Extemplo æger inde levamen percepit; tumor enim dolorque imminutus, paucoſque poſt dies ingreſſus facilior factus eſt, adeo, ut templum iterum intrare, ac ſacris functionibus denuo vacare potuerit. At non diu duravit lucidum iſtud intervallum. Urgente enim, Menſe Februario, frigore intenſiſſimo, per aliquot horas in templo commoratus, nocte ſubſequente, repente aſthmate vehementiſſimo, cum tuſſi ſicca corripitur, adeo, ut catarrhum ſuffocativum metuerent, urgente ſimul dolore acutiſſimo lumborum, inter tuſſiendum. Ab applicatis medicamentis reſolventibus pectoralibus, aſthma imminutum eſt; ſed tuſſis duravit, quam a dolore lumborum pertinaciſſimo ipſe æger derivabat, utpote qui ſemper tuſſim comitabatur, imo antecedebat, atque eandem, punctionibus ſuis, moleſtiſſimam reddebat, illumque ingemiſcere cogebat. Hoc igitur merito principium morbi mortiſque dicendum erit. Aſthma quippe hoc convulſivum fuit, non idiopathicum, ſed per conſenſum ab hæmorrhoidibus, quæ antea fluxerant, nunc vero, ultra anni ſpatium, ſubſtiterant, excitatum, &, cum lapſu

lapſu præcedenti, nihil commercii habuit. Doloribus enim lumborum, utut mitioribus, diu ante lapſum, affectus fuit, & urina, a longo inde tempore, denſa atque rubicunda apparuit, uti poſtea referebatur, quod ſane de ſanguine, in vaſis hæmorrhoidalibus ſtagnante, teſtimonium præbet. Duravit hæc tuſſis moleſtiſſima per intervalla, cum dolore lumborum, ad quem vincendum medicamentis aperitivis, blande laxantibus, etiam clyſteribus paregoricis adhibitis, cum nihil proficeremus, hirudinum applicationem ſuaſimus, a quibus ſanguis craſſus, nigricans, fæculentus copioſus evacuatus eſt, cum inſigni levamine doloris, qui tamen recurrebat, quamvis apertione hac facta, & demum, applicatione fomentationum ac emplaſtrorum reſolventium, quodammodo mitior eſſet. Sed præter ſanguinem, patefacta ab hirudinibus via, etiam materia ichoroſa, inſtar lochiorum muliebrium graveolens, narrante ipſius uxore, effluxit; quo percepto exhorrui, ac de vita ægri metuere cœpi, quod etiam eventus comprobavit. Ab iſto enim tempore, calor lentus & febricula verſus noctem acceſſit, cui appetitus totaliter proſtratus, cum horrore & nauſea carnium, jungebatur. Nihil, ad debellandum morbum, valuit diligentia, & optima remedia adhibita, licet ſymptomata, interdum mitiora, ſalutem promittere viderentur; propter inſignem cacochymiam, quæ inde patet, quod, non obſtante evacuatione per fonticulum excitatum, hinc atque inde, tubercula oriebantur, in ulcera ſordida, carne fungoſa repleta, mutata. Acceſſit tandem diarrhoea, cum omnimoda virium exſolutione, agrypnia, conatus vomendi atque vomitus materiæ bilioſæ, ad quam evacuandam, propinato ſcrupulo uno Ipecacuanhæ in infuſo aquæ calido, ſaburra ingens pituitoſa & bilioſa quidem excernebatur, cum notabili ægri refectione. Hæc tamen minus conſtans fuit, ſed paucis interjectis diebus, continuante agrypnia, calor internus crevit, leve delirium acceſſit, ægerque emaciatus animam Deo reddidit. Permanſit, per omne illud tempus, dolor in femore ſiniſtro, motum artus impediens, unde ſæpius orta eſt ſuſpicio, per antecedentem lapſum, luxationem quandam factam fuiſſe; ſed comparatione utriuſque cruris ſæpius inſtituta, perfecta æqualitas obſervata eſt; ultimo tamen tempore ſiniſtrum crus retractum, palmi latitudine brevius evaſit, haud dubie, propter creſcentem in pelvi corruptionem.

THESIS I.

QUod in univerſum de omnibus, in communi proverbio, dici ſolet, quod, ſublata cauſſa, tollatur effectus, hoc potiſſimum, in medicina, de cauſſis morbificis valet, quod, ſublata cauſſa morbi, tollatur morbus. Quilibet tamen, vel nobis tacentibus, intelliget, id non de omnibus cauſſis morbificis, externis, occaſionalibus, & accidentalibus dici poſſe, ſed tantum de internis, immediatis ac proximis, inter quas & morbos non dantur intermediæ. Innumeræ ſunt, & admodum variæ morborum cauſſæ, quæ tamen non una eademque ratione, ad morbum producendum, faciunt, ſed diverſimode agunt. Quemadmodum enim iſtæ in ſe differunt, dum aliæ, uti in ſcholis medicorum loquimur, ſunt naturales, aliæ non naturales, aliæ præternaturales; quædam internæ, quædam externæ; per ſe, vel per accidens tales: ita, reſpectu morborum, diſtinguuntur in proximas, remotas, atque remotiſſimas, quæ non morbum producunt, ſed ad eundem tantum diſponunt. Non enim cauſſa quæcunque, morbum immediate antecedens, dici poteſt proxima, niſi id præſtet in omnibus. Sæpius enim a cauſa antecedente manifeſta, exempli gratia, gravioribus animi pathematibus, ictu, lapſu, vel aliis injuriis, ab extra corpori illatis, morbi oriuntur, quod tamen non ſemper fit, ſed tum demum, quando diſpoſitio adeſt, & cauſſæ in corpore latentes excitantur, quamobrem iſtæ dicuntur medicis Procatarcticæ. Vulgus hoc dijudicare nequit, & cauſſis manifeſtis, immediate antecedentibus, mortem adſcribit. Medicorum vero eſt, hæc diſtinguere, ac judicare, an cauſſa effectui producendo ſit apta & proportionata.

THESIS II.

Vetuſtiſſimum atque veriſſimum eſt proverbium: qualis cauſſa, talis effectus, id quod etiam, in generatione morborum, locum ubivis habet. Etenim, quanto plures, vel pauciores; graviores, vel leviores, in uno eodemque morbo, concurrunt cauſſæ; tanto gravior ac periculoſior, aut ſaltim pertinacior, vel levior, ceteris paribus, neceſſario morbus erit. Teſtantur hoc morbi a contagiis atque effluviis pernitioſis, per tranſpirationem & reſpirationem corpus penetrantibus, vel a venenis intra corpus receptis, aut ab animalibus venenatis, ictu, morſu, vel ſuccis eorum deleteriis, corpori communicatis, excitati, quales ſunt morbi contagioſi, venenati, epidemici, qui, præ reliquis, præſentaneum vitæ periculum involvunt. Pariter de cauſſis externis hoc valet; quamobrem inſtrumenta lædentia examinari debent, utrum ſolum contundendo, an perforando, ſecando, vel lacerando agunt, quod præprimis in judicio

de

de vulneribus, aliiſque externis injuriis, læſionem viſcerum & partium internarum producentibus, obſervandum eſt. Ita etiam, quo graviores in diæta errores morbum anteceſſerunt, eo gravior erit morbus, ſi reliqua conſentiant.

Thesis III.

Non enim in judicio, de morborum gravitate, reſpectus tantum habendus eſt cauſſarum antecedentium, ſed etiam reſpiciendum eſt ad ſubjectum læſum. Quanto nobiliora enim viſcera & organa, in morbis quibuſcunque afficiuntur: tanto majus erit periculum; quod etiam valet, ſi plura viſcera ſimul lædantur. Sic inflammationes, & exulcerationes, aliæque corruptiones, in viſceribus internis, præprimis nobilioribus, ſemper plus periculi habent, quam in externis corporis regionibus. Idem etiam judicium valet de læſionibus ab injuriis externis excitatis, quæ, utut a cauſſis levioribus inducantur, ſi partes internæ & viſcera afficiantur, ſemper plus periculi inferunt, quam graviores læſiones partium externarum. Propter vulnera etiam inſtrumentis levioribus inducta, cerebri, cordis, vaſorum circulantium inſigniorum, aliorumque viſcerum nobiliorum, talia quidem, quæ illorum functiones graviter lædunt, perturbant, vel plane impediunt; lethalibus annumerari ſolent. Propterea etiam tales plagæ in partibus externis, ſi cum nervorum, ligamentorum, atque tendinum læſione conjunguntur, graviora ſymptomata, convulſiones, inflammationes periculoſas, gangrænamque excitant, & licet non ſemper mortem, jacturam tamen, aut deſtructionem membri poſt ſe relinquunt. Nemo etiam adeo hoſpes eſt, ut neſciat, a leviſſimis læſionibus partium externarum, contuſione, excoriatione, vel a reſectione unguis, aut clavi, in pedum manuumque digitis, in cachecticis, gangrænam, ſphacelum, mortemque ipſam ſequi, quod ſane non læſioni, ſed diſpoſitioni vitioſæ eorum tribuendum erit.

Thesis IV.

Quandoquidem autem morbos viſcerum, & partium, profundius ſitarum, læſiones, potiſſimum ex ſymptomatibus, ſeu actionibus læſis, cognoſcimus, ex his quoque, tum de parte affecta, tum de læſionis gravitate, adeoque de periculo imminente, certiores reddimur. Etenim, quo graviora, quæcunque morbum comitantur, ſymptomata, inprimis in actionibus vitalibus & animalibus, eo gravior ſupponitur læſio organorum, a quibus iſtæ perficiuntur, & proinde quoque majus erit periculum imminens. Quoties itaque, a leviori licet cauſſa, excitatur morbus, graviſſimis ſymptomatibus junctus, toties, organa nobiliſſima afflicta eſſe, cognoſcimus. Ex circumſtantiis tamen judicandum: utrum

organa iſta patiantur per ſe, an vero per conſenſum? Quia in hoc caſu periculum imminuitur. Neque etiam læſiones actionum vitalium animaliumque æque periculoſæ ſunt, ſed, pro diverſitate cauſſarum, morborum, aliarumque circumſtantiarum, periculum variat. Imo in morbis periculoſis, & acutis, ſymptomata graviſſima, qualia ſunt deliria, convulſiones, tremores, vocis interceptiones, & ſenſuum externorum imminutiones, ſi breviora ſunt, & evacuationem criticam antecedunt & comitantur, &, hac facta, ceſſant, non ſunt perniciosa. Poſſet hoc exemplis, ex auctoribus petitis, & auctoritate *Hippocratis* confirmatis, de omnibus ſymptomatibus vitalibus animalibuſque demonſtrari, ſi inſtituti noſtri ratio id permitteret. Videri tamen de hoc poſſunt ſcriptores, imprimis *Thom. Fienus in Semiotica, ſeu de ſignis medicis*, & *B. Parentis ſemiotica medica*. Unicum ex pluribus, in præſenti, adducam, nimirum inappetentiam, ſive totalem appetitus deſtructionem, quæ, uti, in ſe, tantum periculum non involvit, uti teſtantur exempla eorum, qui diuturna inedia laborarunt, & in morbis acutis nil mali portendit: ita in morbis chronicis, ubi vires ad ſuperandum morbum requiruntur, tuta non eſt, teſte *Hippocrate Sect. I II. Aph. 6.* In noſtro, mox in principio morbi, abſque cauſſa manifeſta, accedens, ſuſpecta fuit, atque defectum digeſtionis & ſecretionis naturalis, ac imprimis, propter faſtidium, præcipue carnium, internam corruptionem indicavit.

THESIS V.

Ex iis, quæ hactenus ex primis Pathologiæ generalis atque Semioticæ fundamentis præfati ſumus, facile erit judicare, nequaquam, in noſtro caſu, lapſum in genua cauſſam morbi, & multo minus mortis ſubſecutæ, dici poſſe. Morbus enim, quo defunctus decubuit, atque tandem ſuccubuit, merito magnis annumerari debet, quoniam, uti ex hiſtoria morbi, ſupra data, patet, ægrum magno impetu invaſit. Cœpit enim, uti vidimus, aſthmate convulſivo, ac tuſſi ſicca, cum dolore lumborum acutiſſimo, & pertinaciſſimo, a quo, propter ſtagnationem ſanguinis craſſi, in vaſis hæmorrhoidalibus internis, per conſenſum, ortum traxit. Idem etiam graviſſima juncta habuit ſymptomata, faſtidium ciborum, inprimis carnium, quod antea vidimus in morbis longis eſſe periculoſum, febrem ſymptomaticam lentam, ex putredine interna, partium in pelvi ſitarum, excitata, & reliqua in hiſtoria expoſita. Sive igitur conſideremus loci, ubi lapſus eſt, noſter, conditionem, nimirum ex unico gradu, in atrio templi; ſive percuſſionis gravitatem, quæ tanti momenti non fuit; ſive ſubjectum concuſſum, quod conſtituunt genua, in quibus tamen, poſt lapſum, nec dolor, nec tumor, nec ſugillatio apparuit: non video, ullam proportionem inter cauſſam & effectum, quæ tamen, uti in omnibus, ita in productione morborum, neceſſario re

qui-

quiritur, quemadmodum, ex antea dictis, luce meridiana clarius eſt. Hæc qui animo, ut par eſt, penſitat, mirabitur, quomodo, non tantum ab ægri agnatis, ſed etiam aliis, ex primariis urbis noſtræ perſonis, lapſui tribui potuerit, quibus tamen, uti ſpero, ſcrupulum hæc tractatio eximere poterit. Omnes enim circumſtantias, qui probe ponderabit, non poteſt non judicare, lapſum antegreſſum ne quidem procatarcticam, ſive occaſionalem cauſſam, dici poſſe, propter longum intervallum, quod, inter illum, & veram morbi originem, interceſſit.

Thesis VI.

Sed objiciet forte quiſpiam, poſt lapſum tamen in noſtro dolorem in ſuperiori & exteriori femoris regione, cum claudicatione, ſecutum eſſe. Notavimus tamen ſupra, in hiſtoria, mox a lapſu nullum, vel minimum incommodum obſervatum fuiſſe, ſed dolorem & claudicationem demum, poſt aliquot ſeptimanas, cœpiſſe. Lapſus etiam, ut antea monuimus, tanti non fuit momenti, ut, in loco, adeo a percuſſis genubus remoto, læſionem aliquam inducere potuerit. Quodſi enim, a lapſu antecedente, dolor iſte ortum traxiſſet, citius, & mox poſt lapſum, prodere ſe debuiſſet, iſque cum inflammatione conjunctus, qualis in luxationibus, ſemiluxationibus, contuſionibus, obſervatur. In noſtro nullum unquam inflammationis veſtigium, in loco affecto, apparuit, licet, per aliquot ſeptimanas cataplaſmata emollientia, unguenta pinguia, & emplaſtra applicata fuerint, quibus inflammationes creſcunt, & ad maturationem diſponuntur; his tamen nihil effectum eſt. Ab applicatis vero, ex noſtro conſilio, reſolventibus & diſcutientibus, fomentationibus nervinis, mox remiſit tumor, & dolor, quamvis non penitus ceſſaverit. Dolor etiam, qui aderat, non, niſi in motu cruris, percipiebatur. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, dolorem iſtum non alium fuiſſe, quam iſchiadicum, a cauſſa interna excitatum. Nec obſtat, quod idem, non in ipſa junctura femoris, ſed magis ſub trochantere majori, perceptus fuerit. Quem enim latet, malum iſchiadicum non in uno loco ſubſiſtere, ſed latius ſe expandere, & partes circumjacentes afficere.

Thesis VII.

Fons itaque & origo doloris hujus & morbi, omniumque ſymptomatum, in eo apparentium, ipſiusque mortis, non a lapſu, antegreſſo, ſed a cauſſa interna, ſuppreſſione nimirum fluxus hæmorrhoidalis, derivari debet. Etenim defunctus, ut in hiſtoria morbi relatum legitur, antehac hæmorrhoides, ſatis largas fluentes, expertus erat, qui fluxus, ultra anni ſpatium, ceſſaverat, imprimis propter mutatum officium & vitæ genus, dum ille, uti ſæpius monuit, præterito tempore, motiones for-

tiores corporis, officii cauſſa, ſuſceperat, ultimo vero muneri præfectus, quieti, ac vitæ ſedentariæ, plus juſto, ſtuduit, unde etiam corpulentior redditus eſt. Nullum etiam eſt dubium, errores alios, in diæta commiſſos, ac inprimis animi pathemata, aliquid contuliſſe. Quamobrem, jam per longum tempus, de dolore lumborum conqueſtus eſt; ſed quoniam mitior fuit, ac alioquin ſatis bene ſeſe habuit, curam neglexit, nihil mali, a ceſſatione hujus fluxus, ſibi metuens; quamvis urina denſiſſima & rubicundiſſima, diu ante morbum obſervata, ut, poſthac, ipſe, & agnati, retulerunt, ipſum monere potuiſſet. Hæc enim index fuit: ob ceſſantem ſalutarem illam evacuationem ſanguinis, cacochymiam, cum obſtructione viſcerum ſecretoriorum, valde auctam fuiſſe, quæ, durante morbo, ſe ſatis prodidit.

Thesis VIII.

Fluxus hæmorrhoidalis hoc præ aliis hæmorrhagiis peculiare habet, quod ſanguinem craſſum, viſcidum, ac fœculentum, in viſceribus, præcipue abdominis ſecretoriis, atque depuratoriis, ſtagnantem educat, unde potiſſimum hypochondriacis atque ſcorbuticis, pleno victu, & diæta calida, utentibus conducit. Vid. *Alberti Diſſertationes de hæmorrhoidum conſenſu cum morbis ſplenis & cum ſcorbuto.* Fluxus hic contingit ordinario magis viris, in conſiſtente ætate conſtitutis, quam juvenibus: exempla tamem rariora habent, quod non tantum in his, ſed etiam in pueris, propter conſtitutionem hæreditariam, obſervatus ſit. Talis a *Lentilio in Ephem. Germ. Dec. II. A. IX. & X. obſ.* 124 *p.* 216. recenſetur, de puero noven annorum, tum temporis aliquoties hæmorrhoidum fluxu jam affecto, hæreditate, ut ille judicat, paterna, qua haud raro malorum prius, quam bonorum paternorum hæredes fieri ſolemus, contracto, qui poſthac, uti *in Dec. III. A. V. & VI. in parallelismo ad obſervationes adjecto*, *ad obſ.* 22. *p.* 99. ab ipſo commemoratur, adhuc, ſtatis temporibus, hæmorrhoides paſſus fuit. Tales plures obſervationes habentur in iiſdem *Miſcell. Dec. I. A. VIII. Dec. II. A. IV.* Obſervantibus D. *Schultzio* & D. *Valentino* de pueris ac puellis, diverſarum ætatum, in quibus, abſque omni ſanitatis diſpendio, fluxerunt.

Thesis IX.

A D. *Schultzio* ibidem *Dec. I. A. IV. obſ.* 69. recenſentur duo exempla virorum, alterius octogenario majoris, alterius nonagenario majoris, in quibus, a prima juventute, ad decrepitam uſque ætatem, idem fluxus menſtruatim duravit. *Mirum certe*, inquit, *cum mulieribus*, *ordinaria naturæ lege*, *fluxus menſtruus tantum ad annum quadrageſimum*, *interdum etiam quinquageſimum*, *prorogetur*, *quomodo*, *in hiſce viris*, *hæmor-*

rhoi-

rhoides tam diu aperiantur; *ego credo*, *fluxum iſtum longævitatis vitæ utriuſque cauſſam eſſe*; *natura*, *ſcilicet*, *ſe*, *a ſuperfluo & impuro ſanguine*, *non ſine fructu*, *liberante.* Faciunt cum hoc plures medici experientiſſimi; *Solenander*, qui fluxum hæmorrhoidalem, expreſſis verbis, elegans & abſolutum naturæ bene valentis, & munia ſua recte adminiſtrantis, opus vocat; *Julius Cæſar Claudinus conſ.* 30. aſſerit, quod hæmorrhoides fluentes longam ſanitatem promittant, & a multis morbis liberent; & *Foreſtus Lib. XXIII. obſ.* 3. id exemplo patris ſui probat; item quod longam ſenectutem polliceantur affirmat *Lotichius L. IV. c.* 10. *obſ.* 1. Vid. *Diſſ. de ſalubritate fluxus hæmorrhoidalis Agricolæ* ſub Præſidio *Hoffmanni* Halæ A. 1708. habita, & *Alberti*, *de hæmorrhoidibus longævitatis cauſſa.* Obſervant propterea auctores, hunc fluxum facere non tantum ad præſervationem, ſed & curationem multorum graviſſimorum morborum, idque auctoritate ipſius *Hippocratis* ſuffulti, qui *L. VI. Epid. & de humoribus ſub finem*: *qui hæmorrhoides habent*, ſcribit, *neque pleuritide*, *neque peripneumonia*, *neque phagedænis*, *neque furunculis*, *neque tuberculis corripiuntur*; item *Sect. VI. Aph. II. Atrabilariis & nephriticis hæmorrhoides accedentes*, *bonum eſſe*, dicit; & *VI. Epidem.* 6. apertionem hæmorrhoidum indurationem lienis ſanare, ſcribit.

THESIS X.

Tanto majora igitur ſunt mala, quæ, ex ſuppreſſo fluxu hæmorrhoidali, in aſſuetis, metuenda ſunt. Ipſe medicinæ *Parens* in *L. IV. Epidem. ſub finem*, exemplum habet Alcippi, qui, *cum haberet hæmorrhoides*, *a curatione prohibebatur*, *curatus inſaniit*, *ſed febre acuta ſuccedente*, *ceſſavit.* Et *L. VI. Aph. XII.* dicit: *hæmorrhoidas ſananti diuturnas*, *ſi non una ſervata fuerit*, *periculum eſt*, *hydropem*, *vel tabem*, *accedere.* Idem etiam, in loco ſupra adducto, ubi morbos recenſuerat, a quibus hæmorrhoides fluentes præſervant, addit in ſequentibus: *multi tamen intempeſtive curati*, *non tarde talibus correpti ſunt*, *& ſic pernicioſæ fuerunt.* In noſtro quidem caſu hæmorrhoides medicamentis non fuerunt ſuppreſſæ; ſed per ſe, ob cauſſas, præter illas in hiſtoria allatas, non ſatis notas, ſponte ſubſtitit atque ceſſavit fluxus: nihilo tamen ſecius omnium ſubſecutorum malorum, morbi funeſti, ac mortis, cauſſa merito reputatur, utpote quæ lapſui leviori, per antea demonſtrata, nullo modo adſcribi poſſunt. Huic enim tribui debet dolor iſchiadicus, primum, abſque cauſſa manifeſta, ſi excipias antecedentem lapſum, adeoque, ob internam diſpoſitionem, obortus. Monente enim *Alberti* in *Diſſ. de hæmorrhoidum conſenſu cum ſcorbuto* hæmorrhoides difficulter erumpentes, vel plane ſuppreſſas, ſequi ſpaſmodicos, ſive arthriticos, ſive podagricos, ſive iſchiadicos affectus, cujus indolis ſunt coxendicum dolores, qui hæmorrhoidalibus non infrequentes ſunt.

Unde

Unde jam *Hippocrates*, ut ibidem additur, monuit, ut in ejuſmodi doloribus inquiramus, an patiens olim narium hæmorrhagias, an vero hæmorrhoides expertus fuerit? At enim vero dolor iſchiadicus, in noſtro defuncto, morbum primarium antecedens, nihil periculi ipſi adduxiſſet, niſi hic cum aſthmate ſpaſmodico, tuſſi ſicca, ac dolore lumborum atrociſſimo, ingruens ſuperveniſſet. Hunc enim non aliunde, niſi ex hæmorrhoidum fluxu cohibito ortum duxiſſe, quia nulla alia cauſſa inveniri poteſt, cum nullam, cum antecedente lapſu, habeat connexionem, ex hac tractatione, &, huc uſque adductis, rationibus, ni fallor, clarum erit, adeo, ut nulla ulteriori probatione indigeat.

THESIS XI.

Sanguis enim, qui, in fluxu hæmorrhoidali, tanto cum emolumento evacuatur, provenit, potiſſimum, a vena hæmorrhoidali interna, quæ, obſervante *Stahlio in diſſert. de vena portæ*, *porta malorum*, inteſtinum rectum, ſpithamæ longitudine, ambit, & in ramum dextrum, quandoque & ſiniſtrum ſplenicum, venæ portæ terminatur. Vid. *Heiſt. Compend. Anat.* Habet vero vena portæ hoc, a vena cava, peculiare, quod ramos, ex toto ambitu inteſtinorum, atque liene, ortos, in unum, ſub hepate, truncum colligat, ibi vero denuo in ramos, per hepatis ſubſtantiam diſſeminatos, diſtribuatur, adeoque, nunc arteriæ manus obtinens, ſanguinem ad extremitates venæ cavæ, per hepar itidem diſtributos, propellat. Hujus venæ arcuata ſtructura & tortuoſus ſitus ramorum, ex inteſtinis, per ambitum meſenterii ad centrum ejus in truncum concurrentium, horum copioſiſſimæ inoſculationes mutuæ, ac præterea valvularum, in hac æque, ac in pulmonali vena, defectus, præcipuæ ſunt cauſſæ, quare ſanguis per has vias recurrens ad fontem, juſto ſpiſſior evadat, per dicta viſcera languidius feratur, atque obſtructionibus, aliiſque morbis generandis, anſam det. Ceſſante itaque, in defuncto noſtro, ſalutari ſanguinis hæmorrhoidalis excretione, cacochymia, in corpore univerſo, aucta fuit, quæ in illo, uti ſupra notavimus, ſe ſatis manifeſtavit, ac ſanguis, in venis hæmorrhoidalibus internis, & univerſo ſyſtemate venæ portæ, per viſcera diſtributæ, ſtagnando, aſthma convulſivum, atque dolores lumborum acutiſſimos, produxit. Inde inprimis pendet ulceris ſordidi interni generatio, quod apertione ab hirudinibus facta, in iſto demum, excretione ichoris, ſe prodidit. Neminem enim fugere poteſt, ſanguinem fœculentum, in vaſis hæmorrhoidalibus ſtagnantem, cuniculos agere, & ulcera ſordida ſinuoſa, atque fiſtuloſa, efficere, utpote quod quotidiana experientia, & exempla frequentiſſima, commonſtrant. Talia, ſi in partibus exterioribus oriuntur, propter faciliorem medicamentorum, & operationum chirurgicarum, applicationem, vitæ periculo carent, atque ægros diu-

diutius ſuperſtites eſſe permittunt, ac interdum curantur. Caſus plane ſingularis *in Actis Phyſic. Med. Nat. Curioſ. Vol. III. obſ.* 10. *p.* 49. a D. *Goblio* communicatus recenſetur, *de ulcere lumborum*, *ex translatione hæmorrhoidum*, *per aquam gryſeam ſanato*, quod, utut profundiſſimum, atque tribus cavitatibus, callo intus obductis, præditum fuit, quarum, unaquæque, ſpithamæ longitudinem æquavit, una verſus inguina, altera verſus regionem renis, iſtius lateris, tertia verſus ſcapulam expanſa, nihilo ſecius, ope dictæ aquæ, ſanatum fuit. At enim vero alia longe res eſt cum ulceribus iſtis, in interioribus partibus, oriundis, utpote, quæ latius ſerpunt, partes circumjacentes, & ipſa viſcera adoriuntur, iiſque corruptionem communicant, & ſenſim ſphacelationem inducunt, quia nullis remediis eo penetrare licet. Memini ægri cujuſdam nobilis, qui olim ante quamplurimos annos variorum medicorum & ſimul B. *Parentis* mei conſilio uſus, ob fiſtulam talem internam, mortuus eſt, quæ inter inteſtinum rectum, & veſicam urinariam, ſita fuit, ita, ut urina, cum excrementis alvinis, per anum, & hæc viciſſim urinæ admixta, per urethram, redderentur. Contigit etiam mihi, ante aliquot annos, caſus notabilis in Viro Generoſo, ex antiqua & præcipua notabili Saxoniæ gente oriundo, legionis equeſtris duce, inter molimina hæmorrhoidalia, dolore lumborum diutius vexato, qui tandem, ad regionem coxendicis, extenſus, acutiſſimus factus eſt. In hoc, quia, uti in præſenti caſu contigit, medicamentis internis, & clyſteribus, nihil præſtitimus, applicationem hirudinum, ad ſanguinem hæmorrhoidalem evacuandum, ſuaſimus. Voto reſpondere viſus eſt eventus, dum, ab unica hirudine admota, evacuata portione ſanguinis, dolor omnis in inſtanti ceſſavit. Rediit tamen idem, poſt pauca momenta, iſque acutiſſimus, cum inſultu febrili, & apertus ſimul eſt abceſſus in inteſtino recto, copioſam materiam ichoroſam fundens, qui fluxus indies crevit, ita, ut æger continuo lateri ſano, ad effluxum facilitandum, incumbere cogeretur, quo ipſo tanta materiæ copia effluxit, ut ad eam amovendam chartæ, & linteorum novorum, applicatio vix ſufficeret, donec idem, calore lento extreme emaciatus, poſt aliquot ſeptimanas, diem obiret ſupremum. Non tam ovum ovo eſt ſimile, quam iſte caſus præſenti, paucîſſimis circumſtantiis, ad rem non facientibus, exceptis, inprimis quod ad effluxum ſaniei attinet, qui in iſto continuavit, in hoc vero, mox ceſſavit. Uterque tamen eorum, febre lenta, corruptionis internæ indice, confectus, vivere deſiit.

FINIS.

LXII.

GEORG. ERNEST. STHALII

EXCUSATIO RESPONDENS EXAMINI

PULSUUM CELERIS ET FREQUENTIS,

EORUMQUE CONSTANS DISTINCTIO;

Qua demonſtratur quod argumenta adverſus illam iterum publico ſcripto prolata.

THESIN NON FERIANT.

Halæ. 1702.

CAPUT PRIMUM.

Occaſio ſcribendi, ad hypotheſeos ſuæ præcipuæ ſalvationem.

CUm ſtudiorum meorum initia, in illa tempora incidiſſent, ubi diſſidia opinionum, tam phyſicarum quam medicarum, cum majore contentione ſuſcipi incipiebant: & hoc præcipue in illis locis, ubi ſtudiis meis operam navare, ſub divina directione chariſſimorum parentum voluntas tulerat: non poterat fieri, quin mihi, indolis quadam propenſione & priſca germana francica animi firmitudine, ad ſolidum, verum, atque conſtans, perpetuo reſpicienti, hæc ſententiarum, deductionum, tractationum diſparitas, non tam tædium, aut indignationem, crearet, quam ſtimulum potius incuteret, ad perveſtigandum, pro viribus, cuinam parti, tanquam firmius fundatæ, ita me addicere poſſem, ut alieniſſima a mea mente verſipellis fluctuatio, & ſane pluſquam ſervilis, ab uno opinandi latibulo, ad alterum perreptandi, & diffugiendi, levitas, tantundem a me abeſſet, quam ſtupida illa adhæſio atque emancipatio unius hominis opinionibus præſtanda, cui propterea maxime quia ipſe dixerit, infallibilitatem ineſſe, firmiter credendum ſit: factum hinc eſt, ut in harum rerum fundamenta, nempe hypotheſium argumenta atque documenta inſpicere, quanto per vires licebat ſtudio, incumberem.

Subſidia, quæ ad hoc negotium, favente divina clementia, mihi ſubveniebant, erant (1) reſpectuum atque nexuum cauſalium, non quidem ſcholaſtica, ſed magis ad uſum cui debentur, practicum realem inſtrumentalem, adaptata notitia & promtitudo; (2) Matheſeos, & partium ejus practicarum præcipuarum, Geometriæ, Mechanicæ generalis, Staticæ, Hydraulicæ, ſcientia & experientia non ſuperficiaria: in quibus rebus poſt experimenta, in hydroſtaticis, & hydraulicis, in ipſa mea patria, & inde a pueritia mea, varia, ita nota atque perſpecta, ut quæcunque de hac materia in Scoti technica curioſa comprehenduntur, adoleſcens ſeptendecim annorum, e fundamentis ſuis (nempe utique ſimpliciſſimis) familiariter perſpectiſſima haberem, plurimum ſane debui ſinceriſſimo ductui B. Dn. Weigelii (3). Chimiæ experimentalis apparatus, utique pro temporum conditione talis, ut, cum nemo medicus, chimicus, Doctor aut Profeſſor, in hoc negotio demonſtratione una ſola, quantumlibet etiam leviſſima, me inſtruxiſſe aſſeverare poſſit, juvenis nulli adhuc gradui admotus, non dubitaverim, mechanico-phyſicam chymiæ perluſtrationem polliceri, ſchediaſmate ſub titulo prodromi, de indagatione phyſico-chimica: & octo forte poſt menſibus, ejus rei ſpecimen, nuperrime promotus in doctorem præſtare, habito collegio, non

ad vulgatum morem, imperitis juvenibus linguæ promtitudine objiciendi, quæ aſſequi non valeant, ſed ad memoriæ ſubſidium, & ut eſſet documentum, bene an male tempus & ſumptus collocarent, ad calamum dictato: Cujus ſcripti hodieque per Dei gratiam non eſt, quod me pudeat (4). Anatomiæ atque Zootomiæ ſtudium indefeſſum: & longe certe magis aſſiduum atque ſcrupuloſum, quam hodie, utpote ſupervacuum in hoc genere, cuiquam ſuſcipere ſuaſerim.

His adminiculis inſtructus, pervolvi atque expendi, (1) opiniones veteri phyſicæ atque medicinæ propiores. (2) Novas tam in phyſicis, quam medicis, ſpeculationes; præcipue vero e phyſicis in rem medicam transſumptiones. (3) Tentatas alicubi horum veterum & recentiorum inter ſe, modo conciliationes, modo copulationes, aut ſubordinationes.

His rebus ita inveſtigatis, deprehendi conſtantiſſime, quod veterum labores in theoria, & ſane quidem ad intellectum practicum neceſſaria, graviter defecerint, in attendenda expendenda, & ad uſum ſuum comparanda, organica ratione corporis, ad animæ uſus, & ſui ipſius conſervationem.

Recentiores vero graviſſime implicatos ſenſi, in neglectu originis atque moderaminis motus, ut in genere in tota republica corporum antiquitus dictorum viventium, ita tanto gravius, in negotio adminiſtrationis corporis humani, medicinæ ejuſque theoriæ atque praxeos objecti.

Interim habebant veteres, etiam abundantem, & nimis quam ſcrupuloſum reſpectum atque cultum, ſed tanquam abſoluti, pura activi, organizantis actus: ejuſque efficaciæ, imo vero effectuum, præſertim ad vindicationem periclitantis corporis: quem naturam appellarunt.

Moderni perſpexerant hinc inde, varias mechanicas partium corporis ſingularum atque ſociarum, exactas habitudines, quibus varii effectus materialiter ita produci atque perpetrari valeant, modo hæc habilitas a motu, quaſi formali hujus potentiæ in actum deducente, actuetur.

Ubi quidem utique, ſicuti veteres cum incöercibilibus ſuis facultatibus, numeroſa ἀλλότρια & ſteriles reſpectus coacervabant; ita recentiorum plerique, ineptiſſima confuſione habitus mechanici particularum, figuræ minimorum ſingularium, cum habitu mechanico-organico & ſtructura complexorum organicorum corporum, quæ etiamſi a nullo deſtinato dirigente, determinatis temporibus, & ad certum finem temporarium intentionibus, animarentur, tamen ſolo motu undecunque tandem nato, actuata, organa dici merentur: utrique inquam, utique ab orbita ſolidæ conſiderationis ita deflexerunt, ut nulla pars bono jure, quod alteri magnopere exprobret, allegare poſſit.

Niſi quod ſub his omnibus, fatendum omni modo eſt, quod recentior ſolertia, utique operoſe plurima inveſtigando, & nullam corporis organici particulam negligendo, longe plus laboris devoraverit, & longe

ge plures corporaliter reales veritates invenerit, quam vel in mentem veteribus veniſſent: qui utique mirificis illis facultatibus excogitandis atque enumerandis, neglecto interim omni uſu materialis organiſmi, ejuſque reſpectu ad materiam cui adhibetur, & ad effectum qui per ipſum præſtatur, longe otioſiorem theoriam habuerunt.

Si tamen paulo ſeverius examinetur, quantum utique recentiores attendere, imo deprehendere, agnoſcere, intelligere, non potuerint, cum organicos uſus, mutuas neceſſitates, certos fines, actionum organorum corporis, quatenus organa ſunt, non agnoſcunt; Non poteſt, quin illis objiciatur, quod in hoc negotio, adhuc adeo parum profecerint, imo ex hoc errore plus proficere non potuerint; Ut non ſolum veteres, varias in hoc genere veritates effectuum, longe melius annotaverint: ſed hi ipſi noſtri recentiores his præjudiciis etiam ad negandos atque rejiciendos iſtos, illorumque, quantumlibet ſenſibus obviam veritatem, propterea prolabi neceſſe habuerint: Addito inſuper inauditæ ἀσυλλογιςίας, illo medio termino: Quia ex hiſce ſuis novis principiis, harum rerum ſucceſſum deducere non valerent. Hæc me etiam illo tempore ita ſatis perſpexiſſe, juvenem adhuc, annorum 25. & non heri aut nudius tertius, ſed illo ipſo tempore hæc penſitatione ſolicita mihi ſufficienter animadverſa fuiſſe, teſtatur illo tempore, menſe Januario 1685. in diſſertatione de febre petechiali, pag. B. 2. & B. 3., quamvis utique illo tempore modeſte, allata ſententiæ meæ de febribus adumbratio. Sicut etiam uno poſtea anno, in collegio pathologico, non ſolum ſub hiſtoria febrium, prolixe ibidem tractata, hanc ſententiam exquiſitius, 20 philyris preſſius deduxi; ſed etiam tum ibi, tum ſub inflammationis & hæmorrhagiarum doctrina, negotium certæ atque deſtinatæ organicæ directionis, per ſolideſcentium partium motum tonicum, detexi; & ſpeciali capite, eoque fundamentali, nempe totius tractationis partis primæ, de morbis univerſalioribus, ſectionem primam formavi: de naturæ erroribus. Sicut hæc tractatio, ut omnia, in hodiernum diem, ſub Divina benedictione collegia & diſſertationes ſine odioſis lucubrationibus & tenebricoſis ſpeculationibus, ultra primam pro viribus attente factam penſitationem, ex ore dictantis atque diſcurrentis, peregrinæ manus calamo excepta, & mihi ipſi, pro teſtimonio in futurum, a ſimili manu deſcripta atque reſtituta eſt.

Non eſt, cur plura dicam, cum hæc dixerim; præter illud unicum quod hac conſideratione non aliter, quam clave deſideratiſſima, imo vero clavo invento, pro regenda rate in procelloſo & vorticoſo pelago jactata, gaviſus ſim, & hac ipſa cynoſura, inſuper habitis opinionum temere fluctuantium ſirenibus, ipſemet polum deſideratum reſpicere, & curſum meum dirigere non veritus ſim.

Docuit hoc inquam & phyſiologica, & anatomica, multas ad medicum ſcopum ſuperfluitates indicantes, & pathologica (ante dicto tempo-

re,

re, annis 1684, 85, 86, deinceps inſtituta), tractatio & illius non tam memoria, quam hinc inde adhuc reſtitantia, non monumenta ſed fragmenta.

Illud affirmare confidenter poſſum, hac methodo perveniſſe me ad formandas atque ſtatuminandas illas theſes atque deductiones, quarum firmitatem atque ſolidam certitudinem, non ſolum hodieque tueri, iiſque inniti poſſum; ſed etiam in late patentes illarum nexus, teſtibus allegatis documentis, jam illo ipſo tempore, ſub Divino præſidio, ita diſpexiſſe, ut illis uberius excolendis atque illuſtrandis, per 16. annorum, & quod excurrit, attentam atque ſollicitam obſervationem practicam, operam dare potuerim: repudiare aliquid ex illis, retractare, aut pœnitentia ejus affici, non neceſſe habuerim.

Tanto confidentius provoco quoſcunque mearum a prioribus annis aſſertionum cenſores, ut mihi ex aſſertionibus meis, theſium aut hypotheſium mearum, ἀντιλογίας, aut nexus inter ſe deficientis hiatus ſiſtant; argumentorum ἀλογίας, petitiones principii, ſuppoſitionum omiſſam vel demonſtrativam, vel probabiliſſimam confirmationem, commonſtrent & indicent: gratuitarum ullarum, nedum difficillimarum, & univerſæ ſpeculationi ponderoſiſſimum momentum ſubtrahentium, ſuppoſitionum, vel unicam imputent: Ἀνιστορίαν practicam, aut ullius, a me allegatæ hiſtoriæ practicæ, eſſentialem aliquam circumſtantiam prætermiſſam, exigant: Arroganter jactatæ alicujus inventionis, nedum fœdi quæſtus gratia, turpi mendacio, ebuccinatorum, falſiſſimorum atque deceptoriorum fucorum, circa futiles impoſturas remediorum fictorum, notam inurere poſſint: aut e fluxa aliqua hypotheſi, in praxi peſſime cedentis frivoli tentaminis, opprobrium objicere.

Non poſſum vitio vertere cordato lectori, ſi ignarus occaſionis, quæ mihi hæc poſtulata & aſſerta extundit, minus æquum de moleſtia mea judicium formare, vix ſe contineat. Certe enim continentiſſimus quiſque cordatus vir, ſine dubio ita ſecum reputaverit: ſint hæc ita; quid opus eſt ita in publicum, oſtendere an oſtentare.

Certe, ſi rebus integris hæc ita mihi imputare ſuſciperem, primo mei ipſius judicio, non modo, ut ſcite loquuntur Galli, impertinenter, ſed ut antiqua fide loquuntur Germani, ſtolide facerem. Sed ſi probaverim, aut ad minimum innuerim, me non in oſtentationem, ſed in vindicationem veritatis atque mihi propriarum hypotheſium aſſertionem hæc ſcribere atque condocere compelli; certus ſum, viros temporum gnaros, in meliorem partem accepturos eſſe, quod candidæ atque illibatæ veritatis robur, in concuſſa animi conſtantia machinationibus talibus opponam.

Dudum eſt, cum inter otia ſcholaſtica, adoleſcens ingenuus honeſto loco natus, commilito tunc temporis meus, e nomine meo, puro anagramate hunc ſenſum elicuit: *Turges livor? heus! tange ſis.* Quod ſane ab

ab illo tempore, ita mihi animo inſidit, ac ſi certitudine quadam frui liceret, obliquos livores confidenter contemnendi, iiſque audacter contra obſiſtendi.

Videlicet cum in ſummo defectu connectendi, quem in medicina, ad placita phyſicæ corpuſcularis formata, deprehendebam, dicta modo via melius actiones cum ſuis effectibus comparandos ſeſe obtuliſſent; & conceptus hinc formatus, ad fidem hiſtoriæ morborum, juxta antiquorum experientiam, propria practica experientia, adſiſtente Altiſſimo, indies exquiſite confirmaretur: concepi animo, hanc meam conſiderationem etiam publico exponere, non dubitans fore, ut inter multos, qui ſane illotis manibus ad medicinam irrumpunt, non ita pauci etiam intercedant, qui rerum quas gerunt cordatius ſatagantes, meminerint illius, de qua non erubeſcunt quiritari, ἀζυγίας ſolitæ theoriæ cum praxi: adeoque illum, qui per hos labyrinthos progreſſum nihil aberrantem polliceri audeat, non aſpernaturos. Rem enim ipſam talium judicio libero commendatam relinquere, minime omnium verebar.

Profecto enim hoc, ab ipſis ſtudii hujus mei primis annis, perſpectiſſimum ſemper habui, quod illi, qui novis iſtis rebus, ut pueri crepundiis ſuis, enixe gaudent, iiſque inſolenter oblectantur; veterum e contra univerſos labores increpant, dedignantur, proculcant: Quod inquam, tales, ipſis ad judicandum mediis deſtituti, non poſſint niſi odioſiſſimo labore in ſemitam reduci. Ubi denuo, ab uno extremo ad alterum prolapſi, imo vero, inter extrema reciproce jactati, veteres, quos modo ſtupidos & ignaros homines pronunciaverant partim, tempore poſt, pro unice ſapientibus, & rerum omnium, quæ recentius obſervatæ creduntur, callentiſſimis, extollunt. Qui vero numeroſos illos hiatus, a defectu ſolidarum conſiderationum, in phyſicæ atque medicinæ recentius formatis dogmatibus, perſpiciunt, ſane aurea illa catena, qua verum e profundo Democriti puteo trahendum eſſe, non diffitui, re ipſa comprobant.

Ante omnia ſollicitam habebat mentem, & agitabat convictum veritatis animum, horribilis illa confuſio, quæ in febrium ratione reddenda, & aliis quoque rarioribus morbis cauſas ita plane generaliſſimas & quotidianas aſſignando, inſtrui videbatur.

Interpretabar enim utique merito, ita, in febribus quidem, motuum activorum, ſecretoriorum & excretoriorum, utiliſſimorum pro re nata, imo neceſſariorum, circumſtantias, directe pro meris paſſionibus, & partim quidem pro ipſo morbo, partim pro ſymptomatibus ejus nudis, vendicari; in aliis vero morbis, potentias illas ſalinas, e quotidiano victu immenſo numero hominum familiares & innoxias, ut paucis eximie nocentes redderentur, per individualem deformitatem pororum, & hic illic e nefaſtis inſidiis, imo ἀπὸ μηχανῆς proſilientia fermenta, ſeduci.

Neque vero multo minus movebat faſtidium, ſummum illud artificium, ab omnipotente creatore corpori animali inſertum, poſtquam optima

fortuna ex improviſo detectum erat, ita improvide negligi, ut ejus mechanico-organica efficacia, ſi modo in actum deducatur, & recte regatur atque dirigatur, ſine ullo neceſſario ulteriore adminiculo ad omnes actus vitales mechanico-organice perficiendos abſolutiſſima, in ſolidum ignoretur.

Adeo quidem, ut etiam cum obteſtatione reclamantes patientes, & totum corpus ſuum, manus, faciem, repentinis ſtricturis & ſanguinis e partibus atque vaſis repreſſionibus, compreſſum, inanitum, pallidiſſimum, frigidiſſimum, tenſionibus rigidum, tractionibus tremens, medico cum gemitu oſtendentes: nihil præter obliquum aut ſtupidum obtutum ab illo impetrare poſſint: nullam vero fidem, quod ſanguis non ſolo nudo *pulſu* ut in partes, ita per partes & ex partibus, pellatur, tranſpellatur, repellatur.

Quod profecto evidens factum, ſolum & unum momentum mechanicæ directionis circulationis ſanguinis, ad ſecretiones & excretiones certas atque deſtinatas, conſtituit, & ſolerti penſitationi ſiſtit.

His, ſi manifeſtiſſimæ illæ circumſtantiæ, (1) quantitatis, (2) qualitatis (3) corruptibilitatis (4) & ſpeciei hujus, adjiciatur, (5) Nota vero ſit eſſentialis ſed phyſico-mechanica, ratio putredinis: (6) Et habitus perpetuæ ſubductionis agiliſſimarum portionum: (7) Et cujus indolis inde ſit illud, quod in reſiduo manet &c. Hæc omnia inquam, ſi una conjungantur (quamvis ſane & ſcire hæc opportet, & intelligere, & recte inter ſe comparare poſſe,) quam evidens tunc *mechanica* horum effectuum diſpaleſcat ratio, neminem attentum & peritum poterit ſubterfugere.

Exercuerunt hæc animum meum, ſeptem illis & quod excurrit, annis, quibus a ſtrepitu πολυμόρφων opinionum alienior, officio t. t. medici aulici atque practici vacavi. Ubi certe dum principum oblectamentis, venationibus, itinerum, aliiſque quaſi concatenatis, excurſionibus, per ſylvas, per campos, per montes, ad lacus, apricationibus, æſtivis, profectionibus, individuus advocor comes; ubi me rerum ſemper earundem facile ſatietas ceperat, animo talia negotia atque ſpeculationes in omne latus volutare, excutere, expendere, comparare, combinare, non ſolum erat mea occupatio; ſed etiam, ubi conſtantem omnium reſpectuum, & ipſius rerum veritatis ſeu experientiæ nexum, deprehendebam, eumque forte uno documento locupletaveram aut obſtaculo exoneraveram, erat hoc fatigationum corporis per animum hilariorem ac ſereniorem compenſatio.

Propoſueram tandem animo, ex hoc meo ſeceſſu aliquid in publicum proferre. Ordiebar hoc ab indigitatione obſervationis & commendationis motus tonici, & ab hoc pendentis directionis particularis humorum, imprimis autem ipſius ſanguinis.

Intendebam, ſub concluſionem iſtius ſchediaſmatis, eminus digitum, in

in vaſtum campum pathologiæ, multos & uberes fructus hujus ſtirpis, undiquaque oſtendentem; & læta fœcunditate activorum effectuum, a ſteriliſſimis & odioſis ſpinetis paſſivorum ſymptomatum, eximie diſcernendos: & vacua atque inculta ſpatia, inter vaſtiores ſtirpes, amœna interpolatione explentes.

Tandem vivam & gratiam veluti ſepem, circa lucum illum ſacrum hactenus, & horrida religione inacceſſum, tenebricoſum, & quia ramorum extrema fere inter ſe contigua porrigunt altæ ſtirpes, pro inextricabili plexu impeditiſſimo hactenus eminus æſtimatum: febrium æſtiva intelligo. Ubi certe cum non aliter, quam in *Zona torrida*, antiqua conjectura, nihil vivi durare putabatur: ita hic etiam, nihil niſi acerrima, præcipitia, intemperantia, incoërcibilia, rebellia, *pathemata* & *ſymptomata*, *venenorum* ſatellites, *interitus* feciales, *mortis* carnifices, humanæ carnis voraces *Læſtrigones* atque diræ peſtes, fremere atque ululare nunciabantur.

Ut autem, miſſis coloribus, in hoc inprimis diffuſo *febrium* negotio, *mechanico-organicas* fœcundiſſimas energias luci ſiſterem; eoque ipſo, illi *fundamento* ſolidiſſimo, *activorum* affectuum, a *paſſivis* diſcretioni, ædificium juſtum ſuperſtruerem: Sufficiebat indicare, quod tota febris, *multis* illis ſuis, & ut apparent, *variis circumſtantiis*, non ita *tumultuarie* & undiquaque *adverſa* ſorte, ſtipata ſit, ut perpetua indagine opus ſit, pro ſcopulis atque Syrtibus rebellium *ſymptomatum*, ab *utilibus* intentionibus & *actionibus febrilibus ſalutaribus*, dignoſcendis.

Huic uſui ſerviebat unice demonſtratio, quod, *cum ſecretionibus febrilibus*, utilis, imo neceſſaria *exoneratio*, & quidem *brevis circuitus*, *perpetranda ſit*; *motus utique ſecretioni deſtinatus*, nempe ſanguinis circulus, *in hunc finem intendi debeat.*

Dum vero hic *motus*, utique ex illo ſuo, quo celebratur, modo *mechanico*, abſolvatur impulſione cordis, ſive *pulſu*; & preſſione partium, ſive *tono*: & præſertim hujus *poſterioris* juſta modificatione, *febrilis directio* ad partes *laborantes*, ad organa certæ *ſecretioni* & excretioni *ſpecierum* febrilium, & *interceptioni* a certis *nobilioribus* & teneribus partibus, unice ſubſerviat: neceſſe hinc maximo utique opere mihi fuit, eſt, & manet, horum actuum, tam hos immediatos effectus, quam alios mediatos eventus, ſollicite denotare, diſtinguere, denudare & indicare.

Omnium vero hominum, qui vel ullam unquam opinionum de febribus audivit, nemo unus aliter quam pro vecorde me habere poſſet, ſi febrilis illius *circumſtantiæ*, tam inſignis & eminentis, ut a pleriſque pro *ipſa febre* eminenter & formaliter haberetur, *Caloris febrilis*, cauſam reddere, vel non valerem, & tamen *pathologiam* febris aggredi auſus eſſem; vel craſſiſſima *negligentia*, non meminiſſem, aut quocunque tandem reſpectu, diſſimulaſſem.

Quam *caloris* theoriam veteres habuerint, quorum ad nos pervenerunt documenta notum eſt; quid in hac, re ratione veri ejus ſubjecti, inſtrumenti, & formalis rationis, comminiſcantur nonnulli recentiores, monſtrant exempla omnium oculis expoſita: pleroſque tamen poſt *Carteſium*, ex illius mente, præter *materiei* internas conditiones, *motuum* etiam reſpectus ſolerter æſtimantes, notiſſimum eſt calorem interpretari pro *corpuſculorum tenuiſſimorum*, *celerrimo motu verticillari*, circa ſui axem, adeoque *ſituali*, non locali; immanente, non *progreſſivo.*

Huic inquam motui, *celerrimo*, *circa ſui axem*, cum exquiſitiſſime velificetur *affrictus progreſſorius* celerrimus, peripheriæ talium corpuſculorum, ad aliud quiddam ſive *rigidum*, ſive in ſimili aliquo *motu* conſtitutum: horum *prioris* vero generis exemplar, nobis exhibeat, *pulſus*, ſub calore febrili infallibiliter *celer:* attribuimus hinc evidentiſſima, non tam *probabilitate* quam *demonſtratione*, *hujus pulſus* efficaciæ, *caloris* conſecutionem.

Cum ſupra dicto jam ſatis remoto tempore anno 1684. exercitationem collegialem *phyſiologicam*, frequenti ſtudioſorum coronæ adornarem, novatoriam ex aliquorum mente, ſententiam propoſui, *quod ſanguis per reſpirationem mechanice incaleſcat.* Cauſam adſcripſi, *celerrimo* ejus tranſitui, quem hic longe præter *pulſus* energiam, a *preſſione* diſtenſoria aeris & pulmonum, experiatur; & modum *motus calidi* ſimul pro confirmatione *theoretica* adhibui: ſicuti *practicam* rei veritatem, exemplo omnibus hominibus familiari, *motibus* poroſarum partium *incaleſcendi*, illuſtravi.

Ex his poteſt affatim diluceſcere, quod hanc ſententiam, *calorem in ſanguine promoveri* motu *ejus* locali, quem *inteſtinus citatus* ſequatur, perpetuo & aluerim, & proſecutus ſim. Monſtrant illud vero tanto magis ſcripta, a me, in illuſtriſſima hac academia, mox ab acceſſu meo edita; ubi quidem, quod hanc *caloris* ætiologiam attinet, inprimis in diſſertatione de *mechaniſmo motus ſanguinis*, ſpeciali theſi hanc rem egi; in illa vero, quæ inſcribitur de *æſtu maris microcoſmici*, ultima theſi hanc rem ſimiliter indigitavi.

Tradidi etiam hoc prolixius, diſcurſibus privatis, atque theſibus M. S. S. quas tam in *phyſiologia*, quam *pathologia*, pro memoria auditoribus meis proponere, atque diſcurſu ulterius exponere hactenus conſuevi.

Verbo: *eſt* hæc mea, *fuit*, & *erit* ſane conſtans atque perpetua, theſis, quod *motu* ſanguinis *locali* concitetur motus ejuſdem *inteſtinus;* non ſolum *fluiditatis*, verum etiam *caloris:* & ex hac ſententia deduco demonſtrative *neceſſitatem* caloris *febrilis:* non aliam tamen, quam *conſequentiæ*, i. e. quod motum ſanguinis directe *febrilem localem* ſecretorium & excretorium *auctum*, non poſſit non ſubſequi auctior motus *inteſtinus calefaciens*: interim, cum ille *localis* auctior, ad *bonum* finem tendat, moneo proinde, nec ipſum etiam *calorem* pro morbo aliquo, aut ſpe-

ſpeciali, *directo* effectu *materiæ febrilis* haberi atque explicari debere; quod nempe demonſtrandum erat, contra omnes vulgo receptas opiniones contrarium ſtatuentes.

CAPUT II.

Cauſa ſcribendi; veritatis practicæ, a priori & poſteriori aſſertio.

MOnui capite præcedente, quod maxime & quæſiverim, & hactenus ſecutus ſim in theoria *medica* demonſtrationes *reſpectuum mechanico-organicorum*; i. e. quod omnia in corpore humano, quæ in *medici* conſiderationem cadunt, fiant per membra atque *partes*, tam ipſa ſua *conſiſtentia*, quam *ſtructura*, *phyſico-mechanice* hujuſmodi actionibus præſtandis habiles; ſed quod hi actus (nempe uno verbo meri *motus*) ita *dirigi* ſoleant atque debeant, quemadmodum tam ad *conſervationem* corporis, quam ad *ſenſum* atque *motum* voluntarium expedite ſubeundum & præſtandum, *neceſſarium* eſt.

Hoc reſpectu, cum negotium *circulationis ſanguinis* expenderem, exhibuerunt ſeſe intellectui variæ veritates, quarum pleræque ſeorſim quidem *cognitæ*, ſed apud neminem unum adhuc inter ſe *connexæ* occurrebant. Præcipuæ erant ſequentes. (1) *ſanguinem* eſſe humorem univerſalem; (2) conſiſtentiæ *craſſiuſculæ*: (3) *Coaguláſcentis* vel *grumeſcentis*: (4) Præterea in *reſolutionem* ſeu corruptionem *putredinoſam* proniſſimæ: (5) Quæ cum *fermentativa* ſit, i. e. ipſis ſuis intermediis effectibus, nova & magna augmenta capiat: (6) Neceſſe proinde eſſe, ut & occaſio, & fomites ejuſmodi, ipſi perpetuo *ſubducantur*. (7) Ejuſdem conſiſtentiæ *corruptibilis*, gradibus tantum differentibus, deprehendebam etiam eſſe omnes *partes* corporis ſolidas; inprimis *molles*. (8) Poſt hanc materialem conſtitutionem, comparebat porro circumſtantia, quod ſanguis *moveatur*; & quidem *localiter* ſeu progreſſive. (9) *Pulſu* cordis per arterias: (10) Ex his, per ſumme *tenues* canaliculos, in *poros* partium, & ex his iterum in *venas*. (11) Sub hoc *tranſitu* dilabi *fluores*, tam a ſanguine *tenuitate* differentes (12) Quam a ſe invicem pari reſpectu diſtinctos. (13) *Motum* hunc pulſorium, pro tranſpreſſione per tam exiguos meatus, eſſe utique *fortem*. (14) Juvari tamen a partium ipſarum conveniente *tono*; i. e. non ſolum proportionato *rigore*: (15) ſed etiam *motu* hujus toni veluti *fremebundo*, tranſpreſſionem magis immediate proſequente. (16) Conſtabat porro, a poſteriori, ſanguinem motibus corporis *voluntariis* admodum *fluxilem* reddi; (17) ſicut a priori illud declarat *conquaſſatio* rerum coaguleſcentium; tranſpreſſione per *ſpongiam*. (18) Rationi vero conſonum erat, quo vegetius *impulſus* tranſpreſſorius celebretur,

bretur, eo majorem fore, & *promtiorem*, hujuſmodi conquaſſationem: (19) Imo, ſimul eo *penitiorem* preſſoriam *diſpulſionem*, tenuitate majore ad ſeceſſionem aptorum aliorum fluorum. (20) Tandem comparebat attentiori penſitationi, quod etiam ipſius ſanguinis conſiſtentia atque *mixtio*, *continuato* ejuſmodi conquaſſatorio motu, ita reſolvatur, ut ille hinc in *tenerum* atque denuo *diaphanum* liquorem reducatur, qui vulgo *ſerum* dicitur. (21) Qui cum tenerioribus aſſumptorum portionibus, *aqueo ſalino ſulphureis* atque *mucidis*, per varia *emunctoria* e corpore penitus & ultimo ejicitur.

Harum rerum ita fientium, & quidem *phyſico-mechanica* habitudine ſic procedentium, conſiderabam *reſpectus organicos*, i. e. quem *uſum*, imo *neceſſitatem* habeant, in reſpectu ad *corpus animale*, in ſpecie humanum, *vivum* & *victurum*? Sub hac conſideratione dilucеſcebat, quod ſicuti totum corpus unice eſt *propter* animam, & ejus *uſus*; & quidem animæ abſolute *neceſſarium*: ita utique hi omnes actus, ad conſervationem corporis pertinentes, proprie & ultimo, fiant in *uſum* ipſius *animæ*; cum vero etiam dicti hi univerſi actus; proprie nihil quidquam aliud ſint, niſi *motus*; *motus* vero res *incorporea*: videbatur nulla *cauſa efficiens* ipſi commodius aſſignari poſſe, quam pariter *incorporea*. Specialius autem comparebat habitus horum actuum, ſive *motuum* magis *immediatus*, talem *organicam* rationem, ad ſupra dictas illas *phyſico mechanicas* neceſſitudines habere, ut, cum illæ dicto modo conſtitutæ ſint, hic talis *motus* illas & recte *poſſit* ſublevare; Et *debeat* etiam hoc facere; cum utique *neceſſe* ſit, ut totum corpus *conſervetur*, nempe in *uſus animæ*.

Hunc itaque *ſcopum*, nempe *propter* quem omnes illi actus in corpore fiant, dixi eſſe *reſpectum moralem*, *propter* quem agens illud, quodcunque omnes actus (revera tamen generice non niſi *unum*, *motum*) perpetrat, hæc omnia agat. Interim omne illud, *quod* agens hoc agit, *ubi* agit, *media* quibus agit, *res* in quas agit, *effectus* medii qui hinc inde ex his actibus reſultant, quid aliud ſunt, quam meræ res *phyſico-mechanicæ*, nempe materiæ & *motus*?

Itaque cavendum ſane eſt, ne ex alio ſenſu, quam illo, quem tota mea tractatio infert, aſſertio mea pro *metaphyſica*, *abſtracta*, *inſulſa* ſermonibus differatur: quod nempe unice prognaſcitur, ex inſufficiente diſtinctione vocum *cauſæ* & *reſpectus*. Quando enim *cauſa*, pro re valde *activa* mentis fictione aſſumitur; & cognomen *impulſivæ* cauſæ, tanto magis pro *niſu* quodam corporeo explicatur: naſcuntur hinc illi, a mea certe acceptione alieni, metus, quaſi res *metaphyſica*, pro primo & primario *agente* ſupponatur, quod totam *machinam* corpoream, quaſi primus *motor*, agitet atque impellat.

Certe enim, ſi utique *metaphyſicæ* cultores hoc loco appellandi eſſent, inculcarent illi ſtatim; ſevero illo ſuo, & irrevocabili decernendi genere,

quod

quod *finis remotiſſima* ſit cauſa *externa:* quo ipſo ab omnibus *actionibus* immediatis *in organa*, nedum in *materiam*, in perpetuum exulat.

Quemadmodum vero propter hanc dubitationem forte nulla prolixa provocatione opus eſſet, quia non niſi in ſcholaſticas diſciplinas offendit: ita latet nihilo ſecius ſub illa, *fundamentum* veritatis *practicæ* longe ponderoſiſſimæ, videlicet: *Quod omnes illi actus*, *qui vulgo* vitales *dicuntur, non fiunt ſingularibus quibuſcunque*, *&* *inter ſe parum*, *aut nihil*, *commune habentibus actionibus: ſed quod omnes & ſinguli*, ſociam *quandam* connexam *operam mutuam præſtent*, *ad unum* ſcopum, *nempe totius corporis* in ſua mixtione *conſervationem: & quod hoc totum opus abſolvatur* phyſico-mechanicis *aptitudinibus*, *materiæ*, ſtructuræ atque motus: *ſed in illo reſpectu*, *ad illum ſcopum*, *& quidem proportionibus*, *illi* ſcopo *examuſſim quadrantibus.* Id eſt, *propter* illum *finem*, *& juſtis mediis* ad illum finem quadrantibus.

Cum enim hoc fundamentum negligitur, non poteſt ullo modo agnoſci illa medico-practica veritas: *quod illi actus*, *qui ad* conſervationem corporis *ordinarie moderate fiunt*, *ingruente aliqua* majore *conſervationis hujus* neceſſitate *proportionate* augeri *debeant: ut videlicet* extra ordinem augeſcenti *periculo* corruptionis, conſervatoriorum *actuum* augmentum *ultra communem ordinem exæquandum ſit.*

Quemadmodum itaque in theſi, hanc conſiderationem minime negligi poſſe, ſatis apparet; ita diluceſcit illud tanto magis ex hypotheſi: quanto videlicet *modum* hujus conſervationis *ordinarium* & *extraordinarium* recte conſideramus atque perpendimus: eoſque *genere* neque *ſpecie*, ſed ſolo *gradu* differre, recordamur. Diximus ſuperius, quod rem omnem accurate inter ſeſe comparando atque connectendo, *actus vitales*, ſint *motus humorum per partes*, *qui conſiſtentiam illorum debitam*, *ſecretione atque excretione alienorum perpetua*, *conſervant.*

Quotieſcunque itaque *aliena* talia, *conſiſtentiam* humorum temerare atque vitiare apta, in humores, *copia* extra ordinem *auctiore* ingruunt: neceſſe utique erit, *motus* illos *ſecretorios* & excretorios proportionate intendere atque *augere.* Ut nempe hac ratione, (hoc inquam, *mechanico* medio, *motus* ſecernentis & excernentis) conſervatio debita præſtetur.

Cum vero totus ille *motus*, quo ſecretiones atque excretiones. etiam *ordinariæ*, perpetrantur, nullus alius ſit, quam *circulatio ſanguinis*; i. e. *pulſus* & *tonus*: certe *augere* ſecretiones atque excretiones humorales, nihil aliud erit, quam *augere pulſum* atque *tonum.*

Suppoſitis his atque deductis ita *a priori*, facile hinc patet tranſitus & applicatio, ad negotium *febrium*, & quidem vel *κατ' ἄνθρωπον* ſolum conſiderando, *a poſteriori* (1) fit utique in febribus motus *circulatorius* ad ſenſum *auctior*; (2) Sequuntur in febribus, ad ſenſum ſecretiones *& excretiones auctiores.*

Quis

Quis crederet hæc in dubium vocari poſſe? Et tamen vocatur in dubium, quod *motus circulatorius* in febribus *fiat auctior.*

Mihi certe poſtquam *motus tonici* energiam in lucem protraxi, non adeo *a priori* neceſſarius eſt, *pulſus* & circularis progreſſus, æque abſolutus concurſus ad omnes & ſingulas *ſecretiones* auctiores: ſed quemadmodum hodieque, vix pauci ſunt, quos noverim, qui illam rem ſatis perſpiciant: Ita manet nihiloſecius mihi *a poſteriori* quam veriſſimum quod maximam partem *ſecretiones* illæ auctiores, *febriles*, non minus *pulſus* augmento, quam toni moderamine peculiari, revera perpetrentur: cum videlicet utique tale *pulſus* augmentum in illis perpetuo occurrat, quoties & quandocunque ſecretiones *recte* procedunt.

Conſiſtit vero hoc *pulſus augmentum* in ejuſdem *celeritate.* Quæ nempe nihil aliud eſt, quam *impulſus* ſanguinis in partes earumque meatus, *citata* admodum cordis *ſyſtole*, adeo *vegete* atque *intime* factus; ut non ſolum corpuſcula ſanguinis in *inteſtinum* motum citatiorem hinc agitentur; ſed etiam *tenuiora* ipſis interſperſa *heterogenea*, tanto *altius* & *penitius* in *intimiores* atque teneriores meatus colatorios, eo ipſo adigantur, adeoque ſeceſſionis & ſecretionis tempus omnimodo abbrevietur.

Experientia magis, quam conceptus aut intellectus quocunque modo impeditior, reddunt rem clariſſimam. Certe enim vel infantibus notum eſt, quod e *Siphone*, ſi *repentinus emboli* fiat impulſus, ejectio liquoris fiat longe *altior*, quam *tardo* ejus motu. Adeoque comprehendi facillime poteſt, quod, quo præſentior ſit pulſus *impulſus*, eo penitius etiam debeat ſequi *impreſſio* tenuiorum ſeceſſioni aptorum corpuſculorum, in meatus ipſis recipiendis proportionatos.

Cum enim non *præterlapſus*, ſed introitus atque ſtricte loquendo *tranſitus*, proprie præſtet ſecretionem; certe ſolus *frequens appulſus* minime hic ſatisfaceret: ſi non ipſe *celer impulſus*, niſu quodam *obtrudens* ſanguinem, *diſceſſionem* hanc *tenuiorum* portionum, ſub luctante quaſi & coacto, per *brevitatem* temporis, craſſiore ſanguine, eo ipſo inferret.

Quemadmodum autem hæc *celeritas impulſus* ſanguinis, ita *a priori* conſiderando, apta utique eſt, tam (1) ad producendum *motum* inteſtinum *attritorium* celerem; qui immediate *fluiditatis* & *caloris*, mediate etiam *reſolutionis* in ſerum, autor exiſtit: quam (2) ad intimiorem penetrationem ſeceſſionis, tenuiorum partium, ſanguini interſperſarum: cui effectui utrique primario & reliquis ſecundariis, nuda *frequentia appulſus* longe minus ſatisfacere poſſet: ita confirmat tanto magis veritatem facti ipſius, experientia ipſa *a poſteriori*; quæ in illis caſibus, ubi *fluxilitate*, *reſolutione* ſanguinis, & *ſeceſſione* e ſanguine, opus eſt, *celerem* pulſum fieri, ipſi tactui deprehendendum offert.

Jam cum in febribus omnibus *ſecretio* atque *excretio* agitetur; & in pleriſque quidem e ſanguine: aut per ſanguinem: *Fluxilitate* ejuſdem bene ſufficiente opus eſſe, res ipſa monſtrat. Imo vero non hac ſolum; Sed

Sed *penetratione* quoque majore rerum ſecernendarum, in arctiores atque profundiores meatus:

Porro, cum in febribus bene multis, & *reſtitutio fluxilitatis* ſanguinis (diuturna congeſtione circa capaciſſimos ſui alveos ſpiſſeſcentis) neceſſaria ſit; & *reſolutio* portionis ejuſdem *abundantis*, ſubinde non incongrua videatur: utrique vero ſolus & nudus *frequentior* ſanguinis circuitus, ſine vegetiore inſigni intenſione *impulſus* ipſius, *affrictoria*, *attritoria*, *conquaſſatoria*, minime ſufficeret: propterea convenit utique his omnibus reſpectibus *celer* impulſus.

Dum vero ita ſuſcipitur atque celebratur, propter *utiles* illos, imo multos *neceſſarios*, fines, *directe:* conſequitur per *indirectum*, *incaleſcentia* major: nempe tam ſanguinis ipſius, quam partium tenerrimarum, *celeri illo alliſu*, *affrictu*, *tranſpulſu*, *fremitu*, affectarum.

Ut hac ratione *calor febrilis*, ſit quidem *conſequens* neceſſarium *motus* febrilis, ſed non *ultimi actus* febrilis, nempe *actualis* ſecretionis atque excretionis.

Adeoque neque ipſe *calor* ſit febris; neque *directus* & immediatus *effectus materiæ* febrem provocantis: neque a nudo, *proprio* & *abſoluto* inteſtino ſanguinis motu pendeat: ſed ab illo *reſpectivo*, *dependente*, *ſubalterno*, qui *progreſſivum* motum ſequitur: adeoque quod palmarium eſt, hujus, *progreſſivi*, inquam, hujus *motus*, *proportionem* pure ſequatur; hoc *augeſcente*, *augeſcat*; *miteſcente*, *miteſcat*.

Quam neceſſaria vero hæc demonſtratio, ad meam febrium evolutionem mihi ſit, intelligent omnes prudentes æſtimatores; quibus nempe nota ſatis fuerit illa fundamentalis *adverſitas omnium* hypotheſium de febribus, erga meam collatarum, nempe: *quod calor febrilis ſit motus* inteſtinus, purus & abſolutus, *a materia febrili immediate inductus*, *& per irritationem peculiarem cordis*, *provocans deinum motus progreſſivi ſeu pulſus augmentum:* cum mea ſententia afferat: *quod pulſus augmentum ſit unicum utile inſtrumentum*, *quo aliquid*, *ſanguini*, *aut partium vitalium conſiſtentiæ*, *corruptionem intentans*, *aſſidue & tempeſtive ſecernatur*, *& denique*, *imo ſucceſſive*, *excernatur:* cujus tam utilis actus *leve incommodum*, *ſit illa accidentaliter* (ad hos ſcopos) *conſequens agitatio inteſtina*, *calorifica:* cum reliqua *attritoria atque conquaſſatoria*, etiam pariter *modo utilis*, *modo neceſſaria*, exiſtat.

Tanto magis vero neceſſaria eſt mihi hæc deductio, cum ſemper laborem, veras *mechanicas* rationes actuum *organicorum* enucleare; ut adeo recte innoteſcat, quid *motui* quid *directioni* ejus, quid hujus quoque energiæ *in relatione* ad materiæ *conditiones*, competat; adeoque hac ratione tam *a priori*, quam *a poſteriori* diluceſcat: *quod talia non modo fieri*, *ſed talibus modis præcipue fieri*, *utique ſemper utile ſit*, *aliquando etiam neceſſarium.*

Hoc ipſum itaque, *mechanicam*, inquam, talem rationem *caloris* fe-

brilis, ex *aucto* motu ſanguinis, & quidem admodum *celeriter* fiente, indigitavi; *organicam* vero ejus rationem monſtravi, in neceſſario, talibus temporibus, tali motu, propter *ſecretionis* & *excretionis* neceſſarium *augmentum*.

CAPUT III.

Modus ſcribendi; pro theſeos confirmatione, & antitheſeos declinatione.

CIrca modum, res utiles, imo vero maximo opere neceſſarias, proponendi, tria ſoleo obſervare, quin ab aliis jure meritoque exigere. I. Veritatem; II. Claritatem; III. Firmitatem.

I. *Veritas*, complectitur certe ſub ſe plurima, nempe in ordine ad ejus evolutionem & deductionem.

Poſcit enim (1) ejus, qui illam tractare in ſe ſuſcipit, ſufficientem *ſcientiam*. Hæc iterum poſcit, & ſolertiam, ſeu *cupiditatem* ſciendi; & patientiam, ſeu *induſtriam* perveſtigandi; & perſpicaciam, ſeu *capacitatem* pervidendi atque percipiendi.

Poſcit (2) illius, qui illam afferere cupit, rectam *conſcientiam*; quæ nempe reſpiciat, partim *ſeriam* & conſtantem *intentionem*; partim *utilitatis* alicujus promotionem, *communis* magis, quam *privatæ*. Hæc vero certe poſcit *animi* ſimul firmam atque ingenuam *libertatem*, *fiduciam*, *conſtantiam*; ut intrepide agere, multitudinem aut magnitudinem obſtaculorum non vereri, ſed rebus rectis inconcuſſo animo inſiſtere liceat.

Poſcit (3) *Prudentiam*. Ne quis temere pro veritate vendicare properet, quod non ſatis verum habeat & perſpectum. Ne temere deprehenſus, quod hodie *verum* eſſe contenderat, cras ipſe repudiet; aut inanibus certe & in hoc genere contemtis artificiis, *colorare*, plane aliter torquere, & perſuaſionibus *a verace* alienis, niti & uti neceſſe habeat: e quibus rebus omnium *veritatis* amatorum, *veram* & *juſtam* cenſuram, vel experiatur, vel certe mereatur.

Poſcit (4). *Fidem*. Ut *bona fide* agere, ſubſidia ab aliis ſuppeditata, non quidem ebuccinare, aut inepte *deprædicare*, ſed longe minus *maligne diſſimulare*, *diffiteri*, *abnegare*; laboret. Qua certe ratione *veritas mala* fide tractata, non ceſſat deſpicere atque deteſtari violationem ſui, & ſerius ocyus ſeipſam; in confuſionem abutentium, deterere atque manifeſtare.

II. *Claritas*; hæc poſcit *rationem*, *ratiocinationem*, *connexionem*. *Ratio* ſupponit *principia*, e quibus res declaranda percipi poſſit, *nota*, *evidentia*, *vera*. *Ratiocinatio*, deducit ex his prioribus & *notioribus*, *explicando*, &

& applicando; i. e. monſtrat veritatem *generaliter* notam, in *ſpecialibus* rebus & circumſtantiis, facile & juſta ſubſumtione ſeu *applicatione*. Quod ipſum tamen, quando ita magis *ſigillatim* perfecit, colligit *plurium* quoque rerum & reſpectuum, mutuos *nexus*, ut inde veram ſociam conſpirationem, atque *unitam* denique efficaciam, demonſtret.

Hæc omnia ſi ita recte & ordine peracta ſunt, nullus eſt metus ne qua difficultas nova evidentiæ demonſtrationis umbram offundat: ſed manet facile, res vera, ita deducta atque declarata, conſtans, invicta, & inconcuſſa.

III. *Firmitas* tamen in propoſitione, tractatione, atque aſſeveratione, rerum verarum, ſeriarum, utilium, omni modo conſervari debet. Quando enim res & in ſe *vera* & *utilis*, & *clare* ſatis indigitata atque deducta eſt; intereſt tam publicæ rei, quam privatæ, illius a quo profecta eſt, ne temere *veritas* & *veracitas* labefactetur, adeoque tam res in dubium, quam *fides*, *circumſpectio*, *intentio*, *dexteritas*, aſſertoris, in ſuſpicionem vocetur.

Unde omni apud me caret dubio, quin dubitationes, tanto magis vero *incuſationes*, *reprobationes*, *reformationes*, rerum a ſe pro veris, ſeriis, evidentibus, publice declaratarum, confirmatione adverſus dubia, & defenſione adverſus judicia contraria firmare atque fulcire debeat, quiſquis ingenue veritatem, claritatemque aſſertionum ſuarum, & quæſivit & ſtabilivit.

Quemadmodum autem omnia hæc, unicuique de veritatis indagatione ſollicito, antiquiſſima eſſe debere, pro certo habeo; ita incumbere prorſus judicio atque cenſeo, illi, qui *docere*; & rei *veræ*, *utilis*, *neceſſariæ*, alios compotes reddere, in ſe ſuſcipit.

Quid enim *docere* eſt? An fluxas *opiniones*, incertas & inconſideratas *ſpeculationes*, temere auditas *traditiones*, nihil condigne examinatas *experientias*, nihil inter ſe connexas aut comparatas *obſervationes*, aliis communicare? Non oratoriis, ſed ſtentoreis expreſſionibus, omnia in *admirationem* & *ſtuporem* trahere? a timidis & fugitivis ſuppoſitionibus, *videtur*, *veriſimile eſt*, *putandum eſt*, *fortaſſis &c.* ad concluſiones *luculentiſſime* & *clariſſime pateſcentes*, procedere? Quæ uno die dicuntur, & cum *indignatione* in alios *imperitos*, *negligentes &c.* pro melioribus atque evidentibus commendantur, altero *deſerere* atque omittere? Modo hoc, modo illud, imo inter ſe *pugnantia uno eodemque tempore*, arripere atque propugnare? Rebus nondum cognitis ſtatim directe contradicere, diu reſiſtere, tandem convictum ἀπὸ μηχανῆς præpoſteris laudibus efferre?

Nullo modo *docere* hoc eſt, ſed *nocere* veritati, ubicunque fiat.

Ego, quiſquis de reliquo eſſe poſſim, talis eſſe minime mihi conſcius ſum; ſed ſicut hæc omnia viro, imo homini, de veritate locuturo, incumbere, non heri aut nudius tertius, agnovi, penſitavi, memini; ita confidentiſſime omnes meas *aſſertiones*, *ſcripta*, *theſes* & *hypotheſes*, ſiſto

atque profero, ut horum vel *pro me*, vel ſi poſſint *contra me*, teſtimonium perhibeant.

Ante omnia *veritatis*, ſummum mihi & perpetuum eſt pretium; *medicæ* vero veritatis *anxia* profecto & ſumme *ſollicita* æſtimatio: quippe quæ ad *ſanitatis* atque *vitæ* tot hominum, & *conſcientiæ* medici periculum, directe pertineat, ſi contemnatur aut negligatur.

Hanc ſane *medicam veritatem*, ſive ignava *conſiderandi* atque *penſitandi* negligentia; ſive cæca & inconſiderata *empiriæ credulitate* atque *ſecuritate*: ſive ambiguorum *eventuum* pro directis *effectibus* interpretatione, & inde debitorum *ſoſtrorum* avara exactione; ſive reperire, ſive ſtabilire, nunquam confiſus ſum.

Facilitatem illam, imo *luculentiſſimam evidentiam* artis hujus, imprimis e receptis *hypotheſibus*, ſemper negavi; *defectibus* laborare graviſſimis, tam circa τὸ ὅτι quam τὸ διότι, *hiſtoriam*, *ætiologia*, *experientiam*, indeſinenter inclamavi: *Latentes* has difficultates, hinc inde detexi atque indicavi: *ſemitam* per invia hæc evadendi, ſpeculatus ſum, & *indigitavi.*

Multa, vel plane non prolata ab aliis, vel ſine ullo ſcopo obiter deſignata, vel alienis ſubſumtionibus adhibita, in hunc uſum congeſſi, produxi, collegi, coordinavi: confeci hinc varias *deductiones*, quas, ſi veritatis ſtudium pro arrogantia mihi non imputetur, *demonſtrationes* appellare non dubito.

Egi hoc ſemper, cum illa cura, intentione, atque circumſpectione, ut nihil frivole, temere, atque præcipitanter, ſive producerem, ſive ſubſumerem, aut concluderem.

Obtinui, hac intentione, & illi conveniente methodo agendi, hoc *veritatis*, ſub Divina benedictione, documentum, ut nihil eorum, quæ vel ipſe in uſum produxi, vel notiora, uſui theoriæ medicæ adhibui, explicationibus, applicationibus, connexionibus, illuſtravi, adeoque peculiari plane ratione mea feci, *nihil*, inquam, horum, in hunc uſque diem, *retractare*, *deſerere*, *alia*, nedum *contraria* priſtinæ meæ ſententiæ, aſſumere, aut variis operoſis diſtorſionibus, *aliam* verbis meis *mentem* affingere, opus habuerim.

Ταυτολογίας commiſi plurimas; ſed non ſtricto ſenſu, nempe in ordine & ſerie probandi, una eademque: feci vero illud, id eſt, dixi ſæpius, aliis aliiſque occaſionibus, rem unam eandemque, ut ſub variis aſpectibus, variis reſpectibus, tandem forte perciperetur. Cramben recoctam dixeris; meritiſſime: ſed illis apponebatur, qui digni erant his ferculis: imo ne quid, cum comico illo, objicere poſſent, neque allio parcebam, neque ſali.

Ἀντιλογίας qui commonſtrare poſſit, eum & audire geſtio, & videre: pudori merito tunc erit, veritatis, non tam *inquiſitionem*, quam *demonſtratioem*, *docendo* utique, profeſſum, mihi ipſi ſuiſque ſententiis leviter

ter contradicere. Provoco, ut horum quidquam mihi commonſtretur.

Petitiones principii, ego ſcio quid ſint; & paratus ſum, exemplis hinc inde in ipſa medicina moderna occurrentibus hoc monſtrare. Ex *meis* autem ſcriptis, velim ut mihi proferantur talia, ubi *per illud ipſum*, *quod in quæſtione ſit*, *probationem perpetrare* ſuſceperim.

An unquam quidquam *alienum*, nedum quod ab altero, ſuo jure atque optima fide, jam pro *ſuo* propoſitum eſſe noviſſem, pro *meo*, *publice* aut privatim, *expreſſis verbis*, aut tacite ſolum, geſſerim aut produxerim, cupio inſimulari.

Ita profecto per Divinam gratiam, in negotio *veritatis in doctrina medica*, nemini niſi demonſtranti concedo, quod quicquam, *neglecto* tantæ rei *pondere*, præcipitanter, *leviter*, *improvide*, *negligenter*, egerim; multo minus alios aſpernatus hodie, cras ſectatus ſim: ſententias meas, contentioſe prolatas, tacite repudiaverim: adeoque contra *veritatem*, ſive inquirendo, ſive deducendo, ſive docendo, impegerim.

Hac ratione *ſcripſi* hucuſque, & *docui*, res *medicas*; hanc methodum ſervavi, inquam, *a priori*, qua theſin ipſam. *A poſteriori*, & qua hypotheſes diverſas, non tam a mea theſi, quam a *veritate* alienas, quam quam methodum ſervaverim, ediſſeram.

Dixi ſuperius, & repeto, quod *medicinam* habeam & agnoſcam pro tali ſtudio, quod non *negligenter*, *obiter*, *indifferenter*, conſiderari aut tractari debeat. Sed quod omni animi intentione, ad quantam poteſt ἀκρίβειαν perducere, quilibet allaborare debeat, qui nomen ſuum huic addixit.

Exigo in hoc negotio a quolibet, vigilantiam *conſcientiæ* ſuæ, ut in re non ſolum *ſanitatem*, ſed ſubinde *vitam* hominum concernente, *ſerio* in illud conniti meminerit, quod huic ſcopo favere, eumque promovere poſſit.

Quicquid autem animi circa has res *levitatem*; *inconſiderantiam*, *imperitiam*, ſapit, illud, ob tam *ſonticos* eventus, qui falſis ſuppoſitionibus neceſſario ſuccedunt, ſevere detegendum atque refellendum eſſe, omni modo cenſeo.

Libertatem ſentiendi, imo *opinandi*, in rebus minoris momenti, nemini hominum dubiam facio. Neque propterea etiam in hoc ipſo, *tanti ponderis* negotio, cuiquam opinionem ſuam *eripere* laboro: tanto minus, ullius perſonæ aut reliquis rebus, quidquam detrahere cogito.

Interim *liberam*, ſententiarum *falſarum*, in *medica* re venditationem; *veriorum* contemtum atque reprobationem, in *doctrinæ medicæ* continuandum detrimentum: omni modo moleſte fero, eique rei non niſi coacto animo me ſubmittere poſſum.

Arbitror autem ipſa *conſcientia* mea me impelli, ad hanc rem *ingenue* atque *intrepide* peragendam, cum non *libere ſentire*, atque opinio-

nibus indulgere, ſed *docere*, hactenus, volente Deo, meum tulerit *officium.*

In hoc officio, an *opiniones* vagas auditoribus meis prædicare; ab *inutilibus*, contra omnes regulas impingentibus *traditionibus*, deſignandis, omni ſtudio abſtinere: *veritates* iſtis neceſſario adverſantes, propterea *reticere:* aut ſecus *obtrectationis*, & *ſuppreſſionis* famæ alienæ, notam in me admittere, debeam, tantum abeſt, ut quæſtionem moveam, ut potius,

Hæc mihi ſi Delos Dodonaque diceret ipſa,
Eſſe videretur vanus uterque locus.

Ita enim omnino *docenti* incumbere, quilibet intelligit, ut non ſolum *theſin*, ſed etiam *antitheſin*, auditoribus ſuis, non otioſe audire ſolum *narrationes*, ſed diſcere atque comprehendere *doctrinas*, cupidis, tradat; *theſin* firmet, *antitheſin* evolvat atque refellat.

Interim negare non poſſum, quod varias cauſas atque circumſtantias, quas utique prudens & harum rerum peritus quiſque facile æſtimaverit, me hactenus remorari paſſus ſim, ut magis *theſi* meæ proponendæ, quam *antitheſi* excutiendæ operam dederim.

Licet enim *antitheſis* ſit valde communis *magno* ſententium *numero*; reſpectibus tamen privatioribus plurimum ab ejus juſtis enucleationibus mihi temperavi: niſi ubi nimis quam craſſi, & in *medicina* quidem, *errores*, tangendi erant, ubi brevibus ſane rem expedire conniſus ſum.

Cum vero & ipſæ *antitheſes*, hinc inde manifeſto *experientiæ facto* refellerentur; imo contra illam, plane craſſis modis impingerent: Et *deductiones*, contra *proponendi* atque *ſubſumendi* rationes, frequentiſſime adeo evidenter offenderent, ut modo plane alienis *reſpectibus* ſumenda, imo ſumpta, pro *directis* concluſionibus formandis adhiberentur: modo e fugitivis, & non magis merito, quam manifeſto ſibi ipſi diffidentibus ſuppoſitionibus, per *videtur*, *veriſimile eſt*, *probabile eſt*, introductis, tandem audacter *concluderetur*: non potui ſemel iterumque, quin adeo illegitimam poſitionem, ſuppoſitionem, concluſionem, ubi locus ferebat, deſignarem atque leviter perſtringerem.

Ipſæ profecto tales gratuitæ ſuppoſitiones ſunt ſæpiſſime ejus indolis, ut ſi vere expendantur, aut juſtis atque debitis *ſubſumptionibus* examinentur, & inter ſe comparentur, adeo *ineptas* ſententias conficiant, ut ſine ullo additamento ridiculum quiddam ſiſtant. Interim apud omnes revera recti judicii viros, & practicam philoſophiam tam intelligentes, quam exercentes, certus ſum, longe humanius ſemper haberi, ineptas res ridere potius modeſte, quam caperata fronte & cenſoria ſeveritate, triſtibus indignationibus caſtigare. Sicut etiam, qui ſaltem terminos intelligunt, ſtatim docebunt, quid interſit inter odioſos atque contumelioſos *ſarcaſmos*, & leves *ineptiarum* alicujus rei *internarum* indigitationes.

Si-

Sicut autem profecto apud omnes recti animi atque conſcientiæ viros, non poterit non juſtiſſimam indignationem mereri, ſi certum reddatur, rem, *vitam* atque *ſanitatem* hominum concernentem, non illa quanta utique debet, & animi intentione, & ſubſidiorum debitorum juſto apparatu, *ſerio* & *indefeſſo* labore perquiri; ita juſtam omnino judicabunt, animadverſionem, qua tales defectus cum omni moderatione, & ſi rem recte æſtimes vere ſuperflua, ab illis ferentibus occaſionibus hinc inde tangantur, qui ea, quæ afferunt, ſolide ſtatuminare atque probare, omni momento & promtiſſimi ſunt per Divinam gratiam, & paratiſſimi.

Quod vero in re *medica* hodierno tempore hæc ita fiant, id eſt *nulla firma atque ſolida doctrina ibidem vigeat, ſed innumeræ fluctuantes atque inconſtantes opiniones atque ſpeculationes prævaluerint*, exemplo utique eſſe poteſt luculentiſſimo, non ſolum magnus numerus plane *diſcrepantium* hypotheſium, in ſcriptis proſtantium; ſed tanto magis illa in vulgus nota, *medicorum* ſigillatim *diſcordia* ad lectum patientis; ubi alius hoc, alius aliud *morbi genus*; alius hanc, alter aliam *cauſam*: alter unam, alter diverſam *methodum*: alter hoc, alter aliud *medicamentum*: alter clam, alter palam, ſupponunt, ponunt, urgent, defendunt. Aut denique alter ad medicamentum *univerſale*, alter ad *arcanum particulare*, totam ſuam ſpem dirigit.

An hic quoque ſarcaſmi ſunt? An hic etiam effectibus indulgeo? An orationis vitio hæc ita male ſonant, an ipſius rei? Vera hic ſunt an ficta?

Confirmat hoc, quod dixi de *incertitudine* medicinæ, cujus emendationi omni modo inſudare deceat, ipſa *hypotheſium* medicarum *mutatio*, & aliarum aſſumptio. Res profecto omni laude digna, & ſi ingenue fiat, ingenuitatis animi documentum, quo nullum majus in hoc genere poſtulari queat. Interim omni modo irrefragabile *teſtimonium*, quod ſcientia noſtra non debeat aſpernari *admonitionem*; non præceps *adverſum* judicium, de rebus nondum perſpectis, decernere: *theſes* non explodere, quarum *hypotheſes*, ſolidis deductionibus recte atque ordine ex illis deductæ, diſplicere non poſſunt: tanto magis, ſi *mutata* ſententia, atque ſenſus approbatæ alienæ, cum illa quæ merito deſeritur, *e diametro differat*: verſetur præterea circa negotium longe *maximi* & plane præcipui in medicina *ponderis*.

Quamvis autem injuſtum minime ſit, de illo, quem in variis rebus, quibus nullo modo contradicere, neque velis, neque quiſquam alius poſſit, nunquam ſubleſtæ fidei obnoxium deprehenſum ſcias, liberaliter præſumere, quod fortaſſis etiam in illis, quæ nondum exquiſite perceperis, nihil *imprudenter* aſſeveraturus, & ſcientiam, aut qualemcunque de ſua induſtria opinionem, frivole proſtituturus ſit; nihilominus nemo hominum ſuper hoc fundamentum pure *credulam* fidem ab ullo alio exegerit.

Sed

Sed hoc bono cuique viro enixiſſime utique cavendum eſt, ne, cum *promiſcue fidem nudam* adhibere, merito cavet, in peſſimum *oppoſitum* abreptus, fidem poſitive *detrahat*, non dubitet, ſed *neget:* non diſſentiat, ſed *contra ſentiat:* non in medio relinquat, ſed *refutet:* non pro incerto, ſed *erroneo*, non tractet, ſed *declaret* atque judicet.

Ego quanquam honorum & emolumentorum, vel uſque ad contemtum mihi hinc plus ſemel intentatum, de reliquo negligens ſum, hujus tamen rei utique me profiteor tenaciſſimum, ut nihil temere dicere aut facere in me ſuſcipiam, cujus non & ipſe certus ſim, & quemlibet rectæ rationis atque demonſtrationis compotem, pariter certum reddere poſſim: unde tanto conſtantiorem atque firmum reddit animum, quod ullius falſæ aut retractandæ ſententiæ, conſcius mihi nequaquam ſim. Nec tamen quidquam humani, ita ſuperbe a me alienum eſſe contendo, quin admittam, poſſe fieri, ut aliqua etiam meæ ſententiæ laborent: Quod ſimul atque re ipſa commonſtratum fuerit, me quoque reformationi illarum promitto paratiſſimum futurum.

Hanc itaque hactenus ſervavi methodum, in re tam *ſeria*, medicâ *doctrina* non ſolum illuſtranda, ſed etiam *docenda.* Opinionem ullam *privatam*, uni cuiquam propriam, raro admodum tetigi; cum tamen numeroſiſſimæ occurrerent, quæ, niſi ingenui certe aliqui intuitus interceſſiſſent, non magis poterant, quam juſtis reſpectibus debebant evolvi, *quid* & *quomodo* ponant, inferant, concludant, cohæreant, ſibi conſtent, & quid uſus aut abuſus ad *medicum* ſcopum afferant, commonſtrari. Interim minime inficior, quod, quicquid in hoc negotio, tacendo atque abſtinendo præſtiti, ſolius *publici* commodi gratia, nullius vero privati commodi, aut *perſonæ* reſpectu fecerim, niſi quantum humanitatis conditionem ſæpe numero placide perpendi, & fundum e quo talia fluunt, ſatis agnoſcens, huic etiam aliquid tribuere, neceſſarium duxi.

Ego ſane neque jam amplius annis, neque obſervatione experientiæ civilis, adeo jejunus ſum, ut non optime reminiſcar & agnoſcam, quod audaciſſimo hoc cœpto, immenſum quantum invidiæ mihi non poſſim non conflare, quod *doctrinam* medicam æque atque *praxin*, fundamento firmo deſtitui, imo loco illius nihil niſi *opinionibus* & *tentaminibus* indulgeri, monere atque aſſeverare non deſiſtam; quod *ſemitam* aliquam ex hiſce tricis evadendi indigitem: quod *phyſicam*, quatenus corpora *inanimata* (eorumque *individualem* habitum, ſeu corpuſcularem:) & *neceſſitatem materiæ* abſolutam conſiderat; *medicinæ*, quæ *ſtructurarum* atque *organicorum* effectuum, *rationes*, longe plurimum attendere neceſſe habet, non modo parum prodeſſe, ſed etiam, ſuppoſita illa efficacia *pure materialiter* neceſſaria, obeſſe poſſe, ſi juſtæ conſecutiones formandæ ſint, non tam afferam, ſed demonſtrem (videatur diſſertatio de *motu humorum ſpaſmodico*, cap. 13. & propemt *quis bonus theoreticus malus*

lus practicus) quod receptiſſimas illas traditiones, quibus recentior medicina tota innititur, *pathologiam falſam*, *figuras determinatas pororum*, *tempora* morborum *fermentationibus*, motus extraordinarios a ſtimulatione, imo *pulſione*, *materiarum* acuminatarum ſuſcitatos, eoſque ut pure *paſſivos*, *tumultuarios*, *impeditos*: verbo, omnia unde *materialiter*, & ad corpus *paſſive*, explicata, ſupervacua eſſe aſſeverem: &c. His omnibus inquam jamdudum utique prævidi; nihil aliud me reportaturum, quam *odium* illorum, qui partim talibus delectantur, partim alia percipere non poſſunt; partim audire, atque in animum admittere non volunt: *Indignationem* (nam *invidiam* dicere indignarentur) illorum, qui in fundandis, ornandis, commendandis, locupletandis talibus, toti hactenus fuerunt; hæc talia docuerunt & inculcarunt, imo indies firmiori conſtantia, inconcuſſa ſervare certum habent. Imo *dedignationem* univerſi chori illorum, qui in talium magiſtrorum verba juraverunt, & non niſi pro *temeritate* interpretantur, quod unus homo, tantis & talibus dictis atque factis in dubium vocandis, ſatis audaciæ habere poſſit.

Apud tales habent utique tantundem ponderis, quantum reliqua ſancta autoritas, cenſoriæ illæ, ſed non *Romanæ*, nedum *Catonianæ*, expreſſiones: quod auſus unius hominis, tam pulchro conſenſui tot tantorumque autorum, *incertitudinem* aut *defectum* aliquem imputandi, nihil aliud ſint, quam inciviles illorum *accuſationes ignorantiæ*, *mendacii*, *imprudentiæ*; quod *demonſtrationes* contra illas allatæ, & commonſtrationes *abſonarum* conſequentiarum hinc pullulantium, nihil aliud ſint, quam *ſugillationes*, *traductiones*, *ſarcaſmi*, *contemptus*, *convitia*: quod *theſeos*, cum talibus *antitheſibus*, etiam generaliſſimis, *comparationes*, ſint irrequietæ *rixandi libidines*, *altercationes* & affectus laceſſendi: quod demonſtrationes & *rationes*, quibus *unius* hujus, qui omnes alios *contemnat*, opiniones nitantur, nihil ſint, niſi *obſcuræ ideæ*, *phantaſia regnans*, *evagationes intellectus ultra limites*: tota denique *intentio* nihil aliud, quam omnium aliorum *contemtus*, *ſumma invidia*, *contradicendi ſtudium*, *famæ aliorum ſupprimendæ machinamenta*, *philautia*, *arrogantia*, *faſtus*, *ambitio*.

Interim, quicquid horum ſit, habeo nihilominus etiam hoc inſuper perſpectiſſimum, quod per Divinam gratiam ſuperſint etiam, imo iſtorum numerum facile ſuperent, quibus *rerum* talium recte conſiderandarum atque expendendarum, & voluntas & facultas, non paucis etiam *perſonarum* ſufficiens notitia, morumque & indolis illarum cognitio ſuppetat. Qui ſane ab illis præconiis florentiſſimi hodierni ſtatus medicinæ longe abſunt, & circumſpecta atque ſollicita praxeos adminiſtratione, differentiam pathologiæ *clinicæ* & *ſcholaſticæ*, therapiæ *medicæ* & *phyſicæ*, praxeos *dogmaticæ* & *empiricæ*, ſatis compertam habent; neque tam de aliis quam, de propria ſua experientia, cognitum atque perſpectum habent, quid ſit, & quanti momenti, & unde dependeat, illud a practicis non

imperitis profectum: *Negotii alicujus therapeutici adminiſtrationem judicio medici relinquere.*

Hæc utique nota mihi atque comperta talium virorum circumſpectio, facit inſuper habere omnes illas difficultates, & talibus nempe bonis viris, ſanius judicium tam de *rebus* meis, quam *intentionibus*, earumque juſtiſſimis rationibus, promte & liberaliter permittere.

CAPUT IV.

Objectum ſcripti, theſeos & antitheſeos comparatio.

Dixi capite præcedente, iterumque dico, quod ab hypotheſibus cuicunque uni propriis, non ſolum in genere abſtinuerim, ne illis directe examinandis aut refellendis operam darem; ſed etiam, ubi occaſione theſium mearum, aliquid tale tanquam *antitheſin* aliquam attingere, res ipſa ferebat, breviter, & vix unquam juxta meritum, perſtrinxerim: At meæ hypotheſes non expertæ ſunt idem fatum.

Fuerunt inter harum præcipuas: (1) Quod ſanguis, in genere *incaleſcat motu inteſtino attritorio*; (2) Quod calor hic *augeſcat* ab hujus inteſtini *motus intenſione.* (3) Quod hic motus inteſtinus *calefactorius*, pendeat a motu ſanguinis *locali ſeu progreſſivo.* (4) Quod hujus caloris *augmentum*, pendeat etiam ab *augmento* illius *progreſſivi* motus.

Duas primas harum theſium communes habeo, cum omnibus recentioribus: *Tertiam*, ad minimum *ante me* cum nemine quantum ego quidem novi; *Quartam*, in terminis iiſdem, dubito ſimiliter, an cum ullo communem habeam licet in genere omnes illam concedant.

Theſis *prima* infert proprie: Quod calor ſit *motus inteſtinus*; ſeu corpuſculorum aggregati alicujus plurium, juxta ſe invicem, *motus celerrimus*: & quidem, ex propria ſua indole, *immanens*, (ut corpuſcula *ſitum* quidem ſuum perpetim, *locum* vero non æque mutent) *progreſſivus* vero non niſi e reliqua mutua habitudine *ſubjectorum* in quæ cadit.

Motum hunc concipiunt atque deſcribunt vulgo, tanquam *verticillarem*, i. e. talem, quo corpuſculum aliquod ſive ſphæricæ ſive cylindricæ figuræ particeps, circa axim ſui celerrime agitetur.

Huic *ſpeciei* motus; ex omnibus legibus motus, nulla promtior contingit incitatio, quam ſi contactus *movens*, fiat in *peripheria* corporis movendi.

Huic concitando, apprime utique quadrat *affrictus cum progreſſu* locali, peripheriæ talium corporum, ad aliquid firmius alliſorum.

Tale quid ſunt, & præbent, meatus atque pori, *fibris rigidioribus* vallati, imo ab his ipſis efformati.

Quando vero, a tali *affrictorio* tranſitu quantumcunque *celeri*, calor ita naſci poteſt; infallibilis utique eſt conſequentiæ, quod ſi tranſitus illius *celeritas augeri* poſſit, neceſſario calor ipſe, ſeu motus inteſtinus attritorius celer, tantundem *augeatur.*

Has

Has theſes, vel potius hypotheſes ſuperiorum theſium, *a priori* ita certas, confirmat experientia *a poſteriori*; dum omnibus fortibus tranſpreſſionibus ſanguinis, *celeriore* inquam ordinarii progreſſus impulſu, *augeſcit* ſtatim ad ſenſum *calor* ſanguinis. Uti notum eſt ex motibus *totius* corporis, aut unius vel alterius *membri*, *rigidioribus* & *velocioribus*.

Imo, ex ipſa *reſpiratione*. In qua quidem pariter, magis *mechanicum* actum, fortis, rigidæ atque *celeris* propulſionis, non vero *admixtionem* aliquam materialem demonſtrabilem, cujuſcunque rei ex aëre, *cauſam* hujuſmodi *caloris* eſſe, monſtrat hæc ipſa incaleſcentia, tantundem *in aliis* corporis *membris*, quam in *pulmonibus* cooriens, ſi ſanguis per ipſa pari vigore adigatur.

Cum itaque hæc theſium & hypotheſium ſeries, ſibi recte conſtare videretur, ſubſumebam, legitima certe connexione, quod, *ubicunque tranſitus* ſanguinis per meatus arctos præter ſolitum *augeatur*; ibi eadem proportione *augeſcat* etiam *calor*.

Cum autem in *febribus*, *calor* utique notorie ita augeſcat; ſimul vero, pari manifeſto ſenſu, *motus ſanguinis* localis increbeſcat: applicui jure meritoque huc etiam, hanc mechanicam *augeſcentis caloris* rationem.

Notum videlicet, non ſolum ab antiquiſſimis uſque temporibus exiſtit (certe enim primi febricitantis, eadem in hoc genere fuit conditio, quæ erit poſtremi) ſed ſciunt hoc etiam balneatores & fœminæ, quod *febre* affectorum *pulſus*, longe magis *commotus* deprehendatur, quam ſanorum hominum: ſicut etiam ipſius *reſpirationis*, non quidem æque inſignis, ſenſibilis tamen, præter ſolitum, increbeſcentia, una concurrere obſervatur.

Sicut autem hoc a nemine quod ſciam, in dubium vocatur; excepto pauciſſimorum ſenſu, qui *pulſus augmento febrili* ſanguinem tamen non moveri opinantur: Ita non percipiunt omnes, uno eodemque modo, veram illam indolem *augmenti* hujus, quo *pulſus* in febribus afficitur.

Promiſcue quidem omnes dicunt, *citatiorem*, *velociorem*; eſſe pulſum; Sed cum pulſus *duobus* modis *citatior* atque velocior contingere poſſit, quæ diſtinctio in omnes homines promiſcue & immediate non æque cadit: propterea non niſi peritiores, atque diſtinctionum talium intelligentes, rem hanc accuratius diſcernere in ſe ſuſceperunt: *medici* nempe, non magis nuda praxi atque *tactu*, quam theoria atque *judicio* de rebus ſenſualibus inſtructi.

Hi, *medici* inquam, declaraverunt facile *duplicem* in pulſu febrili *velocitatem*; unam ipſius *actus* ſive *motus*: alteram *ſucceſſus* plurium *motuum*: *Primam*, quando videlicet *pulſatio* repentino ictu abſolvitur, vocabulo rectiſſime congruo, appellaverunt *celeritatem*. Alteram, quando *ſucceſſus* numeroſorum pulſuum, ſine *mora* notabili inter ſingulos intercedente, perpetratur, nominaverunt *frequentiam*.

Harum *velocitatis* in pulſu differentiarum exempla, in praxi deprehende-

derunt ita diſtincta, ut *frequentiæ* quidem præſentiam, in variis caſibus obſervarent, v. g, commotione *corporis*, *curſu*, aut *labore*; commotione *animi*, *terrore*, *timore*, præſentaneo *gaudio*: Imo a cauſis minus manifeſtis coorientibus *palpitationibus cordis*. *Celeritatem* vero ita *febribus* familiariſſimam animadverterunt, ut in his certiſſima atque individua præſto ſit comes: cujus rei manifeſtiſſimum exemplar ſiſtunt moribundorum talium patientium pulſus *intermittentes*; ubi, licet in *intermiſſione* unus integer pulſus deſideretur; ille tamen, qui intermiſſionem poſt ſe admittit, nihilo *languidior*, aut *diuturnior* hinc obſervatur, quam ſinguli præcedentes, aut ſinguli denuo ſubſequentes. Quod idem etiam valet de pulſu ſaltem *inæquali*, in febribus; qui videlicet, ſolius *frequentiæ* ſeu *ſucceſſionis* ratione atque menſura, non vero pulſationis ſigillatim modulo, inæqualis exiſtit: id eſt, pulſus quidem *ſinguli*, *celeri* impulſu fiunt; *ſucceſſus* vero ita variat, ut plurimum quidem pulſus pulſum, ſine notabili *mora* intercedente, ſequatur: Interdum tamen duo, tres quatuor pulſus, notabiliter variante *intervallo*, ſe invicem ſequantur.

Imo, poteſt hujus rei quilibet homo quantumcunque *ſanus* experimentum ſtatim in corpore ſuo facere, ſi, ſive ita uti ordinarie pulſus ejus ſuccedit, ſive quando ab aliquo motu pulſus increbuit, arteriam propriam tangens, tam pulſationis *durationem*, quam *intervalli* inter ſingulas menſuram, attendat, & hinc *profundam plenam reſpirationem* hauriat, eamque languide iterum exhalet: ubi utique pulſationis ipſius nullam majorem *tarditatem*: *Intervalli* vero inter tres quatuor pulſus deinceps, notabilem *moram* ſeu *raritatem* facile deprehendet.

Imo vero, quem hominem poterit fallere diverſitas, qui ſuum ipſius, & e contra febricitantis pulſum, vel ſimul, vel ſtatim deinceps, apprehendit; utrum uterque tantundem temporis inflatione arteriæ duret: an vero ſanus *diutius* febrilis brevius?

Sed non libet, rem ita apertam prolixius in theſi deducere, cum & argumenta, & experimenta in diſſertatione nupera de *pathologia febrium in genere*, abunde propoſuerim, & in prægreſſa diſput. *de hiſtoria febrium in genere*; quæ, uno verbo, eo redeunt; quod *celeritas unice de tempore* ſeu *duratione*: *frequentia* unice *de numero*, ſtricte dicantur: *celeritas* de *actu abſolute ſigillatim* conſiderato; *frequentia* de *ſucceſſu* actuum *inter ſe invicem*, intelligantur.

Totius rei irrefragabile argumentum præbet *pulſus inæqualis*, quomodocunque capiatur. Vel enim datur pulſus *inæqualis*, vel non datur; Si datur, verſabitur *inæqualitas*, vel in *duratione* pulſuum *inter ſe invicem* comparatorum: ubi alius *celerior* erit, ſeu *brevius tempus* durabit, alius ad ſenſum *tardior*: aut verſabitur in *intervallo* ſucceſſus, ubi alius *alterum ſequetur*, minore alius majore *intervallo*; adeoque utroque mo-

do

do tanto facilius æqualitas *durationis* ſingulorum, ſive *celeritas* dilatationis, ipſo tactu deprehendetur.

Declarabit vero cuilibet totam rem quam præſentiſſime, paulo ante commendatum *experimentum* in ſeipſo perpetrandum, per *reſpirationem profundiorem* inſtitutam.

Ex hiſce univerſis confieitur ſententia mihi ſoli hactenus propria, *quod febrilis calor dependeat a motu ſanguinis progreſſivo aucto*, & quidem *ſpecifice*, qua *febrilis*, ab ejus *celeritate* & hoc *mechanica* ratione, proprie & ſtricte dicta.

Cæterum ſemper, ego quidem, *calorem* hunc, magis pro *neceſſario conſequente* febrilis motus, habeo; quam pro neceſſario *concurrente*, & toti febrili actui, (nempe a me pro ſalutari agnito) quicquam directæ efficaciæ *contribuente*. *Febrilis* vero actus veram & *eſſentialem* efficaciam, pono in proportionata, tempeſtiva, & ſtricto ſenſu matura, *reſolutione*, *ſecretione*, *excretione*.

In quo quidem, ut breviter hoc moneam, mea de febribus ſententia, diſtat ab aſſertione illorum, qui generali aſſertione *utilis eventus* me utique anteceſſerunt, nempe *Campanellæ*, *Helmontii*, *Sydenhamii*.

Statuunt hi utique, quod febris ſit *bellum naturæ adverſus morbum*, *excandeſcentia archæi*, *ſpirituum* &c. contra *inimicum* humorem. Sed de *cauſis* hujus inimicitiæ; de *habitu materiæ* morboſæ ad conſiſtentiam & phyſicam indolem *corporis*, *ſanguinis*, *vitæ*: De *actuum febrilium*, *phyſico-mechanica* efficacia & proportione, ad hæc præoccupanda: de *modo* hujus negotii in effectum deducendi: De *temporibus* his rebus proportionatis: de harum rerum manifeſta *ſpecifica* habitudine, per *ſpecies febrium*: de his tantum abeſt, ut hi quidquam ſolidi, & quidem *mechanici*, (*motus ad materiæ* directi proportione) vel ſuſpicati ſolum ſint, ut potius vel pure *phyſicas* generaliſſimas *correctiones*, vel magis pure *tumultuarius* fortuitas *exturbationes*, vel *inorganicas electivas* neſcio quas tractationes, hinc inde magis ſuſpicarentur, quam proſequerentur deducerent, atque illuſtrarent.

Manſit hinc immedicabilis illa difficultas & confuſio, ut nemo horum (quam tum vis etiam longiſſime omnium progreſſus eſſet *Campanella*) diſcernere poſſet ullos *actus*, imo vix ullos immediatos *effectus*, revera ita *activos*; a reliquis νοσηροῖς, ſive effectibus ſive eventibus, *paſſivis* ſymptomaticis, morborum nempe *qua morborum* conſequentibus. In quo quidem labyrintho, profundiſſime omnium implicitus hæſit *Sydenham* dum e *fermentationibus* eluctari impos, nihil niſi id unum, ſed generaliſſime, & profecto magis pure *empirice* hinc confecit, quod *excretiones* febriles, præſupponant certum tempus præparationis, ſeu *deſpumationis*. Unde etiam longe magis in *corrigendo* ſeu *alterando*, quam poſitive, & cum *directis* regiminibus atque *intentionibus evacuando*, totam ſuam therapiam proprie ponit.

Hac, inquam, ratione, *propria* penitus mihi eſt hucuſque ſententia, quod non ſolum *febris in genere* tendat ad conſervationem corporis; ſed quod hoc ipſum faciat *motibus activis*, *ſecretiones* & *excretiones* convenientes *mechanico-organica* aptitudine partium, & directionum, *ordine congruo* perpetrantibus. Quod hi motus ſint *pulſus* & *tonus*: quod horum anima quaſi ad bonum eventum ſit debita *directio* ſecundum *tempus*, & *locum* proportionatum: *effectus* vero poſitivus, *ſecretiones* & *excretiones* magis, quam ullæ *alterationes*, niſi in ſolo ordine ad ſecretionem & excretionem.

Ad hunc cenſum reduco evidentiſſime, omnes circumſtantias, quæ vulgo *ſymptomata* vocant, febrium; oſtendo, quod nihil ibi *tumultuarie*, *impedite*, (ex parte febris ipſius,) *inæqualiter*, fiat: verbo, omnes circumſtantias febrium *in genere* & *ſpecie*, explico ex hoc, & applico huic, fundamento evidentiſſime.

Totum hoc propterea merito moneo, ut intelligatur, quid proprie velint, & cujus valoris ſint illæ obſervationes: *jamdudum hoc dixit Campanella*, *quod febris ſit res utilis.* Dixit, ſed quomodo probavit? Veteres in univerſum dixerunt, ſapientius utique & peritius, quam omnes theoretici recentiores, quod in febribus aliqua *pugna ſit naturæ cum morbo.* Sed quis inde aliquid profecit? Imo ruſtici & plebs ipſa, jamdudum æque obſervarunt, quam medici, vix per mortes experimenta attendentes, quod febribus, *motibus* & vulgo dictis *ſymptomatibus febrilibus*, nefas ſit directe & immediate reſiſtere, eaque præcipiti auſu extinguere; ſed quis inde prudentior evaſit, circa *cauſas* hujus rei?

Quid vero magis intempeſtive, ſi aliqua eſſet conſiderantia, dici poterat, quam ubi ſermo eſt de *modo*, quo febris corpori *unice* ſit ſalutaris, *ſecretione atque excretione*, *Campanellam* autorem citare: ſcilicet quia ille de hoc *unico modo* jamdudum ita locutus eſt. Neque ille ſolus, ſed etiam *alii*, forte plurimi. Quis vero eſt, præter illum, cui alibi in hoc ipſo negotio contradicitur, qui unquam dixerit, quod *nullus alius* modus, *indagari atque excogitari* poſſit, ſanguinem præſervandi, quam *ſecretio* & *excretio*. Dixitne hoc *Campanella*? Profecto, ſi *nullus alius* modus excogitari poteſt, nihil cogitant illi, qui non per *ſecretionem* & *excretionem* hic proceſſum formant, ſed per *alterationem*? Nempe per *calorem*, quo mediante cauſæ morboſæ *ſubigantur*, *corrigantur*, *quantitate peccantes calore expellantur:* unde in omnibus morbis, ubicunque *motus in bonum finem a natura inſtitutus* concurrat, etiam *exceſſivus calor* obſervetur: &c. Hæc ſane *Campanella*, quod ego abunde ſcio, pariter ita ſentit, & *calorem* pro primario organo *correctionis* materiæ & *unius*, nempe *tranſpiratoriæ*, excretionis, producit: Sed qui fit, quod his locis nulla ejus adhibeatur mentio: illic vero, ubi non modo nihil *melius*, ſed nihil *aliud*, excogitari poterat, quam (ſine ulla mentione *caloris*) *ſecretiones* & *excretiones*, fiat ejus mentio?

Sen-

Sententia vero hæc mea, quod febris abſolvatur *mechanico-organica* adminiſtratione *ſecretionum & excretionum*, *auctiorum*: quod hoc augmentum abſolvatur *celeriore pulſu*: quod hoc ipſo augeatur *inteſtinus celer motus* ſanguinis, ſeu *calor*: *mihi propria*, inquam hæc ſententia, non modo *publice* ad *examen* vocata eſt, quod omni modo lubentiſſime concedo; ſed poſt trutinationem breviſſimam, & pluſquam ſummario judicio, *condemnata atque rejecta*, & in eum finem ipſa *celeritas pulſus* negata, itaque aſſertio, quod detur talis pulſus, *confuſionis* notata.

Argumenta in hanc rem non tam formata, quam pleraque ſolum indigitata, ſunt ſequentia:

1. Quod calor *non* ſit *accidens*, ſed vitæ *conſervandæ* utiliſſimus effectus.

2. Quia ab ipſo & *fluiditas* ſanguinis conſervetur:

3. Et *ſpirituaſcentia* ſeu *generatio materiæ* fluidæ tenuiſſimæ *expanſivæ*.

4. Eodem (*calore qua tali*, immediate,) *poros emunctoriorum* ſervari apertos.

5. *Calore* emoliri naturam illud, quod corpori noſtro minetur corruptionem.

6. Calore pugnari contra *læſiones* ipſas & *cauſas* morboſas:

7. Calore *ſubigi*, *corrigi*; *quantitatem* abundantem *expelli*.

8. Unde in omnibus *motibus* morboſis, *a natura* bonum in finem, nempe *ad recuperandum* tranquillum & *ſanum ſtatum* inſtitutis, & *accommodatis*, *exceſſivus* quidam *calor* excitetur.

9. Et quidem *præternaturalis*.

10. Formatur hinc intentio diſpiciendi, *quid* ſit calor?

11. Et a quibus *cauſis* producatur.

12. Prognaſci illum a *motu*.

13. Et eſſe *affectionem* fluidi catholici, tenuiſſimi:

14. Hoc rapido inteſtino *motu* agitatum, *incaleſcere*, ſive *ſenſationem* caloris fibris noſtri corporis inducere.

15. Hanc ſubtilem materiam, in hunc *motum igneum* abripi duplici modo, *α allisione*, *colliſione*, *attritu*, corporum:

16. *β expulſione* violenta e corporibus fluidis & ſolidis, quibus incolat.

17. Confirmatur hoc ultimum, *fermentationibus*, ſolutionibus, *ebullitionibus*.

18. *Attritu* pyritis cum chalybe; & experimento, *perpaucis* noto (exceptis qui legerunt *Borelli c.* 4. *obſ.* 8. *jam a dimidio ſeculo* propoſitam) &c.

E quibus omnibus, & multis adhuc ſuccedentibus, monſtrare, quod monſtrari poteſt, ne jam non ſolum temporis, ſed certe chartæ jacturam faciam, merito dubito: illud tantum deſignans, quod ex his *contra*

tra meam theſin, proprie ſequentia dirigantur, (1) *quod calor non ſit accidens.* Intelligo (quia utique a metaphyſicis contentionibus intentionem abeſſe ſuppono) non quæri, *an calor ſit ſubſtantia an accidens:* ſed affirmari, quod calor *febrilis* non fiat *ex accidenti*; non *accidentali eventu*, i. e., ut ego loquor *nuda neceſſitate conſequentiæ.*

(2) Quod *calor in ſe* & abſolute, ſit primarium inſtrumentum *conſervationis* vitalis; nihil per *ſecretionem & excretionem* (niſi ſolius *quantitatis*) ſed *ſubactionem*, *correctionem*, tam cauſarum quam jam factarum læſionum, omnia præſtans. Nempe contra meam ſolius, & fundamentalem aſſertionem, quod *ſecretionibus & excretionibus* hæc directe & principaliter peragantur; quæ motu perpetrentur: quem *calor* ſequatur. Quam pure approbatam vide *diſſ. de diarrh. in febr.* §. 16.

(3) Quod *motus morboſi*, a natura inſtituantur, & accommodentur ad ſanum ſtatum recuperandum; & *calor præternaturalis exceſſivus*, huic uſui adhibeatur. Cum ego dicam, quod motus illi *non morboſi*, ſed *morboſæ* materiæ recte *oppoſiti* ſint; neque *calor exceſſivus*, ſed ſane *moderatus*, nempe moderatum & ordinatum motum ſequens, adeſſe debeat, ſi *bonus finis* ſperandus ſit: adeoque minime omnium, motus, *medico* ſenſu, *præternaturalis*: *calor* vero, mihi quidem, ex accidenti *præternaturalis*; ſed qui non ab illo ut præternaturali, *efficaciam ſanitatis* recuperandæ expectem. Interim notatum hic velim, quod appareat hic quoque agnoſci, quod *calor* illos *motus* in bonum finem inſtitutos, *ſequatur.*

(4) *Calore* ipſo (utique quà tali, *immediate*; adeoque tanto magis, quanto magis tali) *poros* emunctoriorum ſervari *apertos.* Cum ego, & univerſalis experientia, moneamus, *calorem*, ut moleſtum accidens, potius impedire hoc poſſe & ſolere; ad minimum nullo penitus modo, quatenus *morboſum* p. n. *exceſſivum*, in talibus morbis, hoc promovere: Quod vel tonſoribus & fœminis notum eſt.

(5) Hinc autem §. 8. panditur ſcena; ubi *examinanda* venit, notabilis illa quæſtio: an *caloris* in *corpore* noſtro cauſa, quærenda ſit in *celeriore progreſſivo motu* ſanguinis. Quæ nempe eſt ſolida, *propria*, *mei unius* hucuſque, quod aliter non ſcio, theſis.

(6) Fit ex *examine* primo *dubitatio*; an ita *cito & plenarie* hoc concedi poſſit; quia nullum proſtet exemplum, quod motu *fluminum* progeneretur *calor.* Ubi certe merito pigeat non addidiſſe, ad minimum pulchre apophthegmaticam alterius, pari ἀκριβείᾳ dubitantis formulam: quod aqua, quandiu velis *in ſimpulo agitata*, nunquam incaleſcat &c. Sed neſcio quomodo oblivio inceſſerit, de ſanguine *factum ipſum* negandi, in exemplis *curſus*, *motuum reſpirationis*, & *pulſus* ſub his *auctioris*, immediate antea allatis: aut ad minimum facti illius *aliam rationem* ſubjungendi.

Quo

Quo certe non præſtito, quid poterat magis *ἀτόπως* ſubjungi, quam verba immediate ſequentia: *his deductis* &c.

(7) Progreſſus hinc fit ad *novas* poſitiones. Supra numero 15. noſtræ computationis, ſupponebantur *duo* modi, quibus, quicquid primo & immediate calor fieri debebat, hanc affectionem ſubeat; (1) *colliſio*, & mutuus impulſus corporum; (2) *expulſio violenta* e corporibus:

Hic adducuntur novi modi; *vehementia* imprimis: & *varii modi. Vividior & vehementior* motus, *ἀπὸ μηχανῆς*.

(8) Subjungitur *ſulphurea* craſis ſanguinis, quam experientia probat; ſed minime, quod *ſulphureitas* ſit miſcela *ætheris, terræ & acidi:* quod ſane eſt *cœlum terræ & ſumma imis* miſcere: additur: magna portio tenuiſſimi *ætheris in poris* ſanguinis: ſed huic utrique nulla additur probatio, unde non dictum habendum interpretor.

(9) Niſi forte *reſpiratio* de qua dicitur, quod *videatur* eo collineare, hoc probare debeat. Sed merito vereor ut probet; cum illæ particulæ *ætherea*, tam craſſo actu, nulla veriſimilitudine conquiri debeant, quia jam ſponte, per theſin primam omnium, etiam *ſolidiſſimorum poris* atque *interſtitiis* interſperſæ, & ad omnes poros ſponte & libere penetrandum, promptiſſimæ eſſe debent: uti videmus (ſiquidem ſecundum hanc hypotheſin res procedit) quam cito vitra penetrent. Unde ſane adhuc inducor aſſeverare, quod fruſtra reſpirationis efficacia hic in ſubſidium trahatur: & fruſtra allegetur *Williſius*, *Truſtonius*, *Schwammerdammius*: tanto magis proprium experimentum publicum; nempe *in hoc genere:* nam ſi *æther* impulſus fuiſſet, ſanguis, ex hypotheſi, *incaleſcere* debuiſſet. Unde cum ab *aere*, quod vix ruſticus in dubium adduxerit, ad rem quæſtionis, *ætherem* ejuſque incaleſcentiam nulla ſit connexio, hæc ipſa etiam pro non dictis habeo.

(10) Et eodem plane loco iterum merito pono ſubſequentis theſeos 11. eandem cum theſi 9. certe graviſſimam *ἀσυλλογιςίαν*, verbis: poſtquam itaque ſufficienter *demonſtravimus . . . materiam ætheream ſanguini perpetuo ac jugiter mediante reſpiratione* communicari &c. Nam a τῷ *videtur* theſeos 10. ad τὸ *ſufficienter demonſtravimus*, peſſima eſt conſequentia, pro damnandis aliorum ſententiis.

Cæterum ut ex intricatis rebus aliqua emergamus, tota hac ſcena nihil aliud agi debuit, quam ut inferretur (1) *Sanguinem habere talia principia*, quorum intuitu *poſſit incaleſcere*, ſeu *motum caloris* ſuſpicere; (2) quod illud ſanguinis *principium ſit æther:* qui etiam ſupra §. 4. ibi, jam abſolute appellatur *calidus;* eſt enim revera nihil aliud, niſi *ignis elementaris* peripateticorum.

Jam vero aliud adornatur ſchema. Ubi, ut e multis gratis dictis, ad rem noſtram propius pertingamus, hæc maxime inſunt. *Movens* aliquod, cujus magna quantitas in *ſanguine calido* inſit, efficere in organis *motum*, quo fluores corporis *progreſſive* agitentur, & conſerventur:

 qui

qui *motus*, fluorum *progreſſivus*, partim ad nutritionem, partim ad ſeparationem inutilium heterogeneorum perquam neceſſarius ſit, & adeo merito *vitalis* dicatur.

Statim ſubjungitur, quod *hoc impulſu* ſanguinis *progreſſivo*, *inteſtinus* etiam illius motus promoveatur. (Dictum etiam erat, in prioribus lineis §. *præced. ibi*, quod *motus inteſtinus calefaciens*, *increſcat* motu *impulſorio*, *attritorio*: & quidem *impulſu externo*. Sicut in ipſa prima facie procemii, quod per *motum* tam *inteſtinum*, quam *progreſſivum*, *calor* neceſſario producatur.

Producuntur ibi *pulſus*, & *reſpiratio*: tanquam *motus* tales, *promoventes calorem* ſanguinis.

Ulterius, ſunt verba ſeq. §. *ad calorem in ſanguine efficiendum* accedit *preſſio atque attritura* ſanguinis, cum partium *fibris ſolidis*; unde *quo rigidiores & anguſtiores* ſint tubuli, & *magna velocitas* tranſitus, eo *major* fiat attritio, colliſio, *calor*. Concluditur §. Quod *validus pulſus*, vehemens & frequens, *reſpiratio* citatior, *partium ſolidarum frictura*, præſertim ſub exercitatione, *teſtentur* de majore calore, & *citatiori circulatione ſanguinis* per tubulos.

Quandocunque itaque *pulſus* fit *citatior*, *reſpiratio citatior*, fit *ſanguinis calor* major.

Sed fit progreſſus §. ſeq. ad calorem *præternaturaliter augeſcentem*. Itaque videtur inferri debere: quod ab hactenus dictis cauſis, ſanguis tantum in *ſtatu ſ. n.* incaleſcere poſſit: ſi vero *ſtatus p. n.* incidat, quod tunc non ſolum ab *aliis* cauſis calor arceſſendus ſit: ſed etiam antedictæ cauſæ caloris *ſ. n.* ſi vel maxime in *ſtatu p. n.* adeſſent, *calorem* inducere non valerent.

Sed cum pigeat illis rebus tempus perdere, numerum vero offenſionum irrevocabilium inire tædeat, potius ad rem, quæ *meam hypotheſin* concernere debebat, tranſeo: lectorem ſolum breviſſimis monens; ut cum illa hypotheſi, quæ §. 17. 18. proponitur, conferat *compreſſionem* partium corporis a *ſeſſione*, *decubitu*, tam ſimplici, quam cumprimis *duriore*, *ligaturis* fortioribus, *ſcirrhis*; & ibi quærat illos effectus talium inæqualium progreſſum ſanguinis, *exceſſivum calorem* &c. Sicuti cum *neceſſitate* maxima *caloris ad vitam*, vitam *piſcium*: cum neceſſitate caloris ad gignendos *ſpiritus*, energiam *motus animalis piſcium*, &c. Neque enim *ſophiſticationem* agnoſco in illis verbis: quod per *motum*, qui dicitur eſſe *vita*, calor neceſſario producatur; non ut accidens: ſed *ut neceſſarius quidam vitæ conſervandæ* utiliſſimus *effectus*.

Cum enim hæc *neceſſitas*, hoc ſenſu, tribuatur vitæ *conſervationi*; id eſt, quod calor hic ſit neceſſarius *ad vitam conſervandam*: ſane captioſe ageretur, ſi e perplexis verbis, ille ſenſus inferretur, quod calor ſit *effectus* neceſſarius, vitæ *conſervandæ*: ſcil. illorum *actuum*, quibus vita *conſervari ſolet*, *effectus*: imo imperite hoc ſenſu opponeretur (neceſſarie

con-

conſequentiæ) *accidenti*, & ad decipiendum, licet non niſi plane ſtupidos, ita perplexo ſermone fucaretur; unde nihil horum ſuſpicor.

Tandem itaque e multis heteroclitis gyris ad §. 16. pertingimus, cujus verba ſunt: " *Provolvimur* (vehementius hoc eſt, quam *abripi*, ,, & *vis* fit inſignis) ad *Examen* illorum ſententiæ, qui arbitrantur, calorem *febrilem* derivandum eſſe, ex ſanguinis *motu progreſſivo celeriore*: - - ,, Exinde concludunt, quoniam in *febribus* utplurimum pulſus eſt *celerior*, ,, & *frequentior*, inſpiratio aucta, *circumferri* etiam ſanguinem, majori ,, cum velocitate, per tubulos arterioſos, venoſos.

,, Ut autem totum negotium accuratius trutinemus, atque *examinemus*, ,, opus eſt, ut de pulſu, *Cui* tota res videtur fundari: (Notetur ſenſus ,, *Ethicus*:) aliquid ſubjiciamus.

,, Notum eſt pulſum *celerem* & frequentem, unanimi fere ſententia, ,, haberi pro *febrili*, ita ut ſignum quaſi eſſentiale & *pathognomicum* ſubminiſtret.

,, Perſpicuum autem eſt, vocabulum *celeritatis* & frequentiæ, *ratione* ,, *temporis* ſi ſumatur, valde coincidere, ſive *unum idemque* eſſe.

,, Cum enim pulſus ſit motus ſpecies, utique non aliæ differentiæ conveniunt pulſui, quam motui: jam autem omnis motus - - - - eſt vel ,, magnus vel parvus: - - - vel *celer ſeu frequens*; & *tardus*, quando ,, nimirum *crebrius vel tardius*, *brevi temporis ſpatio* perficitur motus: vel ,, denique pulſus - - - ratione temporis, aut vehementiæ eſt æqualis vel ,, inæqualis. - - - -

,, Ex hoc itaque fundamento *concludimus*, conſultius pulſum vehementem & frequentem (quam *celerem* & frequentem) febrilem appellari debere; ſi velimus *confuſionem* evitare. Hactenus §. verba ".

Ex his aſſertis, ne charta & tempus prodigantur, lectori (non dico judicioſo, cui enim tantillum utique defuerit!) paucula illa reſpicienda deſigno. (1) an *celeritas & frequentia*, *eodem intuitu* de *tempore* dici ſoleat aut poſſit? (2) An *frequentia* ullo *directo reſpectu* dici poſſit de *tempore*? (3) An illis *reſpectibus*, ſi differant, *celeritas & frequentia unum & idem* ſint? (4) An his reſpectibus differentibus, *frequentiæ* directe opponatur *tarditas*? (5) Quia *vehementi* opponitur hic *debilis*; an affectus in quibus *debilis & frequens* eſt pulſus, aut non dentur, aut non ſint *febres*, & quidnam ſint aliud? (6) Si *frequentia* cum *brevitate temporis* ſit unum & idem, quidnam velit locutio, *crebrius brevi temporis* ſpatio?

Propter cauſas jam modo dictas, non placet illam inſpicere præfigurationem, de impulſu ſanguinis in arterias, *retrocedente*, & tamen *majus ſpatium* efficiente, cutem in *tumorem* attollente: de *crebriore diaſtole* arteriarum, quam ſyſtoles ſint cordis; ſed inter *ſyſtolem* cordis, & *refluxum* hunc crebeſcente: de inſultu particularum ſanguinis *juxta ſe poſitarum*: de impetuoſa attritura *ruborem* pariente: & plura hujus indolis.

 Mag-

Magnum vero operæ pretium fecerit ſcholaſticus, ſi illa, eorumque reſpectus, in ordinem redegerit: quod ſanguis in magna quantitate circa cor & pulmones congeſtus *anxietatem* efficiat; *quomodo* hinc *reſpiratio* adaugeatur: qua formula *invitetur* influxus fluidi nervei in cor, & ita ſyſtole ejus non ſolum *validiſſima* producatur, ſed inſuper *frequens*: & quomodo hic ſubſit *finis*, rei utique perpetua continuatione *futuræ*, *ut liberetur* &c.

Illud tamen ſine conſideratione dimittere nefas fuerit, quod caloris *ætiologia*, juxta hunc ſenſum, licet utique perperam, nihilominus derivetur *unice a pulſu*; niſi quidem plane fabulam texuiſſe videri debeat. Calor febrilis, inquit, fit a mutuo *inſultu* atque *impetuoſa attritura* particularum ſanguinis *juxta ſe poſitarum.* Ergo ſane, quamdiu ſanguis circa cor & pulmones *congeſtus* & *coacervatus* atque *anguſtatus* fuit, ſingulæ particulæ muro quodam à mutuo contactu diſtinctæ ſint neceſſe eſt; alias enim ita in anguſtum locum denſatæ & coactæ, utique *niſum* illum eluctantis *ætheris* inſignem, merito experiri debuiſſent: præſertim *tanto tempore* quanto frigus febrium durat: aut ſubeſt aliud aliquid, quod particulas illas demum in *motum concitet* (nam hic provide altum *de æthere* ejuſque *niſu* ſilentium obſervatum eſt, ſed quem falleret quæſo, niſi ſtupidum prorſus:)

Hoc itaque, quod particulas (neſcias ſane qua *emphaſi* hoc addi debuerit, quaſi non fieret niſi *hoc caſu*) *juxta ſe poſitas*, in mutuum *inſultum* atque attritum adigit, eſt *pulſus*, ejuſque *reciprocatio* intra arterias.

Licet autem hic merito moneri poſſit, quod in tanta *coarctatione totius maſſæ* humorum ad interiora, adeoque multiplici ſane *reduplicatione* quantitatis ſanguinis *ad capacitatem* vaſorum ordinariam, neceſſario ad ſuppoſitam illam neceſſitatem *retroceſſionis* ſive *reciprocationis* pulſus, eadem *proportio* futura ſit, à *pulſu tardiore* ad *totuplicem* reſtagnationem, qualis *proportio eſſet*, à longe laxiore, diffuſiore nempe (quæ fit ſub inſtatione, rubore, vaſibus maxime conſpicuis) *reſtagnatione*, ad pulſum *frequentiorem*, tempore æſtus: adeoque, ſi ſanguis non niſi in *cutaneis* extremitatibus impeditus, tanto impetu pulſui *retro inſultat*; cohibitis longe lateque & *profunde*, per *totam peripheriam* progreſſibus, totidem utique gradibus fortior futura ſit hæc reſultatio; aut ad minimum *raritatem* hujus pulſus, *proportioni frequentiæ* alterius, non modo æquatura, ſed *prælatura*: idque tanto magis, cum hic tota maſſa, *origini* impulſus, nempe pulſui *cordis*, ſit longe vicinior, ut ita *reſultationis* vigor, e *ſpatio breviori* tanto citatius utique fieri deberet &c. Non tamen eſt, cur hiſce rebus tempus conſumatur.

Quod itaque ex univerſis hiſce ambagibus tandem conficitur, ſunt ſequentes aſſertiones:

1. Quod ſanguis incaleſcat motu; (2) inteſtino, (3) qui augeatur motu progreſſivo, (4) attritorio, (5) per alliſum ad rigidos meatuum pa-

parietes. (6) Nempe in libero progreſſu atque tranſitu per hos meatus ſ. n.

(7) In ſtatu vero p. n. eſſe tranſitum ex aliqua parte inhibitum, (8) dum vero pulſus augeatur, impulſu, (9) & retroceſſione ſeu reſultatione ab extremis cohibitis; (10) ibi particulas ſanguinis juxta ſe poni, collidi, & atteri, (11) adeoque incaleſcere.

12. Sed hoc ipſum ſine dubio ab hoc augmento frequentioris & vehementioris pulſus, & reſultu inſuper ipſum reduplicante.

Suffecerit puto hæc ita recenſuiſſe; ſane vero, qui hæc non capit, non videtur idoneus, cui tria verba ultra dicantur.

Reſervari interim, ad ulterius negotium, ex hac tractatione debent ſequentes poſitiones.

(1) Quod *celeritas & frequentia* de *tempore* dicantur: (2) quod ſint hoc reſpectu *unum & idem*:

(3) Quod propterea plane non debeat nominari pulſus *celer*, ſed ſufficiat *frequentem* nominaſſe:

(4) In *febribus* vero, ſeu febrilem, non eſſe, niſi pulſum *vehementem & frequentem.*

(5) Secus ſi fiat *confuſionem* committi.

(6) Præcipue vero in *febribus* non æque *progredi* ſanguinem pulſu, ſed *reſilire* magnam partem, & efficere in arteriis *crebriorem diaſtolen*, nempe à *ſyſtole* cordis diverſam.

Quantumvis autem totum hoc ineptum examen, & adeo inopinato deſinens, in res, quæ ſane aliud examen expectare deberent; directe & *unice* contra *meam* ſententiam directum fuiſſet, & in pronunciationem *confuſionis* fatiſceret: neglexi tamen facile hujus indolis objectiones, deductiones, & demonſtrationes, neque verbum illis opponere operæ pretium duxi.

Poſt duos annos, habita Diſputatione de *febrium in genere hiſtoria*, ubi non poteram negligere hiſtoriam *pulſus*, paucis verbis dixi: quod quidem differentiam pulſus *celeris & frequentis* inculcare velle *practicis* (quia nempe tales rem ſatis perſpectam habeant) *abſurdum* foret: ſed cum hodie variæ in *theoria & praxi confuſiones* vigeant, e quibus etiam pulſus *celer* cum *frequenti* ita confundatur, ut pro re una eademque venditentur. Propterea monendum h. l. eſſe, quod pulſus *frequens*, variis caſibus *commune* quoddam ſit accidens; *celer* vero *proprius* febribus. *Imperite* fieri ſi hæc *confundantur*, quia plane diverſum *ſubjectum* habeant; *frequentia* ſucceſſum *plurium*; *celeritas* vero, *ſubjectum* habeat *impulſum* ipſum, ejus *brevitatem*, præcipitem actum & *terminationem*, *durationem* brevem. Theſ. ſeq. dixi, quod *celeritas* ſit *primarius* Gnomon *febrilis* pulſus, *frequentia ſecundarius.* Nempe per antedicta, quod *celeritas* vera, *febri* ſit *propria*, frequentia huic cum variis aliis affectibus *communis.*

Parvo poſt tempore, proponitur in publicum, novum Examen, ita

enim habet rubrum Schedarum : pulſuum - - - - *examinat.* Quo *primario ſcopo*, loquitur ſtatim ipſum Prooemium, verbis : " Nonnulli certas ,, pulſuum ſpecies pro *una eademque* habent, cum alii contra diſtinctio- ,, nem harum in praxi, *pernecessariam*, & confuſionem *ſumme perniciosam* ,, urgeant.

,, Pergit : res clara eſt de pulſu *celeri* & *frequenti*, ubi plurimi recen- ,, tiorum *unum eundemque* pulſum (nempe *ſecundum idem*, & pure *reci- ,, proca converſione*) ſic dici poſſe, firmiter aſſeverant : alii contra ,, in praxi *maximum momentum* in horum diſtinctione verſari conten- ,, dunt ".

(Quod quidem aſſertum, ſi de me in his terminis intelligi debeat, quaſi nempe ego *urgeam*, quod hæc diſtinctio *pernecessaria* ſit in *praxi*, & *ſumme pernicioſa*, *in praxi*, ejus *confuſio*, eſſet impudens figmentum : de qua re ſuo loco)

,, *Ornate* vero, & ſane non *ſarcaſtice*, ſed *modeſte* prorſus, exprimitur ,, idem p. 8. quod à ſententia, *frequentem* & *celerem* pro *uno* pulſu æſti- ,, mandum eſſe nonnulli diſcedant, *præſertim*, *qui præ aliis ſapere velint*, ,, & aſſerant, tantam diſtinctionem eſſe, ut practicus illum abſurdum ha- ,, beret, qui vellet hos pro uno pulſu venditare ".

Quæ nimirum eſt, *bona* ſcil. *fide*, allegata *mea* formula, quod *practicis* (nempe hujus rei ipſo tactu *peritis*) hanc diſtinctionem *ejuſque veritatem* ſollicite *inculcare* velle, abſurdum foret.

Hinc fit progreſſus ad inquiſitionem. Poterat ſane nude adduci, apud omnes homines nota acceptio vocum *celeritatis* & *frequentiæ*; quod iſta deſignet *brevem* durationem, *motus*, ut unius, abſolute; hæc brevem *quietem à motu*, reſpective ad *plures* conſecutivos inter ſe invicem : ſed ut omnia fiant ordine, placet etiam teſtes producere. Statuunt itaque ita, uti modo dictum, *Sennertus*, *Fernelius* & *complures* : tandem etiam *Bellinus*, quamvis hic etiam *relative* loquatur : celer pulſus *dicitur* &c. Idem adducitur de *frequenti*, & raro, nempe *reſpectus quietis* inter *plures* pulſus invicem ſuccedentes, ex iiſdem autoribus.

Sed profecto, cum hæ diſtinctiones autorum, *propriiſſime* & *abſolute* de *reſpectu ad tempus* loquantur ; nihil minus expectari poterat, quam teſtimonium ſeu confeſſio, quod *hæc omnia recte* & *rite* ſe habeant (nempe *ratione temporis*) ſed in *motus præſentis particularis*, pulſus, indole, ſaltem ſit differentia.

Conciliabunt itaque qui me feliciores ſunt, aſſertionem pro primi examinis quaſi Docimaſia, & igne probationis examinandæ quæſtionis, poſitam : quod *celeritas*, & *frequentia* quando de tempore dicantur, ſint *unum* & *idem* : cum hac conceſſione, quod ſint *diſtincta*, ratione *temporis*, & *motus* in genere : ſed ſolum non ratione motus *certi*, nempe *pulſus*.

Novæ itaque propoſitiones ſunt hæ (I) Quod in motibus, qui certa inter-

interpoſita *quiete* gaudeant, differentia *celeritatis & frequentiæ*, inſignem & egregium habeat uſum, neque ita invicem frequens & celer debeat *conjungi.*

(2) *Celeritatem & frequentiam non eſſe diſtinctas* res, in *negotio pulſus;* quia pulſus ſit *motus continuus*, qui certa interpoſita *quiete*, *non* gaudeat.

Hic provoco omnes & bonos & doctos viros, ut aut ingenium hujuſmodi, aut genium judicent; ex actis atque probatis tamen.

Illo loco, ubi abolendus erat pulſus *celer*, quia ego ab illo *calorem* febrilem deducebam, (unde non de *pulſibus*, ſed de *calore* erat inſtituenda diſputatio) dicitur, *unum*, *& idem*, eſſe non ſolum *pulſus* celer *ſeu* frequens, quibus hinc *tardus* opponitur: ſed *ipſa celeritas & frequentia*, ſi de *tempore* ſumantur, dicuntur *unum & idem.*

Hic, habet *differentia* celeritatis & frequentiæ, *inſignem & egregium uſum*, & habent ſeſe omnia *recte atque rite*, quæcunque de ipſorum *differentia* reſpectu *temporis*, ab omnibus dicuntur.

Illic erat pulſus *celer ſeu frequens*, *unum*, & *idem*, & *diſtinctio* illorum erat *confuſio*: hic alius eſt ſonus, pulſum celerem & frequentem poſſe *conjungi.*

Ego verbum non addo, ſed tantum has circumſtantias omnium bonorum judicio ſiſto, ut cognoſcant, *quis* in his rebus, & quali *cauſæ ſtatu*, & quibus *artificiis* (ſed quem quæſo fallentibus) ut alteri gravis eſſe poſſit, omnem lapidem moveat.

Quis enim unquam negavit, quod pulſus *frequens* cum *celeri*, *conjungi* poſſit? Quis non diſerte poſuit, quod in febribus hoc utique fieri ſoleat? In quo nam alio, quam illo ſolo, poſita fuit tota difficultas, quod *celeritas* in pulſu ſit aliquid actu *diverſum à frequentia*, quæ aſſerebantur *unum*, *idemque* eſſe; & aſſerebantur, unice ad contradicendum meæ aſſertioni.

Ita enim habent verba, ſupra allegati §. 6. ibi, -- de *pulſu*, *Cui tota res videtur fundari.* Monui ſupra, ſenſum hic ſubeſſe *Ethicum*: nude *Grammatice* diceret, *in quo* fundatur: ſed hoc erat, videbatur unum pro fundamento alterius à me allegari, nempe *celeritas* pulſus *pro cauſa caloris*, *calor* (quem vulgo pure *p. n.* vocant) *pro effectu* pulſus *celeris.* Itaque hæc phraſis adhibenda erat, & res *confuſionis* damnanda, ut hypotheſis, *fundamento* ſubruto fatiſceret.

Prodeat ergo, quia ſane obrepere non poteſt, nova hæc ſuppoſitio, & proferat teſtimonia atque documenta ſui.

Notandum vero iterum iterumque, quod totus labor tendat contra pulſum *celerem*; hujus *formale* ponitur ab omnibus, in brevi duratione dilatationis: *frequentis* formalis ratio, collocatur in menſura *quietis* inter pulſus *plures*: Diſſertatio conſentit, quod hæc omnia de reliquo *recte atque rite* ſeſe habeant, & ſit hujus *diſtinctionis ingens & egregius* uſus:

„ Ex-

,, Excipitur ſolummodo negotium *pulſus*. *Longe* aliter, ait, ſe res ha-
,, bet in negotio arteriarum motus; hic enim motus eſt *continuus*, neque ulla eget *quiete*... minime exiſtimandum eſt, quando poſt.. dilationem arteriæ nullus ictus amplius tactu percipitur, feriari arteriam,
,, & veram intercedere *quietem*.. nulla quies interponitur.. reſilit &
,, movetur introrſum... contractione.. quam rurſus mox dilatatio ex-
,, cipit, Additur exemplum penduli.

,, Jam nova quæſtio oritur; an celeritas & frequentia quando de ta-
,, li motu (etiam penduli) prædicetur, ſit *res diſtinctiſſima?* Hoc, ait,
,, ſub *examinis incudem* revocandum eſt.,,

Proh Deum atque hominum fidem, quantus labor! Jam cyclopes ad incudem! Sed videat Vulcanus, ut ſtans hoc nobis perfectum det negotium; jam ab imperfecto digredi non poterit, quin claudicet.

Expectabam pondera argumentorum, quæ cyclopes nobis ſint, quæſtionem ſuper incudem exercituri; nuſquam gentium,

,, Quandocunque ita, pergit, intra quadrantem horæ, bis, mille pul-
,, ſus medicus in ægrotante ſubjecto annotat, dicit illum frequentem, i.
,, e. naturali frequentiorem: (nempe ante quam bis mille numeraverit,
,, certus eſſe non poterit, quod naturali ſit frequentior) jam ſi alius me-
,, dicus advocetur, & in iiſdem ſubjectis; frequentem nominet celerem,
,, rarum autem tardum; non injuria inde quæritur: Quis verum dixe-
,, rit. Nos reſpondemus, utrumque verum. (*Utrumque* eſtne *unum?* U-
,, trumque verum, an *ſecundum idem?*

,, Nam impoſſibile eſt, cum motus cordis & arteriarum ſemper in
,, ſyſtole & diaſtole ſit conſtitutus, ut pulſuum *numerus* intra tempus
,, exiguum creſcat, niſi quævis diaſtole ſit citatior & intenſior, ſeu *bre-*
,, *viori tempore* fiat.,,

Ego, uti argumentandi & colligendi de reliquo ita impetitus non ſum, ita ingenue tamen fateor, me in hodiernum uſque diem non poſſe perſpicere, quid univerſus hic apparatus tandem ſibi velit, aut conficere debeat: nempe ad propoſitam ſibi ipſi *quæſtionem*.

Totus labor tendere debet contra pulſum *celerem*: hic affertur argumentum a *continuitate* motus pulſorii: *continuitas* hæc opponitur vocabulo *quietis*, ab aliis uſurpato in negotio pulſus *frequentis*: affertur exemplum penduli, adeo ἀτόπως quam quidquam reliquum (quaſi nempe dum pendulum movetur *dextrorſum*, non ſit *quies a pendulo* in ſiniſtro, & contra, i. e. quaſi quia *ſyſtole ſit eſt motus*, & *diaſtole* eſt motus, *ſyſtole ſit diaſtole*; & non potius cum *dilatatio* pro pulſu aſſumitur, *ſyſtole* ſit *quies a pulſu* ſeu dilatatione).

Ex his itaque rebus nullum aliud argumentum confici poſſe manifeſtiſſimum eſt, quam contra deſcriptionem pulſus *frequentis*, in qua vocabulum *quietis* occurrebat. Ut nempe ſit ſenſus: Qui pulſum *frequentem* deſcribunt, menſuram ejus deſumunt a *quiete* poſt pulſationes ſingu-

gulas: ſed nulla datur *quies* in pulſationis negotio &c. (Minorem vel *ſophiſmatis*, vel *ignorantiæ elenchi & diſtinctionis* inter *motum* pulſus, & *ſenſum* pulſationis, notare, eſſet ſupervacuum, cum cuilibet pateat).

Sed hic οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσιον! Annon debebat doceri, (1) quod celeritas & frequentia ſint *unum & idem?* (2) Quod pulſus celer *ſeu* frequens, opponatur *tardo?* (3) Quod celer & frequens pulſus, non ſint res *diſtinctiſſimæ?*

Certe reſponſum illud: *nos reſpondemus*, *utrumque verum*: ut actis & probatis ἀντίπους, ab actis rejicietur.

In hac materia, in hoc, inquam, ſtatu quæſtionis, a nemine hominum attendentur *teſtes*, iterum alteri probationi ſuffragantes, quantumcunque etiam *feliciſſimus* alter (infelix encomium pro practico, *prudens doctus*, *peritus*, expectante) alter *ingenioſiſſimus*.

Enimvero quod alter in hoc negotio fuerit *infeliciſſimus*; alter vero; cui laus ſua quamcunque de reliquo meretur illibata manet, vel hoc non loquatur, vel, ſi ipſius ſunt verba: *multo minus* &c. inaudita conſequentia ad talia teſtimonia, utatur: *celeritas*, in ſtatu *parum* recedente a naturali, non poteſt tactu diſtingui; ergo in ſtatu p. n. (i. e. ubi non *pauxillo*, ſed *multo* celerior quam naturaliter, eſt pulſationis duratio) *multum* recedente, *tanto minus* ſentiri poterit. Utrumque horum aſſertorum inquam, æque atque illud: *Probe hoc notandum eſt*, *unius ictus celeritatem non poſſe per ſe ſentiri*, quoniam *vix* punctum temporis durat: non ſunt niſi *reſpective* vera, nempe reſpectu *concreti*, unius, inquam, hominis præ altero.

Putares de *punctis temporis phiſicis* eſſe ſermonem, qualibus globus e bombarda projectus, *puncta ſingula loci* ſeu diſtantiæ percurrit! Ut major ſit difficultas, dicitur pulſus *vix* punctum temporis durare: i. e. ſane, tres quartas unius puncti, vel circiter.

Primo quæro, annon pulſus hominis *ſani* etiam in hac *duratione*, quæ *celeritatis* menſura eſt, ſit *tardior* pulſu *febricitantis?* Ita ſane medicus, ſi ſiniſtra manu arteriam ſui ipſius brachii dextri tangat, dextra arteriam *febricitantis*, quæritur annon *differentiam* durationis percepturus ſit. Conf. p. 19. ibi: *moderatus* &c. Hic ſane, ſi *unus*, *alter*, *tertius*, dicat ſe non poſſe; nihil contradico: niſi id unum, quod tunc abſtinere debeat, a directo & indirecto uſu nominis, *circa has res*, *ingenioſiſſimi*, *feliciſſimi*.

Secundo, ne utique talia ita in diem & auram dicta putentur, moneo, quod utique in ſtatu *ſano*, illud *punctum* temporis ſit admodum craſſum. Ita in homine *phlegmatico ſano*, aut ſub paroxyſmi *quartanarii frigore*, duratio totius pulſus, æquat durationem, qua aliquis, ſatis articulate non modo, ſed *ſedatiſſime* publice ſermocinans, pronunciaret vocabulum ſpondaicum, *tranſtris*, *fructu*, *ſtirpes*, &c. Imo vero, ſi ſpatium illud, quod poſt *ſenſum* ſyſtoles intercedit, conjungatur, erit

duratio, qualis pronunciationi ſatis tranquillæ reſpondeat vocabuli: *ca. nalis, carina &c.*

Jam ſi in proportione ad hunc typum, offeratur pulſus, cujus rythmus reſpondeat vocabulo: *ſine*, *cito*, *celer*, &c. & quidem tali pronunciatione, quali in familiari confabulatione homo promptæ linguæ uti conſueverit: (talis enim eſt typus pulſus celeris:)

Quæro, an hæc ſint *puncta* temporis, quæ inter ſe ... *comparari* non poſſint; aut *abſolute* quoque non judicari, ſi occurrant, quod priora illa tardiora ſint, hæc breviora ſeu celeriora?

Bone Deus, ſi talia judicare non valeamus, quos conceptus habebimus de motibus *fluiditatis*, *caloris*, *flammæ*, &c. Nempe ita profecto eſt, ut jamdudum monui, quod neque plures mechanicas res aggredi ſuſcipiunt, neque plus ex illis in nudas admirationes, imo fabulas, rapiant, quam tales, qui mechanicorum conceptuum, imo vero ſenſuum, impotes exiſtant. Exemplorum indices ſunt in promptu.

Omnibus itaque his & *ſuppoſitionibus*, & interpoſitis, atque in ſubſidium adductis *autoritatibus*, nihil abſolute ad quæſtionem inferri, manifeſtiſſimum eſt.

Unicum quod tandem hinc reſultat, eſt illud, quod ultima autoritate *celeberr. Schelhammeri* ſtatuminatur; *quod frequens pulſus non ſit citra celeritatem.*

Sed profecto vir hic ſanæ philoſophiæ notorie callentiſſimus, nunquam hæc verba intelligi voluerit, de *uno*, *eodem*, *ſecundum idem*; quod nempe *frequentia* ſit *celeritas*: quod in frequentia qua tali, inſit celeritas ſtricte dicta: quod pulſus *frequens*, *ſecundum idem* ſit *celer:* ſed illud ſolum dicit, quod *frequentia* & *celeritas*, *concurrere* debeant: breviter, quod pulſus non poſſit *ſucceſſu* eſſe *valde* frequens, niſi ſimul ſit *celer* in ſingulis pulſationibus.

Quamvis autem ad *frequentiam* pulſus *abſolute* conſideratam, & quatenus *menſura* ejus, eſt *duratio quietis* a dilatatione, hoc ipſum quoque minime neceſſarium ſit; ſed pulſus, etiam ſigillatim *tardiſſimus*, poſſit *frequens* eſſe, ſi nulla ſenſibilior quies inter ſingulos intercedat: quod de pulſu undulante manifeſtum eſt: valet tamen aſſertio, de pulſu *comparative* & *hypothetice* frequenti, qui nempe intra certum tempus magno numero fiat.

Interim, ut utique innoteſcat, quænam vis ſit omnium ita operoſe allatarum (& in ultimo §. hujus capitis, ibi: *ex eo jam liquido conſequitur*, &c. tanquam pro aliqua *conſequentia* & *concluſione* ruminatarum) differentiarum *motus* in genere abſoluti, & *pulſus* in ſpecie: (ut ſilentio prætereamus, quod utique in terminis ſuppoſitis, nempe *tanta* frequentia, in *omni* motu *abſolute*, duratio *ſingulorum* neceſſario debeat eſſe brevis, adeoque celeritas cum *tali* frequentia *concurrere:* ut adeo

recto

concluſio hæc hujus capitis, æque atque tota tractatio, ſit ſupervacua; ego potius juſta *ſubſumtione* atque *connexione*, inde eliciam illud, quod recte atque ordine inferre & probare debent; & monſtrabo *quod nihil minus probent*, *quam illud cui probando adhibebantur*.

Pulſus dicitur eſſe *motus continuus*, ita, ut inter plenarium pulſum unum, uſque ad alterum novum, nulla vera *quies* intercedat, ſed tantum ultima ſyſtoles contractio ſenſum tantiſper fallat, cui nova diaſtole mox ſuperveniat. Quamvis hoc commentario egeant, ſint tamen ita.

Ex hoc aſſerto, ſequitur *legitima & directa* ſubſumtione: quod celer pulſus neceſſario *poſt ſe trahat* frequentiam:

Probatur: quia pulſus ſe invicem ſtatim ſequi debent, neque quies inter ſingulos intercedere. Quandocunque itaque pulſus repentino ictu diaſtoles, & compari actu ſyſtoles, abſolvitur, poſt actum vero ſyſtoles brevem, nulla quies intercedere debet; ſequitur hinc neceſſario mox novus pulſus ſeu diaſtole: hæc vero ſucceſſus promptitudo, in *pluribus* ſuccedentibus, dicitur *frequentia*.

Itaque probat argumentum de *motus continuitate*, pulſui præ aliis motibus *propria*, ſolum *frequentiæ* neceſſarium ſucceſſum, ſi pulſus ſit *celer*; non vero *celeritatis* neceſſitatem, ſi pulſus ſit *valde* frequens: quæ potius e regulis *motus in genere* fluit.

Perit itaque, perverſo uſu, ſubſumtione, & applicatione, totus nervus argumenti, tam laborioſe producti,

Probo hoc alio documento: pulſus conſtat, juxta mentem diſſertationis, ex diaſtole & ſyſtole; & quidem inter ſe proportionatis, ut celeri diaſtolæ, celer ſyſtole reſpondeat:

Nunquam itaque & nuſquam erit pulſus *ſumme* frequens, niſi *prius* & primario pulſus fiat valde *celer*.

Si enim nova diaſtole, ſyſtolen ipſam *pelleret*, & non tam ſequeretur, quam *inſectaretur*; tunc poſſet frequentia, celeritatem pulſus, quaſi *præſcindendo* a duratione ſyſtoles, inferre:

Sed cum frequentia ſaltim propterea ſequatur, quia poſt peractam ſyſtolen, nulla quies admitti debeat, ut ita *continuitas* illa motus ſervetur.

Quid poteſt hic luculentius diſpaleſcere, quam quod *per vim propriorum argumentorum* diſſertationis, frequentia celeritatem *ſequatur*; celeritas ſit *prior*, frequentia *poſterior*: imo celeritas *cauſa* frequentiæ?

Sed ubi manet jam eſſe *unum* & *idem*; eſſe ſimul *ſecundum idem*: non eſſe *diſtinctiſſima*.

Non ſperabo utique, quod vocabulum: *diſtinctiſſimæ*, loco allegato diſſ. capiatur pro: *disjunctiſſimæ*, *tempore* diverſiſſima, &c. quamvis enim & hoc ipſum *phyſice* verum ſit, poſſet tamen eluſio aliqua ſub

Ooo 2 hæc

hac ambiguitate quæri. Sed ne terminis *metaphyſicis uti*, iterum otioſe accuſer, agam pure *κατ' ἄνθρωπον*.

Si unus *celerrime currat*, alii maximo ſtudio currentem *ſequantur*, ſunt ne *diſtinctiſſimi*, an potius non niſi *unus* & *idem?* Poſſunt ne alii ſine mora *ſuccedere*, niſi prius abſceſſerit ſine mora *prior?* Eſtne locum *ſucceſſori* præbere, & *ſuccedere*, res *diſtinctiſſima*, nec ne?

Quid vero ita manifeſtius dilucefcit, niſi quod tota prior, atque longe major ſit conſideratio atque ratio, pulſus *celeris*, ad inducendam neceſſitatem *ſucceſſus* frequentis, quam ulla *reciproca* energia frequentis, ad circumſcribendum ſive *celerem* ſive *tardum*. Adeo utique, ut niſi pulſus *primo* & primario eſſet *celer*, nunquam poſſet fieri eo ſenſu atque typo *frequens*, qualis in exemplum aſſumitur, nempe *bis mille* pulſuum, intra quadrantem horæ. Et ſicuti nova pulſatio, a prægreſſa utique eſt *diſtinctiſſima*, ita etiam *frequentia* pulſus, ab ejuſdem *celeritate*. Ut adeo tota hæc difficultas plane præpoſtere tractata ſit.

Deprecor equidem omnium bonorum virorum juſtiſſimum faſtidium, quod tales res tam prolixe inculcare non negligam; ſed iſta ſunt tempora, quibus, non adoleſcentes ſcholaſtici, ſed viri, ad *examina* talia citantur: talia *publicis* ſcriptis agitantur hac *methodo:* his *argumentis docetur* publice, quod illi *præ aliis ſapere* velint, qui talia non pro *uno*, ſed pro *diſtinctis* habeant: Ita *probatur* & *concluditur*, quod *diſtinctio* talium, ſit *confuſio:* ita formatur *reſponſum*, quod utrumque (in ſtatu quæſtionis *ſecundum idem*) ſit verum: talibus argumentis informantur *magiſtri*, ne ulterius decipiantur, atque alios decipiant: talia ſunt themata examinum, ad quæ iterato publice rapiuntur theſes docentium: talis eſt incus, ſuper qua vapulare debent aſſertiones, luce meridiana magis conſpicuæ. *Χρὴ σιγᾶν, ἢ κρείσσονα σιγῆς λέγειν.*

CAPUT V.

Tranſmiſſa. Brevis repetitio. Concluſio.

TAntum jam chartæ periit, in perplexis hiſce rebus, luci clariori exponendis, ut merito dubium ſit an plus ejus prodigere deceat. Sane vero non fiet. Sufficiat uno verbo ſolum indigitaſſe, quod hinc inde licentius adhuc oberrent horum generum, quibus alibi ponitur, alibi poſitum denuo evertitur.

Ego pauciſſimis, & breviſſime*, repeto totius negotii *τρόπȣς*.

Cum ego pulſus *celeris*, in *febribus eſſentialiter* præſentis, aſſeverarem (1) *veritatem* (2) *efficaciam mechanicam* (α) *ſecretoriam* (β) *calorificam:* ejuſ-

ejuſque adeo (3) *theoreticam* penſitationem. (4) *medico-pathologicam* tamen, commendarem: (5) ut hinc innoteſcat (α) *theoretice*, *medice*, an *calor* ſit *ipſa febris*, an a *materia* νοσηρᾷ *immediate* pendeat: an vero ab *organiſmo utili*, ſecretorio, ſola *neceſſitate conſequentiæ* pendens, (β) *practice* proinde, non pro *ipſo morbo* haberi debeat?

(Ubi, cum mea *theoria* immediate cum *praxi* conjuncta atque connexa ſit; non poteſt utique mihi temere everti tale ſolidum *fundamentum* theoriæ, quin ipſa ſimul dogmatica atque *rationalis practica directio* diripiatur.

Hæc hypotheſis, ejuſque applicatio *pathologico-practica*, cum abſolute *mea* eſſet, eaque mea inter ſe mutuo *connectere* neceſſe haberem; neque vero (quantum in hodiernum uſque diem ſciam) hac ipſa, ullius hominis opinioni directe contrariari, vel ſuſpicarer ſolum, nedum animo propoſitum haberem:

Ecce trahitur hæc, *mea ſolius* hucuſque, ſententia, ad *examen publicum*. Vocatur vero tota in dubium, duobus membris; nempe (1) an *motus ſanguinis progreſſivus auctus*, poſſit augere *inteſtinum?* (2) An *celer* pulſus ſit *auctus* talis motus progreſſivus?

Ubi de *mea theſi directe* eſt ſermo, negatur abſolute, quod *motus fluminum* poſſit producere *calorem:* quamvis timide, adhibeatur quæſtioni, verbis, *neque hanc in ſententiam* ita cito & plenarie *concedere poſſumus*, &c.

Alibi vero, in eadem tractatione, conceditur prolixe, imo ponitur, quin aſſumitur pro ſuo: quod *calor* non ſolum proficiſcatur *a motu*, ſed etiam *increſcat* motu impulſorio externo, per *cor*, *arterias*, *fibras* muſculares: imo, quod calorem *efficiat* attritura ſanguinis cum tenſis, ſolidis, rigidis, *fibris* partium, .. & quidem mediante *magna velocitate* motus ſanguinis *per ipſas*: qua de cauſa pulſus *validus*, *vehemens*, *frequens*... & partium *ſtrictura*, .. ſub exercitatione & motu membrorum, *teſtantur* de calore ſanguinis *majore*, &c. (Niſi quidem in voce *teſtantur* aliquid μυςηρίȣ latere debeat).

Mox iterum, quia ego has res ad *febris* phænomena applico, monetur, quod hæc omnia quidem vera ſint de *ſtatu ſ. n.* in ſtatu vero *p. n.* longe aliter ſe habeant. Unde negatur mox a limine, quod ſanguinis pulſu *febrili progrediatur*, ... tandem vero negatur plane, quod ſanguis in febre *celeriter* impellatur, ſed ſolum *frequenter:* aut ad minimum, negatur, quod pulſus *celer* & *frequens differant:*

Secundo examine, afferuntur longe plurimum diſſonæ propoſitiones, (&, ſi *ex meis* monſtrari debeant, a fide alienæ imputationes tres ſequentium priores) (1) quod has differentias *in praxi perneceſſarias* eſſe urgeam, (2) illarum confuſionem *in praxi ſumme pernicioſam*, (3) quod afferam, quaſi *practicus* illum *pro abſurdo* habiturus eſſet, qui vellet hos duos pulſus, pro uno venditare. (4) Formatur iterum quæſtio, an non ſint *unum & idem* pulſus celer & frequens? (nec additur deciſio) (5)

ſed an ſint *res diſtinctiſſimæ?* (6) Volvitur res, quaſi aliud agendo, eo, ut tandem concludatur, quod celer & frequens pulſus (non ſint *unum*,) ſed) ſint *una*, ſeu *conjungantur.* (7) Affertur prolixum argumentum, ab hac re plane alienum, (8) utpote *celeritatem* potius pulſus *præcedentem*, frequentiæ cauſam eſſe demonſtrans: (9) Interim verſantur variis τρόποις atque ςρόφοις *formulæ: celer ſeu* frequens, celerem & frequentem eſſe *eundem*, & non eſſe alterum *ſine altero.* (10) Statuitur celer inter *cardinales* pulſus: (11) Stabilitur, quod celeritas in ipſo actu pulſationis conſiſtat, frequentia non (12) *febrilis* pulſus *eſſentia*, ponitur in frequentia: (13) Interim eſt pulſus *frequens ſine febre* (14) ſit vero febrilis, ſi *vehementia* accedit; (15) Quæ videtur, aut ad minimam dubitatur, annon ſit *celeritas:* (16) Cum tamen frequentia *non ſit ſine* celeritate ipſa: (17) *palpitatio cordis* conſiſtere dicitur in pulſu frequente & *languido:* (quem communiſſime etiam audire poſſunt, non ſolum patientes, ſed & adſtantes) &c.

Cæterum, ut ex hactenus agitatis, non arbitror dilucеſcere, quod ego ille ſim, qui *præ aliis ſapere velit*, *aut magiſter deceptus alios decipiens:* Ita nihilo ſecius, ſiquidem optio detur, neminem bonum virum exiſtere ſatis ſcio, quin infinitis ſane modis, malit *præ aliis* ſapere; quam *poſt* omnes *alios ſero* ſapere: imo contemtim obſiſtendo, vix ſpei reſipiſcentiæ locum relinquere. Quemadmodum enim, uti ſupra quoque monitum eſt, *mutatio* priſtinæ *ſententiæ*, *in veriorem atque firmiorem*, tantum abeſt, ut ulli homini fraudi eſſe debeat, ut potius, ſi liberaliter, atque cum ſtudio veritatis, data quod aiunt opera, fiat, ingenui maxime candoris ſit τεκμήριον: ita profecto conclamatæ ſpei eſt, non inquirendo cum circumſpectione, imo ne leviſſimis quidem ſubſidiis adhibitis, rem aliquam, imprimis arduæ conſequentiæ, expendere, & æquo animo veritati in illa auſcultare: ſed tamdiu contentioſe, captioſe, imo cum honoris perſonarum proculcatione, illam inſectari, donec nullum amplius latibulum ſuperſit; & ubi tandem fruſtra reluctando, jugo veritatis ſubmittenda ſit cervix, cum rei amplius non poſſit, aſſertoribus ejus, frendentem atque frementem imminere, eoſque impotenter lacerandi, omnes occaſiones ad ſe rapere, ejuſque rei nullum plane finem ſibi imperare poſſe.

Quod uti a me, per Divinam gratiam, hucuſque longiſſime abfuit; ita omnes viri boni, Deum timentes, proximum diligentes, boni publici, & ſtudii medici (circa ſanitatem atque vitam hominis occupati) juſti æſtimatores, tanto minus vitio mihi vertent, quod dogmatibus meis ſalvandis manum tandem adhibuerim: A me vero, ſi Deus vitam atque ſanitatem largiatur, ſola talia, quæ juſta examina non reformident, expectabunt.

F I N I S.

BURC.

LXIII.

BURC. DAVID MAUCHART,

ET RESPOND.

J. RUDOLPHI CAMERARII

DISPUTATIO

DE

PULSU INTERMITTENTE

ET DE CREPITANTE.

Tubing. Octob. 1748.

PRÆFATIO.

ARteriarum vibrationes illas, quæ pulſus vulgo dicuntur, tam vitæ, ſanitatis, morum & temperamentorum, quam morborum, ſymptomatum, & cauſarum morbificarum, nec non ſubjecti morbi, & cauſæ paſſim, indices eſſe, nemo eſt, qui neſciat, niſi in litteris plane hoſpes. Medicis, a condita fere medicina, pulſus agmen ducit ſignorum diagnoſticorum atque prognoſticorum, adeo, ut nefas ducant hodienum, dimittere ægrum ſine tacto pulſu.

Quanta vero cum ſubtilitate doctrinam hanc de pulſibus excoluerint veteres medici, vel ſolus abunde confirmavit Galenus, qui ampliſſimis non modo commentariis pulſuum naturam, dignotionem, differentias, & præſagia hinc petenda proſecutus eſt, ſed & adeo difficilem longamque hanc artem ſphygmologiæ reputavit, ut (a) ad exactiſſimam quidem & abſolutiſſimam pulſuum cognitionem requiri totam prætenderit humanam vitam. Hinc Th. Fienus (b) celeb. Med. Prof. Lovanienſ. ingenue fatetur, ſibi, licet tot annis jam medicinam facienti, nondum conſtare, quomodo ſenſu tactus diſcerni poſſit pulſus celer & frequens, qui tamen noſtra adhuc ætate a plurimis ſolicite diſtinguuntur. In noſtra olim Eberhardina inclytus Medicin. Prof. Sam. Hafenrefferus (c) pulſuum doctrinam ex harmoniis muſicis operoſe demonſtravit. Sinenſes medici illam figuris illuſtrant, & ſummum artis medicæ extollunt apicem, tot vero næniis obnubilant (d), ut prærogativam, qua Sinenſes in pulſu tangendo pollere laudantur abs Pechlino (e), illis minime, nos quidem, invideamus.

Galeno certe, cunctiſque ejuſdem aſſeclis injuriam non facere videtur Bellinus (f), dum illos vanæ fictionis increpat, tot pulſuum differentiarum, quas nemo Galenicæ etiam ſtudioſiſſimus doctrinæ, in hominum arteriis per tactum poſſit deprehendere.

Nec tamen & hic uſum tollit abuſus. Noverunt enim atque fatentur medici cordatiores & attenti, quam egregie pulſus exploratio ſedula inſerviat paſſim ad detegendos quam plurimos morbos & univerſales & particulares, ad revelandum morbi & cauſæ ſubjectum, ad prædictiones boni malique in morbis eventus. Unde, qui medium tenuere beati, & juſtum huic ſigno pretium

(a) Cl. Galenus libro de pulſibus dignoſcendis primo, cap. ſecundo.
(b) Th. Fienus, Semiotices P. II. c. 8. p. 236. in 4to Lugduni. 1664.
(c) Samuel. Hafenrefferi Monochordon Symbolico-Biomanticum, abſtruſiſſimam pulſuum doctrinam ex harmoniis muſicis demonſtrans, 8vo. Ulm. 1640.
(d) Vid Andr. Cleyer, de medicina Sinica. in 4to. Francof. 1682. à p. 1. ad 38.
(e) J. N. Pechlinus obſerv. 7. l. 2. p. 214.
(f) Bellini, de urinis & pulſibus &c 4. Francof. & Lipſ. 1685. p. 87.

tium ſtatuere ſatagunt ! Non immorabimur ampliſſimæ tractationi de pulſibus in univerſum , ſed primo illum ſaltem , qui intermittens audit , ſub incudem ſic vocabimus , ut per rationes & obſervationes luculenter conſtet , in quantum is pro ſigno , quod communiter venditatur , polypi cordis aut aortæ poſſit haberi : deinde vero ſingularem & hactenus , quantum nobis conſtat , ab aliis nondum obſervatum vel deſcriptum aortæ pulſum in pectore cum ſono crepitationis vel ſtridoris conjunctum , exemplo & ratiocinio illuſtrabimus , variaque adſpergemus de polypo cordis & vaſorum ſanguineorum , nec non de aortæ ſtupendo aneuryſmate , per ſectionem cadaveris detecto. Faxit Deus cuncta bene cedant !

OBSERVATIO PRACTICA.

§. I.

VIr quidam , natione Batavus , robuſtus , procerus , quadratus , ætat. 48. annor. cholerico ſanguineus , militiam ab adoleſcentia ſectatus , tandem aliquam ſtationem in Suevia bellicam conſecutus ſuperiorem, multa tulit , fecitque , & ſtrenuum egit militem in caſtris non ſaltem Martis ſed & Bacchi , Venerisque. Ao. 1722. ad finem Maji curæ Præſidis primum traditus in podagrico levi inſultu , qualis ad finem Julii rediit poſt hauſtam quidem acidularum Teinacenſium curam , ſed commiſſos ſimul in diæta errores : ſucceſſere vomitus acidi , hæmodia , laſſitudo , cum ſubſequo inſultu leviſſimo podagræ in halluce. d. 21. Sept. Laſſitudo, ſomnolentia , venæſectione eductus , ſanguis lardeus. d. 29. Sept. Poſt crapulam pridianam vomitus , aſthma cum metu ſuffocationis. d. 2. Oct. Cardialgia , vomitus , dolores punctorii præcordiorum , pectoriſque. d. 7. Dec. Vomitus a bimeſtri ceſſantes recidivant poſt crapulas cum cardialgia & dyſpnœa. d. 9. Dec. Unicus ſanguinis vomitus, cardialgia. d. 11. Ejuſd. Cardialgia , veſtigia podagræ. d. 12. Ejuſd. veſicatorium halluci per unius horæ ſpatium impoſitum evocavit podagram. In medio pectore dolor continuus punctorius.

§. II.

Ao. 1723. d. 21 Jan. Crapulæ, vomitus acidi. A Magneſia reſtitutus. d. 27 Jan. Vomitus ingeſtorum. d. 15 Febr. inſultus podagræ breviſſimus. d. 20 Febr. Poſita veſicatoria. Poſt conſternationem lipothymia. d. 23 Febr. Cephalalgia , tinnitus aurium , tuſſis , oppreſſio pectoris. d. 24 Febr. Venæſectione ſanguis lardeus : Tertiana continua. d. 28. Vomitus acidi : heri Magneſiæ ℥ii ſumptæ. d. 3 Mart. Bene habuit. d. 5. Car-

Cardialgia: linguæ motus ſpaſmodici. d. 8. Vomitus aſſumptorum. d. 12. Recurrunt iidem. d. 29 Aug. Vomitus: rheumatiſmus nuchæ, pulſus depreſſus: adminiſtrata V. S. ſanguis mucidus, tenax. Veſicatoria ad pedum malleolos internos. d. 30 Aug. Rheumatiſmus etiam brachii dextri. d. 2 Sept. rheumatiſmus circa locum poſiti veſicatorii in pede, reſtitutus hinc, in patriam ad Batavos profectus.

§. III.

Ao. 1724. d. 5 Jun. Vomitus a ſemeſtri ceſſant, ex Hollandia redux vegetus. Jam tuſſis ſtomachica, ſapor acidus. d. 24 Jun. Bene ſe habuit, ſed poſt exceſſus in diæta correptus in platea ambulans vertigine & tractione convulſiva brachii ſiniſtri: ſanguis venæſectione detractus, pleuriticorum ſimilis. d. 18 Octobr. Tuſſis humida, c. rhonchis dies noctesque, continuat. d. 5 Nov. Tuſſis humida & ſpaſmodica. d. 28 Ejuſd. conſtrictio pectoris ſpaſmodica, tuſſis remiſſior.

§. IV.

Ao. 1725. d. 12 Febr. Tuſſis, ſtricturæ præcordiorum totiuſque pectoris, ſputum pituitoſo ſpumoſum, vomitus ingeſtorum acidi, anorexia, macies, nulla febris. d. 26 Febr. Tuſſis ſicca: macies. Dolores remiſere. d. 14 Jul. Podagra utriuſque, tuſſis, dolores rheumatici pectoris. d. 1 Octobr. Tuſſis ſicca, ſpaſtica, c. rhonchis & ſtertore inter dormiendum, macies, ſine febri. Exceſſus in vino continuantur. d. 3 Dec. Tuſſis & Dyſpnœa remiſere, dolores iſchiadici, podagrici, vagi, anxietates præcordiales, vomitus acidi. Crapulæ. *Pulſus depreſſus ſed æqualis*, venæſectio in pede. d. 4 Dec. Jectigationes in lecto noctu. Stricturæ ſpaſmodicæ pectoris. d. 10. Melius habet. Anguſtia tamen & ſtrictura in medio & lateribus pectoris recurrunt. d. 19. Tuſſis aſthmatica c. rhonchis, exſcreatio facilior, ſpumoſa, pituitoſa.

§. V.

Ao. 1726. d. 11 Jan. Tuſſis catarrhalis ſpaſmodica, invaleſcens, molimina podagrica, mitia. d. 21. Tuſſis noctu remiſſior, hactenus expectoratio pituitoſa, hoc mane purulenta, ſtriis ſanguineis tincta. d. 27. Expectoratio hac nocte difficilior, hinc in ſomno expergefactus repente ob metum ſuffocationis. d. 7 Febr. Expectoratio ſubinde cruenta, tuſſis, aliquando per horas durans. Appetitus redit. d. 13. Quotidie melius. Aſthma ſpaſmodicum externum ſubinde recidivat. d. 11. Mart. Tuſſis ſopita, hac nocte rediit, appetitus & ἐυσαρκεια. d. 12 Apr. Tuſſis ferina ſæpe recidivat, ſputum inſtar loturæ carnis tinctum. Macies rediit,

dolores ſpaſtici vagi in pectore. d. 5 Maj. Hac nocte pavores in ſomno, *pulſus plenus*, *celer*, dolor tractorius, & punctorius fere perpetuus inter 3 & 4 coſtam prope ſternum in latere ſiniſtro. d. 27 Maj. Dolores rheumatici, vagi, exquiſiti, in toto pectore, anorexia. d. 30 Maj. Latioribus veſicatoriis in brachiis ſopiti dolores in pectore. d. 5 Jun. Dolores ſpaſtici redeunt exſiccatis veſicatoriis, ſub crebra excandeſcentia. d. 9. Dolores pergunt, accedit ſubinde tuſſis cum exſcreatione ſpumoſa. d. 13. Spaſmodicus ſimul gulæ dolor. V. S. pedis ſanguis cachecticus, veſicatoria in ped. d. 14 & 15. nox melior, dolores pacatiores. d. 14 Jul. Ex itinere redux Præſes ægrum invenit pejus habentem, dyſpnœa & febri tertiana continua laborantem. d. 20 Aug. Poſt moderatum fontis Selterani uſum melius habuit. Sed d. 22 ejuſd. tuſſis reſuſcitata, circa meridiem hodie ſic invaluit, ut catarrho ſuffocativo periturus videretur. Hinc e veſtigio inſtituta V. S. d. 23 Aug. nox ſupra ſpem melior. Calor & dyſpnœa circa veſperam invaleſcunt. d. 25. Duo paroxyſmi febriles diſtincti, circa meridiem & noctem cum deliriis, ſine tuſſi & doloribus. d. 26. Febris remiſſior, ſed tuſſis vehementior, exſcreatio difficilior, tenacior. d. 30 Aug. Heſterna veſpera videbantur extrema imminere. Aſthma, tuſſis, expectoratio muci tenacis purulenti laborioſiſſima ad ſuffocationem fere uſque: *Pulſus a biduo ſæpe inæqualis*: agrypnia, pedum œdema, vires ſupra fidem validæ. d. 2 Sept. Dies intermedii ſubinde tranquilliores; hinc amici & ſenior quidam medicus novam ſalutis ſpem inflabant, mirante vanam hancce ſpem Præſide, & extrema imminere prædicente. Urinam a biduo retinere nequit, ſed in ſubſtratum linteum, bene quidem illam effluere ſentiens, rediit. Alvus naturalis, *pulſus varius*, *utplurimum tenuis* extra tempus paroxyſmi. Sputum hodie denuo ſanguine tinctum, vere purulentum. Hodierno mane melius habere viſus, circa meridiem moritur placide, ſine rhonchis, mentis compos.

§. VI.

Inter hæc phænomena unum ſubinde ultimo vitæ anno accidit *curioſum* atque *rariſſimum*, quod nos certe vel in libris vel in praxi alias nunquam obſervavimus, æger vero aliquoties, medicus ejuſdem, Præſes hujus Diſſertationis ſemel tantum, forte fortuna tum proxime adſtans ægroto, manifeſte auribus perceperunt. Nimirum in medio fere pectoris *internus* quidam *ſtridor*, *crepitanſque motus*, inſtar duorum lapidum ſabuloſorum fortiter confrictorum per aliquot minuta ſecunda, vago, incertoque tempore, ſub vario ægri ſtantis, ſedentis, cubantis, ambulantis ſitu, ſed ſine ægroti dolore, aut alia gravi moleſtia, manifeſte audiebatur. Quæ ipſa res mire commovit ægrotum, ut medico non permiſerit ſaltem, ſed & commendaverit olim inſtituendam corporis ſui exanimis ſectionem, & ſedulam hujus phænomeni cauſæ inquiſitionem. Quæ fuerint toto illo ad-

adhibita remedia quinquennio, brevitatis ſtudio non enumeramus, ad ipſum finem noſtrum præfixum directe non facientia.

SECTIO ET OBSERVATIO PRACTICA.

§. VII.

INſtituta, 18 a morte horis, abs Præſide & chirurgo Molwiz præſentibus mortui Dna. Vidua, Generali Commiſſario belli Dn. de Boldenwein, Conſiliario bellico Dno. Oetingero, D. Seegero, tum Poliatro Stuttgardiano aliiſque, d. 3 Sept. 1726.

(α) Extus in pectore nullum vitium, ſed calor quaſi naturalis, reliquo corpore gelido.

(β) Pulmo dexter undique adnatus pleuræ, ſterno, & diaphragmati, mediante tunica cartilaginea albida: ſiniſter fuit liber.

(γ) Uterque pulmo refertus pure cocto, fluxili e bronchiis copioſe promanante, diſciſſo ubicunque pulmone: dextri vero lobi hic ibi grandinibus ſ. minimis tuberculis & duabus quoque vomicis, obſiti.

(δ) In ſiniſtro pectoris cavo ſeri flaveſcentis unciæ circiter decem, in cavo pericardii parum.

(ε) Cor flaccidum, pallidum: in dextro ventriculo polypus ſeſquipollicem latus, albidus, mucocarneus, ſolidus, valvulis tricuſpidalibus venæ cavæ & columnis illis carneis circa orificium venæ cavæ in auricula dextra implicitus, in utroque extremo, extenſus in venam cavam inferiorem, & arteriam pulmonalem, longiore exiſtente ramo in vena cava: hic polypus tota longitudine ad unam cum dimidia noſtrates accedebat ulnas, verſus extremitates ramorum, in medio albidorum & ſolidorum, adhærebant grumuli ſanguinis.

(ζ) Cordis ventriculus ſiniſter & vena pulmonalis libere patuli erant, ſupra cor autem collocatus omnium oculos, & Doctoris Maucharti præcipue manus ad ſe convertebat ampliſſimus quidam ſaccus mole ſua cor cum ſuo pericardio longe ſuperans, in quo deliteſcens peregrinum corpus ab extra mox tangebatur; ſaccus hic probe examinatus exhibuit ſtupendum aneuryſma arcus aortæ, mox ſupra cor ita dilatatæ, ut duos fere pugnos viriles admitteret; inſimulque in tunicam cartilagineam induratæ, cujus interior ſuperficies cruſta laminaque friabili, aſpera erat obducta.

(η) In ſacco hoc aneuriſmali concluſum polypoſum concrementum, ſeptem uncias pendens, ſolidum, album, planoovatum, quatuor pollices Pariſinos totidemque lineas longum, atque duos pollices novemque lineas latum, adhærens ad latus ſiniſtrum, aortæ, & baſi ſua toti pa-

rieti ſ. lateri inferiori aortæ, in aneuryſma expanſæ, affixum, ut pendulum quaſi eſſet inter orificium aortæ, quod patet in cor & valvulas ſigmoideas, atque inter lumen aortæ ſuperius, quo ſanguinem dimittit ad inferiora & ſuperiora totius corporis. Illud tamen lumen ſuperius, ſive canalis aortæ ſupra polypum collocati orificium non ſtatim oculis ſe ſiſtebat, exempto licet concremento polypoſo, ſed ſanguine grumoſo circumcirca quaſi obturatum erat. Sanguis ergo a cordis ſiniſtro ventriculo propulſus debuit via obliqua trajicere ad latus dextrum concrementi polypoſi.

Diſſectum hoc concrementum apparuit undique ſolidum, durum, conſiſtentia cochleam vel oſtream referens.

(ϑ) Hepatis pars convexa undique diaphragmati connexa: lobus extimus verſus colon macula livida notatus: ſubſtantia illibata: nulli cyſtidis felleæ calculi.

(ι) Lien tunica ſpiſſiore pallida obductus.

(κ) Pancreas paulo durius.

(λ) Ventriculi & duodeni nulla labes: aliqua inteſtina inflammata. Plura vetuit adſtans defuncti uxor.

§. VIII.

Corollaria ex hac obſervatione varia, uſu medico ſe commendantia, facile eſſet deducere plurima: e. g. quibus quantiſque damnis ſanitati vitæque inſidientur aperte & occulte, effectu citius tardiuſve ſe manifeſtante, errores in diæta, exceſſus maxime in vini uſu frequentes, longi, gravioreſque: quam cito & frequenter culina œconomiæ humanæ turbetur, ventriculus nempe cacochymiam acidam, cardialgiam, anorexiam, flatulentiam ructuoſam, nauſeas, vomituſque incurrat, atque ſic e digeſtione & chylificatione vitiata tot propullulent alia & acuta & chronica mala graviſſima: maſſa ſanguinea ſic a principiis vini ſpirituoſis exagitetur, in orgaſmum rapiatur, accendatur, ſerum & lympha coagulentur, partes ſolidæ nimis ſtringantur, indurentur, & ſolida non minus ac fluida à particulis acidis atque terreſtribus incraſſentur: hinc modo inflammatoriæ, rheumaticæ, ſpaſticæ, arthriticæ tenſiones, febrilis intemperies: modo obſtructiones minorum atque majorum vaſculorum ſanguineorum & arteriarum lymphaticarum, glandularum, viſcerum, ipſiuſque etiam phthiſis, cum tuberculoſæ tum ulceroſæ, geneſis: ſanguis craſſus, lardeus quaſi, & per annos tanto minus corrigibilis, quo magis in diæta æger perſtat incorrigibilis, efficiantur: concrementa polypoſa originem & incrementa ſumant: vaſorum ſanguineorum induratio, incruſtatio, oſſefactio &c. &c. ſubſequantur, maxime ſi & flos quaſi lymphæ per exceſſus in venere dilapidetur, ſpirituſque exhauriantur, & animi affectuum anomalia & eccentricitate fluidorum motus exagitetur, turbetur, ſo-

ſolidorum vero tonus per graves animi excandeſcentias intendatur atque nimium ſtringatur?

§. IX.

Item, quæ ſit materia moduſque fiendi polyporum ſ. cordis ſ. vaſorum ſanguineorum? Quomodo nempe ſanguis peccans & conſiſtentia craſſiore mucoſo-terreſtri, particuliſque figentibus, coagulantibus acidis refertus, & vel motu nimis languido quaſi ſtagnans, vel nimio motu aliunde per ſpaſmos aut obſtructiones ad cor & vaſa ejus majora repercuſſus atque congeſtus ſufficientem ſecum ferat cauſam materialem concretionis polypoſæ? Unde polyporum quaſi punctum fixum nucleum, punctum adhæſionis, conſtituit ipſa ſanguinis una alteraque guttula ſegnius promota, & frequenter in corde quidem columnis ventriculorum cordis carneis, vel ejuſdem valvulis adhærens inſpiſſatur, & indureſcit ſenſim ſenſimque, novas ſanguinis fibras magis magiſque adſciſcit, donec in omnes dimenſiones, plus minus notabiles, & in noſtro præſenti exemplo ad ſtuporem magnas augeſcat. Quomodo hanc polypi geneſin confirment particulæ & appendices vere adhuc ſanguineæ, rubræ, grumoſæ, quæ uno continuo filo cum reliquo corpore polypi albido & duriore cohærent, adglutinatæ: aut mera talia concrementa rubra ſanguinea, inſtar grumorum, in ventriculis cordis ejuſque majoribus vaſis, genita pauco ante mortem tempore in morbis, qui vel languidum cordis atque ſanguinis motum, vel anomalum, & varias reſpirandi anguſtias important?

§. X.

Item, quod à ſanguine craſſo, mucido, qualis in hoc ægro diverſis vicibus toties vena ſecta detractus eſt, & chronicæ obſtructiones, & acutæ poſſint oriri, neque hinc ſemper & neceſſario ſequatur cachexia & hydrops, ſed & febris inflammatoria, lenta, phthiſis &c. Phthiſis vero pulmonaris tuberculoſa, quam *Mortonus* (*g*) appellat, tranſire in ulceroſam, & multifaria hujus viſceris labes, tubercula cruda, vomicæ, & ulceroſa purulenta phthiſis, patens atque diffuſa concurrere poſſit ſoleatque: ipſa tamen ulceroſa & purulenta ſubito quaſi evolvi & erumpere vel rupta vomica, vel putreſcentibus & ſuppuratis tuberculis, vel ſuperveniente inflammatione in ſuppurationem terminata.

Quod non male aſſeruerit *Barbeyrac* (*h*) nullam fere phthiſin dari, in qua non levis quidam dolor in pulmonibus percipiatur: quam infidi ſint

(*g*) Richard. Morton. Phthiſiologiæ, in 8. Lond. 1689. p. 129. ſqq. p. 131.
(*h*) Barbeyrac, ſur les maladies de la poitrine, du cœur &c. 8vo. à Amſterd. 1731. p. 185.

ſint halcyonii dies phthiſicorum, quos brevi communiter mors excipiat! Hæc aliaque phænomena pro dignitate jam non proſequimur, in duo alia potius intenti, quæ *thema* noſtræ *diſſertationis* conſtituunt: *alterum* ſcil. quod per totum morbi decurſum pulſu intermittente nunquam, inæquali vero pauciſſimis ſaltim ante mortem diebus laboraverit noſter ægrotus: *alterum*, quod ſonum ſtridoris & motus crepitantis manifeſtum in pectore, juxta §. 6. aliquando ediderit.

§. XI.

Ut vero ſingularis hæc aortæ pulſatio dilucide explicetur, pauciſſima de pulſu in genere prælibabimus. *Pulſus* (*i*) *cordis & arteriarum* eſt alterna dilatatio & conſtrictio, illa diaſtole hæc ſyſtole dicta, unde tangenti digito in arteriæ diaſtole motus & percuſſio incurrit ab impulſo in vas ſanguine, quæ proprie pulſus eſt, ſed & poſt hanc dilatationem motus percipitur ſubductorius, conſtrictorius, anguſtiore facta diametro. Arteriæ vero diſtenduntur, & diaſtolem patiuntur, à ſanguine fortiter impulſo, ſanguis à corde propulſatur in arterias, arteriæ vi tonica contractili reſiſtunt impulſo per cor ſanguini, atque dum cor à contractione ſua expulſoria remittit, & ipſa ſe contrahunt, ſanguiniſque progreſſum adjuvant. Unde patet, arterias eſſe in diaſtole, quando cor in ſyſtole eſt conſtitutum, & vice verſa, ſolis exceptis in corde arteriis coronariis.

Locus, in quo pulſantes arteriæ tanguntur ordinarie, aliquando & viſu percipiuntur, eſt in carpo interius, ubi decurrit arteria radialis: alias etiam in dorſo manus inter pollicem & indicem, ut aliquot exemplis confirmat *Tulpius* obſ. med. l. 3. obſ. 45. In temporibus, arteriarum temporalium: in collo, carotidum: extraordinarie in prolabiis, in digitorum apicibus atque lateribus &c. &c. Paucis, ubi arteriæ notabiles non profunde jacent ſub cute, & oſſibus ſubjectis ſuſtinentur. Sed in emaciata & hectica perſona adulta tetigit Præſes pulſum arteriæ magnæ in medio integumentorum abdominis. *Zachias* (*l*) meminit pulſationis in abdomine hypochondriacorum. *Pechlinus* (*m*) pulſus arteriæ magnæ in abdomine ſub linea alba obſervabilis in morbo incognito: *Columbus* (*n*) ejuſdem arteriæ magnæ, in abdomine tactu perceptibilis ob inteſtina ſurſum retracta.

Pulſum cordis vero, præternaturalem quidem, auribus, quoque percipi

(*i*) Omnium, quorum ad nos memoria pervenit primus nomen pulſus Hippocrates litteris prodidit, inquit Galenus de differentia pulſuum c. 2.

(*l*) Zacchias de affect. hypoch. L. 2. c. 6. p. 365.

(*m*) J. N. Pechlinus, obſerv. 6. L. 2. p. 211. ſqq.

(*n*) R. Columbus de re anat. L. 15. p. 492.

cipi poſſe tot exempla, ad protruſionem, imo fracturam coſtis uſque inducendam, ſtupenda teſtantur (*o*). Pulſum carotidum in diſtans auditum in cephalalgia teſtatur *Bartholinus* (*p*). De pulſu cordis diſtinctoque motu diaſtaltico atque ſyſtaltico, quatenus ſc. in utroque contingit fibrarum cordis muſcularium, ſed diverſarum contractio, diſtincte tractavit & ingenioſe jam olim *Pechlinus* (*q*).

§. XII.

Differentiæ pulſus: naturalis atque præternaturalis reſpiciunt (α) tempus, quo ſingulæ pulſationes abſolvuntur: unde pulſus vel tardus, vel celer, vel frequens: (β) intervallum ſingularum pulſationum: unde vel æqualis, vel inæqualis, intermittens, vel intercurrens &c. (γ) Spatium, quod arteria in dilatatione occupat: hinc plenus, magnus: vel vacuus, parvus, exilis. (δ) Robur, unde robuſtus ſ. fortis: debilis, myurus, deficiens: durus, mollis.

§. XIII.

Pulſus ſimpliciter æqualis dicitur, qui juxta allatas differentias temporis, intervalli, ſpatii, roboris eandem ordinate ſervat dimenſionem, ſine notabili mutatione interveniente: *Secundum quid æqualis* audit, qui cum aliqua ſaltem vel aliquot mutationibus in modo allegatis differentiis contingit. Inverſo modo ſe habet pulſus inæqualis. *Æqualitas* talis & *inæqualitas* pulſus ſpectatur vel in pluribus pulſationibus, ſ. ictibus, invicem collatis, & vocatur *collectiva*, ſeu ſyſtematica: vel in una ſaltem pulſatione, diciturque *ſingularis*. Inæqualitas pulſus variæ & nimis, eheu! quantæ a veteribus maxime ſubtiliter excogitatæ ſunt differentiæ, quas tranſmittimus: ex illis vero ea, quæ vocatur pulſus intermittens, lippis nota eſt atque tonſoribus (*r*).

§. XIV.

(*o*) E. R. Camerer in diſput. de palpitatione cordis authores allegat varios, qui exemplis rem confirmant. p. 6 Theſ. 4. In Philip. Nerii, 50. annos palpitationem cordis paſſi, cadavere fractas inde 2. coſtas refert Cæſalpinus in art. med. l. 6. c. 20. Et cordis palpitantis ictus in adoleſcente tam vehementes, ut diſtincte præ foribus conclavis nonnunquam audirentur, narrat Tulpius obſ. l. 2. c. 25.

(*p*) Th. Barthol. hiſt. anat. 18. c. 1. p. 33.

(*q*) Joh. Nic. Pechlinus diſput. de fabrica & uſu cordis, Kilon. Ao. 1676. art. 11. & in collect. diſput. anat. ſelect. abs celeberr. Hallero edita. Vol. 2. p. 325. ſqq.

(*r*) De pulſibus, eorumque differentiis, plura tradunt ſpecialiter Galenus l. cit. Thom. Fienus, Semiot. in 4. Lugd. 1664. part. 2. c. 8. p. 231. ſqq. Laur. Bellini de urinis & pulſibus in 4. Frft. & Lipſ. 1685. p. 65. ſqq. In compendio nervoſe pulſuum rationes tradit G. W. Wedel in Theorem. med. P. 3. ſ. 3. p. 95. ſqq.

§. XIV.

Pulſus intermittens, qui ceſſat & iterum redit, ut Mœbius tradit in inſtitutionibus, vel qui pauſam quaſi harmoniæ microcoſmicæ innuit, ut Wedel. in theorem. explicat, ordinarie ſumitur pro una pulſatione omiſſa, emanente, ſic ut e. g. numerentur 1. 2. 3. 0, i. e. fiant pulſationes numero tres, æquali temporis intervallo diſtantes, quæ vero ſequi deberet quarta pulſatio, emaneat, pauſam quaſi muſicam faciat, tum vero iterum pulſare pergat arteria. Pauſæ vero hæ vel breviores ſunt, vel longiores, vel frequentiores, poſt ſingulam ex gr. tertiam, quartamve pulſationem redeuntes, vel rariores poſt decimam, vigeſimamve quamque pulſationem repetitæ. Talis pulſus intermittens vocari amat ſyſtematicus ſ. collectivus, habito reſpectu ad plures arteriæ ictus. Pulſus vero intermittens ſingularis reſpicit ipſam unam quamque arteriæ diaſtolen, ſeu pulſationem, quæ non eſt continua ſed interrumpitur aliqua quiete, aut ceſſatiuncula, & intermiſſione unius particulæ in ipſa diaſtole, ut deſcribit Fienus. l. c.

§. XV.

Intermittens, κατ' ἐξοχὴν ita dictus, ſc. collectivus ille §. 14. diſtinguitur à myuro deficiente, qui inſtar caudæ muris ſenſim imminuitur, & tandem deficit, & à myuro reciproco, ſeu recurrente, qui ſenſim quidem imminuitur, ſed vires ſumit, iterumque redit, ideoque hi myuri ſucceſſive in viribus & plenitudine deſciſcunt, vel plane per notabile intervallum ceſſant, cum in pulſu intermittente ſubitanea fiat interceptio pulſationis, breviſſima vero interpoſita pauſa redeuntis. Videtur itaque D. D. *Khern* (*s*) pulſum intermittentem confudiſſe cum pulſu deficiente, cum obſervationi ſuæ titulum præfixerit: pulſus naturaliter intermittentis, & in ipſa tamen obſervatione teſtetur, ſe in illo viro inedia exhauſto, & motibus convulſivis exagitato, imo & reconvaleſcente eodem ſanoque ſæpius obſervaſſe nullum ſenſum alicujus pulſus arteriæ (procul dubio radialis in carpo, tangendi pulſus loco ordinario, nullam enim plane arteriam in homine vivo & ſano pulſaſſe abſonum eſt) percipi potuiſſe.

§. XVI.

Pulſus intercurrens eſt, docente *Fieno* " in quo poſt aliquas pulſationes „ intercurrit una pulſatio ſupervacanea, ſeu una pluſquam deberet. Un„ de hic pulſus eſt contrarius intermittenti; nam in intermittente poſt ali„ quas

(*s*) E. N. C. cent. 2. obſ. 158. p. 324.

„ quas pulſationes unus deficit ictus, in intercurrente contra poſt aliquot „ pulſationes unus ictus ſuperabundat (*t*). Intercurrens hic pulſus, in-„ quit *Wedelius* (*u*), vix nomine notus hodie, in praxi occurrit ſæpius, „ nominatim in polypo *cordis*, & palpitatione cordis, quando extra fe-„ brem cor inordinate tremit & palpitat: ſi hunc pulſum quis noverit, „ affectum extemplo agnoſcet, & velut ex ungue leonem; durantem ve-„ ro nec paroxyſmis abſolutum merito habebit ſuſpectum, ac polypi cor-„ dis indicem". Alibi & anteriore quidem tempore (*x*) inquit: inter-currentem vocamus pulſum, qui inter ictus ordinarios quaſi, (licet obſ-cure nonnunquam evolvantur, neque pateant æque minus diſtinguenti-bus) micationes ſ. ictus offert extraordinarios plures vel pauciores, eoſ-que frequentes; & mechanice demonſtrari poſſe putat, ſi concipiamus coloraturas, ut vocant, an cachinnos potius ſæpe muſicos? Quando fle-xiles ſoni breviores velut intercurrunt alios eſſentiales, talem pulſum in-tercurrentem obvenire ſtatuit duobus potiſſimum in caſibus, & extra fe-brem quidem, primo in palpitatione cordis, ubi per paroxyſmos viſi-tur, tam diu ac ipſe motus hic p. n. durans: manifeſte tunc ipſi pulſui legitimo illegitimos intercurrentes ictus commixtos deprehendi, quo gru-meſcentia ſanguinis velut ſorex ſe prodat: ſecundo autem in aliis con-ſtanter & continuo quaſi, citra interpolationes taliſmodi, ſeu paroxyſ-mantes vices, in illis qui polypum in corde gerant, ſive intra vaſa à coa-gulo ſanguinis, ſive extravaſatum (*) e coagulo lymphæ, ſed a caſu ab alto, ſeu aliis injuriis externis enata occaſione.

Atque ſic velut duplex cordis motus occurrit, alter naturalis, micans pro modulo ſuo, & præternaturalis alter, intermicans ſeu intercurrens, cum non ictu uno abſolvatur. Siſtit ergo hic pulſus intercurrens ſpeci-men frequentiæ pulſus cum inæqualitate.

§. XVII.

Pulſus hic intercurrens genuinus diſtinguitur ab intercidente, quem παρεμπίπτοντα vocant, & cui definitio Fieni §. 16. magis quadrat, quam intercurrenti, quod ille, intercurrens, ſingulæ pulſationi naturali com-mixtas & cohærentes, debiliores quidem & obſcuriores habeat p. n. les, continuatas uſque ad novam quamque naturalem & evidentem pulſatio-nem; in pulſu autem intercidente fiat per intervallum unius, pluriumve naturalium pulſationum, novus ſuperacceſſorius, diſtinctuſque ictus.

Q q q 2 Differt

(*t*) Fienus, Semiot. P. 2. c. 8. §. 5. p. 247. plura de pulſu intercurrente tradit.

(*u*) G. W. Wedelius, Exercitat. philologico-med. Decadibus duabus, num. 13. p. 47 ſ.

(*x*) G. W. Wedelius in E. N. C. Dec. II. A. 2. obſ. 145 p. 320. ſ. de pulſu intercurrente.

(*) Authoris verba ſervavimus, licet obſcura.

Differt etiam intercurrens genuinus *a recurrente*, quod hic poſt pulſum ſucceſſive imminutum, & inſtar caudæ muris deficientem, citius tardiuſque vires denuo ſumat, iterum redeat, atque adeo recurrat. Vocant alias hunc recurrentem, quoque myurum reciprocum, & deficientem reciprocum.

§. XVIII.

Cauſæ pulſuum cordis & arteriarum in genere *alterantes*, mutantes e cenſu rerum nonnaturalium & præternaturalium multæ variæque poſſunt eſſe. Cor robuſtum validumque: vel debile ac languidum: aut ſpaſmo, flatulento aere, pure acri, ſero fervido agitatum, irritatum: aut ſero pericardii, vel pectoris, vel pure in empyemate preſſum: vel mala pectoris conformatione anguſtatum: aut ſanguine grumoſo, polypis infarctum, diſtentum in ſuis auriculis vel ventriculis: aut vulneratum: aut valvulæ cordis arroſæ, in cartilagineam, oſſeam, lapideam ſubſtantiam induratæ. Arteria oſſefacta, incruſtata, aneuryſmatica, compreſſa, vulnerata, obſtructa, polypoſa: venæ cordis majores, cava ſc. & pulmonalis, ſanguine grumoſo, polypis obſtructæ. Sanguis craſſus, viſcidus, flatulentus, malignis, volatilibus venenatis particulis refertus: aut nimis paucus, exhauſtus; aut nimis copioſus: affectus animi, amor, excandeſcentia, gaudium, mœſtitia, terror: pulmonum infarctus, obſtructio, conſtrictio ſpaſmodica: ex his aliiſque cauſis modo turbatur ſpirituum in fibras cordis muſculares influxus, atque ſic mutatur cordis motus: modo ventriculi cordis & auriculæ arteriæ venæque, majores præſertim, debitum ſanguini commeatum occludunt, ut in ramos libere non poſſit propelli: modo ipſe ſanguis copia nimia, aut craſſitie, grumeſcentia, aut elaſtica expanſione nimis reſiſtit cordis & arteriarum impulſibus: modo nimis parca quantitate peccans, vaſa & cor non ſatis replet &c.

§. XIX.

Sed *quæ ſpecialis cauſa* ſit, *cur* alius *pulſus ſit intermittens*, alius *intercurrens* &c. & quæ ſigna vel probabilia vel certa illius cauſæ ſint diagnoſtica, res eſt altioris indaginis? *Intermittentis* quidem pulſus §. 15. præterquam quod is nonnullis perpetuus per aliquot, imo multa luſtra ſine incommodo, nedum gravi morbo, & ab ipſo Præſide aliquoties, & ab aliis (*y*) obſervatus eſt *quaſi naturalis*, *variæ* paſſim inno-

(*y*) E. N. C. C. 2. obſ. 58. p. 324. Lentilius Miſcel. Pract. P. I. p 193. Senibus familiarem, & in plurès annos abſque noxa durantem obſervavit Pechlin. obſ. 7. l. 2. p. 214. Bonet. med. ſeptentrion. l. 2. ſ. 21. c. 3. p. 492. b.

innotuerunt *cauſæ* : menſes ingruentes apud nonnullas (*z*) : ſubinde febres malignæ (*a*) : Cordis convulſio (*b*) : Scorbutus (*c*) : Peripneumonia (*d*) : Ulcus cordis (*e*) : Intermittentis per 3 aut 4 dies pulſus in ægro e dyſenteria, & hanc conſequente febre tertiana faber, lumbricus craſſitie digitum æquans, & longitudine brachium dimidium, quo excreto pulſus ad priſtinum rediit (*f*). Hydrops pectoris (*g*). Cor magnum ac amplum ſine pericardio ullove vel minimo ipſius veſtigio, cordis palpitationis, deliquiorum, aſthmatis, pulſus intermittentis cauſa (*h*) ; Polypus auriculæ cordis dextræ (*i*). Talia vero concrementa polypoſa plus minus ſolida auricularum & ventriculorum cordis, nec non ejuſdem majorum vaſorum inquilina pulſum induxiſſe intermittentem, integra auctorum ſylva reſonat, ſic, ut ideo hanc ipſam pulſus intermiſſionem plerique medici celeberrimi conſtituerint ſignum polypi cordis diagnoſticum. Sic polypoſa in præcordiis latentia concrementa duobus maxime ſignis detegi, nempe diuturniore cordis palpitatione, eaque ob levem occaſionem recurrente, atque pulſus inæqualitate & cum lipothymiis juncta intermiſſione ſtatuit celeb. *Fr. Hoffmannus* (*l*).

§. XX.

Atqui vero cum e præmiſſis §. 19. pateat pulſus intermittentis, & tranſitorii, & habitualis, chronicique, tot diverſas haberi cauſas : itaque non licet, e pulſu intermittente polypum cordis, vel ejuſdem auricularum aut majorum vaſorum, ſtatim & certo arguere : aut eundem negare ideo, quod pulſus nunquam obſervetur intermittens ; id certe ultimum conſectarium ſponte fluit ex obſervatione practica, quam in limine diſputationis recenſuimus, e morbo & morte B. Dn. Momæ, utpote cui pulſus a potiori quidem tenuis fuit, & depreſſus, ſed æqualis ſemper integro vitæ ultimæ quinquennio, exceptis ſaltem ultimis duobus

(*z*) Idem Pechlinus : obſ. 7. l. 2. p. 215.
(*a*) E. R. Camerarius diſput. de febr. tertian. mal. p. 4.
(*b*) Steph. Blancard anat. pract. c. 1. obſ. 39. p. 92.
(*c*) Pechlini obſ. libr. 2. o. 7. p. 215.
(*d*) In peripneumoniæ principio. E. N. C. Cent. 6. o. 1. p. 181. & in pleuritide ſæpius. Bonet Med Septentr. l. 2. ſ. 21. c. 3. p. 492.
(*e*) Riverius obſerv. med. c. 2. o. 77. Pechlini obſ. 7. l. 2. p. 215. Blancard. Anat. pract. c. 1. obſ. 63. p. 169.
(*f*) Riverius obſ. med. c. 3. o. 3.
(*g*) Uratislav. obſ. pract. de hydrope pectoris c. 1. p. 5.
(*h*) N. Tulpius obſ. med. l. 2. c. 25. p. 134. ſſ.
(*i*) Riverius obſ. cent. 2. obſ. 77.
(*l*) F. Hoffmann. med. rat. ſyſtem. Tom. IV. P. 4. p. 280. ſ. §. 10.

bus tribuſve diebus. §. 5. quamvis poſt mortem detecta fuerit non modo inſignis placenta polypoſa in principio aortæ, cordi proximo, (§. 7. η) ſed in dextro quoque cordis ventriculo polypus notabilis ſolidusſque ſit deprehenſus, quale concrementum utrumque polypoſum, tenax, albidumque nemo paucis demum ante mortem diebus coaluiſſe ſomniabit.

§. XXI.

Cum itaque & noſmet ipſi plures à morte ſecuerimus, in quibus nullam veriſimiliorem pulſus prægreſſi intermittentis rationem invenire ac prætexere valuimus, quam ſolidas concretiones polypoſas in cordis vel auriculis vel ventriculis, vel majoribus vaſis ſanguineis, vel ſeparatim, vel junctim; quamplurimæ etiam aliorum medicorum fide digniſſimæ obſervationes idem teſtentur, quæri poſſet: *cur in* ſubſtrato *caſu noſtro*, & præſenti adeo enormi concremento polypoſo aortæ, *pulſus nunquam fuerit intermittens*, *& ne quidem intercurrens*, ſed æqualis ſemper, licet tenuis, debiliſque? Ad tentandam hujus phænomeni explicationem præmittimus *primo*, quod intermiſſio pulſus ſit actio cordis & arteriarum imminuta vel abolita ad breve tempus, dum inter plures eodem temporis intervallo naturaliter repetentes, pulſationes, una, pluresve deficiunt, emanentque: *ſecundo*, quod igitur vel obſtaculum aliquod occurrat, quod ſanguinis æqualem per arterias curſum ſubinde moretur, intercipiatque: vel impetus vigorque cordis ſanguinem propulſantis aliquando deficiat: vel cor ſpaſmodice per intervalla & ad momentum conſtringatur, eodemque momento ſanguinem nec admittat, nec emittat: *Tertio* autem, quod variæ requirantur circumſtantiæ, ut qualiſcunque talis cauſa in activitatem vel jugiter, vel per vagas periodos deducatur, nimirum obicis, e. g. polypi magnitudinem, ſoliditatem, pondus, ſitum, mobilitatem vel immobilitatem, viarum anguſtiam, ſanguinis lentorem, copiam, orgaſmum, congeſtiones &c.

Atqui vero per rationes phænomenorum, ſupra recenſitorum in hiſtoria morbi & viſi reperti, ob hujus viri cor debile, flaccidum, minime vel magnum vel robuſtum ſubſumimus, tanta vi ſanguinem non fuiſſe propulſum, adeoque nec adeo violenter alliſiſſe ad objectam in aortæ principio placentam polypoſam: ob enormem dilatationem aneuryſmaticam, quæ plurimum ſpatii inter concrementum illud polypoſum & parietem aortæ dextrum reliquit, ſanguinem minus turbatum fuiſſe in ſuo progreſſu, maxime per ramos ſuperiores aortæ: ob illius placentæ polypoſæ fixam accretionem & adhæſionem ad latus internum ſiniſtrum aortæ aneuriſmaticæ nullam mutationem in conſtantia & per-

pe-

petuitate fluxus ſanguinis præternaturalem eſſe illatam : maximum vero & præſentaneum omnino ſyncopes cardiacæ periculum imminere oportuiſſe, vel anomaliæ ſaltem pulſus, maxime etiam intermittentis atque intercurrentis, cauſam, ſi inſtabile, liberum, fluctuanſque fuiſſet ingens hocce polypoſum aortæ concrementum : ob ſitum hujus concrementi, non in ipſis auriculis & ventriculis cordis collocati, illud non potuiſſe tantum præjudicare, poſitis quas modo præmiſimus reliquis conditionibus, motui ſanguinis per aortam progreſſivo.

§. XXII.

Quod vero *ultimis vitæ diebus pulſus* ſit obſervatus *varius*, & *inæqualis*, cum diu ante per annos æqualis perſtiterit, in promtu eſt ratio : nempe vires, appropinquante morte, magis magiſque exhauſtæ, ſanguis lentior redditus ac inertior, polypus alius, illa aortæ polypoſa placenta multo procul dubio recentior, dextro ventriculo inhærens & in arteriam pulmonalem non modo, ſed auriculam quoque dextram atque venam cavam inferiorem longiore extenſus cauda, novamque incrementi materiam grumuloſque adhærentes ſanguineos exhibens, circulum ſanguinis plus turbare indies, & pulſum reddere anomalum, & inæqualem non potuerunt non.

Ita *pulſus antea jugiter tenuis debiliſque cauſæ* manifeſtæ hæ nobis fuiſſe videntur *præcipuæ* : ſanguinis e cordis ſiniſtro thalamo evibrati alliſio ad oppoſitam in aortæ principio placentam polypoſam, viamque illius obliquam ſemicircularem ad latus dextrum concreti polypoſi : nec non aortæ hic loci enormiter expanſæ, & in duritiem non modo cartilagineam induratæ, ſed intus etiam lamina friabili aſpera obductæ, vires ſyſtalticæ plurimum imminutæ.

§. XXIII.

De aortæ prope cor induratione cartilaginea & incruſtatione interna friabili oſſeo-lamellata, non eſt, quod multum commentemur. Proſtant infinita fere apud varios Auctores, *Riolanum*, *Bartholinum*, *Ruyſchium*, *Blancardum*, *Blaſium*, *Tulpium &c.* præcipue vero paſſim in *E. N. C.* exempla, cordis & auricularum atque valvularum ejus, arteriarum, quin & venarum induratarum, vel in cartilagineam, vel oſſeam, quin lapideam ſubſtantiam. Et quis in miſero corpore noſtro locus, quæſo, tutus eſt a calculorum concrementis ? Cum ipſo ſanguine e vena proſilientes lapillos obſervavit in viro 72 annor. *Bonetus* (*m*): in vena portæ & hæmorrhoidalibus calculos invenit *Columbus* &c.

Plu-

(*m*) Bonet. med. ſeptentr. l. 2. c. 2. p. 493. ſ.

Plurimas talis etiam oſſificationis præternaturalis hiſtorias & alienas & proprias recenſuit beatus & longiori vita digniſſimus D. Joh. *Salzmannus* (*n*). Materiam ſane oſſificationis ac petrificationis abunde per vitam ſuam ingurgitavit ægrotus noſter, gulæ illecebris, vinoque nimis deditus.

§. XXIV.

Supereſt, ut *rariſſimum ſtriduli & crepitantis ſoni in cavo pectoris* ſubinde editi §. 6. *phænomenon* expendamus. Fragorem, qui alias ob tunicas, vaſa, viſcera intus in corpore ſubito rupta ſubinde auribus manifeſte, & in longinquum, quaſi a ſclopeto exploſo, in aliis obſervatus legitur (*o*), non appellamus illum ſingularem ſtrepitum, quod ſonus ille neque pernix, neque fortis adeo fuerit, ſed lentus, obtuſus, neque etiam ſemel tantum acciderit, uti fragores ſolent; ſed pluries. *Crepitantem* vero nominamus, quoniam aliqualiter ſtridulum decrepitantium ſuper prunis ardentibus ſalium referre ſonum nobis videretur, vel & crepitationem oſſium (*p*); ſtridorum vero ſpecialius determinavimus comparando cum ſono affrictorum mutuo duorum lapidum arenoſorum.

Pulſum diximus, (in titulo & contextu hujus diſſertationis) quoniam cordis ac aortæ pulſu ſonus ille crepitans extra dubium excitatus, eo etiam loci in cavo thoracis auditus eſt, qui cordis & aortæ ſitui reſpondet; *unde* igitur ſingularis *hic pulſus crepitans*, & *quo* acciderit *modo* paucis ſubjungemus. Interna ſuperficies aortæ aneuryſmaticæ, obducta fuit cruſta laminaque friabili aſperaque, (§. 7. ζ) hæc, vel in aliquali contractione aortæ ſyſtaltica, vel in expanſione diaſtaltica, vel conſtrinxit, arctavit, in ſe ipſas coëgit, vel extendit & diſtraxit, aortæ lamellas friabiles, aſperaſque, & motus ſyſtalticus aortæ propius admovit hujus ſuperficiem internam ad inſignem, quam continebat, placentam polypoſam, ſolidam, duramque, & motum affrictionis ſtridulum adauxit. Conſpiravere procul dubio mox ſanguinis motus progreſſivus auctior, à motu corporis, vehementi tuſſitione, mox inteſtinus ſanguinis motus expanſivus, orgaſticus e febri hectica, erroribus in diæta, intenſior redditus: quales cauſæ remotiores cum non

(*n*) Joh. Salzmannus in diſput. de oſſificatione p. nli. Argent. Ao. 1720.

(*o*) Beatus celeb. noſter Lentilius in E. N. C. C. 1. obſ. 96. p. 189. it. in Miſcel. med. pract. P. I. p. 219. a. ibid. p. 277. ut innumeros taceamus alios.

(*p*) Crepitationem oſſium plerique vocant medici, vid. Courtial ſur les os. obſ. 8. p. 54. Strepitum & crepitationem juncturarum vertit ex anglico Geuderus in Havers oſteol. p. 215. Strepitus oſſium vocatur in E. N. C. append. ad Cent. 1. & 2. p. 196.

non ſemper præſto fuerint, aut ſatis ſemper activæ, aorta etiam valde dilatata locum tranſeunti fecerit ſanguini, & continendæ placentæ aneuryſmaticæ, & cor non valde muſculoſum & robuſtum fuerit, ideoque ſanguinem remiſſiore vi in aortam expulerit; itaque hoc phænomenon crepitationis neque perpetuum fuit, neque adeo frequens.

Qualis fuerit pulſus arteriæ in carpo ſub ipſiſſimo illo aortæ pulſu actu crepitante, an intermittens, an intercurrens, an myurus, an vero ſaltem pro ordinario ſuo modulo tenuis? Obſervare non potuit Præſes, cum illi ipſi phænomeno non niſi ſemel adeſſe licuerit, hoc ipſum vero breviſſimæ durationis tum, & ordinarie, fuerit.

Quæ poſſent ultra e fœcundo hoc caſu practico deduci poriſmata, tranſeant. Sufficit nobis pro inſtituti ratione id præſtitiſſe, quod ad finem §. 10. ſumus polliciti, uſu ſane medico minime deſtitutum.

Quamvis etiam denique veros ſolidoſque polypos internos, uti per certa dignoſcere ſigna, ſic arte medica tollere, attenuare, reſolvere, vel ſaltem incrementum inhibere difficillimum ſit, tamen non abſolute judicamus impoſſibile, per ea, quæ jam olim Galenus, Malpighius & ſagaciſſimus ille Commentator in Patini abſtruſum pectoris affectum, poſt mortem polypoſum deprehenſum, in E. N. C. Dec. 3. A. 1. append. p. 111. ſſ. tradiderunt.

T A N T U M.

L X I V.

J. GEORGII BECK

WISBADENSIS

DISSERTATIO HISTORIAM

DE VIRO, PALPITATIONE CORDIS ET ASTHMATE VIOLENTO MORTUO EJUSDEMQUE VISCERUM, CULTRO ANATOMICO NUDATORUM MIRABILEM STRUCTURAM, EXHIBENS.

Gieſſæ Decemb. 1718.

PROOEMIUM.

QUandoquidem caſus, ſine prævia humani intellectus aut rationis meditatione contra morborum perniciosos inſultus, priſcæ, quæ apud Græcos olim natu eſt, Arti medicæ, ſuggeſſerunt experimenta, quorum, ex Tabulis ſacerdotum ſenorumque, ſacris, collectio & digeſtio, nec minus ipſorum morborum, quoad tempora, periodos, criſes, curationeſque obſervatio, Hippocrati Coo tantam apud omnes conciliavit dignitatem, excitavit gratiam, poſuit perpetuæ memoriæ monumentum; nemo non ab illis uſque temporibus, maximam ſenſit neceſſitatem, non modo ea, quæ caſu, ſed etiam, quæ ex iſto poſtea conſilio & comparatione aut ſimilitudine, innotuerunt, candide, dextre & judicioſe conſignandi deſcribendique.

Fuerunt equidem, Dogmaticorum imprimis tempore veræ & ſolidæ obſervandi methodi ſeu ἐμπειρίας ſycophantæ & oſores (*a*) qui eam vilem, circumforaneam & literato viro prorſus indignam ſemper exiſtimarunt. *In quos quadrat illud* (*b*) *Baconis Verulamii*, *dum*, Homines, *inquit*, abduxere ſe à contemplatione naturæ atque ab experientia, in propriis meditationibus & ingenii commentis ſuſque deque ſe volutantes. *Neglexerunt poſtea, qui commentando in aliorum ſcripta, & diſceptando, tempus conſumſerunt, & multo Medicinæ damno illud operoſe egerunt, quod appoſite culpat* (*c*) *idem* Illuſtris Angliæ Cancellarius: cum enim, *inquiens*, diligentiores literarum Coryphæi ad id collimare debeant præcipue, ut arti quam profitentur, aliquid præclarum adjiciant, hi contra in ſecundis tantummodo conſiſtere ſat habent, vel ſubtilis interpretis vel antagoniſtæ vehementis & nervoſi nomen ambiunt, vel compilatorem dictorum ab aliis toties & ad nauſeam coctorum, agunt. *Tandem poſt tot ſeculorum decurſus, profundaſque Scholaſticorum tenebras, reſtauratis ſcientiarum ornamentis, ſurrexerunt quidem hiſtorici & obſervatores medici, horum autem plurimi, quia ſpeculationibus delectati, in hypotheſibus condendis nimis fuerunt ſolliciti, plus noxæ, quam fructus attulerunt:* (*d*) *„ Nam hi „ homines imbuerunt & infecerunt obſervationum doctrinas ſuas, opinionibus „ quibuſdam & conceptibus propriis, quos potiſſimum in admiratione habent, „ aut artibus, quibus maxime addicti & conſecrati ſunt, cætera omnia illis „ deliciis inficientes & quaſi intingentes; licet fuco admodum fallaci, imo per„ nicioſiſſimo.*

Nec deſunt tamen, qui ſervata aut revocata vera Hippocratis *obſervandi & obſervata conſignandi ratione, multum utilitatis medicæ arti attulerunt.*

Rrr 3 *Quod*

(*a*) Conf. Bagliv. prax. L. 2. c. 2. p. m. 155.
(*b*) De augmento Scient. L. 1. fol. m. 21.
(*c*) l. c. p. 22.
(*d*) l. c. conf. m. cit. Bagl. prax. p. m. 156.

Quod ſi enim Aetii, Celſi, Dureti, Hollerii, Jacotii, Ballonii, Septalii, Riverii, Sydenhami, *opera evolvamus, non latere nos poteſt, quanta fidelitate ingenuitate & judicio ſalutarem ſcientiam & artem, fœcundare ſtuduerint. Quid dicam de* Actorum Haffnienſium, Collegii naturæ Curioſorum, Anglorum, Germanorum, Gallorum *&c.* Borelli, Pechlini *ſtudiis in obſervationibus rite condendis? Laudes uſque quaque maximas grateſque merentur horum labores, & calcar addunt omnibus, quibus cordi eſt, ut medica ars ſit locuples armamentarium & Gazophylacium, ad opificis rerum omnium gloriam & vitæ ſanitatiſque humanæ ſubſidium, quo nullum diem prætermittant, quin obſervando & experiendo, ſub directione intellectus ſobrii, inquiſitionis diuturnitate & conſtantia cum luce & methodo partes ſuas abſolvant.*

His probe perpenſis, me quoque optimam navaturum operam credidi, ſi thematis inauguralis *loco* Hiſtoriam & obſervationes de palpitatione cordis & aſthmate vehementiſſimo, *prout in viro quodam, ante duos & quod excurrit, annos hic loci annotata cujuſque ſumma in* Ephem. Nat. Cur. Cent. v. A. 1717. à Cl. Dno D. Verdrieſio, Academiæ hujus Profeſſore Excellentiſſimo, quod quidem ad viſa in cadavere reperta ſpectat, ſicut illa à teſte oculato *quodam accepit, relata eſt, candide & accurate, quantum quidem ingenii mei tenuitas admittit, proponerem.*

Quam intentionem ut decenter exequar, in tria Tractationem diſpeſcam capita: 1. *Hiſtoriam initii incrementi & finis* palpitationis cordis & aſthmatis *eorumque, quæ à primis juventutis annis, huic viro contigerunt, quæque ex propria ejus narratione innotuerunt tradet.* 2. *Caput viſa poſt mortem in cadavere defuncti exhibebit.* 3. *Denique meditationes circa eadem addet.*

Faxit Deus O. M. ut hæc quoque in ſui nominis gloriam, proximique ſalutem cedant. Tu vero B. L. fave & vale.

CAPUT I.

Hiſtoriam Initii incrementi ac finis Aſthmatis & Palpitationis Cordis *in præſenti ægroto, continens.*

§. I.

Habitus corporis florens, robuſtus, procerus toroſuſque, qui prima juventute Noſtrum ornaverat, mentis alacritatem, ingeniique aciem, affectuum pondere firmatas, recondens, ad gravia ſeriaque vitæ genera ſubeunda idoneum reddiderunt. Hinc ſtudiis incumbens, diligentiſſimam animi applicationem exercitiis corporis in Academiis uſitatis, quæ equitatione

tatione, pugilatione, ſaltatione &c. abſolvi ſolent, junctam, nec non graviſſimos in diæta errores, conſtanti & renovato quaſi robore ferebat.

§. II.

Poſtquam vero, ſepoſitis annis academicis, munera, ad quæ vocatus erat, rite obeunda, quietum ex parte corporis, agitatum vero negotiorum multitudine, irarum accenſis ſæpiſſime, ignibus, reſpectu animi, inperabant vitæ genus, verti ſubinde cœpit pagina. Cum enim vix aliquot annis præfuiſſet muneri ſuo, cujus moleſtias frequentibus diæta erroribus, comeſſationibus, cereviſia, vino, potu thee vel caffe incondito ordine ingeſtis, ſuperaddito deinde tabaci fumo multo, abſtergere tentabat, variis ſanitatem conturbari ſenſit ſymptomatibus, quæ collecta, mali hypochondriaci ideam abſolvebant. Huic vero, cum à Medicis motum corporis, una cum potu, i. e. diluentibus, aperientibus, commendari, panaceæ inſtar, audiret, ſibi ipſi conſulturus, horis ab officii legibus ſolutis, venatum ibat equo vectus, cujus curſu concitatiori imprimis delectabatur.

§. III.

Attamen nihil à ſuo regimine percepit commodi, ſed potius maximum damnum inde reportavit. Nam dum aliquando equi quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum lapſu graviſſimo una cum beſtia proruit in terram, & ſaltu, artuum integritatem ſervaturus, caput equi tranſiliens impingit pectoris ſternum lapidi duriſſimo, tanto cum impetu, ut fragoris ſonum, ex cavo pectoris profugum, aures ſuas pulſaſſe pro certo habuerit. Hoc infortunium, tamen ardorem perſequendi feram inhibere non potuit, ſed potius excitavit, donec dolor thoracis & levis reſpirandi difficultas obicem poneret. Domum ergo rediens, lapſus prægreſſi incurioſus, malis, quibus quotidie mordebatur, ut ab hypochondriis ſolum pendentibus medelam à Medicis quærens, ſine levamine manſit, uſque dum ad acidulas ablegaretur Swalbacenſes. Hinc ſubſidium, quamdiu potavit undas ſalutares, motu leni corpus exercuit, quiete animi diætaque ſtricta uſus eſt, ſenſit gratiſſimum.

Domum vero reverſus, atque, ſueto onere die nocteque preſſus, clandeſtinum ſubrepere humeros, poſt 6. hebdomadas, à potis aquis, dolorem, frigere brachium dextrum, ridigis quandoque, in eodem latere digitis manus, ſtupore denique ſenſum naturalem genu ſupprimi conqueſtus eſt, & medelam expetitam obtinuit, remediis ex liquoribus ∽oſis, formicarum, cochleariæ, ⊖♓ci &c. confectis.

 §. IV.

§. IV.

Vix ſuperata fuerunt hæc ſæpiſſime recurrentia mala, cum anxietas præcordiorum indies aucti obrepit, palpitare aliquando cor pulſuſque, modo ad 10. modo ad 20. ictus intercipi, obſervantur, præcipue noctu; hactenus autem ſudore erumpente iterum ſopita ſunt. Tulit hos, duriſſimi mali, prodromos, ſenſim ſenſimque graviores, per decem & ultra annos. Interea quovis vere tuſſis ferina acerrime miſerum concuſſit, diutius cruciatura, niſi excretio per ſputum liquoris ſalſi, ſuperveniſſet finemque torturæ feciſſet. Poſtea ſpatio aliquot ſeptimanarum, pleniore ſanitate gaudere viſus, perfectæ dulciſſimam ſpem abrumpi doluit ſæpius per glandularum colli, faucium, tonſillarum tumores, inflammationes & ulcera. His autem medelam quærens, in manus chirurgi cujuſdam incidit, cujus audaci jactantia perſuaſus, ſingularis, & à vulgari, ſi Diis placet, longiſſime recedentis ſalivationis mercurialis curæ ſe ſubjecit, ſcorbutum, quo ſe laborare tum temporis credebat, cujuſque Domitorem chirurgus ille præ omnibus ſive Medicis ſive Chirurgis ſe profitebatur, aut potius jactabat, per oris glandulas profuſurus. Turpetho autem minerali, vulgatiſſimo, non arcano remedio, ſicuti quidem opinabatur æger, harum rerum ignarus, excitatam fuiſſe illam ſalivationem, ipſe chirurgus diu poſt confeſſus eſt. Nihilominus tamen glandulæ illæ faucium & colli poſt hæc immunes manſere, quamvis univerſalis, perpetuo durans corpori debilitas ſimul fuerit inducta. Interim adhuc rediit veris appropinquantis vel etiam præſentis ſignum, tuſſis ferina quotannis, quæ ſe aliquoties decocto lignorum mitigari, non tn. plane profligari paſſa eſt, niſi excretione ſupra jam dictæ materiæ ſalſæ ſuperveniente.

§. V.

Inter has dirarum copias non ſiluit anxietas præcordiorum, una cum ſenſu regionis diaphragmaticæ, quaſi cingulo conſtrictæ, ſed potius creſcebat quotidie, comiteſque trahebat ſecum ſudores nocturnos, interdum copioſos admodum, quibus accedebat renalis ambitus dolor, cruris dextri ſtupor & frigus fere perpetuum, atque urina excreta ſabulo rubicundo copioſo fœcunda.

Dum hæc ita ceſſere, gratia Principis implorata mutavit Noſtri munus, cum ſparta, honoribus non multo plus conſpicua, quam laboribus graviori, vita ſedentaria moleſtiore, caſibus denique, iram & triſtitiam per vices moventibus, noxiore. Sed quid! voluntas humana in ſui perniciem tam ſtudioſe prona eſt, ut peſſima quæque vertici inhærentia prætervideat, praviſque cupiditatibus obediundo omnibus miſeriis, quæ jam prope diſtabant, portas ampliſſimas aperiat. Idem Noſtro accidit,

accidit, qui ægritudinum jugo graviſſime preſſus, earundem tamen, ob mentis, à negotiorum cumulis, diſtractionem oblitus ad comeſſationes iterum, crapulas & vinoſas ventris inundationes & poſt eas tabaci fumos, animi, ſicuti probelle dicunt, relaxandi cauſa ſeſe compoſuit, quæ omnia cane pejus & angue fugere debuerat. His ergo per plures annos protractis, ſupra citatorum ſymptomatum exacerbationem, præmii loco reportavit. Palpitatio cordis imprimis, gravior ſolito, & anhelofa ad aſcenſum & citatiores greſſus, reſpiratio, infenſiſſimi vitæ hoſtis ſigna, facta ſunt quotidie majora. Decubitus, imprimis in latere ſiniſtro, ut & in dorſo admodum moleſtus fiebat, quo ſitu ex improviſo vel ſomno captus ſi afficiebatur, anxietas ſumma & aſthma ad ſitus mutationem impellebant eum. Invenit autem nullum commodiorem, quam decubitum in anteriorem corporis partem, capite & thorace in proclive declinatis.

§. VI.

Jam demum Medicorum conſilia & auxilia videbantur, ſi unquam, neceſſaria. Advocatus unus & alter, qui, poſtquam officii, vitæ & diætæ genus penſitabant, plethoram l. ſaltem ſanguinis motum citatiorem circa præcordia, (cum præcipue mali hypochondriaci radices, circulum cruoris per infimum ventem lentiorem ſegnioremque efficere judicabantur,) miſſionem ſui poſtulare videbatur. Miſſus eſt etiam ad plures uncias cruor, qui frigefactus, pleuriticum exacte referebat, & in momento ſymptomatum remiſſio. In promptu etiam erant aperientia martialia, & imprimis acidulæ Swalbacenſes, minus quidem proſpero exaſſe ſucceſſu. Poſtea præter dicta ſalia volatilia & fixa, ſuccinata, cinnabarina in uſum vocabantur, urgebat enim Medicos ſuos æger ſed omnia incaſſum. Manebat namque perpetuo palpitatio, licet illa remiſſior fuerit pro mentis corporiſve aut placidiore vel vehementiore agitatione. Tum temporis etiam in brachio ſiniſtro uſque ad carpi arterias ſentiebat mirabilem pulſus ſubſultationem, quam verbis vix exprimere poterat. Repetiere etiam brachiorum frigus digitorumque ſtupor.

Nondum finitus eſt malorum circulus, corporis enim macies, ſurarum flacciditas, volæque manus torpor ad extrema ſerpere mali venenum monebant. Æſtate igitur, ſalutis cupidus, ad aquas medicatas iterum provocante deſiderio, ſuaſu Medici & amici, qui in palpitatione cordis ipſe optimas invenit, aquas Selterenſes bibendi ductus, locum quo ſcaturiunt, petiit.

Avide etiam, ac ſi ex Betheſdæ lacu quinta Eſſentia concentrata hic latitaret, hauſit illas aquas: Et ecce! videbantur ea omnia, quæ peſſime ſemper eum habebant, remittere; liberior eſſe reſpiratio, & cordis conſtantior actio. Ubi notandum, ægrum, quando rheda vectus eſt,

ſemper optime ſe habuiſſe, quare confitebatur ſæpe: *Es thue ihm recht wohl venn er fahre.* Lætus igitur repetit domum, alacriter aggreditur negotia, quæ hucuſque in cumulos accreverant, expedienda, aquarumque potionem cito derelinquit. Vix autem 6. vel 7. ſeptimanis munerum debita ſolverat, cum recrudeſcunt celerrime omnia, quaſi in acervum coagmentata. Nihil tamen magis torquet ægrum, quam aſthma & palpitatio illa cordis; appetitus hucuſque languidior, jam plane deficit, & vires labaſcunt, ut cunctas à laboribus, animi retrahere cogeretur curas, inſomnes etiam noctes, quas tamen à pulvere ambrato benigniores habuit. Tum vero vidiſſes adſtantes amicos ac circum ægroti lectum volantes vetulas, omnes fuiſſe Medicos: hunc aquam cinnamomi ſine vino, alium Tincturam corallorum veram, alium ſal volatile oleoſum, arcano modo præparatum commendare, hanc quarundam herbarum faſciculos collo appenſos atque ſcrobiculo cordis impoſitos, pro hoc corroborando & confortando in cœlum attollere, aliam alia & infinita, laudibus celebrare. O quanta cura corradebantur omnia! dicam fere ſcribebant Medico ordinario, in cura mali pertinaciſſimi tam infelici.

§. VII.

Cum igitur paroxyſmus ingrueret, vitæ propediem impoſiturus finem, accerſunt alium Medicum, cujus dexteritatem tantis extollebat una dicaciſſimarum vetularum, (quarum gratiam inprimis ſtudioſe ſibi conciliare maximum ſuæ famæ lucrum ex Machiavello Med. credunt multi, monitumque *Joh. Kunckelii* ſarcaſticum ambabus arripiunt manibus) encomiis, acſi ex orco mortuos revocare poſſet, ordinarii præſentiam ad aliquot temporis momenta evitantes, ne forte, collatæ ſententiæ, ſpem letho proximi ſuffurarentur. Decernitur igitur, cito citius ſanguinem eſſe mittendum, *ſcorbutum* debellandum, & ſalia acria, pectori inimica ibidemque hoſpitantia & aſthma dirum excitantia, ad urinæ vias eſſe ablegauda. Mittitur ideo ſanguis, dorſum, reſolvente emplaſtro, ad flatus, orificium ſuperius ſtomachi occupantes & diaphragma irritantes, diſcutiendos, ſit venia verbo, implaſtratur. Millepedum ſuccus propinatur, herbæ antiſcorbuticæ in infuſo ſorbentur, & plura alia. Jam ſalva res erat. Tribus diebus agitur hiſce contra vim morbi mortiſque, tandem etiam, quia tuſſis ferina, quæ rurſus infeſtans miſerum, ad vomitum incitabat, Ipecacuanha infundebatur, ſed incaſſum. Poſt jectigationes potius moleſtas, anxietates immenſas, ſudores frigidos, aer elapſus è pulmonibus, os, nondum opinantis, clauſit, ut recenti ingreſſus amplius concederetur nullus, quo ipſo, tranſactis 49. univerſæ vitæ annis, totius tragœdiæ cum vita Finis.

CAP. II.

(*e*) Conf. Laborat: ejus chymic. part. 3. c. 17. p. 316.

CAPUT II.

Viſa reperta in corpore defuncti exhibet.

§. I.

SOlent vulgo plerique hominum, neſcio qua ſuperſtitione aut religione perterriti, exodiſſe corporum defunctorum ſectiones & inſpectiones, unde etiam, antequam Charontis cymbam conſcendant, ſollicite cavere ſolent, ne proſectores cadaveri ultimam vim inferant, quam tamen à vermibus & putrefactione ſufferre coguntur. Noſter autem, cujus vitæ miſerias paulo ante pluribus recenſui, longe meliorem ſovit ſententiam; is enim ſæpiſſime morbi pertinaciam miratus, cauſæ ejuſdem perſcrutationem habuit longe digniſſimam. Eapropter ſæpius & paulo ante agonem monuit ſerio Medicos, ut cadaveri ſuo manus inferrent docte violentas, quo tandem pateſceret, quis & qualis, tam infenſus, vitæ ſuæ fuerit antagoniſta.

Placuit igitur conſilium, atque admotus culter anatomicus ea qua decet methodo. Obſervata autem in cadavere ſunt ſequentia.

§. II.

Habitus corporis externus videbatur macie per univerſum ambitum conſumtus: nam panniculus adipoſus omnis evanuerat, fibræ muſculares exſuccæ, ut & ipſi muſculi plane, flaccidi erant.

Cum ad pectus aperiendum, (hoc enim præcipuam merebatur inſpectionem) coſtarum inciderentur cartilaginoſa interſtitia, profluxit è latere dextro parum aquæ, ſub remotione autem ſterni, rumpebatur præter opinionem pericardium, citra conſuetudinem molle, ut exinde effluєret pars aquæ lixivioſæ, cujus copiam ſolito paulo majorem continebat.

Tum vero oculos feriebat ſpectaculum ſtupendum, Cor namque magnitudinis prodigioſæ, pinguedine multa obductum, tumens durumque, mucrone duriſſimo rotundo & tumente, cito tamen flacceſcens, profluente nimirum, undenam data porta, incertum, ſero copioſo circa auriculam dextram, cujus natura, quia cum pericardii liquore ſubito commiſcebatur, inquiſitionem fugiebat. Magnitudinis admirationem auxit, attento, ſpectatus, oculo, ſitus cordis horizontalis, diaphragmati immediate incumbentis. Videbant tum temporis, omnes qui aderant, thoracis cavitatem ita à corde hoc magno oppletam, ut pulmonum alæ

arcte coſtis appreſſæ affixæque, vix minimum ſuæ per influentem aerem expanſionis ſpatium habuerint liberum.

§. III.

Nec tamen hiſce abſolvitur ſtuporis pagina, ſed plura occurrunt notanda: nempe dexter cordis ventriculus ut & auricula concretione bipartita alba, dura, fibris quamplurimis albis h. e. polypo conſpiciebantur impleta. Tunica etiam interior arteriæ magnæ prope egreſſum è corde ad latitudinem 4. digitorum oſſea erat, cultri aciei manuumque conatui fortiter reſiſtens. Exterior vero craſſior quidem ſolito, duritie tamen minor & paulo ſucculentior. Subſtantia pulmonum parvorum dura admodum, colore à ſano vix recedente, nihil præterea morboſi monſtravit. Hæc monſtra pectus hoc aluit.

§. IV.

Deſcendamus ad abdomen; quod vix inciſum erat, cum confeſtim profluxerunt aquæ paucæ. Hepatis autem, cujus pondus quatuor fere tranſcendebat libras, ſubſtantia ſcirrhoſa, dura, folliculum recondebat bile turgidum. Præterea lienem vidiſſes magnum, globoſum, rotundum, durum, nigrum infarctumque. Ren vero uterque inſigni flacciditate pollebat. Veſica tandem nihil morboſi exhibebat, & reliqua etiam viſcera ſic ſatis videbantur ſalva, cum imprimis temporis anguſtia, ſpecialem eorundem inſpectionem vetaret, quapropter ſcenam hanc abſolvimus.

CAPUT III.

Meditationes circa Hiſtoriam ſanitatis, morbi, mortis & eorum, quæ poſt mortem in cadavere ſecto viſa ſunt, proponit.

§. I.

PUlchre non minus quam vere, *Illuſtris Verulamius* (*f*) de corpore humano effatus eſt, quod varia ejus & ſubtilis compoſitio & fabrica, effecerit, ut ſit inſtar organi muſici operoſi & exquiſiti, quod harmonia ſua facile excidit, atque in eo conſiſtere plane Medici (addo mentis) officium, ut ſciat humani corporis lyras ita tendere & pulſare, ut reddatur concentus minime diſcors & inſuavis. Detexit namque diligens

(*f*) de Augm. Scient. L. 4. c. 2. p. m. 103.

gens & perſpicax Anatomicorum cura (*g*) quod ex tenuiſſimis fibrillis nerveis tot nervi, nervorumque reticula, complexus; ex fibrillis vero carneis, tot filamenta, faſciculi & tandem muſculi & ex utrorumque contextu & compoſitione mirifica, tot cavitatum, membranarum, vaſorum & viſcerum numeri orti, & ſuo quovis ordine diſpoſiti, admirandum ſolidarum corporis noſtri partium ſyſtema efficiant. Monſtravit inſuper ratio & experientia, nervos rigari undis placidis, quas ſpiritus veteres ſuccum nervorum recentiores vocandas ſtatuunt, à quarumque circulo contractorius partium motus peragitur: arterias vero venaſque ſanguinem continere, expanſivum motum exercentem: à quorum mutua combinatione & legitima diſpenſatione, ita, ut unius niſus alterius vires non nimis præponderet, partium ſolidarum tonus oritur. (*h*).

§. II.

Atque ex his ſolidorum fluidorumque motibus conſtat, corpus humanum hactenus à reliquorum animantium machinis non multum diſtare. Ut vero homo ſit, alia à ſummo Creatore inſpirata ipſi eſt ſubſtantia, quam mentem & animum dicimus, cujuſque naturam variis cogitationum effectibus aliquo modo dignoſcere, nunquam ſatis exhaurire poſſumus. Ab hac dependent omnes motus in corpore noſtro obſervabiles, tam, voluntarii, quam involuntarii (*i*). Quando itaque corporis ſolida & fluida ita ſunt inter ſe connexa, ut motui mentis obſecundent, & contra hæc ab illis iterum afficiatur, *vivere* dicitur homo. Cum vero mutuum illud actionum motionumque commercium, b'ande, ſine ullo, ulla in parte impedimento aut doloris ſenſu perdurat, *ſanitate*, & quidem optima frui dicimur: & tum videre licet harmoniam jucundiſſimam, quoſvis omnium muſices inſtrumentorum concentus ſuperantem.

Ut autem vita hominis & quidem ſana conſervetur, tria imprimis ſunt *poſtulata:* (1) *ut mens ſuos motus & operationes, neque nimis celeriter, neque nimis tarde in corpus exſerat, quam ejuſdem partium utraque ſpecies ſufferre poteſt*, ſi enim nimis celeriter h. e. impetuoſe agat, liquidum nerveum ad cor & extrema abundantius protrudet premetque, ut nervis contractione ſpaſmis & criſpatura affectis, ſanguinis circulus per vaſa ſua, & inde dependentes ſe & excretiones impediatur: ſi nimis tarde, ſanguinis vis expanſiva renixum nervorum ſuperabit, unde motuum ſuffocationes orientur.

 (2) *Ut*

(*g*) In hac re prolixius demonſtranda præter *Ill. Bartholinos, Malpighium Ruyſch, Verheienium* & multos alios occupatus fuit imprimis longiori vita dignus, perſpicacia & diligentia celeberrimus *Georg. Bagliv* in tract. *de fibra motrice.*

(*h*) Legatur omnino *Cl. Dn. D. Verdries* de *Æquilibrio mentis & corporis* p. 45.

(*i*) Quomodo diſtent hi motus, docet Celeberrimus *Bohnius Circul. anat: progymn.* 29. p. 451. ſi, quod ille de ſpiritu animali affirmat, de mente dicas.

(2) *Ut corpus à nativitate nulla labe inſigni aut morbo ſit labefactatum.*
(3) *Ut res non naturales pro diſpoſitione & temperie & ad menſuram perſpirationis adhibeantur.*

§. III.

Hæc igitur ſi applicemus ad Noſtrum ſubjectum, videbimus facile rationes, cur ejus juventus ſanitatis ornamentis non fuerit exuta, quamvis mentis conatus in ſtudiorum operibus ingens, & errores diætæ, h. e. ingurgitationes cibi potuſque exceſſu, quantitate & qualitate peccantes, fuerint frequentes? Nam ex utero materno tulit corpus nulla labe vitiatum, quod potius ita diſpoſitum erat, ut partes ſanguinem vehentes à nervis ſuccoque ejus non potuerint ſuperari, neque hæc ab illis ſupprimi, ſed in debita reciprocatione verſantes, alternis vicibus unum alteri ceſſerint, & ad priſtinum tenſionis ſtatum redierint, unde valetudinis proſperæ conſervatio gratiſſima. Quamvis autem mens ſtudiis inhærens, has vel illas partes magis tendat, alias vero negligere cogatur, & exinde diſſonantia oriatur, corporis nihilominus motus & exercitia, quibus mentis actio ad univerſum corpus & imprimis deſertas paulò partes v. gr. ventriculum, inteſtina, muſculos voluntarios &c. revocatur, cito ſopiunt quaſi concitata &, & ſtimulant ſopita. Et quandoquidem exercitia corporis ſtomachum roborant, ac præter alia, tranſpirationem augent, hinc à cibo potuque oppletiones, non confeſtim lædere potuerunt, ſed potius, ad reficiendos per exercitiorum labores deperditos humores, opem tulerunt. Quamdiu igitur corporis motus mentiſque æqua per vices dimetiebantur lance, tamdiu ſine labe ſenſibili ſanitas, ſine debilitate robur & omnia ſine diſcrimine manebant. Aſt alia longe facies apparuit, cum officii ratio aliud vitæ genus imperaſſet; dies enim noctesque ſedere, muſculorum motu deſtitui, ingratum & incommodum Noſtro erat.

§. IV.

Videamus vero brevius, quid *vita ſedentaria* damni adferat ſuis cultoribus in genere, & erit haud difficilis applicatio ad Noſtrum.

Exſerit autem noxas ſuas primo fere in infimo ventre & quidem ante omnia in ventriculo, cujus actio potiſſimum motu peculiari, tam proprio à ſtructura ejuſdem pendente, quam à circumeuntibus viſceribus, imprimis à diaphragmatis reciprocatione, promoto, abſolvitur.

Etenim dum ſedemus in ſilentio quaſi, & noſtris ſaltem cogitationibus, & quidem non adeo jucundis, auſcultamus, reſpiratio fit nec adeo fortis, nec adeo frequens quam decet, hinc ſimul diaphragmatis tardior motus, unde ſtomachi modo ad ſuperiora protractio, modo ad infe-

inferiora depreſſio, & ad inteſtina impulſus fit lenior & parcior, quo fit, ut quadruplex fibrarum ordo, ex quibus tunicæ conſtant, ſuo quoque officio non adeo alacriter præſint; deeſt igitur ſimul ingeſtorum ſufficiens concuſſio, volutatio & conſequenter comminutio, ſeu ut hodie quamplurimi loqui amant (*k*) trituratio, in tantas minutias, quæ deinde liquidum chyloſum conſtituunt. His accedit, quod hac ratione cum ſanguinis tranſitu per vaſa ſtomacho propria lentiore & aortæ cœliacarumque pulſu languidiore, calor deficiat, & liquoris gaſtrici (*l*) quem fermenti nomine inique oderunt, ex convexitatis tunicæ villoſæ glandulis effuſio ſupprimatur, quæ tamen omnia ſimul ſumta, ad perfectam ciborum comminutionem ſunt requiſita maxime neceſſaria.

Ut nihil dicam de aliis adjumentis digeſtionis, motu interno hepatis & motu muſculorum abdominis &c. Glutinoſum igitur, craſſum, nec ſatis ſubactum chylum è ventriculo tum temporis prodire in aprico eſt, hunc autem in duodeno minus corrigere ac perficere poſſunt ad ſolvendum, diluendum, attenuandum liquoris chyloſi conſiſtentiam, jugiter alias affluentes liquores, bilis & ſuccus pancreaticus. Hi namque & ipſi à vita ſedentaria vitium contrahunt duplex: ut ſcilicet peccent defectu & conſiſtentia, atque, quod quidem ad bilem ſpectat, accurata phyſiologia docet, ad hujus confectionem plures conſpirare abdominis partes, vaſa, viſcera (*m*). Splenis ſiquidem fabrica arte obſervata, docet officium ſuum in eo præcipue conſiſtere, ut ſanguis propediem per portarum venam ad hepar tranſiturus, reddatur fluidus admodum, lymphaque tenui, aut ſi mavis ſpirituoſa turgidus evadat, ut in anguſtiis hepatis, ſeparationem eo facilius patiatur. Omenti præterea binæ venæ epiploicæ docent, ſanguinem lympha obeſa prægnantem viam repetere hepatis eum in finem, ut decenter abundet materia illa pingui; oleoque, cujus maxima pars bilis concretum efficit, ut nihil dicam de meſenterio & inteſtinis, quorum quæque vaſa venoſa cruorem ſuum mire mutatum, ad hepar mittunt, nullam ob aliam rationem, quam ut in hepatis carceribus, ſua quoque deponant ſpolia.

Aſt vero inter ſedendum incurvata corporis varieque & conſtanter inflexa figura, naturalem horum viſcerum vaſorumque ſitum immutat, motumque à diaphragmate reciprocantem & muſculis abdominalibus oriundum, & apprime neceſſarium coercet ac ſupprimit, unde viſcerum libertas

(*k*) De hac inter *Cl. Archib. Pitcarn.* Medicum Edimburgenſem ejuſque defenſorem *Thom. Boeri & Joann. Aſtruc.* Med. Tholos: Medic. & Chirurg. Profeſſ. diſceptatione legi poſſunt Memoires pour l'hiſt. des ſciences & des beaux arts, à Trevoux 1714. mens Nov. p. 1993. conf. m. Hiſt. de l'acad. royale des ſciences A. 1711. p. 37. prodiit quoque analyſis ſyſtematis de trituratione gallice Par. 1712. leg. m. *Dn. D. Verdries* Diſſ. de Actione Ventriculi.

(*l*) Judice *Excell. Dn. Bergero* de Nat. Hum. p. m. 133.

(*m*) Conf. *Malpigh de lien.* 2. *Drelincurt de lienos: Bohn. c. anat.* p. 290. *Berger N. H.* p. 214.

tas ſuffocatur, vaſa premuntur, intorquentur, in diverſa quævis trahuntur, unde eorundem oſcula clauduntur, viæ anguſtantur, cruoriſque motus invertitur, impeditur, ſtagnantis igitur coacervatio, tumor, vicinorum preſſio, & præter infinita mala, glandulas meſentericas meſaraicaſque & ab iiſdem ſe & excretiones, afficientia, in hepate imprimis cruoris fit annona, qua facta, hoc feriari cogitur: bilem ergo chylificationi adeo gratam non effundere poteſt in duodenum. Idem eſto judicium de pancreate, cujus ſitus prope primam lumborum vertebram ſub fundo & poſtica parte ventriculi, ab incurvato corporis poſitu, preſſionis damna ſecretionem & excretionem in inteſtinum deſtinati ſucci, invertentia, vel leviter inſpicienti, ob oculos ponit. Quod vero ad conſiſtentiam bilis ſpectat, illa quoque vitium contrahit, dum partes oleoſæ ob recitatam preſſionem vaſorum & viſcerum, retardantur, ut præter ſubtiliorem lympham ſalinam, acrem, paucis olei atomis conſperſam nihil ad hepar commeare queat.

§. V.

His ita ſe habentibus, non mirum eſt, quod chylus oſcula & vias lacteorum & parce intret, & ob molem craſſitiemque, tardiorem progreſſum moliatur, faſcinatis imprimis preſſione & quiete immoderata ambientium, meſenterii oſcillationibus.

Cum igitur cordi affunditur, ad perditorum reſtitutionem, chylus craſſus parcuſque, hujus ſyſtole & diaſtole multis modis pervertuntur; illa, contractio nimirum, cito abſolvitur, hæc vero tardius, unde inæqualis pulſus imprimis oritur; cordi autem vicinus pulmo, omnem ejus liquorem immediate è dextro thalamo excipiens à tenacis cruoris reſiſtentia infarctus, deinde difficilem reſpirationem patitur. Hinc vero ulterius in univerſas corporis latebras ſe inſinuat malorum caterva, quam, ſi omnem depingere vellem, inſtituto meo injuriam facerem. Unicum dicam de motus ſenſuſque emporio, cerebro, cujus mirabili ſubſtantiæ, imprimis corticali, infinitis & labyrintheis vaſorum ſanguineorum conglobationibus textæ, cruor vitalis perenni circulo affunditur, ut ſecretus ex eo ſubtilis liquor, lymphæ tenuiſſimæ ſubactiſſimæque ſimilis, olim ſpiritus, hodie ſuccus nervorum audiens, ſine intermiſſione prematur ex cerebro & cerebello, partim in univerſum corpus, ad motum & ſenſum neceſſitate naturæ requiſitos, partim vero, in particularia loca, pro ſpeciali nutu, imperio & voluntate mentis mittatur. Hic loci idem ſanguis, ob moram in pulmonibus, à corde ſegnius propulſus, atque ad promtam ſecretionem ineptus, variis occaſionem præbet ærumnis, torpori ſenſuum, memoriæ labili, motuum vitalium, naturaliumque remiſſioni, unde tamen toti œconomiæ peſſima ſerpenſque affricatur labes.

Omne

Omne malum jam per circulum augetur multiplicaturque, ut fere, unde principium dependeat, ignores. Inteſtina retinent, deficiente fluido humectante ſcybala, abſente nervorum ſucco, moleſtiam menti deferente, roburque ad excretionem muſcularibus inteſtinorum fibris ſuppeditante. Stomachus cibos diutius quam par eſt, retinens, maximam eorundem partem convertit in mucum acrem viſcidumque, à cujus pondere & roſione oriuntur nauſeæ, vomendi conatus & ipſæ quandoque vomitiones, tuſſes ſtomachales &c. Hi tandem calamitatum cumuli in hypochondriis ultimam crudelitatem exercent, & miras ſpaſmodicas tenſiones, obſtructiones, flatuum incarcerationes, anxietates, inquietudines, & ſexcenta alia producunt, ut nihil dicam de ſcorbuto, calculo renum & veſicæ, ſcirrhis hepatis & lienis, quæ mala imprimis accedere ſolent, quando ſedendi conſuetudo longius pertinaciuſque protrahitur.

Tanta à nimia vitioſaque corporis ejuſdemque partium fluidarum ac ſolidarum quiete oriuntur incommoda.

§. VI.

Magis fortaſſe ſalutares effectus producet motus ab incondita motione mentis ortus? Neutiquam! etſi ex accidenti aliquando promanet in illud utilitas [*n*]. Utplurimum enim turbata illa animi agitatio ab objecto tam grato quam ingrato excitata, ordinem ad perennem vitæ prorogationem deſtinatum pervertit, & omnia quæque in perniciem cœco tumultu projicit.

Ira præcipue, quæ inſania brevis eſt, *quaque nihil intempeſtivius* (utar verbis [*o*] Cl. Pechlini) *hominem magis quam ullus effectus ſibi eripit, aliumque oſtendit à ſe ipſo*, miſcet quadrata rotundis. Aſpice enim externas habitus humani mutationes: ô quantum diſtat ab illo, quem vultus ad honeſtatem, humanitatem, ſuavitatem, hilaritatem compoſitus, omnium amori commendaverat? Illum, accenſis irarum ignibus, minantes frontis indecoræ rugæ, ſupercilium faſtuoſum, peſtilentiarum halitus, dirarum fumi, odio acerrimo dignum & meticuloſorum & generoſorum, diverſo tamen effectu, produnt.

Hiccine autem ſine nervorum, fibrarum muſculoſarum, viſcerum mirifica ſtricturæ & relaxationis viciſſitudine, ſine fluidorum, modo retardatione, modo acceleratione agi poſſe putas? Quem vero intellectus vires eouſque dereliquerint. Aſpiciamus ſaltim bilis ex hepate in ventriculum regurgitationes, atque exinde flavi viridiſque liquoris vomitiones; per-

[*n*] Conf. *Pechlin obſervat.* 22. 24. ubi metum & terrorem morborum remedia proponit.

[*o*] *Obſ. XXV.*

perpende noxas potus poſt iram, morte lenta vel ſubitanea ut plurimum obſignandas.

Cur poſt iram appetitus plenaria, & tam difficulter reſtituenda, deſtructio, brachiorum pedumque tremor & diu durans vacillatio, lipothymiæ & alia innumera; ut de memoriæ imbecillitate, judicii defectu, nihil dicam? Anima ſane quid agat neſcit ſibique non amplius conſcia eſt, nam *non ſani ſunt quos ira poſſedit*, ſapienter judicante [p] *Seneca, decoris oblita, neceſſitudinum immemor, in quod cœpit, pertinax & intenta, rationi conſiliiſque præcluſa vanis agitata cauſis, ad deſpectum æqui verique habilis, ruinis ſimillima, quæ ſuper id, quod oppreſſere, franguntur.* Non ergo mirum, ſi nervos modo conſtringat modo relaxet, uno enim fere momento, erratico conamine, vix cor, hepar, diaphragma corripuit, ad artus provolat, manus ad certamen roborat, pedes ad fugam incitat, huc illuc agitat, audaciam, metum, calorem, frigus, ruborem, pallorem, uno omnia ictu excutit.

Hæc ſane æquale flumen ſanguinis & ſpirituum turbant, non in uno, ſed pluribus locis, unde vero ſanguinis eruptiones, vaſorum obturationes, viſcerum tumores, tonus omnium inverſus & debilitatus, non oriri non poſſunt; ſi imprimis occaſio ſæpius vel quotidie, imo in horas concitet mentem ſibi non conſtantem.

§. VII.

Perniciosa hæc ſunt, fateor. Non minorem autem, ſi non majorem ſanitatis labefactatæ culpam affert *diætæ malitioſus error.* Maximam autem habet, cum præcedentia preſſo pede ſequitur.

Menſa ſiquidem, præcipue veſpertina, prodigioſa manu [q] ad gulæ irritamenta, prout libido ingenioſa reperit, comparata, blanditur avaro ſtomacho, eundemque antea corrugatum & contractum, vi ſuavi replet, moleſta deinde diſtendit, noxia gravat.

Cum autem ab aſſumta ciborum copia læſio imminere perſentiſcatur, à fluidi ingurgitatione, ſanitatis, hilaritatis denique poculo & titulo comitata, medela petitur, non quidem malo conſilio, ſed peſſimo tamen eventu. Etenim (1) *aër nocturnus*, tranſpirationi adeo infenſus, perennem ſuperfluorum effluxum retardat, unde humorum moles augetur, motus adeoque circulatorius ſe & excretorius pervertuntur. 2do Autem *ſtomachus* diſtentus atque à ſedenti iterum figura preſſus elevat hepar, & cum eo diaphragma ad ſuperiores pectoris regiones propellit, quo thoraci ſpa-

[p] L. 1. c. 1. de ira.

[q] Ubi abſurdos etiam rogat in libamina ſuccos, inque ſuum damnum lingua ſapore furit.

Legi merentur, quæ ſoluta ligataque oratione graphice monuit *Venantii Pacati ſolitudo ſ. querela de tempore p.* 45. 49.

ſpatium anguſtatur, ſanguinis per aortam fluxus verſus inferiora retardatus ad ſuperiora adigitur; per cavam vero refluxus contrario modo afficitur vel mutatur. Præterea idem ventriculus, *pancreas*, cui pulvinaris inſtar incumbit, ad vertebras duriores & reſiſtentes comprimit, unde hujus actio, ſecretio nimirum ſucci & effuſio in duodenum invertitur. Et quid dicam de arteriis & venis ipſum ciborum ventriculum circumdantibus? Quarum illæ cruorem à cœliaca affluentem excludunt; hæ vero eundem ante receptum expellunt, ut hinc exſanguis & frigidus vicinis interim nimia copia turgidis & calentibus viſceribus. Atque ſi nervorum, à pari vago, poſt emiſſos ſurculo cardiacos pneumonicoſque orientium, juxta œſophagi latera deſcendentium, conditionem ſpectemus, eadem fere, quæ cruoris canales, patiuntur. In ea ſcilicet, quæ principia ſpectat, regione, repletionem, in inferioribus vero inanitionem, patiuntur: atque ex ea ratione quietum primo ventriculum obſerves & ad ciborum comminutionem ineptum: orificii deinde ſuperioris inquietudinem, unde nauſeæ, vertigines, ſcotomiæ, tandem cordis pulſus celeriores, ultimo aliquo modo ſuffocatos, hinc lipothymiæ, eclipſes virium, pulmonum ſpaſmus, qui difficilem reſpirationem, aſthma & plura producit mala.

Paucis, centeni ex his ſequuntur effectus, œconomiam corporis ſenſim & ſubito labefactantes.

His tandem ſi peſtifera accedat conſuetudo, qua cœnam conſummant *tabaci fumo*, hæc imprimis fiunt: ſaliva ſuperſtes ſana elicitur & ejicitur à glandulis faucium, oriſque ſiccitas removetur potu novo cereviſiæ vel vini, quæ fumi ſpicula ſalina, oleoſa, acria, in faucibus hærentia, eluunt & ad ventriculum portant, ubi languentem fibrarum motum vi ſontica provocant, ut nolens volens ciborum contenta ejiciat, idque pro re nata, excitataque violentia, ἄνω vel κάτω præterea, advecta ſanguini dicta acrimonia, motum ejuſdem intendit, & ad tranſpirationem inſenſibilem, imo ſudorem cogit celerrimum, quæ operatio in ſe quidem ſalutaris eſt, quia autem vaſa tandem & membranæ cito citius ſimul exſiccantur, corrugantur, criſpantur ſtatumque acquirunt rigidum vix unquam corrigendum, maxime nocet. Ultimo *ſpiritus vini* vel ut politior paulo nec adeo vulgaris ſit titulus [r] Eſſentiæ ſpirituoſæ, aqua vitæ, ultimum his rebus finem imponunt: vi autem ſua ſtimulante fibras parteſque ſolidas, & coagulante fluida, varia ſuperaddunt incommoda, atque noxas, ab antecedentibus natas, augent: ſero imprimis ſanguinis inſi-

[r] At nunc dira, malum! ſubiit mutatio mentem,
nec phlegethonteas lingua recuſat aquas.
Mollibus & ſuccis ſpretis abſinthia potas,
corruptæque, placent cauſtica vina, gulæ.
Nec bibis, ut fallas triſtem medicamine ſenſum.
ſed bibis, ut ſitias, perpetuumque bibas. *L. c. Ven. Pac. p.* 53.

inſidias ſtruunt coagulando & inſpiſſando, unde vaſa illud ſeparatim vehentia ejus flumen retardant ut ſtagnet, qua ſtagnatione facta in ipſa iterum vaſa damna extenſionis ruptioniſque, œdematis, hydatidis, aſcitis, hydropis cauſa, redundant.

Hæc omnia ſi ad morbos, *à vitæ genere*, *ex vita ſedentaria*, *affectibus animi* & *diætæ erroribus*, compoſito ortos, reflectamus, cauſas, cur imprimis *hypochondriaci mali facies* apparuerit in noſtro, docent ita clare, ut comparatione dictorum non opus ſit, niſi crambem recoquere velimus.

§. VIII.

Progredior potius ad ea, quæ morboſo jam corpori maximum attulere damnum.

Fuiſſet ſane *equitationis exercitium*, non ultimum auxilium, quo, tot ſanitati affricatas maculas abſtergere potuiſſet, aſt vero, quoniam in hoc quoque paſſu ad extremum dilabebatur, infortunio, quod à tot aliorum exemplis monitus, prævidere poterat, imo debebat, mactatus eſt: ex quo, concatenata mala, ut vitæ infenſiſſimi hoſtes, orta ſunt. Etenim, *à lapſu illo graviori*, quo ruit in terram pectuſque lapidi impactum eſt, ſex imprimis contigere, (1) Tunicæ aortæ aſcendentis & arteriæ pulmonalis diſtractæ, extenſæ, elongatæque ſunt, unde (2) Cordis ſitus mutatus. (3) Sanguinis à corde receptio, & propulſio inverſa. (4) Diaphragmatis motus præpeditus. (5) Denique reſpiratio difficilis. (6) Prima ad cordis magnitudinem & tunicæ aortæ in os coalitum, fundamenta.

Hoc rerum ſtatu, peculiaris ſanguinis diſpoſitio & copia erat neceſſaria, ſi non ſubito omnia corruere debebant; nimirum, fluidiſſima & molliſſima: illa, ut, non obſtante vaſorum anguſtatorum reſiſtentia, cordis impulſui facile indulgeret, atque coacta ſpatia tranſiret, hæc vero, ne renixu ſuo cordis debilitati hoc tempore robur, ſuperaret. Ex ea ratione ab acidulis Swalbacenſibus ſenſit commoda: regimen namque vitæ ad ſtrictas ſex rerum non naturalium leges comparatum erat. Aquæ nimirum ſalutares potæ, fluxilem reddebant cruorem; cibus autem & potus ex facillime ſolvendis, digerendiſque partibus conſtans, chylum ſanguinemque ſuppeditabant ſibi ſimilem; animus præterea, curis & affectibus triſtioribus vacuus; ſomnus placidus; excernendorum, quorum ſingularis tum temporis habebatur ratio, excretio. Hæc omnia eo collimabant, ut facili, blando, ſuavique flumine appelleret ad cor vitale nectar injuriamque ipſi illatam oblineret.

Cur vero domum reverſus, aquarum gratias tam cito amiſit? Ratio in promptu eſt, quia contraria e contrariis facile eluceſcunt, & ex §. 2. reſponſio repeti poteſt.

Scapularum autem *dolorem*, *cruris* deinde *manuſque ſtuporem & frigus*, ab

ab incurvata, inter ſedendum, eorundem figura, dependiſſe arbitror. Hæc enim affluxum ſanguinis & ſucci nervorum in partem impediens, ſenſum obtundit, calorem ſuffocat; effluxum vero ſ. tranſitum remorans, vaſorum extenſiones, partium fluidarum ſolidarumque attritus, dolores & inflammationes creat.

§. IX.

Inſecuta dein *præcordiorum anxietas*, *cordis palpitatio pulſuſque intermittens*, non leviter agitarunt medicorum ratiocinia, quorum cauſas poſt apertum cadaver clariſſime videmus. Relegamus ſaltim effecta lapſui (§.3.) N. 1. 2. 3. 4. 6. adſcripta; & non opus erit longiore repetitione. Cur vero *noctu auctiora* fuerint illa, *quam interdiu*, ab aëris & atmoſphæræ denſitate, frigiditate & humiditate dependiſſe videtur, quæ tranſpirationem inſenſibilem, non modo per univerſum corporis habitum, minuit, ſed eam etiam, quæ ex pulmonibus, ore naribuſque fit, humidi ſuperflui expirationem, coërcuit, unde ſanguis ad debitam non redibat quantitatem, & cor plus, quam capere poterat, cruoris recipere cogebatur, quo ipſo latera ejus ultra diametrum urgebantur; unde irritatio & deinde ſubſultatio a liquore nerveo ad auxilium laceſſito & paulo copioſius irruente, nata ſunt. Veritatem noſtræ ſententiæ, abunde confirmat, *ſudoris*, quem forte lecti provocavit calor, *proventus*: hoc enim erumpente, remiſſio & levamen. *Tuſſis* autem *ferina* cur noſtrum vere plurimum laceſſiverit, duplex imprimis ratio videtur eſſe; alia quidem univerſalis, ſpecialis altera. Prima repetenda eſt a variis circumſtantiis hyemem plerumque comitantibus, ut nihil rurſus dicam de tranſpiratione, hyeme minus expedita, & præcipue inæquali, qua multa ſanguini commixta manent, quæ excerni debebant, & hæc ejus fluorem ad ſegniorem circulationem pronum reddunt, unde, ut in aliis corporis partibus, ita non minus in locis reſpirationi dicatis, deponuntur ſenſim & conſervantur multa, quæ nunc quieta, veris vero renaſcente motu, per omnia quæque paulo concitatiori agitata, membranas, nervos, fibras muſculares, iſtarum partium ad excretionem irritant: illud ſaltim inculcabo, ab halitibus fuliginoſis; nulla fornace, quamvis exquiſitiſſime munita, arcendis, candelarum, imprimis, inſpiratis fumis & propriis humanorum corporum vaporibus reſorptis, oriri. Hæc enim omnia ſalini quid olidique continent, quod cum ſaliva ſtomacho, inſpiratu autem aſperæ arteriæ & pulmonum cellulis communicatur; ibidemque tamdiu ſilet, donec copia ejuſmodi effluviorum major, irritationem efficiat, quæ verno tempore, ubi aër e terra vaporibus ſalinis, oleoſis, terreis, imo infinitæ figuræ moleculis de novo repletus, agitatur, nullo amplius tegmine frui poſſunt, ſed ſui ſimilibus acuuntur ſpiculis, atque ſenſus inſtrumentis h. e. nervis moleſti fiunt, in criſpaturas, ſpaſmos & ſimi-

Ttt 3

ſimilia mala eoſdem conjiciunt, unde in conſenſum trahuntur partes vicinæ, muſculi intercoſtales & abdominis, diaphragma, œſophagus; quorum conſpiratione tam diu concutitur materia noxia, donec excernatur omnis, aut, affuſa per glandulas lympha dulci, diluatur, quo facto ſopiuntur dicta incommoda. In ſpecie noſter ferinam expertus eſt tuſſim, quia impurum h. e. craſſis & ſalinis ſcatens ex vita ſedentaria humoribus circumferens corpus, eo facilius ab aëris vernalis conſtitutione movebatur, materia interim peccante, profundius hærente & difficulter mobili, quo factum, ut vehementius & diutius, antequam excretio ipſa oriretur, ſollicitandus erat miſer.

Ex hiſce pateſcit ſimul cauſa, cur *glandulæ oris atque colli* ſæpiſſime *tumoribus* tentatæ ſint: nam ultima tuſſis volentia, his maximam vim inferens, affluxum uberiorem humorum huc provocavit, quorum ſaltem ſubtiliſſima pars excreta eſt, craſſior vero incuneata quaſi & durior facta; unde, pro re nata, *inflammatorius* aut *pituitoſus* ortus eſt *tumor*. Quorum poſteriorem *mercurius* potiſſimum diſcuſſit, quia ab ejus impetu ductus ſalivales excretorii oris latiores reddi ſolent, ut craſſiores paulo humores impoſterum ibidem nullam, ſaltem non tantam, remoram inveniant.

§. X.

Tum demum, poſt tot annorum lapſum *cordis augmentum* couſque proceſſit, ut diaphragmati quoque pondere ſuo negotium faceret. Cum enim hactenus ob ejuſdem ſitum mutatum, ſanguinis ejaculatio e ventriculis, ingentem conatum expoſceret, eundemque inter ejiciendum multiplicare cogeretur, affluxus liquidi nervorum quoque major alliciebatur, unde fibrarum faſciculi muſculares cordis glomum componentes ſenſim ſenſimque dilatati, molem ejus in omnem ambitum extenderunt, qua ipſa diaphragmati tandem contigua, moleſtias excitavit vix ſuperabiles, h. e. diaphragmatis motus dilatatorius impeditus, & conſtrictorius nimis diu in eodem ſtatu detentus eſt, quo ſimul coſtarum reſiliendi conſuetudo prohibita, illum à cingulo, exterius circumducto, anguſtiarum ſenſum effecit, quin & aſthmatis altera & præcipua cauſa fuit.

Nec mirum eſt, quod jam *ſudorum nocturnorum* eruptio ſimul moleſta fuerit. Notum enim eſt, conſtrictis multis partibus, quacunque demum id cauſa fiat, internis, ſtatim laxari cutis repagula, madoremque effluere, cum, contra, cutis ſpiraculis, vel clauſis frigore, vel obturatis pinguedine ſerum ſanguinis ad vaſa urinaria ſecedat, atque per eadem exitus viam inveniat.

§. XI.

§. XI.

Hic miſeriarum gradus diu adhuc protrahi potuiſſet, ſine feſtinante ſymptomatum exacerbatione; at vero, cum, indecoro numero crapularum, motus ſolidorum & fluidorum intenſior factus eſſet, non potuit non in ipſum [s] cor omnis læſio primario redundare, ejuſdemque magnitudo in molem pectori inimicam eo celerius excreſcere. Ecquis præterea non videt, decubitus, in latere ſiniſtro vel dorſo, adeo infeſti, reclinato vero pectore & capite tolerabilioris, cauſas. Hac nimirum ratione, cor ad ſuperiora paulo revolutum, diahragmati inprimis ſpatium conceſſit, quo liberius exſultare poterat, pulmones quoque, qui, ſueto ſitu, coſtis vertebriſque, maximam partem affixi hærebant, tum demum locum paulo ampliorem, adeoque expanſionis ſuæ gratiſſimam libertatem nacti ſunt.

Cum tandem ab ultima linea rerum proxime diſtaret, & nemo medicorum tum temporis mirificam illam cordis, ſi excipiam ſuſpicionem de ejus polypo, læſionem hariolari poſſet, non mirum, quod in varia diſtraherentur ſententiarum genera. Neque tamen malo inſtituto vena ſecta eſt, ſiquidem, detracto ſanguine, imminuta eſt copia illa cor ingrediens, quæ alias, ob polypos intus latentes, moleſta erat. Cur vero *ſanguis pleuriticorum ſimilis* fuerit, actio imprimis pulmonum læſa, non tamen excluſis plane aliis viſceribus, in cauſa eſſe videtur; etenim in his ſanguinis partiumque ejus connexio debita perficitur, eaque diſpoſitio ipſi conciliatur, ut per ſubtiliſſima, reliqui corporis vaſa, tranſeunda, aptus reddatur, hæc autem à pulmone læſo, contra ſe habent. Hinc etiam dependet *macies totius corporis*, nam cruor, per minima tranare ineptus, multas partes deſerere cogitur, iiſdemque ſuam cuivis deſtinatam, non poteſt diſpenſare particulam, unde collabaſcunt fibræ univerſi corporis & macies oritur.

Reliquis, quæ circa finem vitæ noſtri acta ſunt miſcere nolo meum judicium, ne forte duriora dicam, limiteſque conditionis meæ tranſcendam. Pergo itaque, ad reliqua. Ad cap. 2. §. 1. & 2.

§. XII.

Non ſolum vulgus hominum à ſui cadaveris poſt mortem diſſectione, graviſſimo edicto, arcere ſolent medicorum manus, ſed fuere etiam, inter viros doctos non infimum locum tenentes, qui hancce anatomicam operam tanquam ſupervacaneam, quippe qua effectus morbi, nulla vero, ſecun-

[s] Elegans & veriſſima hujus effectus cauſarum evolutio & demonſtratio legi poteſt in *Chriſt. Stroemii* nova theoria motuum reciproci machinæ animalis ex partium ſtructura & proprietatibus propoſ. v. p. 28. 29. ſſ.

ſecundum ipſorum quidem erroneam opinionem, cauſa morbi prægreſſi detegi queat, proclamarunt. A vero autem hos aberrare, præter experientiam quotidianam, docent magni ſane doctiſſimique viri, quos inter non ultimus eſt *Olaus Borrichius*, qui, ut patet ex *Thom. Bartholin.* [*t*] *Epiſt. Med. optandum fore*, *inquit*, *ut ad hanc curam* (ſcilicet, anatomen cadaverum morbo defunctorum) *ſe proſectorum induſtria dimitteret*, *quibus in noſocomiis cadaverum copia ſuppetit.* Neque aliter ſentit magna in Republ. medica autoritate præditus *Celeb. Stahlius diſſ. de phthiſi cap.* 4. quando dicit. *Cadaverum poſt mortem ſpontaneas ſectiones ad illuſtrandam pathologiam medicam plurimum poſſe*, *ut in genere nemo negaverit*, *ita in ſpecie tanto majorem utilitatem affere poſſunt*, *in ejuſmodi morbis*, *ubi abſtruſior quædam ratio atque minus ſolita adeoque rara conſtitutio adeſſe*, *apparet.*

§. XIII.

Hæc ut eo melius pateant liceat mihi iis, quæ à *Boneto in ſepulchreto*, *Mangeto in Bibliothec. med. pract. Bartholino*, *Blancardo*, *Wepfero de apoplexia* & aliis pluribus uberrime conſignata ſunt, quædam exempla addere, quæ partim ex communicatione *Excellent. Dni. D. Henſingii*, *Profeſſoris in hac Alma clariſſimi* accepi, partim ſub Præſidio ejus ipſe vidi. Erat Gieſſæ ante 5 annos puella tredecim annorum, quæ a primis uſque vitæ lineis conqueſta eſt de dolore obtuſo & pondere ſub regione diaphragmatis atque acute dolorifico ventriculi ſenſu. Quæſita eſt ſtatim medela, aſt incaſſum. Crevere cum annis dolorum numeri, donec ſimul reſpiratio difficilis, ciborum plenarium faſtidium, quin poſt eoſdem, quamvis molliſſimos, aſſumtos, ad vomitus proclivitas & ardentiſſimi ſtomachi cruciatus ſecuti ſunt. Præterea atrophia totius corporis, debilitaſque nunquam reficienda conclamatam eſſe rem miſeræ indicabant. Agebatur tum temporis vomitoriis, vinis laxativis, aperientibus, martialibus, uterinis, ſtomachicis externis & internis, iis tandem, cum tuſſicula ſicca atrophiæ acceſſiſſet, emulſiones, lacticinia caprilla, ſerum & ſaccharum lactis, addita, at vero omnia ſine fructu tanquam cadaveri infundebantur; ut nihil dicam de iis, quæ clam a medicinæ ſimiis thraſonibuſque oggeſta & ingeſta ſunt. Tandem cum 8 ſeptimanas ultimam toleraſſet valetudinem, mors vitæ ſcenam finiit. Parentes igitur, quorum filia natu major paulo ante eandem luſit tragœdiam, eundemque habuit vitæ exitum, cupiditate ſciendi, quænam miſerrimæ vitæ cauſæ fuerint, ducti, ſectionem, quam in priore demortua filia neglectam flebant, imperavere. Apertum itaque eſt pectus, præter flaccidum autem cor, pulmoneſque pleuræ leviter adnatos, nihil exhibuit. Diſſectum igitur abdomen. Hic occurrit hepar tanta magnitudine, ut ultra dimidium cavitatis hujus

[*t*] Cent. 4. Ep. 29.

hujus oppleret in omnem fere dimenſionem, atque pondus ſex & dimidiæ librarum æquaret. Stomachi burſam vix invenire licebat, ejuſque cavum ne nucem quidem majorem capere, tunicas vero ejus tenuiſſimas eſſe, mirati ſunt profectior & adſtantes. Glandulæ præterea meſentericæ multæ materia alba viſcida turgidæ tumidæque aderant, reliquis omnibus ſalvis.

Aliam notatu non minus dignam addo:

Infans ſeptem annorum, ſæpius de dolore ventris infimi circa umbilicum querulus, accepit remedia anthelmintica, imprimis limat: martis, optato cum ſucceſſu. Exiverunt enim vermes ſpithamæ longitudine rotundi, principium ſui corporis & finem acutiſſima habentes, junioreſque vermes, per longum pellucidi corporis extenſos, gerentes, iique multi & frequenter. Poſtea, cum aliquando mane ſitiret, vaſculum atramento plenum prehendit, liquoremque atrum cupidiſſime hauſit magna copia, antequam ingratus ſapor incautum moneret. Abhinc nauſea quandoque tentatur, ſequuntur vomitus, appetitus proſternitur, abdomen tumet doletque, ſitit perpetuo, pruriunt nares, pullities verminoſa aliquoties egreſſa, medico, hauſtus atramenti ignaro, perſuadet novi præſentiam nidi verminoſi, ingeruntur adeoque contra hunc medicamina, purgantia ſpecifica, amara & omnia quæque. Sed lavatur æthiops, incrementum contra capit malum, & ſpatio ſemeſtris cruciat, uſque dum totius corporis macies, abdomine nihilominus explicato, conſummata, vitæ ſimul filum abrumpit. Quid conſilii? Inſpiciuntur ſollicite exta, & inveniuntur ad orificium ſuperius ſtomachi duæ ſubſtantiæ tumidæ, duræ, calloſæ, materia cretacea plenæ, velut janitores illius iniqui, viam fere omnem præcludentes. Hinc inde etiam in meſenterio oberrantes glandulæ viſuntur caſeoſa indurata maſſa refertæ vaſorum lacteorum canaliculos comprimentes. Hepatis ſimul parenchyma vitio ſcirrhoſo contaminatum, pauci vermes.

Non pigebit ſequentem quoque percipere hiſtoriam.

Puella quatuor annorum nacta eſt matrem, quæ, dum conjugalem odio habet viri amorem, aliorum damnata ambiens lenocinia, deſeruit curam infantis & ancillarum commiſit inſpectioni. Ab hiſce autem nutritur caſeo, fructibuſque horæis aliquandiu, uſque dum valetudo miſellæ proſpera concidit. Omnia ſymptomata adſunt præſentiam nocivorum inteſtinalis ductus hoſpitum arguentia. Afferuntur probatiſſima omnia antidota, at nullus inde effectus. Sub clamoribus igitur, à contumaci dolore excuſſis, poſt tres menſes e vita exceſſit. Nudata poſt mortem abdominis viſcera, &, dirum ſpectaculum! Inteſtina à vermibus infarcta ſunt viſa. Ultra centum inveniſſes ulnæ longitudinem ſuperantes, quorum

quidam ora acutiſſima pyloro affixerant tenaciſſime, aliqui, reliquum inteſtini ductum ad recti uſque finem occupaverant.

§. XIV.

Nuper admodum ruſticus in via mortuus eſt inventus, cui illatæ forte violentæ manus ſuſpicionem moverant variæ circumſtantiæ; juſſu itaque Superiorum diſſectum, tria inprimis notatu præ ceteris digna, exhibuit cadaver:

In pectore nimirum ambo cordis thalami polypis, uterque duobus infarcti: dexter inprimis duos digitos latus, pedibus ſ. fibrillis ſuis prope arteriam pulmonalem inclavatus & reconditus hærebat; polypi hi exſiccati membranam exhibebant craſſam, ſolidam, duram, fiſſilem, glutini ſicco non abſimilem. In abdomine hepar magnam cavitatis partem opplevit, ſuaſque extremitates laterales extendit uſque ad vertebras, ibidemque adnatum fuit; in ſiniſtra cumprimis parte appendix conſpiciebatur latitudine manus, cujus parti convexæ lien multis, craſſis tenaciſſimiſque fibris conjunctus erat; ut taceam ingentem craſſitiem, qua ſuperior hujus hepatis pars, diaphragmati appenſa, pollebat.

In capite tandem, præter externorum, integumenta univerſalia & muſculos perreptantium canalium, turgeſcentiam, ſanguiniſque tenuiſſimi, rubicundi, ad inciſionem imbrem, atque internorum quoque vaſorum piam matrem decuſſantium, intumeſcentiam, illud imprimis notatu dignum, quod plexus choroides, qui corpora ſtriata tegere ſolet, fuerit retractus & convolutus, ejuſdem vero vaſa admodum turgida, rubicunda & corpuſcula multa per rete illud ſanguineum diſperſa rotunda (an glandulæ ſint, nec ne poſt *Malpighii* aliorumque experimenta *Cl. Ruyſchii*, *Ravii* & reliquorum perſpicaciſſimorum Anatomicorum inveſtigationi & judicio relinquo) præter morem craſſa, duraque, in ipſis autem ventriculis nullus ſanguis extravaſatus.

Adhuc unum memorare liceat, quod in ſutoris cujuſdam phtiſi demortui, arteria magna inventa ſit ſubſtantia ulnæ longitudinem æquans, quæ, ubi cordis cavo affixa, unum pollicem lata erat, in acumen enſis inſtar deſinens, cultri aciem eludens, tenax, flexilis, corio ubique ſimilis.

§. XV.

Ex his & ſimilibus moniti Stahliani ſuperius allegati veritas & neceſſitas elucet, ni fallor ſatis ſuperque, ſi modo paulo altius animum advertere velimus. Et niſi plane erro, ad illud inprimis conferent, corporum morbis defunctorum Sectiones, ne in quovis morbo ſtatim ad ſcorbutum & neſcio quas fictitias morborum cauſas delabamur; ut dein-

de cauti parcique in oblatione medicamentorum, prudentes vero in regimine diætetico præſcribendo, ſapientes denique in prædictione vel ſalutis vel mortis reddamur: ut tandem de morbis non ante decernamus, multo minus clam ægrotantibus, noſtra, ad lucrum ſæpe magis quam ſalutem ægrorum comparata medicamina commendari curemus, (qui Empiricorum, lucri cauſa ſolum medicinam facientium, mos eſt) quam ipſi, oculis, mente, judicio, ægrum, morbum, & omnes circumſtantias probe inſpexerimus & ſollicite perpenderimus. Ecquis etiam non cernit in obſervationibus ejuſmodi τὸ θεῖον illud *Hippocratis*, quod toties in morbis prædicat, quo adeo ſæpe Medicorum intellectus manuſque confunduntur, medicamentorum vires infringuntur, & apud imprudentes opprobrium arti immerito conciliatur.

Prætereo lubens ea, quæ in §. 2. hujus Capitis ac §. 3. afferuntur, tanquam in antecedentibus jam illuſtrata: hic autem occurrunt *polypi & arteria oſſefacta.*

§. XVI.

De veritate equidem *exiſtentiæ polyporum* poſt *Tulpii*, *Bartholini*, *Malpighii*, *Pechlini* documenta, adſtipulante experientia frequenti, nullum amplius dubium reſtat. Neque rationem video, cur quis hos cordi denegaverit, cum & hujus & aortæ aliarumque partium polypos abunde memorent *Ephemerides Naturæ Curioſorum*, *& de Cordis Polypo* inprimis etiam legi mereatur elegans *D D. Snellii Diſſertatio inauguralis* ante 16. annos heic habita. Præterea & vermes & calculos occupare ſæpius cordis cava annotavit, Medicorum induſtria. (*u*) Imo carnis glanduloſæ libras duas impleviſſe ſiniſtrum cordis antrum dum (*x*) *Veſalius* aſſerit, nihil adeſſe video ſit quod dubitare amplius nos ſinat.

Quod vero generationis modum ſpectat, an omnium una ſit eademque ſententia, nolim tuto affirmare. Mihi videtur vera & ultima cauſa partim à corde ipſo, partim à pulmonibus dependere, prout nimirum hæc duo viſcera, à ſtatu ſano recedentia, ſanguini eundem, qui ad ipſius immutabilem minimorum mixtorum contiguitatem requiritur, motum, ſat fortem, imprimendum, deficiunt. Quantum enim ad fibroſam compagem, quam adeo facile ſubit ſanguis, impediendam globoſamque figuram lævigandam conferat pulmo, fabrica ejus & actio ex anatomicis phyſiologiciſque repetenda, docent.

Quantum vero ad miſcendum chylum cum ſanguine, conquaſſandam totam mixturam, fluoremque uniformem in reliquis vaſis ſanguineis continuandum, præſtet cor, ex iiſdem haurire documentis, facile eſt: adeoque ut tempori parcam digito monſtraſſe tantum ſufficiat. Nolim tamen

(*u*) cf Schenck. obſ. Med. de cord. p. m. 272. 273.
(*x*) L. 1. c. 5. de corp. hum. fabr.

ſemper excludere reliquorum viſcerum, ventriculi, lienis, hepatis &c. vitio, quibus ſanguinis maſſa multis moleculis craſſioribus, motui ſolidorum varie reſiſtentibus, & facile è nexu totius fluidi recedentibus, conſpurcari ſolet, id quod hypochondriacorum, cachecticorum ſymptomata monſtrant.

§. XVII.

Quamvis hæc ita ſe habeant, fidem fortaſſe ſuperabit *arteria oſſefacta*. Quid vero obſtaret, cum pleuram totam ad oſſis omnimodam duritiem compactam, Lipſiæ, ante 12. annos in Noſodochio, poſt tertiam à mercurio excitatam ſalivationem, totieſque lue venerea contaminatum monſtraverit cadaver, ut ſilentio præteream, quæ de oſſiculis in corde B. Claræ de monte Falcone, item oſſibus meningum rupis inſtar concretis, cartilagine ſcutiformi laryngis oſſea *Pechlinus* (*y*), autor fide digniſſ. recenſet.

Quid ſi dicam, partes internas tendinoſas, membranoſas, ligamenta &c. in os converti non modo, ſed lapidum etiam induere naturam. Mirari ſane, non negare, decet rem ſtupendam, quam in muliere triginta ſeptem annorum, ubi *uterus* ex lapide, pondere ſeptem librarum, *veſica* quoque *lapis* viſa ſunt, annotarunt. Nec minus mirandus eſt fœtus exacte formatus, & viginti octo annis in utero geſtatus, marmorea duritie conſpicuus, quos duos caſus refert laudatus *Schenkius*. (*z*). Quo ſpectat etiam *Hiſtoria Fœtus Muſſipontani* extra uterum in abdomine reperti & lapide facti, ab *Excellent. D D. Strauſſio*, *b. m.* cum reſolutione ſua variorumque *Cl.* virorum Commentis olim edita. Ut autem horum poſteriorum æthiologia abſtruſior paulo erit, ita arteriæ noſtræ oſſefactæ cauſas planiores eſſe & facilioris indaginis, autumo. Conſtat nimirum arteria quatuor inprimis tunicis, quarum interior, membranoſa aut nervoſa vulgo dicta, fibris conſtat in longum protenſis, quæ vicinæ tunicæ muſcularis fibras circulares l. annulares ad rectos angulos ſecans, videtur tendinoſarum fibrillarum, per grandiorum quoque muſculorum corpora diſperſarum, obire officium, atque ab illis vix differre. Tertiam ab hiſce vocant glanduloſam, quæ craſſa eſt & in varias lamellas diffindi poteſt, quarum quævis peculiare ſpatium interjectum poſſidet. Quartam denique obſervamus, quæ reliquas inveſtit, vaſculoſam quippe, quam contexunt vaſa præcipue ſanguinea. Harum tunicarum quævis ſingularem partium ſitum, connexionem, contractilitatem, ad duritiem & ſiccitatem, mollitiemque & ſucculentum ſtatum, diſpoſitionem obtinuit, quæ omnia, pro diverſitate moti cruoris, varia mutationum genera ſubeunt.

Nam

(*y*) Obſ. Phyſico-Med. p. 311. 312. 313. cf. m. *Jean Joſeph Courtial* nouvell. obſerv. anatomiques ſur les os p. m. 7.

(*z*) Obſ. Med. l. 4. 608. 609.

Nam interiores duæ tunicæ fibroſæ eam habent ſuorum minimorum cohæſionem, ut ſint cæteris paulo rigidiores, elaſticæ atque ad ſiccitatem pronæ, talis enim ſtatus, ad impetum, perpetuo irruentis è corde liquor's ſuſtinendum, requiritur. Hic ſtatus vero ab affluente, è tunica glandulоſa, humore, moderatur, poſita ſanitate, ne ulla ratione corrumpatur.

Quando igitur, quocunque demum id fiat vitio, appulſus ſanguinis à fortius expellente corde, fit major, quam diameter renixus iſtarum tunicarum patitur, tunc ſenſim ſenſimque harum fibræ ſibi propius accedunt, atque, cum tunica glandulоſa ſimul premitur, ejuſdem, ad irrigationem ſubjectarum deſtinatus liquor, repellitur, ſupprimitur, unde oritur ſiccitas, à qua partium minimarum coaleſcentia, talis naſcitur, tempore, ſubſtantia, quæ omnes oſſis affectiones præſentat, ipſa vero glandulоſa tunica non omnis, neque tam cito indurari poteſt, quia non modo majorem ſucci copiam affatim continet, ſed una etiam cum multiplici membranarum ordine, plura & vaſtiora habet ſpatiola, quæ omnimodam ſubitaneamque compreſſionem coalitumque retardant. Ex eadem ratione exteriorem vaſculoſam minus periculum damnumque experiri facile perſpicere licet. Si jam repetere placet ſitum cordis ejuſdemque magnitudinem in c. 2. §. 3. notata & expendere occaſionem ex cap. 1. & quæ dicta ſunt cap. 3. §. Unicuivis applicatio eorum, quæ jam dixi, erit omni difficultate deſtituta, quapropter manum de tabula, ſufficere enim hæc ſpeciminis loco poſſunt.

FINIS.

CHRIST.

LXV.

CHRISTIANI GODOFR. STENTZEL,

DE

STEATOMATIBUS

IN PRINCIPIO ARTERIÆ AORTÆ REPERTIS,

ET

DE CYSTICIS IN GENERE EXCRESCENTIIS,

Reſpond.

GEORGIO PHILIPPO SAUBER,

ROTENBURGO FRANCUS.

Wittembergæ 11. Martii 1723.

PRÆFATIO.

Miſerum, omni obnoxium fato, ac duris calamitatum telis expoſitum mortalium genus, non variis ſaltem, graviſſimis, & longa temporis ſerie perdurantibus morbis torqueri atque excruciari, lentaque demum conſumi infirmitate; ſed multos quoque ex illis, qui nullo ad ſenſum obvio detinentur morbo, opinione citius, e vivis abripi, innumera quotidie occurrentia exempla, ad ſatietatem eloquuntur; quorum repentinus ut plurimum obitus, a vulgo atque a multis medicis, rem minus accurate perſpicientibus, atque uno alterove confiſis ſigno, vel apoplexiæ, aut catarrho ſuffocativo, aliiſque hujuſmodi morbis, promiſcue & ſine diſcrimine adſcribitur; cum tamen ſæpe nullus de hiſce, genuina mortis exiſtat cauſa, eaque ab alio potius ſit accerſenda, prout ſagax prudentum medicorum cohors in dies animadvertit, ac cumprimis illuſtris archiater & regius aulæ conſiliarius de Heucher, *in eruditiſſima, de erroribus circa cauſas mortis ſubitæ diſſertatione, indicavit. Mentem jam ſubit noſtram, quod præterito anno, in juvenis cadavere, nobis obſervare contigit, qui cum vehementi, virulenti fœtidique ſeminis profluvio, per longum temporis ſpatium laboraſſet; illudque, pudore cohibitus, ad medelam tempeſtive quærendam, indicare noluiſſet; adeo ſibi obfuit, ut ob proſtratas ex hac cauſa vires, & ſuccedentem totius corporis enervationem, gravi animi deliquio opprimeretur, a quo non revocari, nec ullo refocillari modo potuit, ſed naturæ, quod debebat, citius, quam par erat, reddere coactus fuit. A multis, ferme ab omnibus, hujus mortis cauſa apoplexia accuſabatur; licet hæc nihilominus, prout e modo dictis eluceſcit, in cauſa fuerit; quod ipſa cadaveris apertio demonſtrabat, ubi præter genitalia exulcerata, & virulento ſcatentia tabo, vaſa ſanguinea admodum flaccida & ferme inania inveniebantur. Ab hocce caſu, parum abhorret mors cadaveris noſtri ſubitanea, quod nobis de ſteatomatibus diſſerendi dedit occaſionem. Inopinatus hujus interitus, a multis apoplexiæ, vel catharrho ſuffocativo, aut forti denique animi deliquio tribuebatur; cum tamen iſte, ſuffocatione, a tuberculis arteriæ aortæ inhærentibus producta, uti in ſequentibus demonſtrabimus, perierit. Accurata vero repentinæ hujus mortis cauſa, nunquam nobis innotuiſſet, niſi corporis diſſecandi poteſtatem habuiſſemus; ex quo manifeſte apparet, quanta ex anatome in medicinam redundet utilitas.* Quid enim, (*ut celeberrimi Amſtelodamenſium anatomici, Ruyſchii verbis utar,*) certi, quid veri, habent medicorum peritiſſimi, de interiorum degeneratione, in quolibet morborum? Quid, quæſo, norunt de proxima mortis cauſa in morbis? Quidnam ſciunt diſtincti, de partibus interioribus affectis læſiſque? Quidnam de ſede cujuſcunque fere interioris mali? Quomodo vere de indicatis in quolibet morbo & re-

quiſitis ad curationem judicabunt? Niſi prius accurata fuerit conſcripta hiſtoria eorum, quæ ſenſibus apparuere, in cadavere inciſo hominis, cujus viventis morbum ſedulo & anxie deſcripſerat medicus, qui laborantem cum cura tractaverat, & notaverat omnia. Certe, ſi quæ, ſola hæc certa, ſola tuta eſt via, qua tandem pervenire datur in veram morbi cujuſque curationem cognitionemque, vid. hujus dec. 2. adverſ. an. 10. p. 44. *Hæc verba ex ipſo tripode deſumta eſſe, neminem inficias iturum, certe conſido, niſi eundem, qui auctoritatis præjudicio occæcatus, Stahlio anatomiam reſpuenti diſſ. de fund. theor. med. temere aſſentiri velit. Commemorata quippe ars, quæ omnium corporis noſtri ſtructura, figura, connexio ſitus ac magnitudo ſit naturalis, docet; quæ illarum functiones & uſus demonſtrat, modos quoque, quibus a naturali degenerant ſtatu, oculis ſubjicit. Et non hæc tantum, arti anatomicæ in acceptum ſunt ferenda, ſed multa etiam nova, & antehac adhuc incognita, per eandem deteguntur. Omnibus cum* Stenone, Bidloo, Malpighio, & Swammerdamio *perſuaſum fuit, totum corpus, omneſque ejus partes innumeris inſtructas eſſe glandulis, quarum ope & utilium & inutilium ſecretiones humorum perficerentur; hoc vero a vero multum abeſſe indefeſſus in anatomicis labor modo dicti anatomicorum principis abunde declarat.*, Vid hujus dec. 1. adverſ. anat. 3. 4. 5. *Polypos cordis aliarumque partium, prioris ævi medicos latuiſſe, ex eorum ſcriptis, dum nulla eorundem in illis ſit mentio, patet; Quod quoque* Kerckringium *commoviſſe reor, ut horum exiſtentiam plane negaverit, cujus vero aſſertum, ipſi rationi atque autopſiæ anatomicæ repugnat. Vid.* Malpigh. tr. de pol. cord. *& illuſtr.* de Berger *diſſ.* de eadem materia p. 10. & 11. §. 5. *De ſteatomatibus, interiores corporis noſtri partes obſidentibus, altum apud veteres eſt ſilentium; tales vero excreſcentias, ut in aliis interioribus partibus, ſic etiam in venis reperiri, a multis hactenus demonſtratum, ipſimetque jam curioſa & perquam rara ſteatomatum, in arteriæ aortæ principio repertorum obſervationē, hucuſque, quantum ego novi, nondum obſervata demonſtrabimus. Adſis nobis, alme Deus, tua gratia, cæptaque noſtra obſecundes.*

I.

UT itaque promiſſa exequar mea, primum commemorata in titulo hujus diſſertationis obſervatio, *de excreſcentiis adipoſis, in principio arteriæ aortæ repertis*, eſt proponenda. Verum enim vero, cum tam ad morbum ipſum, quam ad hujus cauſam, exindeque prognata ſymptomata paulo penitius explicanda, non parum faciat totius cadaveris contemplatio, quomodo nimirum illud fuerit conſtitutum, quæque porro præternaturalia, ſe ſenſibus noſtris in eo obtulerint. Hinc ſumme neceſſarium duco, anteactam demortui vitam, totamque hujus cadaveris ana-

anatomen breviter pertractare, & reliqua, quæ obſervatu digna, & a naturali dimota ſtatu deprehenſa fuerunt, paucis hic annotare.

I I.

Cadaver erat de ſexu robuſtiore, vir eximiæ magnitudinis, ac firmi obeſique corporis, quoad externum habitum, ſano non abſimilis homini. Hic adhuc juvenis, nimium potationibus & voracitati indulſit, cumprimis vero hauſtu ſpiritus vini majorem in modum delectatus fuit, vitamque voluptatibus deditam, atque admodum diſſolutam vixit. Omnibus itaque artibus & ſcientiis neglectis, caſtra tandem ſequi tenetur, e quibus denuo, exacto multo abhinc temporis ſpatio, variis miſere morbis conflictatus demittitur, Vitembergamque, quæ natale hujus ſolum fuiſſe perhibetur, ſe confert. Huc veniens, illico de reſpirandi difficultate, uti ex relatis habeo, conqueritur, adeo, ut ferme ſuffocari videatur, ac niſi ſummo labore, ore hiante, & diductis naribus, maximo pectoris conamine, cum ipſo nonnunquam clamore, aerem trahere poſſet. Magna quoque cordis anxietate & palpitatione, in ipſas præſentium incurrente aures affligebatur, & miſerum in modum excruciabatur. Creberrima hiſce ſyncope & grave animi deliquium accedebat, ut jam ſæpius pro mortuo judicatus fuerit. His ita conſtitutis, cum brumale eſſet tempus, ſuæ, ut illi perſuaſum erat, conſulens ſanitati, aquam vitæ ingurgitat, quam aſſumtam, omnium exacerbatio ſymptomatum excipit, ad quæ denuo ſedanda, ſupremum domus, ubi morabatur, locum aſcendens, in ſtramine ſe placide reponendo, quærit quietem, quam quoque fatis cedens, invenit; ſuffocatione enim a tuberculis in arteria aorta præſentibus, motuique ſanguinis remoram, atque obicem ponentibus, orta, uti cadaveris diſſectio demonſtrabat, periit. Cadaver dehinc magiſtratus permiſſu, in anatomicum aſportatur theatrum, & publicæ committitur ſectioni, quæ ſequente die, *Directore clariſſimo Brendelio*, beate jam defuncto, inchoatur, ubi aperto abdomine, a quo vim putredinis declinaturi, curioſam ordiri diſſectionem, anatomicis recepta eſt conſuetudo, nihil præternaturalis obſervatum fuit, præterquam, quod ventriculus, qui quoad reliqua perbelle ſe habebat, in magnam excreverat molem, raramque adeptus fuerat magnitudinem, adeo, ut duodecim aquæ menſuras caperet, multaque, admodum acrem atque acidum odorem ſpirante lympha adimpletus eſſet; rugis, quibus interior hujus tunica gaudet, plane deletis, & membranis, quibus conſtruitur, valde extenuatis & dilatatis. Præter hæc, lien durus ac ſcirrhoſus erat, atque in renibus cavitas illa, quæ pelvis nomine inſigniri ſolet, deſiderabatur, & ne minimum ſpatiolum, quod cavitati eſſet ſimile, videri poterat, quod ſane miratu erat digniſſimum. Tradita infimi jam ventris conſtitutione, ad thoracis contemplationem progredior,

quo patefacto, pulmones primum in conſpectum veniebant, qui abſceſſu obſeſſi, exulcerationi proximi erant. Cor vero perquirentes, proh Deum immortalem! quæ miranda, rimanda, ibi inveniebamus; arteria aorta, non multum a principio, in tantam erat aggregata, atque extenſa molem, ut præ ea, cor, vix conſpici poſſet; hinc novitate, veritatiſque indagandæ cupiditate adducti, illico ad hanc rem perſcrutandam nos accingentes, pericardium removendo, lympham ejus plane deeſſe obſervabamus, corde aliquantulum arido atque emaciato apparente. Dehinc ventriculus cordis dexter inciſus, magnum polypum, in muſculoſam & ſolidam plane ſubſtantiam commutatum, ſeque in pulmonalem extendentem arteriam, multis minimis ramulis, ceu tot pedibus ſeptum ſtipatumque conſpiciendum exhibebat. Ventriculo dextro perluſtrato, ad ſiniſtrum converſi, nihil in eo naturæ ordinem excedens animadvertebamus; aperta vero arteria aorta, cauſa miratu digniſſima, cur hoc vas tantopere erat extenſum, ſenſibus ſe ſubjiciebat noſtris. In principio enim hujus ductus, juxta egreſſum e corde, non multum ab hujus valvulis, duo tubercula, gallinaceum magnitudine ovum æquantia, ſedem fixerant ſuam, & quidem alterum, mox in flexura hujus, arcum æmulante; alterum vero, in deſcendente vaſis hujus ramo, prout ex chalcogrammate apparet, ſitum erat. Hi tumores, digitis admotis preſſi, plane non cedebant, nullamque ob ſummam, qua pollebant duritiem, foveam relinquebant; hinc unum de hiſce incidendum, cultroque atque examini anatomico ſubjiciendum eſſe, neceſſarium ducebamus; quo diſſecto & aperto, membrana ſatis craſſa & firma, vitulino craſſitie corio æmula, illo tamen adhuc durior, colore albicante ad incarnatum accedente prædita, ſtriiſque multis per totam ſuperficiem notata, oculis occurrebat noſtris, in hujus cavitate materia quædam ſeboſa, & adipi perquam ſimilis, firmiter compacta, inveniebatur, & quod maxime aſpectu jucundum, & notatu dignum, hæc materia lamellatim compoſita videbatur, ut una lamella iſtius, alteri lamellæ, veluti ſtratum ſuper ſtratum incumberet, ac a ſe invicem ſeparari poſſent, eodem, ut bulbi in cepis modo ſegregantur, ſuperſtite in harum medio, ejuſdem materiæ globulo, ad nucis avellanæ magnitudinem accedente.

III.

Perſcrutari itaque nobis primo incumbit, quales hi fuerint tumores; tumores dico, aſt potius excreſcentiarum nomine eoſdem, ſecundum ſententiam *Zwingeri*, inſignire vellem *conf. hujus inſt. med. p.* 849. & *p.* 856. Tumor enim denotat partem corporis præternaturaliter auctam atque extenſam, & cum ea omnimode continuam; excreſcentia vero audit, cum nova & peregrina plane moles, parti cuidam adnaſcitur, quæ quidem partis quoque iſtius, cui inhæret, nonnunquam dilatationem

efficit,

efficit, non vero eſt ipſa pars dilatata, ut in tumoribus proprie ſic dictis contingit; imo tumor, abſque præternaturali partis dilatatione non concipi poteſt, ſine qua tamen excreſcentia, quam diu loci, in quo hæret, magnitudinem non ſuperat, ſæpius ſubſiſtit. Tumores porro, cum partibus corporis noſtri ſunt continui, excreſcentiæ autem ſaltem contiguæ, uti hoc accurate in polypis cordis & vaſorum ſanguiferorum, nec non in excreſcentiis cyſticis animadvertere licet. Cum itaque dixerim, repertis in arteria aorta tuberculis, non tumorum, ſed excreſcentiarum nomen, videndum erit, an etiam hæc quæ de excreſcentiis dixi, hic quadrent. Primo excreſcentia, nova & peregrina plane moles, parti cuidam adimpoſita vel agglutinata appellatur; quod, ad jam memorata arteriæ aortæ tubercula attinet, hæc, uti quivis videre potuit, non erant pars quædam arteriæ aortæ aucta atque extenſa, v. g. extenſum ac dilatatum vas lymphaticum, ſecundum ſententiam *Jo. Bapt. Verduc*, M. D. ac pract. Pariſ. nulloque modo, pro nonnullorum recentiorum opinione, has excreſcentias hydatides expanſæ, aut apices arteriarum dilatati conſtituebant. Nec prout maxima medicorum cohors opinatur, erant glandulæ ampliatæ atque adauctæ, ſed nova & peregrina plane corpora, quæ interiori magnæ arteriæ membranæ accumbebant, eaque illæſa ſeparari poterant. Unde accurate animadvertere poteramus, has excreſcentias, cum arteria aorta non continuas, ſed ſaltem contiguas eſſe.

IV.

De nomine harum excreſcentiarum ſi quærimus, ſteatomata eaſdem nuncupandas eſſe, reor; quod quippe vocabulum, origine græcum, ortum ducit a verbo στέαρ, idem ac ſebum, adeps & pinguedo denotante, ac nihil aliud eſt, ſi hujus deſideres definitionem, quam excreſcentia valde dura, proprio folliculo ſive propria cyſtide, materiam, vel ſebo, vel adipi, ad aliam quamcunque his ſimilem, incluſam continens. Jam vero cuivis cognitum perſpectumque erit, has excreſcentias, de quibus nobis jam ſermo eſt, omnino ad ſteatomata, uti ex deſcriptione illarum, in hiſtoria cadaveris dilucide facta conſtat, eſſe referendas; dum omnia in hiſce excreſcentiis fuerint reperta, quæ de veris ſteatomatibus perhibentur; habebant enim propriam ſuam cyſtidem, materiaque in his contenta ſebo ſive adipi perquam ſimilis erat, quæ duo collective ſumpta, ipſam ſteatomatum eſſentiam conſtituunt; adeo, ut hiſce duobus præſentibus, certo affirmare poſſimus, hocce vel illud tuberculum, verum eſſe ſteatoma.

V.

Ex his porro facile erit intellectu, ad quam claſſem, noſtræ excreſ-

centiæ, ſteatomata alias dictæ, ſint referendæ, nimirum ad tumores ſive excreſcentias ſic dictas cyſticas, quæ ſuo proprio gaudent folliculo, ac triplicis ſtatuuntur generis, materiæ ſolummodo ratione diverſæ, quæque etiam pro materiæ, quam in cyſtide ſua continent varietate, varia ſortiuntur nomina; hinc eæ, in cujus folliculo materia melli congrua continetur, meliceriдes appellantur, quarum vero materia pultis naturam obtinet, ab ἀθήρ, quod idem ac ariſta vel frumentum ſignificat, ἀθερώματα, ſive quod melius, ἀθηρώματα vocantur, in quibus autem materia ad indolem & genium adipis vel ſebi accedit, qualis in noſtris erat excreſcentiis, eæ ſteatomatum nomine veniunt.

VI.

Hæ tres excreſcentiarum ſpecies, ab omnibus omnino auctoribus ad unam referuntur claſſem, & a multis ferme pro unis iiſdemque habentur; dum omnes non ſolum proprium ſuum habent folliculum, in quo materiam incluſam continent, ſed maximam quoque partem reſpectu materiæ inter ſe conveniunt, hac ſaltem differentia: quod materia in ſteatomatibus longe ſolidior ſit, majoremque obtineat conſiſtentiam, quam in atheromatibus & meliceridibus, adeoque ſteatomata duriora & ſolidiora ſint atheromatibus, & atheromata meliceriдes duritie ſuperent.

VII.

Notare tamen hic incumbit, quod harum excreſcentiarum materia, ſucceſſu temporis commutetur, eaque quæ melli antea haud abſimilis erat, jam in materiam pulti non incongruam tranſit, & quæ pultiformis ante exiſtebat, jam in materiam adipoſam & ſebaceam convertitur, vid. *Purmanni obſ. chirurg. p.* 1. *obſ.* 6. *p.* 23. Huc referendum illud, quod habet *Jo. Rhod. cent.* 1. *hiſt. obſ.* 29. recenſens hiſtoriam viri, tuberculo frontis aquoſo laborantis, quod inciſione & folliculi exſtirpatione curavit, quo perbelle loco in noſtram ſententiam loquitur, ſequentibus uſus: *Ita plurima, initio amolimur, quæ ſi neglecta inveteraverint, vix ac ne vix quidem remediis cedunt*; *nec dubium, quin tumor hic relictus, denuum in melicerideм vel ſteatoma migraturus eſſet, craſſeſcente mora muco.* Quod hic *Rhodius*, de tumore perhibet aquoſo, illud admodum pulchre meliceridi atque atheromati adaptari poteſt; cum in meliceride plus ſeri, quam in atheromate, & majorem phlegmatis copiam in atheromate, quam in ſteatomate reperiri, ipſa ſana dictitet ratio; adeoque ſucceſſu temporis exhalante atque evaporante in meliceride lympha tenuiore, neceſſe eſt, ut materia meliceridis craſſeſcat atque in atheroma degeneret. Pari modo ſe res habet cum atheromatibus in ſteatomata abeuntibus, diſcuſſis quippe atque excluſis particulis lymphaticis

ac

ac fluidis, iiſque ferme in totum ablatis, terreſtribus vero & ſalino ſulphureis preſſius coactis, materia atheromatum, pulti antea ſimilis, jam craſſior reddita, in materiam plane adipoſam commutatur. Prout hanc rem egregie generatio calculorum microcoſmi illuſtrat, quorum plerumque principium humor viſcidus & glutinoſus, particulis ſalinis et terreſtribus permixtus conſtituit, quique initio valde pituitoſus & aquoſus eſt, adeo, ut in longa fila, atteſtante id praxi medica, trahi poſſit, ſucceſſu autem temporis, poſt totalem ſeri fluidique ſeparationem craſſeſcit, atque in materiam plane lapideam convertitur, *vid. Steinii λιθογραφία p.* 12. 13. Unde minus eos audiendos cenſeo, qui cum *Carolo de Maets in prodr. chym. rationali cap. 6.* cauſam combinationis materiæ calculoſæ a ſuperabundantibus rigidis & acutis ſalium cuſpidibus, defectuque partium oleoſarum, eaſdem temperantium deducunt; quo enim minus hocce credamus, ſuadent calculi veſicæ felleæ, qui ipſam concipientes flammam, omnino contrarium teſtantur. Et hanc eo libentius ſententiam amplector, quo certius conſtat, idem in lapidibus macrocoſmi obſervari, quorum origo, pariter a materia fluida arceſſenda eſt, *vid. Caſp. Bartholinus ſpec. philoſ. nat. quæſt.* 3. *c.* 13. *p. m.* 98. *Boyle de form. & qualit. item tr. de gemmis*, qui omnia corpora terrea & ſolida aquæ fructus pronunciat. Hinc, haud abs re aſſeri poſſe, exiſtimo: quod ex modo allegatis excreſcentiis cyſticis, ipſi nonnunquam calculi generentur. Reperitur enim, non raro in hiſce tuberculis varii generis materia, quæ a jam commemoratis aliquantulum differt; mox ea caſeoſa, mox mucilaginea, mox calciformis, aliuſque indolis eſt, *vid. Wolfii obſerv. chir. & med. obſ.* 21. 22. 24. *p.* 218. 220. 221. Nonnunquam duplicis generis materia in hiſce continetur, prout *cl. Hoffmannus* talem habet obſervationem de meliceride, cujus faſciculus præter materiam melleam, faſciculum pilorum continebat, & quidem ita, ut materia mellea, pilos quaſi in peculiari cyſtide ſecluſos cuſtodiret, *vid. miſcell. Ac. J. nat. cur. dec.* 2. *A. V. obſ.* 210. *p.* 413. De atheromate corporibus glanduloſis repleto, cui pica occaſionem dederat, multa lectu non indigna ibid. *dec.* 2. *ann.* 7. *obſ.* 187. *p.* 433. invenies. Aliam atheromatis in ovario ſtabulantis hiſtoriam, cui dens inerat, invenies in *Ruyſchii adverſar. anat. d.* 1. *p.* 6. Ex his tali modo clarum perſpicuumque fit, quod pro materiæ ratione, plures, præter jam dictas excreſcentiarum ſpecies, poſſint adduci, pluraque ſuperioribus nomina addi; cum vero hoc nimis prolixum intricatumque foret, diſpiciendum, ad cujus indolem, hæc vel iſta materia proxime accedat, cui deinde accenſenda.

VIII.

Sufficiant autem hæcce de cyſticis in genere excreſcentiis, ac redeamus

mus jam ad noſtra tubercula aortica, quæ vera fuiſſe ſteatomata perhibuimus. Prævideo equidem, fore nonnullos, qui contrarium probare annixi, minus adæquate commemoratas a nobis excreſcentias, pro ſteatomatibus haberi, polypis eaſdem annumerando, afferent; dum ad *Borelli* provocant obſervationem, a quo excreſcentia ejuſdem fere indolis, in arteria aorta obſervata, non ad ſteatomata ſed ad polypos relata fuit, *vid. Malpigh. diſſ. de pol. cord. p. m.* 206. Similem fere polypi hiſtoriam habet illuſtris de *Berger*, ſummæ venerandus academiæ noſtræ Senior, immortaleque hujus decus, in diſſertatione de eodem argumento, recenſens notabilem excreſcentiam polypoſam, in cadavere comitis Schwartzburgici repertam, tunica quadam inductam, viciniſque partibus per fibras adhærentem. Sed longe a recto polyporum patroni hic aberrant; magnum enim inter tubercula horum clariſſ. virorum & noſtra diſcrimen intercedit. Adfuit omnino in illis membranoſum quoddam velamentum, cyſtidem noſtrarum excreſcentiarum æmulans, illud tamen illis non proprium, neque materia intus concluſa, ſebacea fuit, talique modo hæ excreſcentiæ, non omnibus requiſitis, eſſentiam ſteatomatum conſtituentibus inſtructæ, polypis ſeu aliis hujuſmodi excreſcentiis annumerandæ fuerunt. Porro, adhuc ſufficientibus demonſtrandum rationibus, an excreſcentia aortica, a *Borello* pro polypo habita, verus fuerit polypus, omnibus ſcilicet appendicibus & filamentis, pedum in modum egredientibus deſtitutus, cum tamen de eſſentia polypi, ceu excreſcentiæ multis filamentis donatæ ſit, appendices fibraſque obtinere, quod ipſum vocabulum polypus, ejuſque origo innuere videtur; imo ipſa, nulli non nota in polypum & *σαρκῶμα* naſi diſtinctio coarguit. Et quid, quæſo, ſi noſtræ excreſcentiæ ad polypos ſunt referendæ, exinde orietur? confuſum ſane chaos. Nam ſi nulla, inter excreſcentias, ratione materiæ, folliculi, figuræ & filamentorum diſcrepantes, differentia eſt agnoſcenda, omnes profecto & ſingulæ uno nomine, nimirum polyporum vocitari poſſent. Quis vero non animadvertit, hoc philologiæ legibus reſiſtere, quæ, ut nomina, de natura & indole rerum, quibus attribuuntur, participent, ejuſque teſtes ſint, poſtulant, ut ipſo ſaltem prolato nomine, mox innoteſcat, quæ & qualis, exiſtat res commemorata, conf. *Ruyſch. dec.* 1. *adv. an.* 9. *p.* 21.

IX.

Antequam vero ulterius progrediar, adhuc unicum mihi expediendum reſtat, eorum nimium occurrendum objectioni, qui noſtra tubercula ad aneuriſmata referre ſatagunt, ſubnixi *Walæi* nec non *Ruyſchii* obſervationibus, quorum hic, hiſt. an chir. 38. p. m. 51. & ſequ. hæc annotata exhibet: *Quod facile credideris, benevole lector, ſi audieris, poſt obitum hoc aneuriſma, quod ortum duxit ex arteria aorta, tribus circiter di-*

digitis tranſverſis ſupra cor a me inventum fuiſſe, quaſi lamellatim, ut ita loquar, diſpoſitum, aut ex innumerabilibus tunicis craſſis & ſatis tenacibus, ſibi invicem impoſitis conflatum, inter quas tunicas ſanguis copioſus & coagulatus deliteſcebat. Verum, quo jure & qua rei convenientia, hæc ad noſtra tubercula accommodari poſſint, minus perſpicere queo; denotat utique aneuriſma arteriæ dilatationem, ſed non quamvis, atque eandem ſaltem, quæ ab eroſione aut dilaceratione tunicæ alterutrius, aut a proſtrato tunicarum, cumprimis muſculoſæ tono dependet, qua de cauſa, eæ minori reſiſtendi & ſe contrahendi vi pollent, atque a ſanguine eo impulſo extrorſum flexæ, tumorem digitis cedentem, illico vero redeuntem conſtituunt, quod pariter verbum aneuriſma ab ἄνευρος, imbecillis & impotens derivatum, indicat. Unde non ſine cauſa hæſito, deſcriptum a *Ruyſchio* tuberculum anevriſmatibus annumerare, & licet hoc ita ſeſe haberet, de noſtris tamen excreſcentiis nullo modo dici poteſt; cui rei luculento erant teſtimonio ipſæ arteriarum tunicæ, tam internæ quam externæ bene conſtitutæ, imo nullum plane commercium inter noſtra tubercula, & jam dictum vas ſanguiferum deprehendebatur. Si autem aliquis hic inſtaret, arteriæ dilatationem urgendo, hunc ad allegatam aneuriſmatis definitionem relego, his paucis ſimul additis; quod, ſi quævis arteriæ dilatatio anevriſmatis nomine inſignienda, & calculi & aliæ hujuſmodi excreſcentiæ, jam dictum vas, aut hujus ramos præternaturaliter extendentes, pro aneuriſmatibus eſſent judicandæ; prout vero neminem tam abſonum, qui hoc affirmet, duco, ſic temerarium cenſeo, noſtra tubercula aneuriſmatum catalogo inſerere.

X.

His itaque dubiis remotis, pars, cui noſtræ inhæſerunt excreſcentiæ, examinanda venit. Iſta, uti ſuperius commemoratum, erat arteria aorta, magnus ille conicus fluidi vitalis ductus, e ſiniſtro cordis exſurgens ſinu, ſanguini ad omnes omnino partes, tam ſuperiores quam inferiores, etiam remotiſſimas deferendo inſerviens. Altera harum excreſcentiarum in angulo ejus, ubi incurvatur, ſita erat; altera vero, aliquantulum ab hac diſtans, deſcendentem occupabat ramum. Hæc corpora in tantam iſtum canalem molem extenderant, ut ipſum ferme cor magnitudine æquaret, omneque propemodum, exeunti e ſiniſtro cordis thalamo ſanguini ſpatium præcluderet. Ex quo jam ad ſatietatem cauſa dyſpnœæ, palpitationis atque anxietatis cordis, nec non ſyncopes, & ipſius denique mortis patet. Nam præter has excreſcentias, liberiorem ſanguinis circulum per jam dictum vas ſanguiferum impedientes, dexter ſimul ventriculus, magnum fovebat polypum, pulmonalem obturantem arteriam, minuſque expeditum in illam tranſitum concedentem. Quibus de cauſis

non aliter evenire potuit, quam, cum hæc corpora, liberiori ſanguinis fluxui renitentia, eumque mole ſua retardando, vel plane impediendo, anguſtias, exindeque concuſſiones, & compreſſiones meatuum majores efficerent, iiſque magis magiſque urgentibus, reſpiratio omnino laborioſiſſima difficillimaque, ac ſenſus ſuffocationis inductus fuerit; ad quod non parum, imo multum contribuit, abſceſſus pulmones deturpans atque exedens, ſuoque eoſdem pondere aggravando, liberiorem horum impediens expanſionem, nec non materia purulenta, bronchias infarciendo, aeri tam ingreſſuro quam exituro, minus patulam concedens viam. Eadem quoque ratio palpitationis atque anxietatis cordis fuit, cum, tam dextri polypus ventriculi, quam adipoſa arteriæ aortæ tubercula, utroſque ductus conicos deferentes obſidentia, liberum ſanguinis motum ac tranſitum per eoſdem haud permiſerunt. unde fluxum ſanguinis retroverti, reflecti, ac reprimi, vaſaque tumefieri, & majorem in modum agitari, atque hanc ſanguinis procellam, reſultum & impetum, intra ſtrictiora freta, in ipſam muſculoſam cordis machinam redundare, indeque illam, ob impreſſum vaſis illis motum, ab obſtaculis vero repercuſſum, inſigniter commoveri, reſilire, atque inordinato exerceri motu, vel alternatas motuum vices confundi, maleque ac depravate edi, neceſſe fuit; unde deinde factum, quod non cor tantum ob obſtacula, ſuis injecta oſtiis ac ductibus ſubſiluerit, ſed ipſæ quoque arteriæ ad moles iſtas reſiluerint, reſultumque iſtum, ad pendulum cordis muſculum relegaverint, talique modo anguſtatio cordis ejuſque palpitatio producta fuerit; quam demum, ingruente aere impenſe frigido & craſſo, ingurgitatoque ſpiritu vini, impedito plane ſanguinis in orbem itu redituque, mors repentina excepit. Miratu autem, his ita conſtitutis, erat dignum, hunc hominem, in tanta, tantorum, tamque atrocium ſymptomatum ſyndrome, tam diu vivere potuiſſe; quinquageſimum enim & octavum, prout mihi relatum fuit, jam exceſſerat annum. Admirationem vero in nobis ſuperabat, quod, cum præter adductas circuli vitalis remotas, quæ, ut corpori, juſta legitimaque, quantum ſatis, ſanguinis quantitas, continuo diſtribui potuerit, minus permiſerunt, lien totus ſcirrhoſus, pulmones exulcerati, totumque corpus cachecticum eſſet, ac multa variorum impurorum humorum farragine ſcateret, omnes tamen illius cadaveris partes, multa carne ac pinguedine gauderent; quod eo magis mirandum, cum cadaver illud, adhuc in vivis, mala victuſque vivendique ratione uſum, immodice aquam vitæ hauſit, quo malum in dies auctum, nova accepit incrementa.

X I.

Ex eodem fonte, defectum lymphæ pericardii deducendum puto. Jam non refutandæ illam negantium ſententiæ inhærebo, inter quos *Andr.*

Andr. Laurentius, *Veiga*, *Drelincourtius*, & *Bohnius* ordinem ducunt; quia non ſolum ab antiquiſſimo medicinæ autore & principe, hocce reprobatur aſſertum, tractatu de corde hæc dicente: καρδίη περιβλέαται χιτῶνα λεῖον, καὶ ἔστιν ἐν αὐτῷ σμικρὸν ὑγρὸν, ὡποῖον οὖρον ὥστε δόξεις ἐν κύστι τὴν καρδίην ἀναστρέφεσθαι. Cui omnes unanimi conſenſu anatomici, exceptis modo dictis, calculum addunt ſuum, conf. *Spigel de hum. corp. fabr. l. 9. c. 5. Caſp. Hoffmann comm. ad Gal. l. 6. n. 398. p. 121. & comm. tripart. de thor. l. 1. c. 11. p. 17. Veſling. Synt. an. c. 10. Barthol. an. reform. l. 2. c. 5. p. 350. Diemerbroeck anat. l. 2. c. 5. p. m. 261. Joh. van Horne microc. §. 132. Blaſii comm. in ſynt. an. Veslingii. Verheyn. an. p. 46. de Berger l. de nat. hum. p. 242. Heiſter. comp. an p. 104.* Sed ipſa quotidiana experientia atque αὐτοψία anatomica, certiſſima rerum medicarum magiſtra, modo dictis autoribus aſſenſum præbendo, contra priorum pugnat ſententiam; prout cuivis hujus rei cupido, tam in vivis, quam mortuis animantibus, hocce experiri licet. Mei quoque inſtituti non eſt, de indole, quantitate & qualitate hujus liquoris diſſerere, de quibus evolv. *Franc. Zypæi fund. ph. an. p. 2. art. 2. p. 103. Laurent. hiſt. an. l. 9. qv. 5. Jaſolinus epiſt. ad Ingraſſiam. Riolanus* anthropogr. *l. 3. c. 7. Malpighius* de ſtr. gland. congl. p. 11. *Veſalius de hum. corp. fabr. l. 6. c. 8. p. 726. Lowerus tr. de corde cap. 1. p. 6. Schelhammerus diſſert. de lympha pericardii.* Nec minus mihi multa de fonte ac ſcaturigine hujus adducere ſpatium, vacat. Alii enim eandem cor exſudare perhibent, inter quos *Hippocrates* τοῦτο δὲ τὸ ὑγρὸν, inquit, διουρέει ἡ καρδίη. *Caſp. Hoffmannus l. c.* & *Bauhinus an. l. 2. c. 17.* hancce per calorem in corde habitantem exprimi affirmarunt. Ab excrementis tertiæ concoctionis hanc deducit *Archang. Piccolhominus l. 4. ſ. 2 p. 204.* E glandula thymi, illam eo per vaſa lymphatica deduci, volunt alii. Pluresque hodie cum *Malpighio* e glandulis pericardii, quas tamen non dari, egregie *Ruyſchius* & *Heiſterus* demonſtrarunt, ſecerni aſſerunt. Placet nobis ſententia modo dicti anatomici clariſſimi, qui huncce humorem in ſyſtole cordis, ex ipſis hujus vaſis exprimi, atque a poris pericardii denuo reſorberi ſtatuit, ad quod credendum, præter ea, quæ *Bartholino de vulnere pericardii anat. reform. cl. Thebeſius de circulo ſanguinis in corde. Tulpius l. 2. obſ. cap. 25. p. 136.* habent annotata, τὸ ὅλον εἴσπνοον καὶ ἔκπνοον Hippocratis, in corde a nobis manifeſto deprehenſum, commovent. Aperiat, qui hujus rei certus eſſe efflagitat, cauta agilique manu thoracem, remotoque pericardio, cor linteamine extergeat, obſervabit ſane, illud, quamdiu vegeto adhuc exercetur motu; lenem emittere madorem, qui ipſas admotas irrorat manus. Nota igitur hujus lymphæ ſcaturigine, cauſa quoque hujus defectus aperta eſt; corde enim, ob motum ab arteria ad idem repercuſſum, valde debilitato, delaſſato, atque ad marcorem demum inclinan-

Yyy 2 te,

te, ſanguine vero viſcido, impuro & limoſo exiſtente, ac tenuiori ſpoliato ſero, parciorem primum, nullamque demum cordis lympham ſecerni potuiſſe, palam eſt. Verum cum hæc res ad noſtrum proprie ſcopum non pertineat, hujus rei cupidum, ad *Hoffmanni* Altorffini *de pericardio*, & *Schelhammeri de ejus lympha diſſert.* relegamus, atque ad ipſum denuo ergon accedimus.

XII.

Inter omnia vero, primum indagatione dignum cenſeo, qua ratione eo in loco, ubi validiſſimus eſt ſanguinis motus, tam propter robur & ſtructuram hujus ventriculi, ipſiuſque arteriæ, quam quoque propter ſanguinem, e pulmonibus admodum tenuem & conquaſſatum recurrentem, iſtiuſmodi excreſcentiæ generari potuerint. Arbitratur *Gohlius* M. D. Berolinenſis *in tr. de polyp. cord.* ex neglectis hæmorrhoidibus, nullos in arteriarum principio polypos gigni poſſe, ſed eoſdem, partim ope circuli ſanguinis e venis eo deduci, partim vero ventriculis inhærentes, fibroſas in conicos ductus radices emittere, quæ valvulas apprehendentes ſemilunares, multis ſub ſpecie polyporum in aorta ortorum imponant, vid. *Gohlius tr. c. p.*21. Aſt hoc non utique verum eſſe, jam autopſia anatomica demonſtrare poſſum, (dum, quod ipſe de polypis aſſeruit, de noſtris etiam valeat excreſcentiis); hæ vero, nullis fibris in valvulas exporrectis inſtructæ erant, ac præterea, ſi a corde inchoamus, pone valvulas collocatæ, multo ab illis diſtabant ſpatio; nec demum, quod iſte, ad ſuæ defenſionem ſententiæ affert, cor erat dilatatum atque extenſum, ſed illud naturaliter ratione magnitudinis ſe habebat, arteria e contrario majorem in modum aucta. Multo minus credendum, hæc tubercula, ope circuitus vitalis e venis eo deducta fuiſſe. Extra omnem itaque dubitationis aleam poſitum manet, jam dictas excreſcentias, ipſa in arteria aorta prima ſumſiſſe ſtamina, atque in tantam ſucceſſu temporis ſuccreviſſe molem. Cauſam vero haud immerito arceſſimus a craſſiore limoſioreque ſanguinis conſtitutione & hujus acore, quæ primo ſcirrho lienis anſam dederunt, ipſamque raram & veſicularem pulmonum ſubſtantiam corrumpendo, ulcus in illis produxerunt; unde hi, pure quaſi compreſſi, ſanguinem minus attenuare, dividere ac diſcerpere potuerunt, illumque tali modo craſſiorem & viſcidiorem ſiniſtro cordis thalamo ſuppeditarunt, quæ ſanguinis viſciditas, & impuritas temporis tractu magis magiſque aucta, hujus in orbem itum reditumque retardavit, qui primo languidus, & ſenſim ſenſimque languidior, ipſum ſimul cordis motum diminuit, unde major ſanguinis glutinoſitas, faciliorque hujus cohæſio, adeo, ut in ipſo motus principio, ea non impediri potuerit. Accedit ad hoc, primam harum excreſcentiarum, in arcu aortæ extitiſſe, qui locus hujus generationi apprime

fa-

favere videtur. De hac vero re, fuſius in ſequentibus agendi erit locus.

XIII.

Erit tali modo operæ pretium, ut jam in ipſam, materiæ noſtrarum excreſcentiarum in cyſtide incluſæ originem inquiramus, qua ſimul occaſione, notas de hoc in genere argumento autorum ſententias examinabimus. E modo dictis patere reor, totum corpus, univerſumque humorum genus, multis variæ indolis impuritatibus refertum atque adimpletum fuiſſe, inter quas ſenſibus magis obvias, ingens particularum terreſtrium, tartarearum, acidarum, rancidarum, glutinoſarum ac viſcidarum copia aderat quod præter ſcirrhum lienis atque exulceratos pulmones, lympha gaſtrica vehementer acida atque acris, multaque alia arguebant. Quemadmodum autem, in legitima tam ſolidarum quam fluidarum corporeæ noſtræ machinæ partium diſpoſitione ſanitas conſiſtit, ſic quam primum una de hiſce, a naturali degenerat ſtatu, & ſanguinis, qui humor eſt maxime heterogeneus, ex innumerabili minimarum particularum variæ figuræ, magnitudinis, ac motus congerie conflatus, craſis atque æqualis mixtio pervertitur, atque una particula præ altera abundans, aut a naturali deſciſcens indole prædominium accipit, ea dehinc fermenti inſtar aucta, totum fere ſanguinem in ſui conſenſu trahit, atque ad ſimiles motus leges adigit; unde varios exinde morbos oriri neceſſe eſt. Sic ab abundantia particularum terreſtrium, acidarum ac viſcoſarum varii generis obſtructiones, ſcirrhi tumores, atque excreſcentiæ oriuntur; ſanguis enim, jam dictis inquinatus atque onuſtus particulis, vaſis peragrandis minus aptus, tardius, quam par eſt, vaſa perfluit, atque in tubulis minoribus plane ſtagnat, ex quo vaſorum in viſceribus obſtructio, quam inflammatio, gangræna & ſphacelus, aut eorum incuneatio, tumor & ſcirrhus tandem ſequitur. Sequuntur & exinde varii generis nova atque aliena plane corpora, quæ excreſcentiarum nomine inſignire ſolemus; dum ob retardatum fluidi microcoſmici motum, varii generis particulæ, ad cohæſionem & complicationem alias pronæ, mutuo ſui contactu inter ſe copulantur ac conjunguntur; unde polypi, ſteatomata, atheromata, meliceri des, calculi, aliæque iſtiuſmodi generis excreſcentiæ proveniunt.

XIV.

Ad generationem iſtiuſmodi corporum, non parum etiam gelatinoſam ſanguinis lympham contribuere, autumari licet; hujus quippe ſphærulæ, quas exiliſſimæ fibrillæ, afferente &demonſtrante id contra *Bohnium Malpighio p.* 145.*tr. de pol. cord.* conſtituunt, uti alias ad ſtagnationem & mutuam inter ſe cohæſionem pronæ, ſic eæ ob tardioremſanguinis circuitum, facile in majora & ramoſa abeunt filamenta. Cor enim, ob lentorem & viſciditatem

ſanguinis, prout ſe res in noſtro habebat cadavere, vividiore privatum motu, tardius minorique, quam decet, copia, ſanguinem ad cerebrum ablegat, aut humor eo deductus, ob arctiorem cohæſionem ſpiſſioremque conſiſtentiam, vel convenientis materiæ defectum, ad ſua munia ibi obeunda, minus idoneus eſt, unde parcior & tardior liquidi nervei in cerebro contingit ſecretio, talique modo parcior & tardior ejuſdem cordi diſtributio, in quo tamen maximum robur, ſummaque cordis vis, ſecundum *Williſii* & *Loweri* experimentum, a nobiſmetipſis ſæpius, contra *Baglivii* aſſertum inſtitutum, conſiſtit; langueat exinde magis cor, circuluſque ſanguinis magis magiſque retardetur, eſt neceſſe; hinc ramoſæ & filamentoſæ iſtiuſmodi particulæ, aliam plane figuram acquirunt, & cum antea ſanguinis contextui, ſub exiliſſimarum, & vix, niſi armato oculo conſpicuarum fibrillarum intextæ eſſent, jam grandiores, magiſque ramoſæ, & vitalis motui humoris inimicæ, ac vaſis percurrendis minus aptæ factæ, hic atque illic oberrantes ſtagnanteſque, mutuo ſui concurſu inter ſe invicem cohærent, ac parietibus vaſorum affixæ conjunguntur ac quaſi conglutinantur, quæ deinde, ob continuum novarum iſtiuſmodi particularum acceſſum atque appulſum, humidum quicquid illis ineſt, extrudentium, atque in firmiorem compagem cogentium, in magnam excreſcunt molem, prout hocce in noſtris contigit excreſcentiis, quas ex jam allegatis cauſis, dictoque modo productas genitaſque fuiſſe, nulli, modo dictis innixi rationibus, affirmare dubitamus.

X V.

Neutiquam vero exiſtimandum, hæc tubercula ſimul & ſemel exorta, atque in tantam momento temporis adaucta fuiſſe magnitudinem, eodem propemodum modo, ut *Doleus in ephem. germ. N. C. D.* 3. *a.* 4. *obſ.* 59. de calculo extemporaneo, in exteriore equi parte exorto refert; ſed rationi magis conſentaneum, hæc longo temporis tractu genita, a parvis & vix ſenſibilibus principiis originem ſumſiſſe, quæ, accedentibus allis novis, prioribus homogeneis particulis, in inſignem provecta ſunt molem. Horum vero augmentum, non contigit per nutritionem quandam intrinſecam, prout hocce in ipſa corporis noſtri conſervatione, imo in quorumvis verorum tumorum incremento obſervamus, qui augentur ac majores fiunt, mediante ſucco, per deſtinata ad hos advecto vaſa, atque interiori illorum ſubſtantiæ communicato. Plane alia ratione, ſic dictæ excreſcentiæ cyſticæ aliæque augmentum & incrementum capiunt; nam cum nulla inter has & partes, quibus continentur, continuitas intercedat, iſtæque ſanguineis aliiſque deſtituantur vaſis, liquido apparet, has plane alio nutriri modo, nimirum per nutritionem externam, calculorum more, qui tam in macrocoſmo, quam microcoſmo generantur; quatenus jam facto cohæſionis principio, ad

ad priores particulas, quædam ſemper novæ accedunt, quæ mutuo inter ſe contactu copulantur, ac deinde pro varia ſuccorum conſtitutione, aliiſque huc pertinentibus circumſtantiis, nunc citius, nunc tardius, in mediis humorum undis, ex eadem, cui natalia debent, materia augentur & grandeſcunt; ut dehinc, ad effingenda quædam vaſa inconſpicua, atque ob ſubtilitatem occulta, vel ad poros foras introſpicientes, quibus nonnulli harum excreſcentiarum nutritionem peragi aſſerunt, neutiquam confugiendum ſit.

X V I.

Hoc jam explicato, e re quoque erit, cauſas procatharcticas atque externas, ab hodiernis manifeſtas appellatas, quibus ſteatomaticis his in ſpecie excreſcentiis, occaſio ac fomes fuit exhibitus, inviſere. Inter has, primo merito loco nimius eſculentorum, & cumprimis potulentorum uſus ponendus; cadaver quippe noſtrum, verum morale adhuc in vivis cadaver, ſtrenue ſcyphis vacuandis ſtudebat, ipſaſque ætatis delicias, deteſtanda ævi noſtri conſuetudine, infernali immolabat Baccho, ex quo, cauſa tam magni, & tam valde dilatati ventriculi, manifeſta eſt, quam, a largiori & copioſori potu, tenues ventriculi tunicas præter modum diſtendente, repetendam eſſe, ipſa ſana ſuadet ratio. Profecto, prout nulla calamitate, (nimirum, quæ a morbo provenit) ærumnave premetur, qui vitæ fundamentum jecerit temperantiam, ſecundum effatum *Fernelii*, *de morb. cauſ. l.* 1. *c.* 14. Sic eodem autore, perniciosa admodum eſt ſentina, abdomen inſaturabile, omnium tum corporis, tum animi vitiorum fons atque origo; iſti enim qui parco & ſimplici contenti vivunt victu, gravibus haud ſæpe morbis conflictantur, vitamque ab infirmitatibus liberam, ad multam annorum ſeriem protrahunt, cum contra ii, qui more cadaveris noſtri, guloſæ dediti vitæ, variiſque abunde corpus infarcientes ciborum apparatibus, innumeris atque atrociſſimis ægritudinibus ſe obnoxios reddunt. Cumprimis vero, nimia eſculentorum & potulentorum, concoctu maxime difficilium, minuſque laudabilem ſuppeditantium chylum ingurgitatio eſt damnanda; quia a copia victus, ventriculus atque inteſtina valde expanſa debilitantur, ac tono & robore ſuo, maximum in chylificationis negotio momentum obtinente, privantur; unde cibi illi, minus recte concoqui, digeri, ſubigi, atque in chylum laudabilem converti poſſunt; oriuntur hoc modo varii generis cruditates & cacochymiæ, quæ ſuam non ſaltem tragœdiam in primis ſæpe viis exercent, ac graviſſima morborum tormenta excitant, ſed etiam una cum chylo in ſanguinem delatæ illum inquinant & contaminant. Hæ, ſi ope naturæ per deſtinata organa depuratoria tempeſtive non removeantur, vel per convenientia atque appropriata remedia correctæ, denuo non eliminentur, ſed acce-

cedentibus potius novis cruditatibus adaugeantur, mixtionem ac craſin totius maſſæ ſanguineæ pervertunt, atque a naturali prorſus ſtatu recedere cogunt; ſanguine vero corrupto atque effœto exiſtente, humores, qui ceu rivuli & fluvii ex microcoſmico & purpureo Oceano ſecernuntur; mali exiſtunt moris, & de natura atque indole ſanguinis participant; imo ipſa vitalium corporis noſtri ſuccorum conſtitutio, ſimilem viſceribus & reliquis partibus ſolidis temperiem & diſpoſitionem conciliat; prout autem binæ hæ corporis noſtri partes eſſentiales ſunt diſpoſitæ, bene vel male, talis quoque nobis contingit ſanitas. Ex his itaque paucis hactenus dictis, ſole meridiano clarius eſt, quod ab abuſu cibi & potus, exemplo cadaveris noſtri, pertinaciſſimorum & vehementiſſimorum ilias morborum exſurgat, qui ſecundum *Hippocratis* in libro de diæta effatum, graviſſima ſymptomata ipſamque mortem concitare poſſunt.

XVII.

Nec ſilentio ſpiritus vini hic prætereundus eſt, quem cadaver noſtrum immodice ingeſſit. Jam non diſceptabo, an ſpiritus vini ſulphureæ ſolummodo naturæ aut alius ſimul indolis ſit, ſed illud ſaltem indicare neceſſarium duco, quod magnam obtineat acrimoniam, quæ chyli, ceu emulſionis naturalis, lactis in modum factæ coagulationem & grumeſcentiam haud raro efficit. Infundat aliquis, ad hujus rei explicationem, lacti ſpiritum vini, illico hocce coagulari, atque in grumos abire, obſervabit. Imo, addat aliquis illum braſſicæ conditæ, illa antea valde dura, magis indureſcet. Ex quo error illorum manifeſtatur, qui poſt aſſumtos cibos quoſvis duros, hauſtum ſpiritus vini ſuadent, quippe qui concoctionem ac digeſtionem eorum promoveat, cum tamen nihil minus, quam id, interdum præſtet. Ejus autem uſum abſolute non damno, iſte enim, in nonnullorum durorum concoctione ac contritione ciborum, cumprimis in phlegmaticis, quorum ventriculus copioſa viſcidorum humorum ſaburra eſt oneratus, multum præſtat auxilii, ſed non quivis in quibuſvis promiſcue eſt uſurpandus, quia hujus uſu quædam magis indurari, ex jam dictis haud ignotum eſt. Attendendum etiam, ut iſte bene ſit præparatus, ejuſque acrimonia per alia rite correcta & ſubacta, deinde, ne in majori, quam par eſt, doſi aſſumatur; alias enim, ſuarum, quibus abundat, particularum acie & tenuitate, eodem, prout vehemens exercitatio modo, illico poſt paſtum inſtituta, cibos nondum ſatis concoctos, ſubactos & diſſolutos ex ventriculo in inteſtina deturbat ac propellit, imo ſummam, tum in ſanguine, tum in toto cumprimis alimentorum canale acrimoniam gignit, dehinc chylus corrumpitur, ac crudus, ſeroſus, lentus, acidus atque acris evadit, qui talem quoque ſanguinem ſuppeditat; ex quo deinde varii generis morbi, & viſcerum præſertim inflammationes, eroſiones,

in-

infarctus, tumores, ſcirrhi, atque excreſcentiæ originem ſuam trahunt; ut manifeſtum hujus rei exemplum in noſtro habemus cadavere, cujus mala omnia ex hujus abuſu propullulaſſe, in aprico poſitum eſt, atque ex ipſa cadaveris hiſtoria colligi poteſt. Lectu etiam non indigna ſunt, quæ de ſpiritu vini, ceu multarum autore calamitatum apud *Drelincurtium*, *Paullinum cent.* 3. *obſ.* 78. *Riedlinum millen. p.* 70. *ephem. germ. dec.* 1. *ann.* 4. *obſ.* 17. *&* *dec.* 2. *obſ.* 33. *ann.* 5. *p.* 58. *&* 60. annotata leguntur, ubi plura quoque exempla ex *Zacuto Luſitano*, *Foreſio*, *Bartholino* & *Sennerto* adducuntur.

XVIII.

Expoſita itaque mente noſtra, de materia ſteatomaticarum excreſcentiarum in arteria aorta repertarum, paucis ſententiæ aliorum de cyſticorum in genere tuberculorum productione perpendendæ ſunt. Veteres medicinæ cultores uno ore omnes, nonnullique de recentioribus aſſerunt: materiam harum excreſcentiarum provenire, partim ex humore pituitoſo ſolum, partim cum melancholico & bilioſo permixto, uti ex *M. Aurelii Severini* libro de recondita abſceſſuum natura *c.* 45. *Tagaultii inſtit. chir. l.* 1. *c.* 13. *Guid. de Cauliaco chir. tr.* 2. *p.* 78. *Barbette Ch. part.* 2. *l.* 1. *c.* 9. *D. Sennerto l.* 5. *p.* 1. *p.* 35. *Haſſenreffero de cutis affectibus l.* 4. *c.* 1. *p. m.* 550. *Gab. Ferrariæ ſylv. ch. l.* 1. *c.* 15. 16. *&* 17. *Roſſii conſ. ch. part.* 1. *c.* 11. *p.* 48. *Burmanni chir. curioſ. l.* 1. *c.* 1. *p.* 65. ac multis aliis videri poteſt. Cum autem cauſa, a qua hic error provenit, jam dudum ſit proſcripta atque exploſa, hanc ſententiam, ex jam dicta ratione ſatis ſuperque refutatam, ulteriori cenſura indignam judicamus. Antiquiores enim medici, quam quoque ſententiam multi neotericorum adhuc tuentur, ſanguinem noſtrum, ex quatruplici humore, ſanguine nimirum κατ' ἐξοχὴν ſic dicto, bile, pituita, & melancholia conſtare affirmabant; quod vero illa humorum quadriga, noſtro naturaliter ſanguini non inſit, ad ſatietatem jam liquet, ut cramben decies coctam, remque ab aliis ſatis dilucidatam proponere videamur, ſi diutius in demonſtranda hujus ſententiæ infirmitate immoremur. Adeoque ad aliorum opiniones progredimur, inter quas nobis primo occurrit ſententia *Plateri*, qui *tr.* 3. *de vit. c.* 3. *de extub. p. m.* 372. affirmat, harum excreſcentiarum materia, non a ſucco excrementitio, ſed a partium, in quibus oriuntur, nutrimento provenire; *ſi enim*, inquit ille, *hæc tubercula, ex humoribus excrementitiis ſolum generarentur, non tam ſtabiles ac diuturni, ſed putredini obnoxii eſſent, & more reliquorum tumorum in pus mutarentur.* Huic ſane ſententiæ, abſque ulla adſtipularer hæſitatione, niſi certum evictumque eſſet, ipſum corporis noſtri nutrimentum, fluxile admodum, attenuatum ac tenuiſſimi inſtar roris conſtitutum eſſe

debere, quo facile quacunque penetrare, parteſque remotiſſimas rore ſuo conſpergere atque imbuere poſſit, ut eleganter Nobilis *de Berger l. d. nat. hum. c.* 10 *p.* 173. *Heracliti* atque *Aſclepiadis*, contra *Ariſtotelem* & *Galenum*, defendens ſententiam, demonſtravit. Deinde illud ſaltem nutrimenti nomen promeretur, quod e maſſa ſanguinea per varia organa & poros ſeparatum, amiſſum denuo reſtituit. Ad quod accedit, materiam illam partibus iſtis, in quibus nonnunquam reperitur, nutriendis, plane ineptam eſſe. Quibus demum addendum, quod cum in una eademque ſæpe parte ſteatomata, atheromata, meliceri-des, calculi, polypi atque aliæ iſtiuſmodi excreſcentiæ, ab his materiæ ratione diverſæ reperiantur, exinde affirmare liceat, partes iſtas diverſi generis nutrimento gaudere. Nec ratio, quam ad ſtabiliendam ſuam ſententiam, de diuturnitate harum excreſcentiarum *Platerus* adduxit, tanti eſt momenti, ut ipſam rem penitus evincat; nam quod hæ perraro, aut nunquam in pus mutantur, non exinde contingit, quia ut putabat *Platerus*, harum excreſcentiarum materia eſt partium nutrimentum, dum illud, male cumprimis conſtitutum, ad putredinem ſuſcipiendam, perquam idoneum eſt, ſed ratio hujus rei a ſpiſſiore & ſolidiore reliquis tumoribus conſiſtentia, ac particularum oleoſarum & pinguium, ſalinoque ſulphurearum abundantia, nec non a lymphæ defectu deducenda; ſolidiora enim & oleoſa, non tantopere putredini ſunt obnoxia, ut laxiora multoque ſero impraegnata. Circa eam vero ſententiam notandum, quod ea ſub certa conditione admitti queat, quatenus hic intelligitur ipſa in genere nutrimenta male conſtituta, quæ eſt ſanguinis gelatina ex exiliſſimis compoſita fibris; ſic omnino fieri poteſt, ut ea ſecundum *theſ.* 14., ſi plus juſto craſſior ac viſcidior, in tubulis, quos tranſit, ſtagnet hæreatque, ac ſtagnando pars ejus tenuiſſima diſſipetur, & reliquum inſpiſſatum, ſebi ſeu pultis indolem adipiſcatur; ſed hæc materia, tunc nutrimenti nomine non condecoranda, ſiquidem his ita conſtitutis, meliori rei convenientia, origo illarum excreſcentiarum a lympha gelatinoſa, præternaturaliter conſtituta, cui varii generis impuræ, viſcidæ, terreſtres ac glutinoſæ particulæ, ſunt admixtæ, deducitur. Dehinc quia hocce aſſertum adhuc multis aliis difficultatibus laborat atque implicitum eſt, quæ nos a propoſito noſtro longius avocarent, ad ventilandas aliorum ſententias accedimus, de quibus *Junckii* jam commemoranda venit, qui in ſua *chir. ſect.* 2. *oper.* 4. *c.* 7. perhibet: has excreſcentias fieri, a chylo in tubulis hæſitante, eoſdemque obſtruente ac dilatante. Si dicendum, quod rerum veritas poſtulat, multum profecto, chylus ad iſtiuſmodi excreſcentiarum generationem facit, cumprimis, ſi iſte non bene ac naturaliter conſtitutus, varias in ſanguinem impuritates & cruditates ſecum transfert; unde iſte non accurate atque intime cum ſanguine miſceri, hujus ſphærulæ comminui, moleculæ pinguiores atque oleoſæ reſolvi, ſanguiniſque globulis penitus

tus aſſimilari poſſunt; hinc eæ ſibi invicem obviæ factæ, mutuo ſui contactu cohærent, varioque inter ſe ſociatæ modo, in diverſi generis ſubſtantiam concreſcunt; ex hac etiam cauſa glandularum in meſenterio obſtructiones, infantibus rachitide laborantibus familiares, quas ſcirrhum meſenterii appellare ſolemus, proveniunt. Hoc vero de chylo impuro & corrupto intelligendum, cum illud ab hoc humore, bene & naturaliter diſpoſito, plane non expectandum ſit.

XIX.

Plane peculiarem de origine horum tuberculorum opinionem. commemoratus *Verduc* obtinet; *Si enim*, aſſerit iſte, *plus ſalis fixi, quam acidi, lymphæ permiſcetur, tunc exinde craſſa generatur materia pulti ſimilis; ſi vero lympha craſſa, viſcida & cum acido permixta eſt, oritur ex his ſebo vel adipi non inconveniens moles, qualis in ſteatomatibus reperitur; quod ad meliceridem attinet, hanc ex particulis oleoſis, ſpirituoſis ac ſulphureis, lymphæ communicatis, quæ illi conſiſtentiam melliformem conciliant, generari aſſerit.* E chymicis equidem cognitum perſpectumque eſt, quod acida utique humores coagulent, condenſent atque incraſſent; infunde, ſi hujus rei certus eſſe cupis, ſanguini e vena miſſo ſpiritum vitrioli, illico hunce coagulari, atque in fibroſam, polypis haud abſimilem albicantem ſubſtantiam coire, deprehendes. Idem comprobat *Nehem. Grew in diſc. de mixtione ſ.* 5. ex. 2. qui affundens ſpiritum nitri oleo ex olivis expreſſo, obſervavit, illud mixtum, poſt aliqualem digeſtionem, primum medullæ & demum adipis conſiſtentiam & colorem induiſſe, adeo, ut coagulum hoc, non iterum liqueſcat, niſi adhibito igne ipſius adipis more. Imo jam dictum, aut alium quemcunque ſpiritum acidum, ſyringe in venam animalis jugularem, vel cruralem, aut aliam quam modo velis, injice, animadvertes ſane ſanguinem condenſatum in grumos abiiſſe, atque ita ad circulandum ineptum factum, ſuffocationem motus ſanguinis induxiſſe. Si vero primo perpendimus, iſtiuſmodi coagulatos ſanguinis grumos, multum a noſtris tuberculis, de quibus nos agimus, differre, deinde talia ſalia acida, cauſtica & corroſiva, ſanguini formaliter noſtro non ineſſe, ut de reliquis nihil dicam, hinc una cum hiſce hujus ſententia corruit. Veritati itaque ac rationi, ut in præcedentibus indicatum theſibus, conſentaneum manet, harum excreſcentiarum materiam, non ab humore pituitoſo, aut melancholico, vel ſale acido, aut chylo & ſucco nutritio naturaliter conſtituto, aliaque hujuſmodi cauſa, ſed a ſtagnatione, vel mutua cohæſione ac complicatione lymphæ ſanguinis gelatinoſæ provenire, cui varii generis impuritates, plus minus viſcidæ, terreſtres, ſalinæ, tartareæ aliæque ſunt intextæ, quæ multum, augendo fibrarum, e quibus conſtat, ramoſitatem, ad mutuam hujus combinationem & concretionem contribuunt;

uti id cumprimis in ſcorbuticis, ictericis, hydropicis, hypochondriacis, arthriticis, luis venereæ poſſeſſoribus, aliiſque obſervamus; cumprimis hujuſmodi excreſcentiæ, poſt diuturnam febrem quartanam, ſecundum *Waldſchmidium prax rat. p.* 589. conſpiciuntur.

X X.

Hac itaque re abunde & per omnia luſtrata, reſtare videtur, occaſionales in genere cauſas, earumque naturas & diſcrimina recenſere, ac rationes ſimul, quibus ad horum productionem tuberculorum faciunt, explicare; enim vero cum tantus ſit eorum ambitus, ut tædium potius, quam fructus ex horum enumeratione expectari queat, ſufficiet, potiora, quæ ad elucidandam eorum geneſin maximopere inſerviunt indicare. Tales autem ſunt omnes res naturales & præternaturales, quæ ſuccos corporis incraſſando & corrumpendo, ſanguinis omniumque reliquorum humorum motum retardando atque impediendo, ſecretiones turbando, harum excreſcentiarum generationi valde favent. Ad earum cenſum referendæ aquæ minerales, acidæ, aluminoſæ, argillaceæ, & limoſæ, abuſus ſpiritus vini, de quo ſuperius dictum, cibi & potus crudi, terreſtres, glutinoſi, tenaces, craſſi, ſalini, acidi, omneſque, ut paucis rem complectar, qui difficilis ſunt digeſtionis, inter quos piſces & carnes fumo induratæ ſaleque conditæ eminent; aer nebuloſus, craſſus, humidus ac frigidus, nimia ſomni indulgentia, intermiſſum motus exercitium, animus moleſtis detentus cogitationibus, ſuppreſſi menſes, hæmorrhoides, aut aliæ excretiones ſolennes. Sic Hiſpanis & Italis, præcipue vero in agro Bergamenſi, ut & montium Pyrenæorum Alpiumque accolis, aquarum vitio, ſtrumæ & ſcrophulæ, quæ a nonnullis excreſcentiis cyſticis male confunduntur, familiares ſunt. Viſtulæ a Polonis adſcribitur ortus ſic dictæ plicæ Polonicæ, humidum & veluti glutine contextum intortumque capillitium denotantis. Calculorum cauſam, qui Auſtriæ, Ungariæ, Rhenique incolis patrii perhibentur, deducunt medici & phyſici ab abuſu vini aliarumque hujuſmodi rerum. Obſtructos hæmorrhoides, cauſam polypi cordis allegat *Gohlius l. c.* Frigidam inhabitantes Zonam, ob nimiam aeris preſſionem & frigiditatem, pernionibus, ceu malo endemio atque eis proprio laborant. Hæc vero res, non veterum more eſt explicanda, qui illud, a peculiari in aere frigido reſidente facultate & virtute deducebant, cujus ope temporis momento jam dicti gignantur tumores; quique etiam pro cauſa tumorum atque excreſcentiarum internarum ipſorumque calculorum, nimiam interiorum partium frigiditatem accuſabant, qua partes conſtringi, humores condenſari, atque in variam, pro frigoris conſtitutione molem coire, aſſerebant. Quis vero, tantum in corpore noſtro vivente, mente ſibi fingeret, ne dicam crederet frigus, quod incraſſando ac quaſi con-

ge-

gelando humores, varii generis tumores producere poſſet. Melius hujus rei cauſa, ſi aeris frigiditatem, cum *cl. Langio* hic accuſare volumus, ac ſucceſſiva & mechanica hujus operatione, ſenſibus nota derivatur; quatenus aer frigidus; nerveas cutis fibras conſtringendo, poros corporis claudit & conſtipat, ſuccos ipſos hoc modo incraſſat & condenſat, & hac ratione omnes ſecretiones, quibus ſanguinis perficitur depuratio, hujuſque conſervatur craſis, turbat; hinc variarum heterogeneitatum, e maſſa ſanguinea removendarum proventus, variorumque morborum, & cumprimis jam dictarum excreſcentiarum origo.

XXI.

Verum, de hac re dictum ſatis, inquiſitione proinde dignum erit, quo pacto cyſtis, materiam noſtrarum excreſcentiarum includens, formata ſit. Hæc, ex membrana admodum dura craſſaque conſtabat, quæ tota e fibris, ſecundum longitudinem procedentibus coagmentata ac fabrefacta videbatur. Sanguini noſtro, præter alias figuræ ac formæ particulas, etiam filamentoſas ineſſe, generatio ac nutritio corporis noſtri, multaque alia ſatis clare demonſtrant; quippe cum tota corporis noſtri compages, ex iſtiuſmodi gelatinoſæ ovuli materni lymphæ filamentis non ſaltem conſtructa concreverit, concretaque aucta, atque ad juſtam magnitudinem provecta fuerit, ſed etiam hiſce nutriatur & conſervetur. Partes enim corporis noſtri omnes, in principio generationis molles ac fibroſæ, inſtar gelatinæ ſunt, quæ ſenſim ſenſimque ſolidiores ac duriores evadunt. Hæc partium noſtrarum evolutio continuatur deinde, conſervatur atque augetur, novarum iſtiuſmodi particularum acceſſu; quatenus jugi cordis motu, ſanguis in arterias propulſus, perque venas iterum revectus, gelatinoſas in ſpatiis partium particulas deponit, atque in eadem, continuo novarum acceſſu protrudit, ubi eædem paulatim in varii generis fibras elonganttur, atque extenduntur, quæ mutuo ſuo contactu, partibus iſtis, quibus inhærent, affixæ, in augmentum ac conſervationem cedunt. Omnes quippe partes ſolidæ, vel duræ ſint, vel molles, ex iſtiuſmodi fibris compoſitæ ac conſtructæ ſunt, quod manifeſtius patet in cute, ac præcipue in exteriori hujus lamella, oculis vitro optico armatis conſpicua, quæ ſæpiſſime, cumprimis in febribus continuis, circa labia aliaſque partes molliores abſcedit & renaſcitur. Exempli quoque loco, hic eſſe poteſt, caro in vulneribus luxurians, quæ tanta, paucis interdum diebus, ni cohibeatur, ſumit incrementa, ut in magnam excreſcat molem. Si vero carnem hanc paulo penitius examinamus, hæc nihil aliud eſt, quam congeries minimorum lymphæ gelatinoſæ filamentorum, quæ ope motus cum reliquo ſanguine eo deducta, extra vaſa propelluntur, ibidemque hærentia, ac ſe invicem contrectantia, varioque inter ſe modo implicita ſolideſcunt, atque in varii generis materiam concreſcunt. His ita conſtitutis, origo

 cy-

cyſteos noſtrarum excreſcentiarum in propatulo eſt, quæ, prout adductis illuſtratum, a craſſis & rigidioribus lymphæ gelatinoſæ fibris, a reliquarum conſortio particularum ſeparatis & longius protenſis, juxta ſe invicem quieſcentibus, mutuoque ſuarum ſuperficierum & extremitatum contactu cohærentibus, atque hoc modo membranam efformantibus, conſtructa fuit; craſſities autem & ſoliditas iſtius folliculi, a fibris novis aliis ſuperimpoſitis, iiſque intimius inter ſe unitis & conſociatis provenit. Hæc vera & genuina folliculorum, ſic dictas excreſcentias cyſticas includentium ætiologia eſt, quæ omnibus, quibus aliorum ſententiæ ſunt implicitæ, difficultatibus caret; dum tali modo cyſtis hæc, prout autores volunt, his excreſcentiis propria & cum nullis aliis communis exiſtit. Imo hanc folliculorum geneſin, in multis aliis, ac cumprimis in calculis clare deprehendimus, quorum permulti cortice inveſtiuntur, qui nihil aliud eſt, quam tunica durior & magis compactior, ob abundantiam particularum rigidarum, ſalino terreſtrium. Marcellus Donatus anguillæ ſimilem pelli obſervavit folliculum, in quo calculus incluſus deliteſcebat, vid. *Meibomius tr. de abſceſſ. p. m. 78.* De lapidibus cyſti incluſis, proxime cor intra aortam atque aſperam arteriam ſitis, lectu dignum eſt, quod habet *Guilhelm. Fabricius in ſelect. obſ. chir. obſ. 6.* Hoc etiam luculenter apparet & illuſtratur in lapide bezoardico, a Perſis badzahar dicto, nec non in cornu ammonis, aliiſque ſive glebis, ſive lapidibus, ad hoc pertinentibus, vid. *Joh. Reiſke exercit. hiſtor. phyſ. appendic. ad ann. 7. d. 2. ephem. med. phyſ. germ.*

XXII.

Animadverto tamen, & ſuos hanc ſententiam adverſarios habituram, hinc, ut eandem ab imminentibus præmuniam telis, neceſſarium duco. Objici vero hic non ſine ratione poſſet, quo modo, ſi cyſtis harum excreſcentiarum, a jam dictis proveniat fibris, eæ augeri poſſint, quia, prout ipſi aſſeruimus, omnibus vaſis deſtituuntur, ipſoſque in illis abnegavimus poros foras introſpicientes, ut nullum tali modo nutrimentum hiſce ſuppeditari poſſit. De nihilo ſane hæc objectio non eſt, ſed ſi rem paulo penitius inſpicimus atque examinamus, mentiſque aciem ad noſtra imprimis tubercula dirigimus, & illud omnino dubium haud difficili negotio removeri poſſe, conſtabit. In noſtrorum delineatione ſteatomatum indicavimus, quod ea ex meris adipoſis fuerint conſtructa bulbis, ſebaceo ſaltem globulo in horum medio relicto. Ex his omnino palam fit, folliculum harum excreſcentiarum, demum poſt ipſam materiæ in ſacculo incluſæ combinationem efformari, quo conſtructo, non amplius materia intus hærens, ſeu ſolummodo folliculus augeri poteſt, unde etiam hæ excreſcentiæ interdum una, interdum duabus tribuſve membranis inſtructæ conſpiciuntur, ut *Job Pilas* atheroma humero

ro inhærens, triplici præditum folliculo, in legionis Vice præfecto la *Branche* obſervavit, quod ſuadente cl. *Zwelſfero*, cauſtico quodam feliciter curavit, vid. *miſcell. A. N. C. d.* 2. *ann.* 2. *obſ.* 92. *p.* 162. Nec adeo abſimili modo ſe res cum generatione calculorum corticoſorum habet; primum enim, in illis nucleum produci neceſſe eſt, quo producto & efformato, iſte demum ob molecularum terreſtrium & viſcidarum circa eum hærentium, & ſibi invicem foliorum inſtar incumbentium copiam, cruſta quadam vel cortice inducitur, qui deinde multum adhuc, non vero ipſe nucleus augeri poteſt; hinc idem in ipſis calculis, quod de cyſticis excreſcentiis dictum, ſæpius deprehendimus; dum illis confractis, horum nucleos modo uno, modo duplici, triplicive cortice veſtitos, non ſine quadam animi voluptate conſpeximus. Sæpius etiam in apertis cadaverum viſceribus congeſtiones ſebaceæ occurrunt, quæ cyſti plane carent, hæ, etſi omnia ſteatomatum requiſita non poſſideant, perquam bene tamen atque eleganter, ſub inperfectorum nomine ſteatomatum comprehendi poſſunt.

XXIII.

Alterum porro dubium, quod chirurgica ſuppeditat praxis, atque a cita horum tuberculorum reſtitutione deſumitur removendum: quatenus obſervamus, hiſce per ſectionem, in partibus manuali obviis operationi, apertis, materiaque in folliculo contenta evacuata, hæc nihilo ſecius repullulaſcere, adeo, ut ſemper neceſſarium ſit, ipſum ſimul folliculum auferre, qui vero non ſine ſubjacentium dolore & vulneratione partium tolli poſſit. Lubens equidem fateor, ſæpius contingere, hæc tubercula, cyſti eorum relicta, denuo redire, quid vero exinde? nihil profecto aliud, quam per apertum folliculi foramen novam intraſſe materiam, quæ evacuatum ſacculum ſimili adimplevit ſubſtantia. Nihil vero ſententiæ noſtræ adverſi demonſtrari poteſt, dum alii, harum excreſcentiarum cum partibus probandæ continuitatis gratia ad inſequentem, illarum exciſionem, vulnerationem provocant; ſic, ut eæ, ſine nervoſarum, quibus accumbunt, partium læſione, eamque comitante convulſione, ac magna ſanguinis profuſione, non poſſint exſcindi, quale exemplum *Hœchſtetterus* de monacho in Italia oculis uſurpatum refert; quem ſteatomatis exciſione, ob inſequentem enormem nulloque cohibendam remedio ſanguinis profuſionem periiſſe, affirmat. Huic aliam adjungit hiſtoriam de miræ magnitudinis ſteatomate, quod mulier in mento geſtaverat, eoque ſublata fuerat; de quo ait, quod illud nimiæ metu hæmorrhagiæ inciſione aufferre & curare noluiſſet. conf. *Hœchſtetteri dec.* 6. *p. m.* 473. Atheroma e ſiniſtra exſectum palpebra, magnos inducens dolores, cum inſequentibus artuum tremoribus, convulſionibus ac capitis imbecillitate extat in collect. med phyſ. *Blanckardi part.* 2. *c.* 5.

5. *obſ.* 27. Huc etiam pertinet, quod habet *Th. Bartholinus* in ſuis obſervationibus rarioribus, *cent.* 1. *hiſt.* 23. Viri ſteatomate prope veſicam onerati, eoque defuncti anatomen recenſens, ubi hæc demum affert verba: *his remotis prope ſiniſtrum veſicæ latus, tumor ipſe capitis magnitudine comparuit, firmiter veſicæ, recto inteſtino, atque oſſi pubis adnatus, ut ſine læſione illarum partium ſeparare, nobis fuerit impoſſibile.* Hæc vero dubiae luctamina mentis auſferentur, ipſius primum hæmorrhagiæ cauſas in hoc caſu conſiderando, & deinde commiſſos ab autoribus in annotatione harum excreſcentiarum errores dijudicando. Quod ipſius hic hæmorrhagiæ cauſam concernit, hæc omnino a vaſorum ſanguiferorum læſione deducenda venit, quam certo harum exciſionem ſubſequi neceſſe eſt, cum ea ſub cute, aliiſque communibus corporis integumentis deliteſcant, quæ omnia ſanguiferis donantur vaſis. Nec læſio ſubjacentium nervoſarum partium ac aliorum ductuum, harum excreſcentiarum cum his continuitatem probat. Sæpe numero enim contingit partes, ſolummodo contiguas, ita firmiter ob particulas pingues & tenaces inter ſe conglutinari, ut ferme continuæ videantur, & exinde etiam fit, quod hæ difficulter, ob nimis arctam inter ſe cohæſionem, ſeparentur; ad quod non parum chirurgorum plurimorum in hujuſmodi enchiriſibus imperitia contribuit. Innumera ferme exempla proſtant ſteatomatum atque aliorum tuberculorum cyſticorum, a peritis chirurgis per ſectionem ſine ulla magna hæmorrhagia ac ſubſequente convulſióne curatorum, talique modo, ſi ſteatomatis aut alius hujuſmodi excreſcentiæ exciſio, interdum minus feliciter ſuccedit illud non harum cum partibus ſubjacentibus continuitati, ſed arctiori partim cohæſioni, partim chirurgi imperitiæ eſt adſcribendum, vid. *Joh. Rhodius cent.* 1. *p. m.* 14. & 15. *Felix Platerus l.* 3. *obſ. p. m.* 657. Error porro, ab autoribus in harum excreſcentiarum annotatione commiſſus, non intactus hic derelinquendus; multæ in vulgus editæ proſtant obſervationes, de tuberculis ſteatomatum nomine inſignitis, quæ tamen tota ſua natura ab illis differunt; exempli loco unicum ſaltem ex *Blancardi* collectaneis medico-phyſicis afferam, qui *part.* 1. *c.* 3. *obſ.* 54. *p. m.* 426. & *ſequ.* ſteatoma ceu cauſam coarctati œſophagi allegat, perlegat modo aliquis totam hiſtoriam, ac ſecum reputet harum excreſcentiarum definitionem, non a nobis ſaltem, ſed ab omnibus ὁμοθυμαδὸν autoribus approbatam manifeſte deprehendet, nihil præter ſteatomatis nomen in ea contineri, quod meliori jure tumor glanduloſus, vel quod melius, arterioſi deductio apicis, in præternaturali glandulam mentientis ſtatu, & morbum ſatis periculoſum, œſophagium dictum efficientis, vocatur, vid. de eo, quæ habet *cl. Mennes* in *adverſ. anat. Ruyſchii dec.* 1. *an.* 10. *p.* 25. *uſque ad p.* 34. Hic mihi copioſiſſimus, alia hujuſmodi pſeudoſteatomata recenſendi campus ſuppeteret; aſt cum hæc res admodum prolixa ſit, nullamque præ ſe ferat utilitatem, unicum ſufficere puto, quo

ſcia-

ſciamus ; multis erroribus imbutam eſſe chirurgiam, quæ quidem ſæpius reformata, multos & graves adhuc exhibet errores.

XXIV.

Veritati, his evictis, minus congrua exiſtimanda, quæ habent Dn. de *Landes Baugrand*, in epiſt ad Dn. *Blegny*, & jam ſæpius commemoratus *Verduc*, de origine & cauſa folliculi excreſcentiarum cyſticarum, qui huncce vas lymphaticum conſtituere affirmant, de quibus hic ſequentibus illud probare annititur ; *ſic*, *quivis* ait, *credito*, *quod membrana folliculum excreſcentiarum cyſticarum conſtituens*, *non aliunde*, *quam a lymphatici dilatatione vaſis proveniat ; uti enim*, pergit iſte, *aneuriſma eſt dilatatio arteriæ*, *& varix dilatatio venæ*, *ſic jam dictarum cyſtis excreſcentiarum nihil aliud eſt*, *quam lymphatici expanſio vaſis*, *vid. hujus pathol. chir. c.* 10. *p. m.* 157. Enimvero claudicat admodum hoc ſimile, quod Dn. *Verduc* a varicibus atque aneuriſmatibus deſumit; hæc veri ſunt tumores, adeoque varices cum venis atque aneuriſmata cum arteriis continua. Plane aliter ſe res cum excreſcentiis cyſticis habet, quarum quippe folliculus hiſce proprius, nulloque modo cum aliis communis eſſe debet, nulla autem ratione illud de lymphatici dilatatione vaſis afferi poteſt, quod tumoribus non proprium, ſed commune plane involucrum conciliat; adeoque ſi lymphatici vaſis dilatatio contingit, hæc non pro excreſcentia cyſtica, ſed pro tumore eſt habenda. Pari quoque paſſu ambulat ſententia *Wedelii* & *Junckii*, qui cum multis quosvis generis tubulos a chylo tranſeunte obſtructos atque expanſos, pro folliculo excreſcentiarum cyſticarum habent cui modo dicta reponenda ſunt. Haud meliori habendum loco, quod *Meges* antiquiſſimus chirurgus apud *C. Celſum* de tunica protulit, qui hancce non veram membranam, ſed callum vetuſtiori circumdatum puri eſſe perhibet. Cum his, ratione valoris convenit illorum opinio, qui hanc Dei inſtinctu produci afferunt, utpote qui voluerit, materiam aliquam ſuis terminis includi, atque a proximo inculpatæ partis ambitu ſeparari, illi quidem, quid fiat dicunt, modum vero, quo fiat, dum ipſi neſciunt reticent. Veritati quoque atquæ autopſiæ anatomicæ repugnat aſſertum *Owercampii* & *Purmanni*, ſeculum noſtrarum excreſcentiarum ab expanſis vaſis chyliferis derivantium, vid. illius chir. l. 1. c. 10. p. 201. Ejuſdem momenti eſt hac de re ſententia *Blancardi*, qui modo dictos ſecutus, autores, dilatata vaſa lactea accuſat. conf. hujus *chir. l.* 3. *c.* 5. *p.* 256.

XXV.

Non melius certe, ſi non deterius eorum cenſeo aſſertum, qui pro folliculo excreſcentiarum cyſticarum, glandulas dilatatas atque expanſas

venditant. Hi duplici quidem ſuffulti ratione, ſuam defendere ſententiam allaborant; prima deſumta eſt a figura, quod nimirum hæ excreſcentiæ ſint corpora ſphæroidea, adeoque ipſis glandulis quoad formam ſimilia; alteram hujus ſciti probationem, a ſenſu doloris, quo, hæc tubercula maximam partem, glandularum more deſtituuntur, arceſſunt. Sed quantum hæc ſententia a veritatis tramite diſtet, facile eſt judicatu. Illi enim ipſimet, ut omnes aſſerunt autores, quod excreſcentiæ cyſticæ ſuis propriis gaudeant folliculis; quod vero parti cuidam eſt proprium, aliis non debet eſſe commune; cum itaque ſtatuamus, cyſticarum folliculum excreſcentiarum, dilatatas eſſe glandulas: nullo affirmare modo poſſum, quod ſacculus, in quo materia harum excreſcentiarum incluſa latet, illis proprius ſit, ſed quod non ſolum ad glandulas, verum etiam ad alias partes, ceu illis communis pertineat. Et hac ratione minus adæquate, ſteatomata excreſcentiis a nobis fuiſſent annumerata, quia hæc tali modo cum partibus omnino continua, non autem contigua eſſent. At enim vero, illud hoc unico removemus, ipſa, uti ſuperius dictum, ſteatomatum eſſentia in eo conſiſtit; proprio primum gaudere folliculo, deinde materiam in eo contentam eſſe ſebaceam atque adipi ſimilem. Satis clare exinde eluceſcit, quam debili fundamento eorum ſententia innitatur, qui glandularum dilatationes atque expanſiones, a varii generis intus hærentibus & ſtagnantibus ſuccis pro ſteatomatum cyſti habent, ſibimet ipſis contradicendo, primo nempe affirmantes, quod hæc ſuos proprios obtineant folliculos, deinde vero illud negantes, glandulas dilatatas pro ſacculis eorum evincendo. Fautores autem glandularum hic denuo interpellarent, ſic neutiquam negari, excreſcentias cyſticas, ſuis propriis folliculis inſtructas eſſe, aſſerendo, expanſas glandularum tunicas eoſdem conſtituere; glandulas enim, perhibent illi, uti ex anatomicis conſtat, propria quadam ſuccingi membrana, facili vero negotio & levi de cauſa evenire, varii generis ſuccos plus minus viſcidos & glutinoſos in illis ſtagnare, qui ibidem ſubſiſtentes, & a novis ſubſequentibus aucti, glandularum tunicam diducant atque extendant, quæ deinde folliculum harum excreſcentiarum efformet. Eleganter equidem ad hujus rei probationem verba ſunt adornata, difficulter autem, & plane non, id ipſum, quod innuitur, demonſtrari poteſt, dum ipſa experientia atque autopſia anatomica contrarium docet. Me ſane non latet, multa & magna clarorum in medicina virorum volumina extare, in quibus copioſis verborum ampullis, ad nauſeam uſque, de glandularum in cerebro, pulmone, hepate, ventriculo, liene, renibus aliiſque viſceribus præſentia, ſtructura, atque uſu diſſeritur; nullus vero eaſdem in ſtatu ſano atque integro unquam demonſtravit, aut demonſtrare potuit, licet maximorum viſcera animantium ad hoc adhiberent, ſed omnes cum *Malpighio* ad præternaturalem provocant ſtatum, ubi has, alias inconſpicuas, cognoſci docent. Manifeſtus omnino error hic depre-

deprehenditur; vi enim morbi, magna in viſceribus contingit mutatio, ipſique tomentoſi arteriarum apices, non raro ob accumulatam & coacervatam in illis particularum viſcidarum terreſtrium ac tartarearum catervam, præter modum diſtenduntur ac dilatantur, quæ facile minus cautum glandularum ſpecie decipere atque illudere poſſunt. Evolv. *Ruyſchii adv. anat. dec. obſ.* 3. 4. 5. *p.* 9. *& ſequ.* Quis vero, his ita in aprico poſitis, niſi nimio contradicendi pruritu incenſus, aſſereret: diductas glandularum tunicas, ſteatomatum in hepate aliiſque viſceribus repertorum cyſtidem conſtituere; hoc plane abſonum eſſet, ſiquidem hæ partes omnes glandulis deſtituuntur. Et quid, quæſo, de noſtris excreſcentiis, in arteria aorta repertis dicam, glandulas dilatatas eaſdem fuiſſe, ipſi ſanæ repugnat rationi. Hinc illi audiendi non ſunt, qui a jam dictis partibus, folliculum horum tuberculorum deducere volunt, multo magis ſentiendum cum excellentiſſimo *Heiſtero*, clariſſimo noſtri temporis anatomico, qui admodum pulchre & concinne de hac re ſequentem in modum loquitur: *Alii quando in ſtatu præternaturali, in cadaveribus hydrope aliiſque gravioribus morbis defunctis, corpuſcula ſphæroidea, ſeu rectius, morboſa tubercula, ſteatomata, atheromata, grandines, congeſtiones terreſtres aut tartareas, in formam globulorum compactas invenerunt, in hepate, liene, cerebro, peritonæo, pericardio, mox inde concluſerunt hæc tubercula, ſive corpuſcula, quia ſphæroidea apparuerunt, veras fuiſſe glandulas.* Plura de hac materia vid. *in hujus comp. anat. p.* 171. *& in notis ad illud p.* 202 & 203.

XXVI.

Certiori fundamento ſententia celeberrimi *Ruyſchii* innititur, qui folliculum noſtrarum excreſcentiarum, apices atque extremitates arteriarum efformare, aſſerit *dec.* I. *adverſ.* 4. *p.* 13. Imo majori digna applauſu *Boerhavii* opinio, a *Ruyſchio l. c. p.* 11. *&* 12. expoſita, qui affirmat ſacculos & receptacula pinguedinis, ipſam jam dictorum tuberculorum cyſtidem conſtituere. Idem ferendum judicium, de nonnullorum recentiorum aſſerto, qui folliculum excreſcentiarum cyſticarum, hydatides magis minuſque expanſas eſſe perhibent; dum omnino ex hydatidibus, pro varia lymphæ, quam in ſe continent conditione, mutata illarum diatheſi, varii generis tumores, ſteatomatibus, atheromatibus & meliceridibus ſimiles, generari poſſunt, vid. *Joh. Maur. Hoffmanni diſquiſ. corp. hum. anatom. pathol. p.* 11. *&* 12. Hanc rem eleganter illuſtrare videtur, quod nuper in hepate porci, ſubito extincti, ad nos a fœmina allato obſervavimus. Hoc viſcus, uti naturalem longe excedebat magnitudinem, ſic ne ullum de hujus genuina ſubſtantia veſtigium apparebat, ſed totum hepar, congeries quædam innumerarum veſicularum aquearum eſſe videbatur, racematim uvarum more inter ſe co-

hærentium; in quibus, dum nonnullis incidendo aperiremus, materiam in his mere aqueam ac tenuem contineri, in his vero craſſiorem ad pultis genium accedentem, atque alias materia ſebacea, alias melliformi, alias arenoſa ac lapidea infarctas repletaſque eſſe, obſervabamus. Sed hæc minus de folliculo noſtrarum excreſcentiarum aſſeri poſſunt, illaque tubercula, magis pro ſpuriis, quam veris ſteatomatibus aliiſque hujuſmodi excreſcentiis ſunt habenda.

XXVII.

His ita conſtitutis, mirari non ſatis queo, ex qua cauſa, quaque ſuffultus ratione, cl. *Waldſchmidius* in praxi ſua, & quidem in notis ad chirurg *Barbette p. m.* 589. aſſeruerit: atheromata ac melicerides in quibuſvis corporis partibus oriri, ſteatomata autem in partibus ſaltem glanduloſis. Nullam video ſufficientem hujus rei rationem, nec minus experientiam invocare poteſt, quæ illi propugnaculi loco ſit, dum per ipſam experientiam contrarium demonſtrari poteſt. Proſtant enim, hinc inde multæ ſteatomatum, in variis interioribus corporis noſtri partibus repertorum obſervationes, quæ vere omnes glandulis deſtituuntur. Sic *Thom. Bartholinus cent.* 2. *obſ.* 20. mentionem facit ſteatomatis prope veſicam, virilis magnitudine capitis. Idem *cent.* 2. *obſ.* 54. commemorat ſteatoma, quod in anatome publica a *Veslingio* demonſtratum, pancreati adhæſit, ipſoque majus pancreate fuit. Aliam adhuc ſimilem hujuſmodi excreſcentiæ hiſtoriam jam dictus autor, *cent.* 2. *obſ.* 60. affert, exhibentem ſteatoma, in exteriore parte, uteri fundo, juglandis magnitudine adnatum. Dn. a *Moinichen* ſteatomatis per membranam lieni adhærentis, undiquaque alias liberi in *epiſt.* 56. *cent.* 2. *p. m.* 586. ad *Thom. Bartholinum* exarata, mentionem injicit. *Philip. Salmuthus*, *obſ. med. cent. p.* 5. *& ſequ.* adducit ſteatoma venarum, meſenterii ac pancreatis. *Petrus Lotichius* hiſtoriam ſteatomatis, ad regionem lienis, capitis magnitudine protuberantis habet, vid. hujus *l.* 6. *c.* 3. *obſ.* 11. De ſteatomate juxta inteſtinum duodenum, evolve *Fabricium Hildanum*, *cent.* 1. *obſ.* 71. Apud eundem de ſteatomatibus in pulmone & hepate repertis, relatum legitur *cent.* 2. *obſ.* 44. Eodem quoque loco annotata extat obſervatio ſteatomatis, œſophago atque aſperæ incumbentis arteriæ. Alia adhuc ſteatomatum in omento relatio, dicto autore, *cent.* 3. *obſ.* 62. invenitur. Steatomata circa vaſa ſplenetica, venam portæ & venam cavam, nec non in diaphragmate, pectore & pulmonibus reperta, idem enarrat, *in ſelect. obſ. chir. obſ.* 23. De puella febri, hectica, ex menſium ſuppreſſione laborante, eaque extincta, cujus meſenterium ſteatomatibus refertum erat, diſſerit *Barbette prax. med. lib.* 3. *c.* 11. *p. m.* 242. Steatoma, pugni magnitudine, cerebrum inter & cerebellum, eo præciſe loci, ubi cranium utrique plexus choroidis alæ

ſub-

ubſternitur, vidit *Drelincurtius*, quod primum cœcitatis, deinde ſurditatis, demum apoplexiæ, & tandem mortis fuit cauſa. Perquam jucunda atque utilia ſunt *Ruyſchii* dictata, de ſteatomatibus in teſtibus muliebribus repertis, *Dec.* I. *adv. an. p. 6.* De ſteatomate pulmonum, legi meretur *Klaunigii* noſocomium charitatis, *hiſtor.* 10. *p.* 39. *& hiſt.* 16. *p.* 79. De hepate, innumeris obſeſſo ſteatomatibus, vid. annotata cl. *Heiſteri* ad ejus *comp. an. p.* 203. Multas quoque ſteatomatum obſervationes, in exterioribus corporis partibus, glandulis deſtitutis repertorum, varia figura ac magnitudine præditorum afferre poſſem; aſt cum temporis chartæque ratio ſit habenda, eas jam omitto, maxime, cum res ita clara ſit, ut ulteriori non indigeat dilucidatione, de his evolv. *Guilh. Fabricius*, *cent. 6. obſ.* 16. *Petr. Lotichius*, *l. 6. obſ.* 12. *Joh. Rhodius*, *cent.* 1. *obſ.* 29. *p. m.* 15. *&* 16. *cent.* 1. *obſ.* 99. *p.* 65. *Scultetus in armam. chir. obſ.* 84. *Nic. Tulpius*, *obſ. med. l.* 1. *c.* 33. *Felix Platerus*, *l.* 3. *obſ. p.* 687. *Purmannus obſ. chir. part.* 1. *obſ.* 6. *p.* 23. *& part.* 2. *obſ.* 31. *p.* 153. *&* 157. *Wolffius obſ. chir. & med. curioſ. theſaur. obſ.* 76. *p.* 246.

XXVIII.

Scrupulo iſto jam e medio ſublato, animadvertendum, quæ adfuerint in cadavere noſtro adhuc vivo ſigna, quibus aliquo modo, de ſteatomatibus in arteria aorta præſentibus, certi eſſe potuiſſemus. Multa equidem aderant, quæ de re præternaturali, vel cordi, vel arteriæ inhærente, ſatis clarum perhibebant teſtimonium, v. g. anxietas præcordiorum, ac ſi prægrandi pondere, pendulus cordis muſculus oppreſſus eſſet; cordis palpitatio continuo durans, & tam vehemens, ut ipſæ lateris ſiniſtri coſtæ, ad ejus motum diſſilire, viderentur, ſumma reſpirandi difficultas, eaque ſine intermiſſione & remiſſione ægrum excrucians, pulſus interruptus atque interdum plane ceſſans, crebriorque huic ſuccedens ſyncope, aliaque; ſed, quod ſteatomata arteriæ aortæ inhærentia, horum ſymptomatum cauſa ſint, certe præſagiri non potuit; dum hæc ſigna, non ſaltem in polypis & calculis cordis, atque in inveterata ſanguinis viſciditate & craſſitie occurrunt, ſed etiam, quando arteria aorta, naturalem membranaceam ſtructuram, cum cartilaginea, oſſea, vel plane lapidea duritie commutans, ad motum a corde illi impreſſum continuandum, minus apta eſt, prout inter alios, hujuſmodi obſervationem vir excellentiſſimus, *Chriſtianus Vaterus*, celeberrimus ævi noſtri medicus habet, qui arteriam in hujuſmodi ſubſtantiam degeneratam, jam dictorum ſymptomatum cauſam, poſſidet, atque inter curioſa aſſervat. Eadem quoque, in valvularum cordis conſumtione obſervantur quale exemplum, in *miſc. n. c. d.* I. *a.* I. *obſ.* 70. de puero duodecim annorum proſtat. Imo ex iiſdem

coalitis atque oſſeis factis, mala ſuperius dicta enaſci, confirmat *Ruyſchius*, *obſ. anat. chir. hiſt.* 69. *p. m.* 89. Dehinc, perquam eleganter, huic noſtræ obſervationi, verba modo commemorati anatomici & medici præſtantiſſimi, *dec.* 1. *adv. an. p.* 23. ſequentia pronunciantis, accommodari poſſunt: *Genuino hoc miſerandi morbi exemplo, didici, calamitoſam humani generis conditionem, cauſasque morborum inperſcrutabiles ſæpe, & omnino inſanabiles eſſe, licet cognoſcerentur. Quæ vero in hac re ſit cauſa ſymptomatum phyſica, tu inquire medice, forte reperies, licet lateat, neque te forſan fugiet medendi methodus, ſi modo miri accidentis ratio te non fefellerit. Felix, ſi inveneris, laudandus, ſi inquiſiveris.* Sic felix omnino denominandus, qui judicii acumine, conjecturando, in hujuſmodi caſu, verum aſſecutus fuerit; laudandus, qui ipſam perquiſivit rem, licet irritis interdum conjecturis. Steatomata enim, quæ in internis corporis noſtri partibus, atque a ſenſu viſus & tactus remotis deliteſcunt, accurate ac certe plane non, quæ vero externas obſident partes, haud facile cognoſcuntur. Steatomata dico, externis inhærentia partibus, difficulter cognoſcuntur, dum multa alia tubercula, quoad calorem, duritiem & figuram cum his convenientia reperiuntur, ut ſunt ſtrumæ, ſcrophulæ, ganglion, atheroma & meliceris. De differentia autem inter ſtrumam & ſteatoma notandum, quod ſteatoma, non ea, qua ſtruma polleat duritie, neque tam inæqualem, ut ſtruma habeat figuram. Sic quoque ratione duritiei, a ganglio jam dictarum genus excreſcentiarum differt. Ab atheromate vero & meliceride, facile tactu diſcernitur, hæc enim, ſteatomatibus molliora ſunt, ac digitis preſſa aliquantiſper cedunt, quod longe aliter in excreſcentiis adipoſis contingit, conf. *Corn. Celſus l.* 7. *c.* 6. *p. m.* 447. *Dan. Sennertus, l.* 5. *p.* 1. *c.* 35. *p.* 175.

XXIX.

Tradita tali modo noſtrarum excreſcentiarum, tam in internis, quam externis exiſtentium partibus, diagnoſi, jam, quibus in noſtro caſu præſagiis, tuto uti licuerit, attendendum. Tuto vero, & ſine ſuæ detrimento exiſtimationis, medicus de iſtiuſmodi excreſcentiarum in arteria aorta, vel corde præſentia certus, tam in caſu præſenti, quam alio hujuſmodi ſimili & parallelo, homini ab eo curam efflagitanti prædicere potuiſſet: rem in magno verſari diſcrimine, nullamque adhuc veram, niſi palliative ſpem curæ ſupereſſe ac refulgere; ſiquidem iſtiuſmodi excreſcentiæ, cumprimis, ſi malum inveteratum ſit, nullis medicamentis, licet præſtantiſſimis, nullaque arte tolli poſſunt. Imo, hujuſmodi ægrotis, ad vitæ ſobrietatem atque æternam animæ ſalutem indicandum, eoſdem ſyncope valde obnoxios eſſe, atque ex hac cauſa repentina perituros morte, ſecundum effatum divi *Hippocratis aph.* 1, *ſ.* 2. οἱ ἐκ-

λυσ-

λυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς, ἄνευ φανερῆς προφάσιος, ἐξαπίνης τελευτῶσιν. His permotus *Galenus* indiciis, *Antipatro*, cujus in ſcriptis ſuis ſæpius facit mentionem, repentinam atque inopinatam, qua quoque periit, mortem prædixit. Rationalis tali modo medicus, eo ſaltem hic reſpicere debet, ut, cum malum aufferre, ipſas artis medicæ vires excedat, hujus ſaltem incrementum atque augmentum præcavendo, bonamque ſanguinis conſtitutionem conciliando, ſymptomata ex eo oborta aliquantulum mitiget, vel, ſi illud non impetrandum, miſerum tamen ægrotum, vitæ nondum omnino pertæſum, in ſtatu quo, per aliquod adhuc temporis ſpatium, antequam fragili charontis commiſſus cymbæ, ferali mandetur ciſtæ, conſervet. Quod hic in ſpecie de noſtro aſſeruimus caſu, & in genere, de omnibus iſtiuſmodi excreſcentiis, in commemoratis, aliiſque internis partibus repertis dictum volumus. Prognoſin vero quod attinet, harum excreſcentiarum in exterioribus corporis partibus, eæ quidem per ſe non adeo periculoſæ ſunt, diu tamen durant, & nonnunquam, quod tamen rariſſime contingit, in abſceſſum abeunt, ſi hoc non evenit, eæ difficulter, aſt non tanta, quanta ſcrophulæ & ſcirrhi difficultate curantur. Hic vero obſervandum, quod illud ſaltem de meliceridibus atque atheromatibus ſit intelligendum, neutiquam de ſteatomatibus, de quibus quippe, nullibi obſervationem extare meminimus, tale tuberculum remollitum, atque ad ſuppurationem & maturitatem perductum fuiſſe, niſi ope corroſivorum. Illorum exinde tuberculorum durities non negligenda; duriora enim, minus duris curatu difficiliora ſunt, prout, ipſe jam ſuo tempore advertit *Cous*, *aphor.* 13. *ſ.* 6. τὰ χαυνὰ χρηστὰ, τὰ ἔνσρμα κακὰ, hoc eſt, tubercula mollia periculi expertia, dura vero, peſſima & periculoſa pronuncians. Cumprimis eæ excreſcentiæ, quæ elevatæ atque ad contactum expoſitæ, iis, quæ profundius inſertæ atque manuali dehinc operationi minus accommodatæ, faciliores ſunt curatu, maximopere, ſi partibus nobilioribus, v. g. oculis, aliiſque proxime inhærent; ſic enim, majorem chirurgi, in exciſione & corroſivorum applicatione, circumſpectionem requirunt, ob ſubſtrata vaſa ſanguinea & nervea, quæ facile ob vicinitatem lædi, & vel diſcindi, vel corrodi atque exedi poſſunt. Demum de harum excreſcentiarum cura notandum, quod eæ ſola chirurgiæ ope, ſive ea fiat per operationem manualem, ſive per medicamenta extrinſecus applicata, auferri poſſint.

XXX.

Dehinc ſi ſteatoma, in externis corporis partibus prognatum ſit, illico medicamenta, ſerum viſcidum ſtagnans diſcutientia ac reſolventia ſunt adhibenda, partique affectæ applicanda, qualia ſunt, ſpiritus ſalis ammoniaci vinoſus, viperarum, vitrioli volatilis, vini rectificatus campho-

phoratus, aliaque volatilia & penetrantia, quæ vel ſola adhiberi, vel cum aliis varie miſceri, & in emplaſtri vel linimenti formam redigi atque applicari poſſunt. *Scultetus* in ſuo armamentario chirurgico *p.* 53. miris laudibus, jam commemoratum ſpiritum vitrioli volatilem, hoc in caſu effert. Peculiare quoddam oleum, *Barbette* in ſua chirurgia, ad harum excreſcentiarum diſcuſſionem & reſolutionem laudat, oleum Langii ab eo dictum, cujus deſcriptionem ac præparationem, vid. *in Barbette chir. p.* 63. *Fabr.* ab *Aquapendente* linimentum peculiaris in hoc caſu virtutis, in ſua *chir. l.* 2. adducit. Multa adhuc alia, a multis ſpecifica, tam interne quam externe uſurpanda, jactitantur; v. g. paronychiam vino vel cereviſiæ infuſam, commendat *Boyle*, *phil. exper.* 32. In ephemeridibus Germanorum infuſum & decoctum vincetoxici, per aliquod tempus, continua uſurpatum, ſerie, laudatur. Plura, ſi horum flagras deſiderio, euporiſta atque empirica proſtant, in *Junckii* chymia experimentali, *Dolæi encyclop. chir.* & *Wedelii ephem.* Ea porro, ne aliquid omiſiſſe videamur, quæ *Schenckius* de contactu regis Galliæ & Angliæ, nec non comitis Habſpurgici, filii continua ſerie ſeptimi, ab uno parente, item de contactu cadaveris phtiſi defuncti habet, ſunt mere ſuperſtitioſa & vana, vid. *Schenckius*, *cent.* 1. *obſ.* 41. *ephem. G. d.* 11. & 1. *obſ.* 2. & 40. Hæc enim remedia, idoneæ rationis ſunt expertia; *Τοῖσι* vero, inquit Hippocrates, *μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσιν, οὐ δεῖ πιϛεύειν, οὐδὲ φοβεῖσθαι λίην, τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως, τὰ γὰρ πολλὰ τῶν τοιούτων ἐϛὶν ἀβέβαια, καὶ οὐ πάνυ διαμένειν, οὐδὲ χρονίζειν εἴωθεν.* His itaque, & aliis ſpecificis, potius præſtat, crebra frictio, & præter externe applicata medicamenta reſolventia, apprime etiam interne adhibita conducunt. Quare præmiſſis univerſalibus evacuantibus, ſi deſiderata non deſint indicantia, medicamenta, viſcidam & cacochymicam humorum maſſam corrigentia, eamque tam per poros cutis, quam per cribra renum, aliaque organa ſecretoria evehentia, uſurpare convenit; qualia, eſſentia lignorum, ſpiritus cochleariæ, tinctura tartari, decoctum ligni quajaci, quod uti *Barbette* docet, ceu medicamentum, hac in re valde proficuum, commendatur. Sed enim vero, hæc medicamenta, (hactenus enim, ſecundum receptam in ſcholis medicis opinionem locutus ſum,) licet in variis ſanguinis impuritatibus, perquam utilia ſint, & haud ſæpe fallant: in hoc tamen caſu rariſſime, ſi unquam, exoptatum aſſequuntur finem. Conſideret modo aliquis harum excreſcentiarum ſoliditatem, locorum in quibus delitеſcunt, diſtantiam, & viarum, per quas medicamenta eo ablegantur, ambages; examinet hæc omnia, accurata mentis trutina, atque inter ſe conferat, ingenue fatebitur, prorſus impoſſibile eſſe, eaſdem a medicamentis, licet, copioſo & penetrante ſale volatili inſtructis, diſſolvi poſſe. Imo ſentiente Sanctorio, volatilia in diſcutiendis ac reſolvendis tuberculis, ne quidem conveniunt, quia tenue reſolvendo, ac

ac craſſum relinquendo, ſcirrhum generant, vid. hujus *ſtat. med. ſ.* 1. *aphor.* 100. Hac itaque de cauſa, iſtæ excreſcentiæ, ſi externas occupant partes, per corroſiva, vel quod melius, per ſectionem, niſi loci obſtet conditio, aufferendæ ſunt; de qua operatione, rite, recteque inſtituenda, videri merentur *Rhodius obſ.* 29. *Barbette chir. part.* 1. *c.* 12. *p. m.* 47. *Valentinus prax. med. clin. p.* 428. 429. *Timæus in obſ. med. ephem. Germ. an.* 3. *ephem Gall. ann.* 2. *obſ.* 13. Si vero, in his excreſcentiis, cumprimis in mollioribus, quales ſunt meliccrides & atheromata, futuræ indicia ſuppurationis appareant, ea, emplaſtro diachylo vel oxycroceo, aut de nicotiana *Plateri*, cujus *cent.* 1. *obſ.* 28. mentionem facit, adjuvanda, materia purulenta accurate evacuanda, ulcus rite mundificandum, ne partes vicinæ exinde labem contrahant, & cyſtis ope adaptati inſtrumenti chirurgici extrahenda, vel, ſi ægrotus ab hac operatione abhorreat, hæc per exedentia ac cauſtica aufferenda. Maxima autem in horum applicatione, cautione opus eſt, atque abſtinendum in principio a fortioribus, neceſſitate tamen urgente, a mitioribus ad fortiora, ſenſim ſenſimque progredi licet, modo pars affecta, non contrarium ſuadeat. Hinc pars bene attendenda, cui corroſiva imponimus, aut in qua ſectionem inſtituimus; ſummum quippe detrimentum afferunt, ſi eadem iis in locis, quibus nervi recumbunt, adhibentur.

XXXI.

Jam noſtrarum quoque partium eſſet, genuinam horum tuberculorum, in abditis corporis partibus hærentium curam tradere; quis vero, ex jam dictis non perſpicit, hæc nullo modo tolli poſſe? Nulla enim pathognomonica proſtant ſigna, quæ nos de hujuſmodi excreſcentiarum, in partibus internis præſentia certos reddunt, quod vero non cognoſcitur, non etiam, niſi per accidens, curatur. Nec iſta, ſi manifeſtum eſſet, talia tubercula in hac vel illa parte latere, curari poſſent, dum durities ac ſoliditas eorum, omnem præſtantiſſimorum alias medicamentorum vim eludunt. Niſi, hic peculiarem, aquis martialibus Oloniccnſibus virtutem, cum *Georgio Remo*, tribuere velis, qui de his perhibet, quod polypum cordis diſſolverint. Sed, undenam hoc *Remus* ſcivit? palpitatio cordis, inquit, aliaque ſymptomata, in polypis cordis familiaria, remiſerunt; hæc profecto nihil probant, plures aliæ hujus morbi ſunt cauſæ. Vel forſan, exinde ſe hoc demonſtraſſe putat, quia in defuncti cadavere arteria pulmonalis polypo obſeſſa fuit; ex hac ſane re, ipſa harum aquarum, in hoc morbo impotentia evinci poteſt, evolv. *Remi epiſt.* de aquis martialibus Oloniccnſibus, ad D. *Breynium p.* 32. & 33. Adeoque, medicus rationalis, tam in caſu præſenti, alioque hujuſmodi ſimili, eo anniti debet, ut bonam præſcribens victus vivendique rationem, ac temperata exhibens medicamenta bezoardica, incre-

mentum harum excreſcentiarum præcavendo, ægroti vitam procraſtinet. Omnia hic vitentur, quæ ſanguinem ſuccoſque reliquos nimium commovent atque exagitant, v. g. medicamenta volatilia, ſpiritus vini, largior vini generoſi hauſtus, nimia corporis mentiſque commotio, ἄνω καὶ κάτω purgantia, immodica ciborum, & quidem concoctu difficilium ingurgitatio, uſus veneris. Hæc quippe omnia, ſymptomata in hoc morbo obvenientia, accelerant, adaugent, & deteriora gravioraque reddunt. Nec ea admittenda, quæ humorum vitalium motum retardant atque impediunt, ut exceſſus ſomni, aer frigidus & craſſus, nimia corporis quies; his enim ſanguinis ventilatio & depuratio impeditur, malum augetur, atque ipſa mors acceleratur. Sed omnibus in rebus ſervetur modus, omniaque ſint temperata. Maximæ vero hoc in caſu utilitatis eſt, venæſectio, ceu unicum & certiſſimum ſymptomatum hic occurrentium lenimen, modo parcior, modo largior, pro ægroti cujuſvis conſtitutione. Nam ſæpius hujuſmodi ægroti, ſubita ſyncope rapiuntur, vel tanta reſpirandi difficultate affliguntur, ut intercepta quaſi omni aëri via, ſuffocari videantur. In hoc profecto caſu, nullum venæ ſectione præſtantius extat remedium, quo educta aliqua ſanguinis parte, reliquo in motu ſuo impedito, via ad liberius circulandum aperitur; phlebotomia enim, jam dictis ſymptomatibus ingruentibus, non tempeſtive, atque in ipſo paroxyſmi principio iuſtituta, ipſis ſæpenumero ægrotis, vitæ ponitur terminus.

CHALCOGRAMMATIS EXPLICATIO.

Fig. I. Ipſam cordis machinam, cum appenſis vaſis ſanguiferis, tam propriis, quam communibus, eodem delineatam modo, prout in cadavere noſtro conſtituta erat, exhibet.

A A. Arteria aorta, arcus in modum, ſe ſupra cor attollens, plus juſto dilatata.

B. Arteria pulmonalis. C. Vena pulmonalis. D. Auricula cordis ſiniſtra,

E. Vena cava valde exilis, ratione reliquorum vaſorum, & hujus, in auriculam cordis dextram inſertio.

F. Primi ſteatomatis, intra aortam concluſi, domicilium.

G. Ramus arteriæ magnæ, ad ſuperiora recurvatus.

H. Alterius ſteatomatis, in aorta deliteſcentis, ſedes.

I. Arteria aorta, inferioribus proſpiciens partibus.

a a a. Vaſa conica, ad coſtas tendentia, ſolito grandiora.

Fig. 2. Primum ſteatoma, ex arteria aorta exemtum ſiſtit, ubi ſtriæ occurrentes, interiorem hujus fibroſam ſtructuram oculis ſiſtunt.

K. Vero exteriorem tunicæ, qua contectum erat, conſtitutionem oſtendit.

Fig. 3. Alterum repræſentat ſteatoma, oppoſitæ partis incolam.

JOHAN.

Tab. IV


Fig. 2.



Fig. 3.



Fig. 1.



Disput. Medico-Pract. Tom. II. STENTZEL DE STEATOMATIBUS AORTÆ. pag. 562.



LXVI.

JOHAN. FRIDERICI CRELLII,

DE

ARTERIA CORONARIA INSTAR OSSIS INDURATA OBSERVATIO.

RESPOND.

GOTTFRIED SAMUEL REINHOLD

FREIBERGENSIS.

Wittembergæ 13 Octob. 1740.

Bbbb 2

INcomparabili prorſus artificio corporis noſtri machinam, ex diverſiſſimis inter ſe partibus ita eſſe compactam advertimus, ut teneriores molliorelque firmioribus atque ſolidioribus affabre intertextæ, in unum ſyſtema omnibus actionibus perficiendis accommodatiſſimum coaleſcant. Uti enim hæ robori & durationi totius adverſus varios caſus abunde proſpiciunt, ita, ne vitam inertem, marmoreis ſimiles ſtatuis, immobiles degere cogamur; neceſſariam illæ agilitatem potiſſimum præſtant. Accuratæ hujus inter utraſque proportionis inſignem ad obeunda vitæ munia utilitatem tunc demum intelligimus, quando adverſo fato, vel duræ corporis noſtri partes præter naturam remolleſcunt, ut ceræ inſtar flexiles ad minimum deformentur, deſtruantur, impetum, vel, quas molles & ſequaces eſſe conveniebat, induratæ rigeſcunt. Ut enim taceamus non ſine corporis detrimento cartilagines ſubinde in oſſa, tendines in cartilaginem, inſolita fibrarum rigiditate degeneraſſe, ipſas quoque arterias, quæ a primo ad ultimum uſque vitæ momentum una cum corde, a quo ſuam ducunt originem, moveri debent, alienam aſſumſiſſe indolem, & amiſſa cedendi, ſeque reſtituendi, facultate immobiles, &, quod vulgo dicunt, oſſeas factas eſſe, iterata docuit obſervatio. Tantum equidem abeſt, ut naturam, quæ per gradus varios corpora immutare amat, tantum hic ſaltum facere, & canales ex teneris compactos tunicis, in vera convertere oſſa, unquam crediderim, neque enim protinus

Quod ſolidum eſt flectique nequit, mutatur in oſſa,

Ut potius aliam quamcunque hujus phænomeni cauſam ſubeſſe ſemper fuerim ſuſpicatus. Tanto magis in ea confirmatus ſum ſententia, cum nuper in corde viri, ſeptuagenarii circiter, ſubita morte extincti, arteriam coronariam alteram a naturali ſtatu recedentem obſervarem: ea enim accuratius luſtrata, naturam in ipſo inchoatæ Oſteogenias opere deprehendiſſe viſus ſum. Non indignum credidi argumentum, in quo paulo plenius excutiendo aliquot horas ſubſecivas collocarem, atque novam de vera hujus mutationis ætiologia conjecturam, ex eis, quæ mihi circa hanc arteriam notare contigit, cum aliorum obſervationibus collatis, enatam, paucis exponerem. Ipſum nomen arteriæ oſſis inſtar induratæ, utpote apud omnes, qui de eventu hoc aliquid conſignarunt, receptum, in rubro mutare nolui, ut primo ſtatim intuitu, ad quaninam obſervationum claſſem hæc noſtra ſpectet, lectoribus conſtaret, & tanto facilius iteratis aliorum experimentis noſtra ſententia confirmari, aut, ſi phænomena minus reſpondeant, emendari, atque certior ejus exhiberi poſſit theoria; cui primus ego, meliora edoctus, ſubſcribere non dubitabo.

OBSERVATIO.

CUm præterita hyeme in corde viri, ſeptuaginta circiter annorum, ortum & diſtributionem vaſorum indagarem, arteria coronaria ſiniſtra in ſuo ſtatim ex trunco aortæ egreſſu ſolito turgidior apparebat, digitiſque tentata durior, & tactui minus cedens deprehendebatur: eandem conditionem inprimis toto itinere rami illius inſignis, qui per marginem obtuſum cordis duobus fere parallelis ramis in plani ſuperioris cum inferiori limitibus ad mucronem uſque deſcendit, obſervabam. Diſtributionem ejus per ſubſtantiam cordis, quouſque aliquid præternaturalis occurrebat, cultro proſecutus, eam a fibris cohærentibus ſeparatam eximebam, atque talem ſubiiſſe mutationem videbam, qua in os verti arterias perhibent. Exteriorem equidem tunicam nihil a ſtatu naturali membranæ receſſiſſe, ſed duriorem intus nucleum recondere apparebat, diſſecto ſecundum longitudinem canale interior etiam tunica, quam nerveam dicunt, integra manſerat, tranſparente itidem per illam corpore alienæ indolis, coloris ex albo flaveſcentis, cujus majorem craſſitiem circa ramorum inprimis e trunco egreſſum advertebam. Cum quale illud eſſet corpus durum, quave ratione illuc pervenerit, ſcire averem, atque omni ex parte arteriam verſans interiorem forte tunicam leniter comprimerem, materiem, illi, quæ in atheromate vel meliceride alias continetur, ſimilem, per poros ejus erumpere videbam, qua ſub ſpecie vermiculari expreſſa, maxima illius pars ſolidior, ceterum ejuſdem coloris, intus remanebat, ut ex hujus induratione illam generatam eſſe, ſi diutius ibidem hæſiſſet, pariter, exhalante parte tenuiore, coagulandam, dubitare non liceret. Cor, per quod excurrebat hæc arteria, marcidum fracidumque erat, truncus aortæ, quantum ejus adhuc cum corde conjunctum erat, a ſtatu naturali non receſſerat, neque altera coronaria vitium exhibebat: an vero in reliquo ſyſtemate arterioſo ſimilis hinc inde induratio contigerit, definire non poſſum, cum ipſe ſectionem non adminiſtraverim, ſed ab amico, qui, aliis intentus, ad hæc animum non adverterat, cor tantum tranſmiſſum fuerit.

I.

Variæ aliorum obſervationes allegantur, interdum truncum aortæ, interdum certos tantum ramos diriguiſſe notatur.

CUm ad eventuum phyſicorum cauſas eruendas, omnes illorum circumſtantias accurate annotari neceſſarium ſit, ut ex phænomenorum conſpiratione probabilis erui poſſit ſententia, merito dolemus, a pleriſque, qui obſervationes ad noſtrum objectum ſpectantes, litteris mandarunt, nimis generaliter traditum eſſe, arterias duras, oſſeas, imo vero lapideas & ſaxeas, ita ut mallei ictum interdum eluderent, deprehenſas eſſe; niſi in his loquendi formulis catachreſin ſubinde admiſſam eſſe ſuſpicandum ſit, ſpecialiora vero ſilentio fere prætermiſſa eſſe: quare potiora momenta, cum ex noſtra, tum aliorum, qui curatius hæc intuiti ſunt, obſervationibus eruere operæ pretium videtur. Variæ omnino poſt reſtauratum Anatomes, inprimis practicæ, ſtudium, de arteriarum diverſis in corporis partibus induratione, Virorum Cel. proſtant hiſtoriæ. *Thomas Bartholinus* in Epiſt. Anat. Cent. II. Ep. 97. p. 722. Arteriam aortam e corpore Cardinalis *Meltii* delineatam exhibet, in qua plurima apparuere oſſis rudimenta, hinc inde per arteriam ad diſtantiam trium a corde digitorum ſparſa. Latius ſe, & per totum fere truncum deſcendentem, diffudit hæc mutatio, in corpore medici Cel. *Jo. Jac. Wepferi*, ſiquidem, uti e vita ejus Ephem. N. C. Dec. III. A. 3. in Appendice inſerta, atque *Wepferi* obſervat. medico practicis de affectibus capitis denuo præfixa, diſcimus, aorta pone valvulas ſemilunares oſſea aſperitudine intruſos offendebat digitos, in progreſſu cartilagineis hemicyclis compoſita, ſi non oſſea penitus, ſaltem indurata, ad divaricationem uſque iliacarum, tota quanta reperta; juxta arterias renales circulus plane oſſeus unciæ latitudine aortam circumdedit, e quo longius a corde receſſit, eo magis oſſea deprehenſa fuit, præſertim juxta iliacas, quæ revulſæ ex femoribus oſſeam duritiem tenuerunt. Per totum fere truncum, & inprimis ramos ſuperiores, ſubclavios, carotides, & vertebrales, hinc inde cartilagineæ & oſſeæ ſubſtantiæ generatio a Cel. *Abr. Vatero* in Diſſ. de oſteogenia naturali & præternaturali allegatur. Ab aliis quædam tantum vaſa ita indurata deprehenſa ſunt, uti in obſ. celebr. medicorum de apoplexia, *Wepferi* hiſtoriis apoplecticorum junctis, obſ. 98. e *Blancardi* anatome practica refertur, cranio elevato carotidem dextram intra cranii mœnia aſcendentem prorſus oſſeam fuiſſe, cavitate vix permeabili. Idem fere teſtatur *Williſius* in anatome cerebri c. 7. quod carotidem dextram plane oſſeam ſeu potius lapideam, cavitate ejus fere

in

in totum occluſa invenerit: atque in Tractatu de anima brutorum, parte pathologica c. 8. notat, quod in cadavere tabidi, arterias dextras, & carotidem, & vertebralem, cranio ſuperato oſſeas ac impervias factas, invenerit, alterius lateris integris atque illæſis. *Jo. Adam Kulmus* in diſſ. de tendine Achillis diſrupto, & arteriis in oſſeam ſubſtantiam degeneratis, ramos majores utriuſque brachii & femoris oſſificatos in cadavere publice diſſecto invenit. De arteria cordis coronaria non abſimilia eis, quæ a me in caſu ſupra commemorato relata ſunt, refert *Ad. Chriſt. Thebeſius* in diſſ. de circulo ſanguinis in corde §. 4. Habent ait, arteriæ hæ, tanquam prima ſoboles aortæ, hoc cum illius trunco, e quo egreſſæ, commune, ut oſſeæ aliquando fiant. Ita enim Lipſiæ videre contigit ramos majores arteriarum in corde humano per convexam ſuperficiem ad cuſpidem decurrentes*, hinc illinc ex parte oſſeos redditos, ex parte tantum membranaceos fuiſſe. Ut plura jam exempla in *Ephem. N. C. Collect. Uratisl. Actis Medicis Berolinenſ.* alibique obvia taceam, de quarum nonnullis in ſequentibus aliqua monebuntur: quæ ſtudioſius collecta videre licet, in cel. *Jo. Saltzmanni* diſſert. de oſſificatione præternaturali, cel. *Abr. Vateri*, jam laudata diſſ. de oſteogenia naturali & præternaturali, ut & modo indicata cel. *Jo. Ad. Kulmi*, diſſ. de arteriis in oſſeam ſubſtantiam degeneratis. Illud ex adductis hac vice ſaltim colligimus exemplis, quod illa in os mutatio non abſolute in baſi aortæ incipiat, indeque ad ramos ejus derivetur, ſed non minori forte frequentia in remotioribus dumtaxat ramis generetur, adeoque etiam cauſa illius non tam in toto ſyſtemate arterioſo, atque ejus ad talem indurationem proclivitate, quam peculiari quodam vitio, nunc in hac nunc in alia arteriæ parte hærente, quærenda ſit.

II.

Arterias non in ſenibus tantum, ſed quavis ætatis periodo in os mutatas eſſe evincitur.

A pleriſque, qui de hoc phænomeno aliquid memoriæ prodiderunt, inter morbos ſenum refertur, ipſaque ſenectus tanquam cauſa procatarctica hujus effectus accuſatur. Quemadmodum enim plures imbecillitates, languores, ſenſuum defectus, tanquam individui longævitatis comites inſtantia indicare imo accelerare ſolent fata, ita hanc quoque arteriarum, ex canali membranaceo in oſſeam fiſtulam, temporis tractu factam degenerationem vitæ longius provectæ neceſſarium eſſe conſectarium, circuloque ſanguinis perturbato ultimam citius accerſere horam arbitrantur. Diſertis id teſtatur verbis *Brunnerus* in memoria *Wepferiana*, dum ſolicito B. Viri in obſervandis diætæ regulis ſtudio, quo ad ætatem ultra ſeptuageſimum productam pervenerit, collaudato, pergit „nec tamen

cave-

cavere potuit, quin ſeneſceret, & ſeneſcendo mutationem inevitabili naturæ neceſſitate perſentiſceret, induruit aorta tacite, clam omnibus, nec niſi obſcura tantæ mutationis indicia præbuit. Favere huic ſententiæ videtur frequentia exemplorum in ſenibus obviorum; ſiquidem cel. *Vaterus* diſſ. citata §. 20. 21. tres adducit caſus, feminæ ſeptuagenariæ, viri octogenarii, itemque nonagenarii. *Saltzmannus* pariter §. 21. diſſ. allegatæ ad propriam experientiam provocat, quod quater vel quinquies principium aortæ in iis, qui ultimam ſenectutem attigerint, induratum, & lamellis oſſeis multis obſeſſum viderit. Verum enim vero ex his caſibus nondum univerſalem deducendam eſſe aſſertionem plura docent juniorum etiam exempla. Uti cel. *Vaterus* diſſ. cit. §. 21. 22. jam dum monuit, hoc non ſolo vitio ætatis fieri, binis potiſſimum obſervationibus de arteria aorta prope cor cum valvulis oſſea, a *Cowpero* in *Tranſact. Anglic.* exhibitis, commotus, quarum alteram vir triginta annorum, alteram quadragenarius ſuppeditavit, de quibus vide *Mottii* Epit. Tranſ. P. II. p. 35. quarum figuram etiam *Cowperus* in Myotomia reformata Tab. XL. fig. 4. & 6. dedit. Aliud exemplum fæminæ junioris, cujus brachiales arteriæ induratæ repertæ fuerint, exhibetur in P. II. Epit. Tranſact. Angl. p. 134. Acta Berolinenſia Vol. VIII. Dec. II. n. 1. arteriam aortam in loco exitus ſui e corde oſſificatam in latitudine ſemiunciæ, in viro ætatis conſiſtentis quadraginta novem annorum, euſarci alias, & ſanguinei prædominantis temperamenti, commemorant. Vir ille, qui cel. *Kulmo* occaſionem de hoc argumento diſſerendi præbuit, nauta erat quinquaginta ſex annorum, temperamenti ſanguineo cholerici, corpore robuſtus, ac quodammodo obeſus, in quo nulla ſenii corpus ſuum deſtruentis indicia ceteroquin ſuppetebant. Neque ille tabidus, quem *Williſius* P. II. de anima brutorum c. 8. ſiſtit, inter decrepitos referendus videtur, cum tabes potius junioris aut mediæ ætatis homines infeſtare ſoleat. Ex quibus rite penſitatis, illud ad indagandam veriorem hujus phænomeni cauſam confici poſſe videtur, hanc mutationem, in hominibus mediæ non minus ac conſiſtentis, quam ad ſenium vergentis ætatis detectam, in pluribus forte junioribus non indagatam, non eſſe proprium certæ cujuſpiam vitæ periodi vitium, in quod ex ipſa partium ſolidarum diſpoſitione præ reliquis incurrat: ſed potius cauſam ejus in humoribus prava temperie laborantibus quærendam, quæ cum in ſenibus, ob vitia digeſtionis, frequentius generetur, per accidens fieri poſſe, ut ſæpius in hunc illi morbum incidant.

III.

Mediam ſolum partem induratam fuiſſe, extima & intima tunica integris, oſtenditur.

Si ipſas arterias, quæ ita mutatæ perhibentur, propius intueamur, maximam omnino attentionem in reddenda mutationis ratione meretur, quod non omnes illarum tunicæ hanc ſubierint metamorphoſin. In noſtro certe caſu extima æque ac interior manifeſte indolem ſuam membranaceam conſervaverant, in quarum medio durum illud deliteſcebat concrementum. Idem cel. *Vaterus* §. 20. diſſ. cit. de aorta ex octogenario extracta teſtatur, in qua manifeſto appareat, non intimam arteriæ tunicam induratam eſſe, ſed mediam, quæ in varia fruſtula motu arteriæ periſtaltico diſrupta fuerit, quorum extremitates intimam tunicam aortæ perforaverint, ac ſuperficiem illius ſcabram & inæqualem effecerint. Quam arteriam a Viro Cel. Patrono & Fautore æſtumatiſſimo inter alia, quæ in Muſeo ejuſdem aſſervantur, præparata, nunquam ſine voluptate & admiratione ſpectanda, mihi demonſtratam recordor. Idem in corpore *Wepferi* contigiſſe diſcimus, de quo *Brunnerus* teſtatur, quod intus nativus ille candor atque lævitas perierit, & quamvis non intercepta penitus, ſcabra tamen & ſalebroſa fuerit hæc ſanguinis via, variis inæqualitatibus ac protuberantibus oſſeis difficilis, circa exortum etiam cœliacæ & infra renales tunica interior diſrupta lacera ac fracida fuerit. In *Tranſact. Anglican.* Vol. XXXI. n. 369. p. 226. *Edward Naish* arteriæ cruralis meminit, inſigniter immutatæ, hoc tamen tanquam notatu digniſſimum urget, oſſeam illam laminam, intra tunicas arteriarum reconditam delituiſſe. Cl. denique *Kulmus* diſſ. cit. §. 7. monet, nequaquam omnes tunicas ſuperiores a debita aberraſſe conditione, ita ut ſingulæ facile a ſe invicem ſeparari potuerint: etſi enim internam tunicam peregrinam hanc ſuſcepiſſe indolem credat, de quo inferius pluribus diſpiciemus, id tamen addit, lamellam oſſeam eidem arctiſſime adhærentem, ut difficulter ab ea diſtingui potuerit, adhuc membrana tenuiſſima ſupra illam expanſa tectam fuiſſe. Etſi vero in illis exemplis, ubi arterias ſaxeas, calamorum ſolidorum inſtar, hiaſſe traditur, forte totas immutatas fuiſſe objici poſſit, in ſilentio tamen auctorum, eundem illarum ſtatum fuiſſe, non immerito conjicimus, cum a materia intra tunicas ſucceſſive cumulata, magis magiſque indurata, ambientes etiam tunicas magis expanſas fortiuſque adſtrictas fuiſſe neceſſe ſit, unde illa totius vaſis rigiditas tactus ſenſu deprehenſa fuit. In qua ſententia tanto magis confirmor, cum cl. *Kulmus* ex propria & Autoris Angli etiam obſervatione ſupra citata afferat, arterias ita duras fuiſſe, ut cum ante amputationem inſtituendam vinculum conſtrictorium injicerent, ſub genu duriorem reſi-

ſten

ſtentiam ſentirent, atque in ipſa operatione in utroque caſu, relaxatis etiam vinculis, parum ſanguinis, ob anguſtatas a materia oſſea arterias, effluxerit, nihilominus ſaltem interiora illarum, ſalvis reliquis tunicis, oſſeam aſſumſiſſe indolem uterque confitetur.

I V.

Non integras arterias, ſed aliquas ſaltem partes hinc inde induratas eſſe, notatur.

Inter ſingularia hujus indurationis phænomena, quæ lucem aliquam in eruenda ejus cauſa præbere poſſunt, merito attendendum cenſeo, quod non continuas oſſeas fibras, ſed diſperſas tantum duræ materiæ particulas in obſervationibus pleriſque notatas legimus. Certe *Th. Bartholinus* Ep. 97. cent. 2. ſupra adducta refert, quod plurima in aortæ trunco apparuerint oſſis rudimenta, qualia etiam in ſigmoideis conſpicua fuerint valvulis, quodque hæc fruſtula oſſea hinc inde per arteriam ad diſtantiam trium digitorum ſparſa fuerint, quod ex icone adjecta luculentius apparet. Cui ad amuſſim reſpondet figura aortæ Wepferianæ apertæ, ubi alio loco tunicas integras, & naturalibus ſimiles, alio laceras, portiones vero oſſeæ ſubſtantiæ incerta figura & magnitudine gaudentes, hinc inde per totum canalem diſtributas obſervamus. His conſentiunt *Vateri* obſervationes, qui expreſſis verbis monet, quod oſſea durities non totum truncum in ſuo ambitu occupaverit, nec continua, ſed hinc inde ſolum deprehenſa fuerit, & de altera itidem ſolum, quod ſparſim oſſificata fuerit, aſſerit. Tandem pariter conditionem in illis arteriis obtinuiſſe, quæ copioſius materia hac peregrina infartæ canalium penitus rigidorum inſtar hiaverint, ex binis a cl. *Kuhmo* allegatis caſibus colligere licet; qui de altera refert, quod non continua, nec ubique ejuſdem craſſitiei extiterit lamella oſſea, de altera vero ſubjungit, quod oſſeæ moleculæ non per integros ramos excurrerint, ſed in extremitatibus, ubi arcte cumulari deſierint, ſquamulæ oſſeæ ulterius inſulas hinc inde diſſeminatas formaverint, tunicas intermedias optime conſtitutas relinquentes.

V.

An continuatio ſit oſteogenias naturalis? An ex mente Saltzmanni a principio intelligente pendeat?

Facile jam de præcipuis auctorum ſententiis ad explicandum hoc phænomenon propoſitis judicium ferri poterit, ſi modo, quantum illæ circumſtantiis ex conſenſu plurium obſervationum ſuperioribus paragraphis determinatis reſpondeant, attenderimus. Plerique ad naturalem oſſium in

in embryone generationem reſpicere, atque inde rationem inſolitæ hujus mutationis diſcere jubent. Omnia ſane corporis tenelli oſſa primis geſtationis menſibus meras tantum membranas exhibent, quæ poſtea novi nutritii ſucci intra poros applicatione primum in medio ſolidiores & cartilagineæ, ac demum oſſeæ redduntur, atque ex hoc veluti centro extremitates verſus indurantur. Imo in fœtu in lucem edito nonnullas partes adhuc membranaceas, aliquo tempore demum præterlapſo in os converti, notiſſimo oſſium capitis in vertice hiatu, quem fontanellam dicunt, poſt nativitatem demum in os ſolidando, conſtat. Arterias vero itidem membranas eſſe canalium in figuram convolutas, adeoque eadem tum oſſium tum arteriarum prima eſſe rudimenta urgent, hinc difficilem non eſſe membranoſi hujus contextus in oſſeam compagem tranſitum arbitrantur, ſi modo copioſiorem materiæ oſſibus generandis aptæ ad poros tunicarum appulſam, ſufficientemque intra eoſdem moram, ut coaleſcere invicem poſſint, ſupponamus. Ea certe fuit Cel. *Saltzmanni* in diſſertatione de oſſificatione præternaturali ſententia, uti enim munus corpus ſuum ſtruendi ipſi animæ §. 5. tribuit, quæ ad illas partes, ex quibus oſſa formari debent, particulas terreſtres, ſalinas, fixas & mucilaginoſas vel majori in copia propellat, vel copioſius ibidem detineat, ita §. 16. præternaturalem in partibus mollibus oſſis geneſin expectandam cenſet, quando anima actui illi, cui in utero per novem menſes vacaverat, nimis diu inſiſtat, vel eundem per errorem denuo inchoet, & partes quasdam in futurum quaſi firmet, unde tandem, quæ membranacea permanere debebant, oſſeam nanciſcantur ſubſtantiam. Cauſam autem, cur natura ad oſſificationem diu ante derelictam, vita ad finem properante, provectiore demum ætate redeat, in diſpoſitione humorum quærendam cenſet, qui in ætate ſenili craſſi, viſcidi, lentique ſint, atque particulis activioribus & tenuioribus ob organorum inertiam magis deſtituantur, quam in hominibus in ætatis flore conſtitutis obſervetur. Longum nimis foret, ſi omnia illa argumenta, quæ de animæ in ſtruenda corporis ſui machina munere adduci ſolent, recenſere, atque ad examen revocare vellem, ſiquidem illa controverſia dudum a Viris Cel. non ſine magna animorum contentione utrinque agitata eſt, & graviſſima, quæ hanc ſententiam premunt, dubia in medium allata ſunt, de quibus Cl. *Petri Chriſtophori Burgmanni* Examen Hypoth. Stahlianæ de anima rationali corpus humanum ſtruente, omnino conferri meretur. Illud tamen ſilentio prætermittere nequeo, morboſum hunc effectum minus commode pro continuatione cœptæ olim, & poſtliminio iterum inchoatæ formationis venditari, cum omnibus conſtet, nutritionem corporis noſtri nihil aliud eſſe, quam perpetuam partium deperditarum reſtitutionem, atque regenerationem, iiſdem mediis, eodemque modo, quo corpus primum in utero formatum eſt, ad ultimum uſque vitæ momentum continuandam, neque ullo tempore ſine ipſius corporis deſtructione intermit-

mittendam. Ut adeo non tam nimis diu protractæ formationi hæc induratio tribuenda foret, quæ alias in omnibus hominibus modo maxime naturali eſſet expectanda, quam potius incongrui nutrimenti ad arterias derivationi præternaturalis illa indoles imputanda videretur. Verum enim vero, ſi anima tam accuratam corporis ſui, ſecundum Cl. Viri opinionem, teneat ideam, ut quas, quibus locis, apponi deceat particulas, quæ organa rigida, quæ flexilia eſſe conveniat, ſciat, & pro lubitu ſuum cuique diſtribuat nutrimentum, mirum ſane videtur, quod illa intra tunicas canalium perpetuo motui deſtinatorum materiam inertem vi intrudat, atque rigidiores illas ſuoque ineptas officio reddat. Craſſiorum vero atque terreſtrium partium in ſanguine oberrantium copiam, quam anima per omnes partes diſpenſet, & ad arterias etiam ex parte deponat, accuſare ad removenda hæc dubia vix ſufficit, cum hoc alias præcipuum ejus eſſe negotium vitale aſſerant illius ſententiæ fautores, ut neceſſariis ſecretionibus invigilet, & quæ ſuperflua aut noxia intra humores generantur, ad loca excretoria deducat, atque e corpore proſcribat, neutiquam vero in interioribus illa recondat. Neque facile, cum omnia per gradus in corpore fiant, ante expectanda foret talis arteriarum mutatio, quam omnes partes cartilagineæ penitus oſſeæ, tendines cartilaginei, verbo omnes partes arteriis firmiores penitus induratæ forent, ut ſic denique ſucceſſionis ordine ad eas etiam excedens illa terreſtrium particularum copia deferretur. Denique ſi ad errorem naturæ, a quo illam, uti in rationalibus, ſic etiam in vitalibus negotiis immunem non eſſe urgent, provocare libeat, ipſa tamen mutationis phænomena attentius conſiderata illam a principio quodam ſecundum certas leges aut præfixos fines agente neutiquam derivandam eſſe docent. Si enim ad firmandas veluti in futurum partes ex falſa æſtimatione nutrimentum copioſius & craſſius ad arterias derivaretur, conveniens foret, ut a trunco aortæ, in quem fortiſſimus eſt ſanguinis impetus, incipiendo, inde per ramos ejus porrigatur, cum tamen ſæpius ſingulares in hac vel illa parte ramos a materia oſſea repletos reperiri, integro ipſo trunco, aliiſve ramis, ex obſervationibus §. 1. adductis conſtet: imo ad obtinendum hunc finem, tractum fibrarum, intra quarum poros recepta materies cum illis coire poſſet, ſequeretur, & canalem in toto ſuo ambitu æqualiter firmum redderet, principium illud ſtruens, uti in conſueta partium oſſearum formatione & nutritione illud obſervamus: cum autem, ut illorum quæ §. 4. indicavimus, peregrina moles nullo ordine intra tunicas vaſorum diſperſa, alia parte abundet, alia vero amplum ſatis ſpatium vacuum relinquat, non tam conſilio huc depoſitam, quam fortuito potius caſu huc delatam eſſe, ſatis patet, unde omnis principii intelligentis concurſus dubius redditur, imo penitus excluditur.

VI.

An a vaſorum minimorum conſolidatione mechaniſmo naturali ſecundum Cl. Burggravium *hic effectus derivari poſſit?*

Alii igitur Viri Cel. miſſo principio ſtruente, ex cauſis mechanicis mere naturalibus hunc arteriarum in os tranſitum explicare ſatagunt, atque ad diverſas illas mutationes, quæ in corporibus variis ætatum periodis contingant, reſpicere jubent. In junioribus enim omnes corporis partes teneræ atque flexiles copioſiſſima recipiunt vaſa, per quæ ſuccus nutritius ad intimos illarum receſſus defertur, poroſque replens undique illas diſtendit, diutius ibidem hærens cum iiſdem unitur, ſicque non ſolum vero partium ſecundum omnes dimenſiones incremento proſpicit, ſed robur etiam & firmitatem auget. Quo diutius vero hæc nutritio continuatur, eo difficilior eſt, ob fibras arctius ſibi invicem applicatas, humorum tranſitus, unde vaſa ad illas tendentia magis magiſque comprimuntur, & denegato fluidi acceſſu latera illorum ſibi mutuo appropinquantia coaleſcunt, ut canalis, fluido vehendo antea deſtinatus, fibræ ſolidæ indolem aſſumat, novaque partis in craſſitie acceſſio fiat, unde ſi numerum vaſorum in infantibus & adoleſcentibus cum illis, quæ in ætate conſiſtente tranſitum adhuc fluidis largiuntur, conferimus, multum a ſe invicem differre deprehendemus, & quod fibrarum robori acceſſit, vaſorum jactura & permutatione magnam partem acquiſitum eſſe fateri cogemur: prout fuſius hæc Cel. *Boerhaavius* in inſtit. med. §. 467. ſeqq. demonſtrat, atque eleganter Cel. *Georg. Gottlob. Richterus*, Prof. Goettingenſis Primarius, in ſcriptione de morte ſine morbo exponit. Hæc ingenioſe ad arterias, ex variarum tunicarum ſtratis contextas, applicant hujus ſententiæ fautores, & cum eas quoque pluribus vaſis pro nutritione & motu vitali gaudere conſtet, protracto ad ſenectutem uſque vitæ termino hæc vaſcula, ſoliditatem arteriarum augendo, ad oſſeam tandem duritiem illas deducere credunt, cum inprimis in arteriis cauſæ comprimentes adſint validiſſimæ. Ita ſane Cl. *Jo. Philippus Burggravius* in lexici medici univerſalis, cujus continuationem, dudum promiſſam, cupide expectamus, T. I. ſub titulo aorta, poſtquam ejus ſtructuram legeſque motus expoſuit, de hoc ejus morboſo ſtatu ex mente illorum argumentatur. Suſpicor violentam cordis in aortam actionem, & parilem aortæ in ſanguinem reactionem in cauſa eſſe, cur tam in hominibus, quam in brutis grandævis aorta oſſea reddatur. Arctantur quippe ſucceſſive membranarum aortæ vaſa, & ſic minor fluidi portio ſucceſſive illa perluit, tandem ita comprimuntur, ut latera dictorum vaſculorum fiant contigua, atque concreſcant, perennante vero eadem compreſſione omnes membranarum moleculæ arctius invicem compinguntur, atque ita

ita oſſeam acquirunt naturam. Verum enim vero & hic nimis præcipitem ſtatus naturalis ad morboſum factam eſſe applicationem facile patebit, ſi recordemur, omnibus partibus definitum incrementi terminum, pro fibrarum vaſorum pororumque numero & conditione, eſſe conſtitutum, atque inde potiſſimum diverſitatem illam partium pendere, qua ad oſſa plurium fibrarum arctiſſimo nexu junctarum congeries requiritur, quas proximo cohæſionis gradu contingunt cartilagines, molliores vero & membranaceæ partes paucioribus & laxius unitis contexuntur fibris. Quamdiu itaque conſueto naturæ ordine nutritio peragitur, omnes partes ad illum extenſionis gradum pervenient, qui fibrarum illas conſtituentium indoli reſpondet, uſque dum omnes pori nutritio ſucco adeo repleti expanſique ſint, ut, quorſum cedere poſſint, nullum amplius ab adjacentibus concedatur ſpatium, quem ſi attigerint, pauciori ſucco intra illas recepto, in eodem tantum ſtatu conſervantur, neque diverſam a prima deſtinatione indolem aſſumunt. Quodſi etiam cartilagines manifeſto in oſſa demum mutari, illaque interſtitia, quæ, ad elaſticitatem illis propriam conſervandam, relinqui debebant, repleri, vaſaque ibi omnia demum occludi objiciatur, hoc in partibus hiſce durioribus, oſſibus jam dum analogis, ex fibris homogeneis, ſuo perichondrio arctius incluſis, compoſitis, facilius contingere largimur. Alia vero longe eſt arteriarum ratio, quas ex pluribus tunicarum ſtratis, quæ & ipſa diverſæ ſunt texturæ, componi novimus. Etſi enim in definiendo tunicarum numero differant auctores, quarum ſententias pluribus recenſet, & conciliare nititur Cl. *Chriſtianus Gottlieb Ludwig*, in Diſſertatione de arteriarum tunicis: potiores tamen illarum ab omnibus agnoſcuntur, exterior membranoſa, ab aliis etiam, ob tranſitum vaſorum copioſum, vaſculoſa dicta, altera muſcularis, & intima nervacea, quarum ſingulæ inter ſe junguntur intermedia celluloſa, utpote tam inter extimam & muſcularem, quam hanc & internam conſpicua, eadem ratione, ac in canali alimentorum duplicem ejuſmodi contextum celluloſum inter tunicas adeſſe evictum eſt. Potiſſimus autem finis celluloſi hujus contextus eſſe videtur, ut varia tunicarum ſtrata inter ſe connectat, & per laxam compagem ſuam vaſis tranſitum ad interiora tutum atque a nimia compreſſione liberum præſtet. Utut igitur arterias pariter, ratione antea allata, in ſuis tunicis nutriri, craſſeſcere, atque etiam, ſi id urgeant, aliqua vaſa minima concreſcere largiar, unde arteriæ viri conſiſtentis ætatis omnino robore & vi reſiſtendi multum ſuperant debilem aortæ in infante truncum, vim totius corpuſculi teneritati parem ſolum nactum, attamen ſemper erunt manebuntque tunicæ, neque fibrarum, quibus componuntur, paucitas & cohæſionis ratio, ut in vera oſſa permutentur, permittet. Neque actio cordis, ſanguinem cum impetu in aortam propellentis, ejuſque latera valide diſtendentis, ad producendam illam mutationem ſufficit, ſiquidem vaſa per has tunicas reptantia in celluloſo hoc ſpatio a coarctatione, quam

quam illi metuunt, immunia, deliteſcunt, quo interpoſito ſimul, ne diverſarum tunicarum ſuperficies immediate ſe contingant, impeditur, adeoque perfecta illarum unio & coalitus, qui oſſibus ſimiles reddat, non erit metuendus: unde etiam, nunquam omnes arteriæ tunicas eſſe mutatas, ſed extimam pariter ac interiorem integras fuiſſe, ſupra oſtendimus. Ut taceam hac ratione illam in os mutationem ſemper ab aortæ trunco, ubi validiſſima cordis actio, incipere, atque inde verſus ramos exporrigi debere, cum tamen ſæpe in ramis longius a corde remotis, illa magis quam in principio reperta ſit; imo in vaſis pulmonalibus multo magis tunc illa induratio metuenda foret, cum ibi, præter cordis actionem & arteriæ reactionem, inſuper alterna illa preſſio, à ramis bronchiorum & veſiculis pulmonalibus modo collapſis, modo aere repletis, vaſa in externa etiam ſuperficie afficiat, diametrumque illorum anguſtet, neque tamen exempla ejuſmodi mutationis in pulmonibus obſervata ſunt, quod ſine dubio pariter cellulofæ pulmonum ſubſtantiæ, quæ vaſa ab altera parte ambit, debetur. Nec ulla ratione explicari poſſet, cur fragmenta tantum oſſea hinc inde diſperſa compareant, interjectis ſpatiis mere membranaceis, cum enim diſtenſio vaſis à ſanguine ubique æqualis ſit, æqualem etiam per totum canalem condenſationis effectum producere deberet. Denique cum ſubinde venæ etiam hoc affectu laborare viſæ ſint, quarum exempla Cl. *Saltzmannus* Diſſ. ſupra laudata §. 11. adducit, aliam certe rationem ſubeſſe patet, cum ſanguinis tranſitus per venas remiſſior ſine violenta illarum dilatatione contingat, quæ fibras ita arctare poſſit, ut oſſeam nanciſcantur duritiem.

VII.

An tunica nervea ex mente Cl. Kulmi *oſſeſcat?*

Clariſſimus *Jo. Adamus Kulmus* in diſſertatione de tendine Achillis diſrupto, & arteriis in oſſeam ſubſtantiam degeneratis, in eo quidem c. 1. §. 7. & 16. ab aliis diſſentit, quod non totum canalem, quoad omnes ſuas tunicas, oſſeſcere agnoſcat, cum ipſe binis obſervationibus edoctus fuerit, tunicas ſuperiores integras facile à ſe ſeparari potuiſſe, ſed aperta arteriæ cavitate lamellam oſſeam internæ tunicæ arctiſſime cohæſiſſe. Etſi enim ſub initium ſuſpicatus erat, quod forte peregrina materia in arteriæ cavitate tunicæ nerveæ ſucceſſive appoſita & agglutinata laminam hanc generaverit, facile tamen hanc ſententiam rejecit, cum membranam tenuem ſupra oſſeam ſubſtantiam adhuc expanſam videret, quam fortuita molecularum appoſitione generatam fuiſſe nulla veri ſimilitudine afferi poſſet; quare potius ipſam tunicam intimam, craſſiori nutrimento ad illam delato, & ob motum tardiorem in ejus interſtitiis cumulato, diſtentam, in ſolidam oſſeam ſubſtantiam conſueta oſſificationis lege abiiſſe

c. 3.

c. 3. §. 12. cenſet. Verum enim vero, ut ea jam ſilentio prætermittam, quæ ſuperioribus paragraphis contra aſſertam membranarum in os converſionem pluribus deducta ſunt, quæ pari ratione tunicæ nerveæ indurationem refellunt, ipſa, quæ Vir Cl. allegat, phænomena illam ab hac mutatione immunem fuiſſe manifeſto arguunt, cum enim tenuiſſimam membranam, cum lamina oſſea arcte cohærentem, illi ſuperinductam fuiſſe referat, ipſa vero nervea tenerrimis ſtaminibus contexta ſit, illam adhuc naturali conditione gaudentem adfuiſſe, atque oſſeum illud concretum diſtinctam ab illa ſedem occupaſſe patet, ceteroquin enim & intima ejus ſuperficies hujus mutationis indicia exhibere debuiſſet, aut oſſea illa ſubſtantia pro epiphyſi tantum ſeu excreſcentia tunicæ reputanda foret. Si vero ipſam conformationem hujus oſſis, ab autore deſcriptam, curatius penſitemus, luculenter apparet, nihil illam cum nervea communem habere. Siquidem §. 7. c. 1. monet, non continuam, nec ubique ejuſdem craſſitici extitiſſe lamellam oſſeam, ſed geniculatim ope tunicæ cohærentis connexam innumeras ſquamulas oſſeas monſtraviſſe, quæ à ſe invicem facile deflecti potuerint; atque §. 9. in altera obſervatione notat, conſpectas pariter in his arteriis meras ſquamulas oſſeas, quæ ſibi proxime accumbentes arctiſſimis fiſſuris, quaquaverſum directis, in articulos innumeros diſtinctæ fuerint, ubi vero in extremitatibus arcte cumulari deſierint, ulterius inſulas hinc inde diſſeminatas formaſſe, tunicam nerveam intermediam optime conſtitutam relinquentes. Qualem etiam ſquamatam texturam in aorta indurata deprehendit Cel. *Hallerus*, qui in Prælect. Boerhaavianarum P. II. p. 114. n. b. & p. 241. n. e. ſe totum aortæ tractum in tibias uſque ſquamis oſſeis diſtinctum vidiſſe refert. Quomodo vero ejuſmodi ſquamata, & in plures articulos diſtincta, textura nerveæ tunicæ tribui poſſit ſane non intelligo, cum fibræ illius continua ſerie ſecundum longitudinem canalis exporrectæ deprehendantur. Quin celluloſi potius contextus peregrina materia in cellulis ſuis repleti ideam, illa a Cl. Viro data deſcriptio ſatis clare exhibet, in qua veram ſedem materiæ illius oſſeæ conſtituendam eſſe, variis ex phænomenis, paulo plenius deducendis, colligo.

VIII.

Muſcularem etiam tunicam non mutari notatur, ſed in celluloſo contextu veram mutationis ſedem inveniri oſtenditur, qua ratione illa contingat explicatur.

Cum ex accurata obſervationum à variis autoribus conſignatarum collatione §. 3. evictum ſit, neutiquam totum arteriæ canalem, quoad omnes ſuas tunicas, in os mutari, ſed exteriorem æque ac intimam membranæ indolem ſervare, atque inter illas nucleum veluti oſſeum re-

conditum hærere, ſedem hujus mutationis vel in muſculari tunica, vel in celluloſo contextu indagandam eſſe patet. Muſculares vero fibræ longius ab ea cohæſionis firmitate, quæ ad oſſeam duritiem acquirendam neceſſaria foret, recedunt, atque alterna illa contractio & relaxatio, cui hæc motus inſtrumenta obnoxia ſunt, arctiorem eumque conſtantem fibrarum contactum, indeque expectandum coalitum impediunt, ſed peregrina materies, antequam adhæreſcere poris poſſit, denuo excutitur. Quare nullum proſtat documentum, quod unquam aliquis toto in corpore muſculus oſſeus aut cartilagineus tantum deprehenſus fuerit, atque ſi annoſorum animalium carnes diſſecentur, fibræ exſuccæ equidem & exſiccatæ reperiuntur, nihilominus tamen naturalem adhuc indolem reſpectu conformationis & cohæſionis inter ſe ſervant, atque vim motricem ad ultimum vitæ momentum retinent: ex quibus, fibras carneas arteriis intertextas ab illa omnibus muſculis propria lege non recedere, atque hic tantum oſſeſcere facile apparet, inprimis cum hæ fibræ, ſecus ac in aliis externarum partium muſculis contingit, in perpetuo verſentur motu. At multo minus celluloſam illam compagem, ex filamentis paucillimis, vix inter ſe cohærentibus, multaque interſtitia retis in modum relinquentibus, conſtantem, ita poſſe condenſari multi opinabuntur, ut oſſis ſpeciem referre queat, cum ne veræ quidem membranæ nomen illi competere ſingulari Programmate anno 1732. edito deduxerit Cel. Francof. Prof. *Carolus Auguſt. a Bergen.* Quæ uti certiſſima eſſe, atque adeo veram in os mutationem, naturali analogam, hic minime admittendam eſſe lubens concedo, ita hunc contextum ad recipiendos intra ſuas cellulas humores aptiſſimum eſſe negari non poteſt, qui diutius ibi detenti inſpiſſabuntur, atque concreſcent. Cujus rei manifeſtum exemplum membrana adipoſa per totum corpus diffuſa exhibet, utpote quæ, ſimili textura gaudens, ſuccum pinguem atque oleoſum ibidem ab arteriis ſecretum colligit, & tenuiſſima parte exhalante in firmioris conſiſtentiæ pinguedinem eundem condenſat. Illud igitur unicum excutiendum reſtare videtur, quinam humores quave via intra parietes tunicarum penetrare, cava cellularum replere, moramque ibi tantam nectere poſſint, ut in duram ejuſmodi ſubſtantiam coagulentur. Vaſa ſanguifera ſuis etiam peculiaribus vaſis, cruorem pro nutritione & motu vitali neceſſarium advehentibus, inſtructa eſſe omnes conſentiunt anatomici, quare non pauci primam vel ſecundam tunicam peculiari nomine vaſculoſam, adunatione vaſorum omnis generis conſtantem, appellant, unde hæc per reticularem ad muſculoſam intimamque pergant. Qualis rami, nunc ex arteria coronaria dextra, nunc intra ipſum cavum aortæ diſtincto foramine prodeuntis, ad tunicas magnæ arteriæ tendentis, ejusque directionem, inter tunicam muſcularem & intimam, per celluloſam ſecundam ſequentis, meminit Cel. *Hallerus* §. 5. diſſ. de vaſis cordis propriis. Hæc itaque vaſa in ſtatu naturali omnes tunicas ramis un-

undiquaque ſparſis perreptant, & denique in arterias lymphaticas, excluſa ſanguinis rubicunda & craſſiore parte mutantur, laticemque vitalem & rorem nutritium rite diſpenſant. Quo exiliora vero ſunt hæc vaſa, minoremque obtinent diametrum, eo facilius humorum in illis circuitus turbari ſiſtique poteſt, inprimis ſi craſſioribus illi viſcidiſque partibus abundent, quæ per anguſta illorum orificia trajici nequeant: qualem ſanguinem potiſſimum in iis, quibus

- - - *gelidus, tardante ſenecta,*
ſanguis hebet, frigentque effœtæ in corpore vires,

ob vitiatam digeſtionem & hæmatoſim reperiri conſtat, etſi in junioribus etiam, ob errores in uſu rerum non naturalium commiſſos, non raro generari ſoleat. Si autem aliqua horum vaſorum per arterias diſtributorum a ſtagnante humore obſtruuntur, ab impulſu ſanguinis ſuccedentis, in ramis vicinis detenti, excitabitur inflammatio: quare tenera illorum textura ſuppuratione deſtructa, materia purulenta intra tunicas vaſis majoris effundetur, atque cellularis contextus eadem replebitur, ex quo cum nullus pateat exitus, tenuiſſima parte calore diſſipata, reliqua viſcidior inſpiſſabitur. Facile patet aliquot horum vaſculorum obſtructis, malum ad vicina quoque ſerpere, inprimis, quando pus in cellulas effuſum tranſitum per vaſa liberiorem copia & tenacitate ſua impedit, unde ſucceſſu temporis latiorem canalis majoris portionem occupabit. Cum vero ſpatia celluloſi contextus inter ſe communicent, quamdiu fluida eſt materies illuc depoſita, ex una facile in alteram tranſire poterit, unde inſulæ illæ a materia indurata formatæ oriuntur, aliis cellularum ichore repletis, aliis vero vacuis remanentibus, prout ad has vel illas magis derivatum fuerit peregrinum hoc fluidum: malo vero diutius perſiſtente, cellulis undique repletis atque diſtentis, totus fere canalis interius incruſtabitur; fibræ pariter muſculares, vel graviore inflammatione ſimul correptæ, & in pus colliquatæ deſtruentur, vel tophacea materia undique obductæ, & influxu laticis ſanguinei privatæ, compreſſæ, exſuccæ, pallentes, a nativa ſua indole recedent, & ad motum ineptæ reddentur.

IX.

Probabilitas ſententiæ ex phænomenorum conſpiratione oſtenditur, dubia diluuntur.

Hac certe ratione in arteria illa, quæ hujus ſcriptionis occaſionem præbuit, generatam fuiſſe indurationem, docuit materiæ per poros tunicæ interioris leni preſſione eruptio, quæ puri cocto atque inſpiſſato

ſimillima erat, cum nondum ſatis longo tempore ibidem hæſiſſet, ut tophaceam poſſet duritiem acquirere, aliis vero in locis jam ſolidius compacta immobilis remanebat, & conſiſtentiam laminæ oſſeæ referebat. Eandem etiam in aliis ejuſmodi caſibus ſubeſſe cauſam, ex facili omnium phænomenorum ſupra adductorum conſpiratione, & difficultatum, quas reliquas premere hypotheſes pluribus oſtendimus, remotione, ſatis probabile redditur. Cauſæ, obſtructionem & inflammationem horum vaſculorum excitantes, variis in locis plures gravioreſque concurrere poſſunt, inde nunc aortæ truncus, nunc vaſa caput petentia, nunc alia ad extremitates abeuntia, imo unus ſubinde ramus, reliquis immunibus, huic mutationi ſubjiciuntur. Fluida corporis noſtri certis in cavitatibus anguſtioribus limitibus circumſcripta, atque ob denegatum exitum ſtagnantia, diverſos ſpiſſitudinis gradus obtinere varii generis tumores, peculiaribus folliculis conſtantes, nomine meliceridis, atheromatis, & ſteatomatis, pro varia materiæ indole inſigniti, ipſique glandularum ſcirrhi abunde declarant: quorum varia durities a ſola duntaxat diuturniore ſuccorum in illis depoſitorum mora, & accedente calore, exhalantibus aquoſis particulis facta inſpiſſatione, dependet. Neque obſtat, quod aliqui, ad evincendam indolem talium arteriarum vere oſſeam, cum Cl. *Kulmo* Diſſ. cit. cap. I. §. 7. objiciant, quod illæ igni admotæ, odorem oſſibus aut cornubus aduſtis ſimilem de ſe ſpargant, ſiquidem id, quod nidoroſum hunc exhalat odorem, ſunt particulæ ſulphureæ & oleoſæ, in oſſium ſubſtantia reperiundæ, quales etiam in pure, ex ſanguine genito, copioſas contineri nemo facile dubitabit, cum pus ex quacunque parte deſumtum, carbonibus ardentibus injectum, ſimilem omnino fœtorem diffundere in vulgus notum ſit. Neque cum Cl. *Saltzmanno* Diſſ. cit. §. 8. diſcrimen aliquod inter oſſeam & calciformem aut tophaceam materiam hic admittendum eſſe videtur, quo nomine illam deſignat, ſi in quibuſdam partibus, quæ alias ſimili mutationi non obnoxiæ videntur, oſſificatio contingat, quam propterea *ατοπον* dicendam putat; quorſum refert in variis corporis viſceribus, in tumoribus præternaturalibus, in ſtrumis, in colli meſenterii atque bronchiorum glandulis, reperiunda non raro dura concrementa, oſſiculorum figuram referentia, ab obſtructionibus generata. Uti vero jure hanc materiam non tam vere oſſeam, quam potius calciformem aut tophaceam eſſe cenſet; ita, ſi ullibi, certe inter arteriarum tunicas *ατοπος* eſſe videtur veri oſſis generatio, ſiquidem in his pariter ac illis ordinata fibrarum juxta certam directionem diſpoſitio, quam §. 6. merito pro charactere veri oſſis ſuppeditat, deficit: utpote quæ in arteria oſſea, vel in circulum flecti, vel ſecundum longitudinem extendi deberet, prout tunicam vel muſcularem vel intimam quis mutatam cenſuerit; attamen neutrum hic obtinere,

nere, ſed vage materiem illam per cellulas diſperſam eſſe, in antecedentibus fuſius demonſtratum eſt. Placet de his ſententia *Lucæ Schroeckii* in Ephemer. N. C. Dec. II. A. 3. obſ. 19. de oſſiculis ex ſarcocele ſuppurata prodeuntibus, in ſcholio propoſita, ubi in cauſam, qua oſſicula in loco plane exoſſe generata ſint, inquirit, omnibuſque aliis ſuſpicionibus remotis tandem concludit: a ſero extra vaſa effuſo horum oſſiculorum ortum deducere opus erit, quod uti in ſtatu naturali conſiſtens, membranæ, cartilaginis, oſſiſve naturam aſſumere aptum eſſe, ſive particulas in ejuſmodi corpora coagulari pronas continere, nutritio iſtarum partium nos edocet, ita & hic gelatinoſæ ejus particulæ diſſipatis aquoſioribus in oſſea abire corpuſcula potuerunt. Et qui propius adhuc ad noſtram ſententiam accedere videtur Cel. *Jo. Erneſtus Hebenſtreit*, Fautor atque Amicus æſtimatiſſimus, in Programmate, de rarioribus quibuſdam oſſium momentis, hoc anno edito, inter alia recenſet: non urgeo membranas in oſſa mutatas, præſto mihi eſt pleuræ pars prorſus oſſea, quam topho non abſimilis materies in ſaccum extulit, a pleuritide ſuppurata rem ſic eveniſſe arbitror. Eadem pariter ratione intra arterias, deſtructis vaſculis ſanguineis & lymphaticis, effuſa materia glutinoſa, ibidemque in celluloſis detenta ſpatiis, brevi indurabitur, rigidamque & diſtentam cum anguſtatione cavitatis internæ reddet arteriam; quam ſive oſſeam quis, recepto loquendi more, ſive cum *Pechlino* Obſ. Phyſ. Medic. Cent. II. obſ. 41. tophaceam appellare velit, me facile conſentientem habebit, dum ipſa in re, modoque, quo præternaturalis hæc induratio generatur, conveniamus.

FINIS.

LXVII.

JOH. SALZMANN,

DE

SUBITANEA MORTE

A SANGUINE IN

PERICARDIUM EFFUSO.

RESPOND.

JOH. GOERITZ

RATISBONENSIS.

Argentor. 12 April. 1731.

§. I.

DE morte ſubitanea à ſanguine intra pericardium effuſo dum agere conſtituimus, aliorum veſtigia ſecuti, pauca quædam de morte ejuſque oppoſito vita hominis in genere prælibabimus, cum non felicius, ut verbis *Celeb. Frid. Hoffmanni in Medicæ Artis incrementum nati Diſſ. de generat. mort. in morb.* §. 2. utamur, in mortis ſcrutinium deſcendere poſſimus, quam ſi vitæ, cujus privatio mors eſt, rationem, quantum nimirum datur, recte evolvamus. Utraque autem non male refertur ad illas res, quæ familiariſſimæ nobis ſunt, omniumque oculis quotidie obverſantur, explicatu tamen & definitu difficillimæ, quæ, quo ſimpliciores, & magis notæ omnibus ſunt, eo obſcuriores & eo minus diſtinctum de iis conceptum vel ipſi habemus, vel aliis ſuppeditare poſſumus; id quod de rebus quibuſdam naturalibus ingenue confeſſus eſt *Cl. Sturmius de rer. ſimplic. obſcurit.* Idem ſuo jam tempore *B. Auguſtinus* temporis rationem meditatus agnovit, dum II. *Confeſſ.* 4. *ſi nemo*, inquit, *ex me quærat*, *quid ſit tempus*, *ſcio*, *ſi quærenti explicare velim*, *neſcio.* Eodem fere modo cum vita & morte comparatum eſt, ſive enim in illa unione ſeu commercio animæ & corporis, ſive in continuatione vis principis, ſive in præſervatione mixtionis ſanguinis quovis momento ad corruptionem vel partialem vel totalem ruituræ, ſive in partium ſolidarum juſta conformatione & ſtructura, fluidarumque debita craſi & motu, uti ſanitas, quæ pari cum vita paſſu ambulat, ponatur; ſive etiam in potentia non impedita machinæ animalium ad motum fluidorum majoris uſus à continuo fluxu refluxuque aëris, ſanguinis & liquidi nervei per organa majoris uſus dependens, præſide ac movente anima, quæ *Ill. Mar. Lanciſii* definitio eſt, *tr. de mortib. ſubit. l.* 1. *c.* 1. ſive denique cum ſupra laudato *Frid. Hoffmanno Med. Rat. Syſt. T.* 1. *p.* 1. *c.* 2. in motu ſanguinis & humorum circulatorio perrennante ab impulſu cordis & arteriarum, nec non ab elatere fibrarum proficiſcente conſiſtere dicatur, non omnis dubitationis ſcrupulus animo ſciendi cupido eximitur. In qua rerum obſcuritate ne nihil dixiſſe videamur, dictarum de vita opinionum aliquas conciliari inter ſe poſſe, ſed nonniſi hæſitanter pronunciamus. In confeſſo utique eſt, vitam in æquabili & continuato maſſæ humoralis circulo poſitam eſſe, illumque partium ſolidarum, præprimis cordis virtuti atque mortui ſyſtolico & diaſtolico deberi, & vi activa aut impulſiva horum organorum debilitata aut deſtructa, liquoris vitalis circulum imminui vel omnino ceſſare, hinc ſolidis hiſce partibus non ultimas partes tribuendas eſſe cenſemus, quia vero ſanguis progreſſivo motu labefactato è veſtigio manes ſuos patitur, & a levi etiam ſtagnatione mixtio & craſis ejus turbatur, prin-

cipiis conſtitutivis a ſe invicem ſecedentibus, in propatulo eſt, ſanguinem motu ſolidarum actione producto a corruptione præſervari, adeoque vitam & ſanitatem in corpore humano vigere. Quodſi è contrario tonus partium ſolidarum labefactatus eſt, & humores ab iſtis non ſatis propelluntur, & per illas tranſpelluntur, morbum & hoc invaleſcente mortem inſequi neceſſe eſt, cujus proximam cauſam eſſe plenariam motus cordis & ſanguinis circuli deſtructionem, & quidem irrevocabilem cum *Frid. Hoffmanno Diſſ. ſupra cit.* §. 7. arbitramur. Id quod intra breve tempus fieri obſervamus, ſi quando liquor hic vitalis è vaſis quacunque de cauſa læſis & apertis effunditur, ſanguinis circulatio magna ex parte tollitur, præſertim quia quo major ejus in ejuſmodi vaſa propulſio eſt, eo copioſior effuſio inſequitur. Qua occaſione in memoriam revocare liceat 1. uti humorum corporis, ita & cauſarum moventium circulum, qui in eo conſiſtit, quod ſanguis a corde aliiſque partibus ſolidis propellatur, hæ à fluido nerveo moveantur, cujus ſeparatio & influxus a ſanguine per cerebrum diſtributo dependet. 2. Mutuum partium ſolidarum & fluidarum conſenſum & reactionem, dum illæ motu ſuo has promovent, & viciſſim hæ impulſu in illas agunt, uti & harum vitia illis mox affricantur, & illarum mala conſtitutio harum craſi non leve præjudicium affert.

§. II.

Quodſi autem cum *Ill. Lanciſio* (qui hoc argumentum accuratiori quam ullus alius ſtudio pertractavit) *l. c. c.* 3. *&* 4. rem recte æſtimamus, omnis utique mors ſubitanea eſt & in puncto temporis accidit, morbo etiam ſatis diuturno ſuperveniens; illa vero proprie talis dici meretur, quæ per morbum celerrimi motus homines utplurimum ſanos vel morbis inducias promittentibus detentos, abſque ullo vel certe breviori agone e viventium conſortio tollit, adſtantibus nihil tale vel expectantibus vel metuentibus; & cum plerumque inopinato imperitis adveniat, terribile facit moriendi compendium, ita ut de morte prius quam de morbo fama aures noſtras perſonet. Quo in caſu præcipiti quandoque ne verbum quidem enunciare potis adhuc ſunt, omni ſenſu & motu mox deſtituti, interdum de anguſtiis aliiſque circa præcordia ſymptomatibus debili, interrupta aut unica voce conqueruntur, qua dicta de vita actum eſt; quocunque in loco vel ſitu fuerint, modo in via publica, modo in lecto aut ſella domi foriſve, ſoli vel cum aliis confabulantes, nunc animo tranquillo & corpore quieto, nunc etiam in motu exiſtentes ex improviſo exſpirant; quod vulgus effert: *Der Mann war friſch und geſund, man ſah ihm nicht viel an. Eh man ſichs verſah, fiel er todt zur Erden nieder.* Inter quos alii ad ultimum fere vitæ halitum muniis ſuis ſatis bene defuncti ſunt, apud alios vero varia mala nunc graviora nunc leviora

viora fatalem hunc vitæ finem præceſſere, præprimis ſi cauſa quædam materialis v. gr. polypus ei anſam præbuit atque occaſionem.

§. III.

Longum nimis foret in medium proferre omne mortis memoratæ genus, quod a cauſis ſive externis ſive internis magis minuſve cognitis toto die infertur, quot enim hominum lapſu ab alto, aqua, igne, vel ferro in viſcera adacto ſæpe ſæpius interire conſpicimus? Neque deſunt, qui venenis vel intro aſſumtis vel morſu communicatis, quin etiam remediis ipſis, a cataplaſmate imprudenter applicito, à Mercurio vivo carpis inuncto, vel etiam purgantibus draſticis ab empirico datis, aut agyrtarum arcanis violentioribus intempeſtive propinatis letho dantur, quibus non tam morbus, quam potius æger jugulatur. Neque inſtituti noſtri ratio permittit excurrendi in innumeras repentinæ mortis hiſtorias, quæ hinc inde apud Rerum Medicarum Scriptores proſtant, nempe à pilo aſſumpto, à deglutitis in aſpera arteria præſertim glottide hærentibus, à nimio vini ejuſque ſpiritus potu, ab alapa inflicta, dentis evulſione, à pilorum tractione, à nimia vinculorum conſtrictione, à minimo ictu aut vulnere, exhalatione noxia è metallifodinis inprimis plumbi mineris, è puteo, à muſto in cella vinaria fermenteſcente, à carbonibus in loco clauſo, ſerpentis anhelitu, ab ictu nuchæ illato, à percuſſione hepatis, hypochondrii ſiniſtri, ventriculi & ſcrobiculi cordis, a ſternutatione vehementi, à nimia pinguedine pulmones & diaphragma comprimente, à ſtruma enormi in thoracem excreſcente & ſubito ſuffocante, a prægrandi cordis & uteri mole, a polypo cordis & vaſorum, à pulmonum infarctu, à vulnere cerebelli, cordis & vaſorum majorum, & enormi hæmorrhagia inſequente, à ſanguine in cerebro extravaſato. Non minus a vehementiſſimis animi pathematibus ex improviſo aut immodico motu obortis, homo quandoque unico ictu exanimis redditur, ſcilicet à ſubito gaudio, ab ira, terrore, à riſu vehementi, ab immodico œſtro & æſtu venereo, dolore immani; nec non à nimio vagitu, à ſudore ſuppreſſo, ſcabie aut capitis ulceribus retropulſis, à variolis aliiſque exanthematibus malignis retrocedentibus, à criſi & evacuationibus ſuppreſſis, ab hydrope pericardii aut thoracis. Quæ omnia & multa alia exempla, ſi in medium proferre vellemus, in integrum tractatum hæc noſtra Diſſertatio excreſceret.

§. IV.

Miſſis ergo innumeris fere, quibus miſeri mortales ſubinde intereunt modis, ad illas propius accedimus mortes repentinas, quæ à cauſa intus latente & quidem vaſorum ſanguivehorum læſione proveniunt, atque

 potiſ-

potiſſimum ſanguini intra pericardium effuſo debentur, cujus inopinati effectus ratio nonniſi poſt mortem ſectione anatomica & ſolerti viſcerum inſpectione dignoſcitur. De his elegans locus eſt ſupra laudati *Lanciſii l. c. l.* I. *c.* 8. hunc in modum diſſerentis: diligenter attendamus, illos vere ſubito interire, quibus in præcordiis ſanguineum vas diſrumpitur, eos vero, quibus intra calvariam hoc infortunium accidit, nonniſi poſt multas horas, quantum nobis hucuſque, obſervare licuit, necem ſubire. Quo aſſerto apoplexia fortiſſima excludi videtur. Prouti autem alii humores è viſceribus aut vaſis nunc in hanc, nunc in aliam cavitatem effunduntur, ita pariter ſanguis extravaſatus loco, in quo congeritur, differt, nunc enim ille in utramque, nunc in alterutram ſaltem thoracis cavitatem, nunc vero in ſaccum membranaceum cor includentem, qui Pericardium ab Anatomicis appellatur, effuſus deprehenditur. In pectoris cavitate ſtagnat cruor, modo in materiam purulentam mutatus poſt inflammationem, indeque abſceſſum vel in pleura vel in pulmonum ſuperficie factum atque diſruptum, uti id in pleuritide atque peripneumonia obſervamus, modo ſincerus in vulnere cordis, frequentius pulmonum ab inſtrumento lædente per mediam eorum ſubſtantiam adacto, quo liquore extravaſato tota thoracis cavitas intra paucum tempus inundatur, ſuffocationis periculo ſubſequente. Liceat hac occaſione recenſere Obſervationem in Praxi Chirurgica utiliſſimam, nempe ejuſmodi vulneratum, qui animam agere ab adſtantibus credebatur, præter ſpem & expectationem velut ad vitam quandoque revocatum fuiſſe, ſanguine per cannulam thoraci immiſſam evacuato, & pulmonibus ſe denuo expandere valentibus. Quod experimentum hic aliquoties cum inſigni ægri ſalute & non minore Chirurgi fama factum eſſe conſtat. Neque tantum à cauſa & vi externa, ſed etiam ab interna ob motum corporis vehementiorem & à vino incaleſcentiam, cruorem in cavum pectoris profuſum & ad tres fere libras diaphragmati incumbentem à *Cl. Nebelio* annotarum legimus *E. N. C. Vol. I. Obſ.* 142. Sed de his, uti & de aliis in thoracem vel mediaſtinum ſanguinis effuſionibus prolixius agere à foro noſtro alienum eſt, quin potius de iis, quæ intra Pericardium fiunt, aliquas hiſtorias commemorare non abs re erit, utut rariores hinc inde apud Obſervationum Scriptores occurrant.

§. V.

Prima ſit illa, quam *Andr. Laurentius Hiſt. Anat. l.* 9. *Quæſt.* 18. nobis reliquit de Equite Guichardino Magni Hetruriæ Ducis ad Gallorum Regem Legato, qui ſatis bene valens & cum Magnatibus quibuſdam obambulans non ſerio, ſed familiariter cum colloqueretur, ſubito reſpiratione, pulſu & vita privatus cecidit. In cujus cadavere poſt mortem diſſecto, venæ cavæ oſtium diſruptum, cor ſtupendam in molem

adauctum,

adauctum, arteriæ magnæ principium enormiter dilatatum, valvulæ tricuſpidales laceratæ, & maxima ſanguinis in utrumque ſinum pars effuſa reperiebatur. Cum qua mire concordat illa *Lanciſii*, quæ *Phyſ. Anat. V.* & tract. ſupra cit. ſubjecta eſt, de improviſa morte ex ſubita cavæ intra pericardium diſruptione cum aneuryſmate arteriæ magnæ; quæ docet, ex aperto intra veſtibulum venæ cavæ juxta dextram cordis auriculam foramine diametri unciæ circiter unius tantum ſanguinis in pericardium valde tumidum effluxiſſe, quantum illud capere poterat, ad duarum librarum pondus excedens. A quibus non multum abludunt ea, quæ in *Act. Berol. Dec. I. Vol.* 7. *Sect.* 2. referuntur de pericardio valde diſtento, & 2. imo 3. manipulorum ſanguinis grumoſi poſt factam inciſionem effluxu, qui è minima quadam vaſis apertura proveniſſe judicatur. Sic & quendam fodiendi labore defatigatum, & ob venæ cavæ à corde divulſionem idem fatum ſubiiſſe *Th. Barthol. E. N. C. Dec. I. Ann. I. Obſ.* 101. recenſet; & *Cl. Nebelius* a violenta dextræ auriculæ cordis & venæ cavæ ruptura. Item vir infinitæ lectionis *Theoph. Bonetus Sepulcr. Anat. l.* 2. *Sect.* 11. *Obſ.* 1. à venæ cavæ trunco pariter diſrupto, & ſanguine in pericardium effuſo, poſt cordis palpitationem & aſthma prægreſſum præcipiti morte quoſdam interiiſſe perhibet. Eundem effectum à venæ pulmonalis ruptura derivat *Petr. Poterius Obſ. & Cur. Cent.* 3. *c.* 23. Quibus addimus *Paul. de Sorbait* multos ſe aperuiſſe aſſerentem, qui cum ad ultimum fere vitæ halitum non manifeſta morbi aut mortis ſigna dediſſent, inſigne aliquod vas diſruptum exhibuerint. Quod vero magis mirandum, arterias, quarum textura & tunicæ illas venarum craſſitie & firmitate multum ſuperant, aliquando etiam, & quidem prope cor, ubi craſſiſſimæ iſtæ ſunt, abruptas fuiſſe, quale exemplum *Dn. Mery in Act. Acad. Reg. Scient. quæ Pariſiis eſt, anno* 1710. exhibet. Sic & in *Act. Berol. Vol.* 8. foramen vel ruptura ad triobolarem magnitudinem accedens in trunco aortæ, ubi ex ſiniſtro cordis ventriculo procedit, ingenti cruoris copia pericardium inundante annotatur. Imo & ipſum cor quandoque in loco quodam ruptum, eundemque effectum edens repentinæ mortis cauſa fuit. conf. *Joh. Bohnium de Renunc. Vuln. Sect.* 1. *p. m.* 141. de ruptura ſiniſtri cordis ventriculi prope oſtium aortæ, & *Ill. Morgagnum Adverſ. Anat.* 6. *Animadv.* 84. de mucronis viſceris hujus ruptura & immani ſanguinis intra pericardium enormiter diſtentum profuſione. Similem caſum rupturæ ventriculi dextri non procul à mucrone ultra longitudinem unguis *Cl. Vater E. N. C. Dec.* 3. *ann.* 9. & 10. *Obſ.* 164. & diſruptionem venæ alicujus in alterutro cordis ventriculo *Poter l. c. Cent.* 3. *c.* 60. referunt.

§. VI.

Huc etiam pertinere videtur caſus in Diario Hiſtorico la Clef dicto,

Menſe Septembri 1730. memoratus de Illuſtriſſima Comite Palatina Rheni & Joh. Friderici Ducis Brunſvicenſis relicta Vidua, quæ alias bene valens, & de nullo prorſus morbo antea conqueſta, cum annum ætatis 78. ageret, & liberioris aëris fruendi cauſa in viridario ſuo obambularet, ſine ulla cauſa manifeſta ſubito humi proſtrata eſt, abſque ullo vitæ ſuperſtitis indicio. Ut mortis adeo improviſæ ratio intelligeretur, aperto cadavere foramen in pariete dextri cordis ventriculi externo rariori exemplo deprehenſum eſt, quod & in cavitatem dicti ventriculi & in illam pericardii oblique hians ſanguini copioſo ex illa in hanc tranſitum facile præbuit, qui præter ſeroſitatem ibi pariter contentam, ad uncias ſex in illo fluctuabat, thalamo cordis dextro prorſus vacuo exiſtente, ſiniſtro vero multum cruoris grumoſi continente. Cui obſervationi haud frequenti addere liceat illam, quam haud ita pridem hic habuimus, quæque à modo commemorata nonniſi loco, in quo hiatus erat, diſcrepat. Nempe civis hujus loci annorum circiter 31. qui coma aſcititia concinnanda victum, dum viveret, quærebat temperamenti cholerico melancholici, vitæ ſedentariæ deditus, & ira juſto plus & frequentius exæſtuans, tribus abhinc annis dolorem tenſivum & gravativum ſub ſterno atque per intervalla exacerbatum ſentiebat, cui alius in dorſo inter ſcapulas reſpondit, cum reſpiratione difficili & præcordiorum anguſtia, à motu corporis paulo majore invaleſcente. Quos dolores cum diu multumque perpeſſus eſſet, Menſe Septembri anni proxime elapſi ab aſſumto emetico violentiore & gravioribus vomendi conatibus non parum defatigatus fuit, uti & tuſſi ferina mox ſuperveniente. Poſtquam vero vires aliquot dies poſt recuperaverat, poſt prandium à nonnullis comitatus pedem porta extulit, cumque boni lætique animi eſſet, nihilque fatale metuens brachium alterutrum nulla tamen vi adhibita extenderet, ſubito veluti fulmine tactus in terram concidit, & nullo prorſus verbo vel alia voce edita mox exſpiravit. In cauſam fati tam præcipitis ubi in pectore inquiſitum, præſente & ſectioni benevole aſſiſtente *Excell. Dn. D. Jo. Boeclero*, *Collega Noſtro Honoratiſſimo*, pericardium à ſanguinis copia ibidem extravaſati & ſatis fluxilis diſtentum deprehendimus, qui diſſecto illo copioſe effluxit; in ulteriore vero indagatione, quod maxime mirati ſumus, in venæ cavæ ſacco ſolito ampliore digitum tranſverſum ab auricula, foramen oblongum magis quam rotundum & velut triangulare vidimus, ſtilum craſſiorem facile admittens, & tranſitum cruori è dicta vena cava in pericardium concedens. Cor magnum erat & flaccidum, dexter ejuſdem ventriculus ab omni ſanguine vacuus. Veniam vero dabit B. L. ſi non omnes circumſtantias, quas vel nos metipſi deſideramus, annotatas reperit; ob feſtinatam, quam propinqui adſtantes nimium urgebant, ſectionem, omnia, qua quidem par erat, induſtria indagare nobis haud licuit; & ſi juxta *Fortun. Fidelem Relat. Med. l.* 4. *c.* 7. præſtat noviſſe, cum quiſpiam repente moritur, quanam

nam ægritudine ille correptus fuerit, quia noſter Medici vel Chirurgi opem plane non aut rarius imploravit, quantum ab iis, qui familiarius cum eo egerunt, exſpicari potuimus, huc apponere non neglecimus.

§. VII.

Non vero ſolum à ſanguine ſincero, ſed & in pus aut ſaniem magis minuſve mutato, & in pericardium extravaſato mortem repentinam contigiſſe aliqui Auctores perhibent. Inter quos allegamus *Fabricium Hild. Cent.* I. *Obſ.* 43. qui in Pharmacopola quinquagenario ultra 4 libras ſanioſi ſanguinis & materiæ purulentæ ſe inveniſſe affirmat, abſque ullo tamen continui ſolutionis indicio & viarum, per quas eo pervenerit. Quod *Mich. Bernh. Valentini Pandect. Med. Legal. P. II. Sect.* 3. *Caſ.* 2. confirmat de magna materiæ ſemicoctæ quantitate in ſacco hoc membranaceo a ſe repertæ. Præterea, utut noſtræ conſiderationis proprie non ſit, verbo tamen commemorare liceat, alia etiam vaſa hinc inde in corpore rupta ſubinde fuiſſe, nempe venam cavam & arteriam aortam in regione lumbari. vid. *Jo. Schenckium L.* 3. §. 2. *Obſ.* 50. *&* 51. *E. N. C. Dec.* 3. *Ann.* 2. *Obſ.* 70. Venas cervicis & colli veſicæ *E. N. C. Dec.* 3. *ann.* 5. *&* 6. *Obſ.* 132. Ut nihil dicam de venulis à vomitu enormi aut tuſſi ferina diſruptis, quale exemplum habet *Foreſtus L.* 16. *Obſ.* 16. Et quid frequentius eſt, quam ut venarum oſtia, pulmonum in hæmoptoe, ventriculi in vomitu cruento, ani in hæmorrhoidibus & illa renum in mictu cruento aperiantur. Ut taceam, quod frequentiſſimum eſt, vaſa vel in baſi, vel in ſuperficie, vel in ventriculis cerebri hiare, ſanguinemque extravaſatum apoplexiam, graviſſimum illum affectum progignere, uti præter *Cl. Wepfferum* plurimæ id hiſtoriæ loquuntur, quas commemorare longum nimis foret, atque ab inſtituto noſtro alienum, utpote qui de vaſorum anaſtomoſi hic non agimus. Quin & viſcera integra, & ſimul vaſa copioſiſſima à vi externa quandoque eſſe legimus, & plus una vice vidimus.

§. VIII.

Cauſam fontici, de quo agimus, mali, quam celeri & impetuoſo modo & motu agere ſupponendum eſt, proximam & immediatam ſanguinis copioſi in pericardium effuſionem eſſe a quovis facile intelligitur, qua poſita duplicem effectum inſequi neceſſe eſt. 1. Ut liquoris hujus vitalis circulus magna ex parte intercipiatur, eoque æquilibrium fluidarum & ſolidarum plus minuſve tollatur. 2. Cordis diaſtole ſeu dilatatio fieri nequeat. Hanc quod attinet, apud omnes in confeſſo eſt, cor eſſe principium motuum reciprocorum machinæ animalis, quod ratione & experientia probatum ivit *Chriſt. Stroem tr. de theor. mot. recipr. mach.*

anim. & quidem motu ſyſtolico ſanguinem in ſingulas corporis partes longe lateque propelli, diaſtolico vero eundem à partibus undiquaque refluum in ſinus ejus recipi. Quæ diaſtole cauſa ſiſtoles aliquo ſenſu non inepte dicitur, eo, quod dilatatione à ſanguine facta fibræ ejus muſculares & elaſticæ tenduntur, quæ mox priſtinum in ſtatum ſeſe reſtituentes & multum conſtrictæ ſyſtolen efficiunt. Quod aſſertum confirmat experimentum à *Cl. Bohnio Circ. Anat. prog.* 4. prolatum, quo ab aëre venæ cavæ & thalamo dextro inflato ſyſtole ad ſenſum redit, & animal per aliquod tempus ad vitam veluti revocatur; unde facile concipimus, hunc cordis motum maxime diaſtolicum è veſtigio vel omnino ceſſare, vel ſaltem maxima ex parte impediri, quotieſcunque cruor magna in copia pericardium inundat & enormiter diſtendit, præprimis ſi præcipiti modo & uno veluti impetu factum id eſt. Idem contigit ab hydrope pericardii. *vid. Act. Berolin. Vol.* 8. *p.* 77. aut vomica pulmonum rupta pure in cordis arcem penetrante, teſte *Jo. Fernelio Pathol. l.* 5. *c.* 10. Quod vero æquilibrium fluidorum cum ſolidis ſpectat (in quo ſtabiliendo præ aliis occupatus eſt *Georg. Baglivus l.* 2. *ſpecim.* 4. *libr. de fibr. motr. c.* 6.) nemo inficiabitur, vitam in eo magna ex parte poſitam eſſe, ſi nempe illa per partes ſolidas atque canales rite fluunt, & hæc motu ſuo in fluida debite reagunt. Hoc ut fieri poſſit, vaſorum integritas & ſtructura illæſa utique requiritur, præprimis majorum, quæ ſanguine repleta ſunt atque turgent, quem promovendi ſua contractione à tunica muſculoſa facta, atque æqualem circulationem producendi apta nata ſunt. Quodſi vero illa ipſa ob atoniam à nimia diſtenſione aut etiam collapſu poſt enormen hæmorrhagiam rite ſeſe contrahere haud valent, contrarium evenire obſervamus; maxime autem atque citiſſime id ipſum contingit, ſi quando vas quoddam majus vel a ruptione vel ab exulceratione ſolutum eſt, tunc humores copioſe & celerrime extra alveum feruntur, circulus brevi penitus tollitur, eoque magis, quo major illius à tergo venientis, aut alia vi propulſi impetus exiſtit, quo aucto intra ſolidum minus reſiſtens non poteſt non enormis extravaſatio ſupervenire. Uti in hydraulicis obſervamus, liquorem in plures tubulos à machina propulſum majori cum vi ferri eo, ubi minor vel nulla reſiſtentia eſt. Recte itaque *Ill.*^ *Lanciſius l. c. Obſ.* 5. judicat, integritatem & continuitatem magnorum ſanguiferorum ad vitæ conſervationem omnium maxime neceſſariam eſſe, mirumque videri non debere, ſi læſa illa ſanguinis fluxus una cum vita illico deficiat. Cum quo conſentit *Dionis de mort. ſubit.* in plurimis de improviſo exanimatis ſanguinis circulum evidentiſſime interruptum ex anatome deprehendi aſſerens. Conf. *Cel. Frid. Hoffmann Diſſ. de gener. mort. in morb.* §. 33. ubi de variis cauſis mortem proxime inferentibus agit, & ſanguinis extravaſationem in capite (adde & prope cor) enormem tanquam ſubitæ mortis cauſam allegat.

§. IX.

§. IX.

Verum pro varia vaſorum conditione non leve diſcrimen hic intercedit, morſque inde ſecuta ſuos veluti gradus habet, cauſa per diviſibilia magis momenta vires ſuas exerente; ſi enim ejuſmodi læſio in vaſis minoribus accidit, longiore temporis ſpatio fatalis vitæ finis ingruit, quam in majoribus ob tardiorem ſanguinis extravaſationem. Pari ratione, quo propiora cordi ſunt vaſa, in quibus ſolutio vel ſtagnatio contigit, eo præſentius & citius diem ſupremum inſtare experientia comprobat; unde etiam non male infertur, caudicis venæ cavæ unitatem ſolutam, & ſanguinis circulum ex hac in cor interceptum mortem illico inſequi. Quo in caſu venæ cavæ truncum, qui à *Mich. Ettmüllero Phyſiol. c,* 10. & *Thom. Bartholino Cent.* 4. *Epiſt.* 26. ob motum ejus corde omnino emortuo perennantem ultimum moriens dicitur, primum fatiſcere recte ſtatuitur. Porro hæmorrhagia ex arteria læſa multo celeriorem, quam è vena ſoluta necem infert, in qua ſanguinis impetus minor non adeo præcipitem effluxum poſt ſe trahit, quem aliquæ circumſtantiæ quandoque retardare poſſunt, uti & in cive hujus loci vidimus, qui leviori quidem vulneri venæ cavæ prope divaricationem in iliacas per 32. horas ſupervixit eo, quod portio pinguedinis illud aliquatenus obturaverat. Quod ipſum tamen non impedit, quo minus ruptio venæ ampliſſimæ circa cor hominem è vivorum conſortio celerrime pariter tollat, uti etiam ſi quando ventriculus cordis alteruter vulneratus eſt, quale fatum ante aliquot annos hic expertus eſt civis, cui grandine plumbi majore e ſclopo emiſſa dexter cordis ventriculus omnino ablatus fuit. Hoc vero non prætermittendum, quod, ſi de congeſtione & dilatatione ſermo eſt, magna ſit inter arterias atque venas differentia, hæ quippe humorum affluxui atque niſui non adeo reſiſtere valent ac illæ, arteriis cerebri exceptis, quæ ſub ingreſſum intra cranium tunicam deponentes ad venarum texturam accedunt, unde etiam earum apertio ita frequens obſervatur. Quicquid ergo motum cordis & circulum ſanguinis pro vita animali tantopere & abſolute neceſſarium plenarie & ſubito aufert, ad repentinam mortem inferendam aptiſſimum eſt. Quod mortis genus cum ad tres potiſſimum claſſes morborum diſtribuatur ab *Ant. Nic. Bernabeo de mort. improvis.* ſæpe laudati *Lanciſii* veſtigia ſecuto, ſcilicet ad ſyncopen, catarrhum ſuffocativum & apoplexiam, noſtrum affectum ad primam referri poſſe atque debere cenſemus, hoc cum diſcrimine, quod non tam ſtomachica ex mente illius, quam potius cardiaca dicenda ſit, quali omnes ii, quorum vaſa ab hæmorrhagia enormi & haud compeſcibili ſenſim exinaniuntur, collabuntur & tonum amittunt, placide exſpirant. Non autem ſermo hic nobis eſt de illa continui in vaſis ſolutione, quæ à vi externa & inſtrumento lædente in-

fertur, utut enim iſta frequentius proh dolor repentinæ mortis cauſa ſit, ſi quando cor in cavitatem uſque, pulmones in meditullio, aut vaſa majora prope exortum ex hiſce viſceribus vulnerantur. Quia tamen quotidiana fere experientia partim, partim apud Medicinæ Forenſis Scriptores adeo obviæ ſunt hæ læſiones, & noſtri inſtituti ratio potiſſimum exigit illas, quæ cauſam internam & latentem agnoſcunt perquirere, ſicco has & multas alias pede tranſimus.

§. X.

Cauſam proximiorem fati adeo præcipitis quod attinet, illa vel ruptio à vi quadam interna eſt, vel etiam quandoque exulceratio. Ruptio plures iterum cauſas agnoſcit, quarum præcipuas paucis enarrabimus. Quandoque illa natales ducit ab ingenti niſu & thoracis motu concuſſorio in tuſſi ferina, aut a magno vomendi conatu, quem noſtro in ægro non parum eo contribuiſſe veroſimile eſt, qui ab emetico draſtico aſſumto enormes vomendi conatus, eoſque repetitos perpeſſus, & mox tuſſi ferina correptus fuit. Ab illius operatione non ſolum ventriculus & reliquæ viæ primæ, ſed & viſcera thoraci incluſa extraordinario quodam modo commota fuerunt, unde factum, ut inſignis hæc conſtrictio in venam cavam vel à prima conformatione teneriore textura præditam, vel à ſanguine ibi congeſto multum diſtentam & debilitatam, magis ac in alias partes vim ſuam exeruerit, quam ex parte inde ſolutam eſſe ſuſpicamur, donec tandem accedente motu ambulatorio etiam leviore illud, quod integrum adhuc fuerat, penitus ruptum fuerit. Quod ut credamus, nos movet ſimilis caſus à *Cl. Nebelio E. N. C. Vol. I. Obſ.* 142. memoratus in milite quinque diebus poſt vomitorium adhibitum ſubita morte defuncto. Poſſet quidem regeri effectum huncce, ſi à fortiore hoc niſu veniſſet, è veſtigio operationem inſequi debuiſſe, qui tamen nonniſi poſt aliquot dies inſecutus eſt. Sed reſponderi poſſe arbitramur, uti in aneuryſmate vero alterutra tantum tunica fatiſcit, & altera ſanguinis impetui reſiſtere haud valens magis minuſve extenditur, ita pari ratione idem in vena contingere & varicem generari; quia vero venarum tunicæ tenuioris & tenerioris texturæ ſunt quam arteriarum, ſive interior fuerit ſive exterior, nonniſi per breve temporis ſpatium ſanguinis affluxui, ſtagnationi atque niſui reſiſtere valet, adeoque non diu poſt rumpitur. De vena cava quidem illud minus ſuſpicandum eſſe cenſebunt illi, quibus ex Anatomicis notum eſt, ſuperiorem & inferiorem non in unum proprie loquendo truncum, ſed in ſaccum amplum muſculoſum & ſatis craſſum coire, qui communem quidem cum auricula dextra cavitatem habet, ab illa tamen probe diſtinguendus, quod iſte ad rotundam, hæc vero ad pyramidalem figuram accedit; tum & auricula columnulis carneis plurimis circuli ſegmenta formantibus intus inæ-

qualis

qualis eſt, membrana tenui & tranſparente interjecta, quibus vena cava deſtituitur. Modo memoratus ſaccus in homine quidem non adeo carneus exiſtit, ac in bovino genere, in quo, uti *ill. Morgagnus* notavit, inſignem ſphincterem conſtituit. A quibus fibris carneis motus contractionis, quem *cl. Bergerus phyſiol. l.* 1. *c.* 5. cum aliis ei adſcribit, derivandus utique eſt. Qua venæ cavæ ſtructura poſita conceptu difficile eſt, hanc aliquando rumpi, & non potius tenuem auriculæ membranam columnulis interpoſitam, ſi quando cor valide conſtringitur, aut obſtaculum in confiniis obicem ponit. Quod ſi vero etiam perpendimus (1) dictam membranam a columnulis multum firmari. (2) Sanguinis copiam defluentem pariter ac aſcendentem in venæ ſacco confluere. (3) Diaphragma cavam inferiorem ambiens motu ſuo conſtrictorio hanc comprimere, & ſanguinem cum aliqua vi eo propellere. (4) Eundem ſanguinem præprimis a partibus inferioribus refluum majorem impetum in venam, quam in auriculam facere, aliquo modo intelligimus, venæ cavæ ſaccum utut muſculoſum facilius, quam auriculam dextram diſrumpi, quamvis & hoc fieri poſſe & reipſa contingere haud inficiemur. De Pericardio hoc quoque ex anatomicis paucis repetamus, illud eſſe ſaccum membranoſum craſſum, e duplici lamella conflatum, conicæ figuræ, in mediaſtini ſubſtantia celluloſa magis in ſiniſtra quam dextra thoracis parte ſitum, ſuperius vaſis majoribus, inferius diaphragmati in homine annexum, apice ſuperiora ſpectante, baſi vero latiore tendineo diaphragmatis centro adnata, corde notabiliter majorem, id quod hujus motus diaſtolicus exigebat, & liquori peculiari ſeroſo in ſinu continendo a ſapientiſſimo creatore dicatum. Huic pericardio non ſolum cor, ſed & præter alia vaſa ejus majora venæ cavæ ſaccus & trunci incluſi ſunt, quorum inferior ſuperiore brevior, & vix pollicem tranſverſum longus eſt. Proinde quotieſcunque continuitas eorum diſſolvitur, ſanguinem in pericardii cavitatem effundi neceſſe eſt, illudque diſtendi, quia ejus fibræ uti aliarum membranarum cedere aptæ natæ ſunt.

§. XI.

Quæ ruptio venæ facilius accidit, ſi ſanguis quacunque de cauſa per cordis thalamos, aut pulmonum ſubſtantiam, aut vaſa præprimis cordi propiora minus expedite circulatur, ejuſque ingreſſus vel egreſſus & progreſſus impeditur, quo in caſu majorem impetum in vicinos canales facit. Varia autem ſunt illa obſtacula in via ſanguinis per cor tranſeuntis, quæ ejus circulo obicem ponunt. E quibus præcipuum fere eſt concretum illud polypoſum, dextrum frequentius ventriculum plus minuſve occupans, & cum reſpiratione difficili cordiſque palpitatione conjunctum, de cujus exiſtentia atque frequentia niſi apud omnes conſtaret, plauſtra obſervationum in medium proferre poſſemus, quas brevi-

 ta-

tatis ſtudio ſilentio præterimus. Meminiſſe tamen liceat illius, quem an. 1720. e milite veterano repente extincto extraximus, non modo ventriculum cordis dextrum & auriculam ejuſdem lateris, ſed & venam pulmonalem ſiniſtram, cavam item ad hepar uſque utramque, jugularem & ſubclaviam ſiniſtram fere penitus replentem. Qui polypus ubi vel multum increvit, aut a ſede ſua atque ſtaminibus avellitur, ſi in arteriis eſt, ſecundo flumine in vaſa minora abreptus, eademque infarciens funeſtiſſimum evadere conſentiente experientia *acta Berol. dec.* 2, *vol.* 2. inculcant. Et quod polypus præſtat, omnis ſanguis ſpiſſus grumoſus, viſcidus efficere etiam poteſt. Porro ſanguinis motum plus minuſve impediri obſervationes numero non paucæ confirmant, ſi quando vel cor ipſum, vel ejus vaſa, vel etiam aliæ partes in confiniis alio corpore heterogeneo nempe ſubſtantia quadam fungoſa, carnea, calloſa, adipoſa aut ſebacea, cartilaginea item oſſea, imo tophacea & calculoſa obſeſſæ ſunt; uti de ſepto cordis cartilagineo, de valvulis ſigmoideis, de arteriæ aortæ initio, de venis coronariis oſſeis, de auricularum alterutra nimis carnea & fungoſa plura apud *Ruyſchium*, *Schenckium*, *Bonetum*, *Nicol. Blegny*, *Seidelium* in omnibus etiam *ephemeridibus eruditorum* annotata leguntur. Sarcomata in ſingulis aortæ valvulis ſemilunaribus a nemine indicata vid. ap. *Lanciſ. obſ. med.* 4. Quæ omnia viarum libertate ademta non poſſunt non interitum minari.

§. XII.

Non minus hinc effectum inſequi neceſſe eſt illis in caſibus, in quibus vaſa majoris uſus juſto anguſtiora a prima conformatione ſunt, quod tamen rarioribus phœnomenis accenſendum eſſe puto. Item ſi a ſpaſmodico affectu ita conſtringuntur, ut ſanguis ægre tantum, & nonniſi per minutas portiones viam ſuam pergere valeat. Vid. *Thom. Willis pharm. rat. ſ.* 6. *c.* 3. quales thoracis ſpaſmos præcordiorumque convulſiones *Lanciſius l. c.* exhibet. Qua occaſione intactum a nobis relinquendum non eſt, ſupra cit. *Bernabeum l. c* dijudicandum nobis reliquiſſe, an non ejuſmodi rupturæ vaſorum potius a ſpaſmis in ultimo mortis articulo factis proveniunt, maxime in ſubjectis athleticis, quæ de nullo antea dolore alioque incommodo conqueſta ſubito exanimantur. Pariter ſi modo allegata vaſa a corpore præternaturali exterius ſito vel alia cauſa comprimuntur. Uti *Lanciſius obſ. modo cit* vivorum ſectionibus edoctus perhibet, arteria magna caſu vel arte compreſſa, & ſanguine ſpatium, per quod excurrere poſſit, non inveniente, cor plenum atque immobile manere, morte e veſtigio ſuperveniente; quod e contrario flaccidum, planum & exinanitum a venæ cavæ compreſſione (adde & ruptione) deprehenditur, quale in noſtro etiam ægro illud fuerat, ſanguine omni, qui cor influere debebat, in pericardium effuſo,

ſo, id quod in aliis, qui a ſanguinis jactura pereunt, pariter obſervatur, vid. *act. acad. Reg. ſcient.* 1714. *p.* 428. Idem confirmatur experimento *Guil. Harvei exerc. de mot. cord. c.* 10. quo ſubitam exſpirationem defectui ſanguinis a venæ cavæ compreſſione & ſuffocationem copiæ, qua cor obruitur, ab aortæ ligatura probare contendit, qui ſanguis in vaſe compreſſo truſus cunei vim habet, & juxta *Hippocratem lib. de flatib.* ſua copia, qua maxime impreſſionem fecerit, venas perrumpit. Sic etiam mortem ſubitam ab auriculæ cordis dextræ contuſione *act. Hafnienſ. vol.* 4. *obſ.* 47. vel nimia illius diſtenſione, & ſiniſtræ conſtrictione extraordinaria *Th. Barthol. cent.* 1. *hiſt.* 45. nec non a valvula ſigmoidea aortæ oſtio p. n. agglutinata *hiſt. acad. Reg. ſcient.* 1713. 1713. ortam memorant; a nimia item cordis laxitate, quod *Theoph. Bonetus l. c. obſ.* 28. comprobat. Uti & huc referenda eſt illa paſſio, quam Herophilus teſte cl. *Gælicke hiſt. med. period. 6.* cordis paralyſin vocavit, indeque ſubitaneam mortem nulla alia cauſa manifeſta accedente derivavit, uti e contrario inſignis ejus tenſio lipothymiæ quandoque cauſa eſt.

§. XIII.

Verum non omnis culpa mortis tam inproviſæ in cor ejuſque vaſa transferenda eſt; ratio quippe & experientia ſuadent, pulmones ab ea quandoque haud immunes eſſe. Ut alia ſilentio jam prætereamus, catarrhus ſuffocativus illud, quod aſſerimus, non obſcure confirmare videtur, qui nimiæ pulmonum flacciditati & paralyticæ muſculorum thoracis debilitati a *collectoribus hiſt. morb. Vratisl.* 1705. noſtro quidem judicio recte adſcribitur, qua poſita ſanguis in viſcere hoc veſiculari & conſequenter in ipſo etiam corde congeritur, ejuſque circulus ob motus ſyſtolici defectum ſufflaminatur, qui aere aſperæ arteriæ inflato, indeque veſiculis pulmonum expanſis ad tempus reſtitui poteſt, experimento in *actis Anglicanis* memorato. Præterea lethalem hunc effectum a pulmonibus incraſſatis, item a tuberculis aut ſanguine ſpiſſo aut humore pituitoſo adeo infarctis, ut omnem ſanguini tranſitum denegent; nunc arctiſſime cum pleura & diaphragmate cohærentibus & penitus exinanitis dependere, in uno vel altero exemplo *Dionis l. c.* comprobat. Quæ modo commemoratæ, & forſan aliæ a nobis omiſſæ cauſæ tranſitum ſanguinis per cor & pulmonum ſubſtantiam impedientes id efficiunt, ut cruor in corde ejuſque confiniis juſto nimium confluat & congeratur, a qua congeſtione vaſa diſtenduntur, fibræ earum debilitantur, tonus labefactatur, & vis elaſtica multum imminuitur, qua atonia magis magiſque invaleſcente, & ultra modum aucta, primum alterutra tantum, atque varicem format, dein etiam utraque vaſis tunica, quandoque etiam ſimul & ſemel totus canalis rumpitur. Quam congeſtionem ſanguinis ſta-

ſtagnatoriam, ejuſque verſus cor regurgitationem tanquam mortis improviſæ cauſam præ aliis urgent *Act. Berol. dec.* 2. *vol.* 5. Quibus accedit Dom. Panaroli teſtimonium, qui pentec. 3. obſ. 7. memoriæ prodidit, an. 1651. feraci ejuſmodi mortium tempore plures aperto corpore non aliam monſtraſſe cauſam, quam inſignem vaſorum infarctum a ſanguine intra cor nimium retento, illudque velut ſuffocante. Quod vero cauſas a nobis modo allegatas attinet, ſi dicendum quod res eſt, aliquæ earum ita comparatæ ſunt, ut vel oppido raræ ſint, vel morbum diuturnum præexiſtentem, ſed in pejus ſubito mutatum præ ſe ferant.

XIV.

Secundo loco ruptioni ſubjungere par eſt vaſorum exulcerationem ab humoribus acribus corrodentibus illatam, quam interdum etiam locum invenire quædam obſervata haud obſcure indicant. Quid enim materia purulenta in pericardio fluctuans a *Fabricio Hild. cent.* 1. *obſ.* 43. & *Mich. Bernh. Valentini pand. med. leg. p.* 2. *ſect.* 3. *caſ.* 2. reperta aliud monſtrat, quam exulcerationem in partibus vicinis prægreſſam. Ut taceam in E. N. C. *vol.* 2. *obſ.* 19. cor intus exulceratum, a vermibus profunde arroſum, & *obſ.* 2. & totum ſuppuratum, ejuſque ſubſtantiam conſumtam ſola membrana ſuperſtite exhiberi, quod tamen fidem ſuperat; corde enim aliqua ſui parte corrupto hominem ſupereſſe poſſe cum *Bartholino* contra *Tileſium cent.* 1. *ephem.* 17. merito dubitatur. Notatu & lectu digniora ſunt ea, quæ ſupra laudatus *Lanciſius* de lenta corroſione vaſorum ſanguiferorum internorum, ſive aneuryſma ſit ſive varix, tanquam frequentem inopinatæ mortis cauſam ſolide, uti aſſolet, diſſerit. *l. c. l.* 1. *c.* 23. & *ill. Morgagnus adverſ.* 2. *anim.* 41. eroſivi principii indicia in aortæ expanſæ, aut oſſificatæ tunicis ſe prodere arbitratur. Quod ſi etiam fidem Diario Gallico ſupra allegato haud denegamus, ejuſmodi ulcuſculum, ab humore ſalino & acri ſeroſo in thalamo cordis dextro productum, illuſtriſſimæ perſonæ mortem adeo ſubitaneam attulit.

XV.

Aliæ inſuper hiſtoriæ exulcerationem vel cordis ipſius vel vaſorum prope illud exiſtentium ſuadent; nempe abſceſſum in alterutro cordis thalamo ex Benivenio *Scidelius de morb. incurab.* & *Jo. Fernelius pathol. l.* 5. *c.* 12 tria ulcera in corde non parum cava & ſordida recenſet. De inflammatione ventriculi cordis ſiniſtri & morte ſubitanea ſubſequente vid. *hiſt. acad. Reg. ſcient* 1701. de tunica aortæ interna eroſa vid. *act. Berol. vol.* 8. & abſceſſu in ejus trunco *Bonet. l. c. obſ.* 8. in vena arterioſa Monachi Peredam ſchol. in *lib.* 1. paſc. Sic & *Zacut. Luſitanus med. princip. hiſt. l.* 4. *hiſt.* 84. cor abſceſſus, ulcera & omne tumoris genus

nus pati poſſe contendit. Neque a veritate alienum nobis videtur, in vaſculis per membranas venarum & arteriarum diſſeminatis, uti in aliis corporis locis ſanguinem impedito ejus motu ſtagnare, inflammationem, indeque ſequentem abſceſſum ſeu ulcus formare, cui rupto continui ſolutio atque foramen ſupervenit. Conſtat enim ex ſectionibus anatomicis non modo arterias, ſed & venas, præter tunicam membranaceam & muſculoſam, vaſculoſa pariter inſtructas eſſe, ſeu e vaſis diverſi generis intertextis conflatas, quam corporis humani indagatores icone expreſſerunt præ aliis *Raym. Vioſanus nov. vaſor. ſyſtem.* deſcripſit, quamque communem & mediam vocat, quæ in arteriis craſſior eſt, & liquore colorato tenuiore certa enchireſi repleri poteſt. *Frid. Ruyſchius epiſt. probl.* 10. *tab.* 11. innumerabiles in venæ cavæ ſacco arteriolas detexit.

§. XVI.

Quid ergo impedit, quo minus, uti in aliis membranis vaſculoſis, ita & in illa venarum ampliorum modo memoratus affectus pariter accidat? in quo generando præ aliis ſymbolum ſuum conferunt particulæ ſalinæ acres, quæ uti morborum chronicorum auctores, ita & acutorum, & quandoque mortis ſubitaneæ cauſæ exiſtunt. Illarum, quibus ſerum potiſſimum imprægnatum eſt, magna vis penetrativa partes ſolidas erodendi earumque continuitatem diſſolvendi eſt, dum una cum ſanguine per canales fluunt, & ab ejus miſcela ſecedentes, illorumque parietibus affixæ texturam ſenſim ſenſimque erodunt, atque exulcerationem quandam producunt, non ſolum in extremitatibus atque vaſis capillaribus, ſed etiam in ramis majoribus & quandoque in ipſis truncis. Uti enim, quod ſupra inculcavimus, ſolida magnopere labefactata fluidorum motum vel turbant notabiliter, vel omnino intercipiunt, ita ab horum dyſcraſia illa ſarta tutaque manere non poſſunt. Dictæ particulæ non minus humores ipſos, quibus immixtæ ſunt, alterant, & ſi fixæ fuerint vel acidæ, vel alia vi coagulante præditæ, eoſdem condenſant atque inſpiſſant, ſin vero volatiles juſto majorem ipſis fluxilitatem conciliant; qualis in noſtro etiam ſubjecto videre erat. Et harum actioni funeſtum, quem *obſ.* 5. annotavit *Lanciſius* effectum tribuit, eum a ſalſamentis per dimidium quadrageſimæ aſſumtis tanquam cauſa eroſiva deducens. Noſtrum caſum quod attinet, dolor fere continuus, de quo æger diu ante diem ſupremum conqueſtus fuerat, aliaque ſymptomata concurrentia nobis pene perſuaſerunt, venæ cavæ ulcuſculum præcipuam effuſi ſanguinis cauſam fuiſſe. Quia vero (1) foramen oblongum magis quam rotundum erat (2) oræ ejus non laceræ (3) nulla purulentæ materiæ vel ichoroſæ, quæ ulceris comes eſt, indicia aderant (4) dolor perceptus non tam acutus, lancinans atque rodens fuit, quin potius tenſivus, gravativus & aliquatenus pulſatorius, qui vel cordis motui

tui aucto vel ipſi venæ cavæ ſacco magis muſculoſo debebatur, quem *Walæus epiſt. de mot. ſang.* pulſare contendit. (5) Conatus vomendi enormes & tuſſis ferina mox ſubſequens facillime hanc ruptionem producere potuit, hanc potius quam exulcerationem ægrum noſtrum unico veluti ſaltu & abſque aliorum ſymptomatum comitatu ad tumulum promoviſſe, ſalvo tamen aliorum melius forſan ſentientium judicio arbitramur. Neque a noſtra hac opinione nos dimovet dolor diu antea præcedens & præcordiorum anguſtiæ, quæ potius juſto majori cordis & vaſorum dilatationi quam ulceri adſcribendæ eſſe videntur.

§ XVII.

Sed ut quædam etiam de cauſis procatarcticis ſeu occaſionalibus, quæ cauſis internis viam ſternere ſolent, tangamus, primo loco mentio facienda eſt plethoræ, & quidem illius, quæ ad vaſa eſt, illaque non parum diſtendit, quam maxime urget *Dionis libr. ſupr. cit.* Quæ ſanguinis copia a temperamento, vitæ genere otioſo, diæta lauta, venæſectionis aliuſque ſanguinis ſinceri evacuationis ſuppreſſione aut neglectu prognaſcitur. Temperamentum ordinarie ſanguineum huc confert multum ſanguinis generans, quod quidem in ſubjecto noſtro non prædominabatur, hoc ipſum tamen non impedit, quo minus melancholicum ſymbolum quoque ſuum eo conferat, utpote in quo vaſa admodum exilia & ſanguis ſpiſſus eſt, qui per illa tranſire nonniſi cum difficultate poteſt; neque tantum in capillaribus vaſculis, ſed & in truncis ipſis ſpiſſus hic ſanguis lento gradu fluit, congeritur, & reliquo haud interrupto curſu ſuccedenti remoram injicit, unde fit, ut canales, quos permeare debet, diſtendantur. Dubitari vero poſſet, an in truncis venoſis idem metuendum ac in arterioſis, quia humores e canalibus anguſtioribus in ampliores fluunt, adeoque majus ſpatium nanciſcuntur. Quod ſi vero in confiniis obſtaculum quoddam ſupponamus, idem & hic contingere poſſe, facile concipitur. Præprimis ſi huic temperamento accedit vita ſedentaria, quam ars, quam utique exercebat, poſtulavit, & maxime inclinato corporis ſitu laborare, conſuevit. Quibus calculum præ aliis addidit cholerica corporis conſtitutio in noſtro caſu maxime attendenda. Recte enim *El. Camerarius prof. Tubingenſis celeberrimus epiſt. Taurin.* 2. ratiocinatur, non ſolum ſanguinis abundantiam, ſed & nimium ejus orgaſmum, ebullitionem atque elaſticitatem frequentius forſan ad vaſorum rupturam concurrere, dum vaſa, quæ anguſta ſunt & multum turgent, vi expanſivæ humorum reſiſtendi ſat roboris non habent. Quam turgeſcentiam eo minus prætermittendam eſſe cenſemus, quo magis in propatulo eſt, iſtam in noſtro ægro locum habuiſſe, quippe cui quotidianum fere erat iraſci, quique iræ impetu atque vehementia adeo abreptus quandoque fuit, ut mentis compos

pos vix eſſet; quam iram *Rolfinkius conſ. med. p. m.* 715. infernalem megæram nominat. Quantus ab hoc furore, tantum non momentaneo morborum fabro, orgaſmus in ſanguine excitetur, prouti ſunt hominum mores, vel nobis tacentibus bene multi experientia convicti facile intelligunt.

§. XVIII.

De diæta lauta, mollique & delicatiori vitæ genere parum vel nihil hic adjicimus; quamvis enim illa ſuas hic etiam partes habeat, illa tamen, quantum novimus, ob rationes hic non allegandas locum vix invenit. Alias in athletis, obeſis aliiſque, qui largiore victu utuntur & ſimul minus tranſpirant, hæc mala frequentiora eſſe contendit *Dionis l. c.* Evacuationes ſanguinis quod attinet, nullis quidem ſpontaneis v. g. hæmoptyſi vel hæmorrhoidibus obnoxius erat; artificiales vero, nempe venæſectionem, quantum a chirurgo ejus ordinario accepimus, a notabili abhinc tempore neglexit, neque huic aliam ſubſtituit, unde plethora licet haud inſignis, non potuit non ſuccreſcere, præprimis in vegeta, in qua conſtitutus erat, ætate. Quæ ætas, ſcilicet 31. annorum, ſi non fallimur, forſan etiam aliquid ad ſonticum hunc affectum contuliſſe videtur. E monumentis enim Hippocrateis & potiſſimum ex aureo aphoriſmorum libello ejuſque *ſect.* 3. *aph.* 29. 30, non obſcure patet, humores in dicta ætate ad pectus majori cum impetu quam ad alia loca ruere, indeque aſthmata, hæmoptyſes &c. frequentius generari. Quo poſito conceptu facile eſt, ſanguinem ab animi pathematibus commotum, uti ad alia thoracis vaſa, ita etiam ad venam cavam magis propulſum, ibique congeſtum fuiſſe. Senes quod ſpectat, illorum, ſi vegeti fuerint & floridi habitus, appetitu gaudent, & venæſectiones a multo abhinc tempore conſuetas ob ætatem ingraveſcentem neglexerunt, non paucos apoplexia aut catarrho ſuffocativo ſubito periiſſe nobis perſuaſum eſt, falſo innixos principio in provecta hac ætate ejuſmodi evacuationem haud neceſſariam & minus utilem eſſe, ſanguiniſque conſervationem ejus jacturæ præferendam eſſe putantes, cui tamen opinioni experientia ſatis frequens contrariatur.

XIX.

Quibus cauſis modo memoratis maximum procul dubio pondus addidit extraordinaria uti totius corporis, ita & thoracis concuſſio a repetitis vomendi conatibus excitata, quam ferina tuſſis mox ſuperveniens non parum auxit. Qua ratione illa triſtem, qui ſecutus eſt, eventum parere potuerit ſupra §. 10, explicuimus. Unicum hic addentes, a veritate forſan alienum non eſſe ſtatuere, malum, quo æger noſter antea laboraverat, varicem venæ cavæ fuiſſe, id quod dolor prægreſſus &

a dicti vaſis diſtenſione obortus ſuadere videtur. Uti autem aneuryſmata interna, quale monſtroſum & cor magnitudine ſuperans in arteria aorta *Frid. Ruyſchius obſ. anat. chir.* 38. nobis exhibet, ita & varices intus latentes dari neminem, qui in rebus medicis non omnino hoſpes eſt, latet. Hi, ſi quando rumpuntur, morbum noſtrum ſubſequi nemo, uti opinor, eſt qui ambigit. Proinde *Georg. Baglivus de fibr. motr. ſpec.* 3. *libr. c.* 11. exclamat! quot ſævi dolores, quot obitus repentini proveniunt ab occultis aneuryſmatibus & varicibus partium, uti cadaverum inciſiones late manifeſtant, & tamen medici aut raro aut nunquam ad id mentem advertunt. An vero brachii, quod dextrum erat, extenſio ad effectum hunc, nempe ruptionem concurrerit, paucis etiam diſpiciendum eſt. Pro negativa militant ſententia, quod (1) levis illa fuerit, non magna neque violenta (2) aliquam quidem vim exerere potuerit in venam axillarem aut ſubclaviam, non vero in cavæ truncum, qui remotus magis eſt. Pro affirmativa vero pugnant ſequentia 1. vena cava ſubclaviæ continua eſt, unde hac aliquantiſper extenſa, & illam trahi neceſſe eſt. (2) Tunica venæ jam debilitata levi etiam vi accedente rumpi potuit. (3) Extenſio ſubitanea, qualis illa procul dubio fuerat, utut minor, frequentius ruptionem poſt ſe trahit, quam major ſucceſſive facta. Nos huic accedimus, dictam brachii extenſionem utut leviorem aliquod etiam ſymbolum contribuiſſe arbitrati; uti & motum corporis ſatis diu continuatum, qui ſanguinem non parum exagitavit, & in venam antea diſtentam impetum fecit. Denique non prætermittendum eſt, anni tempus autumnale ſubjecto noſtro fatale, quo corpora noſtra ab aere humido nunc relaxantur, nunc a frigido conſtringuntur, adeoque tranſpiratio inſenſilis minus bene ſuccedere ſolet.

X X.

Quibus jam perſpectis ordo poſtulat, ut paucis indagemus, an dentur certa affectus noſtri ſigna diagnoſtica, quibus cognitis ille non tam curari, quam potius præcaveri poſſit? Sunt autem illa, quantum aſſequi valemus, vel ſatis obſcura, vel huic morbo noſtro non ſpecifica, ſed eidem cum aliis communia. Quod profiteri eo minus erubeſcimus, quo magis in propatulo eſt, in aliis etiam affectibus p. n. has de ſignorum incertitudine querelas, non minus juſtas quam frequentes in medicorum ſcholis moveri. Quod *collectores hiſt. Vratisl.* 1701. de aneuryſmatibus monent, de varicibus pariter ac noſtro morbo quoque valet, ſi quis curioſius indagaret, & ſigna latentium aneuryſmatum detegeret, illum de medicina præclare meriturum. Sæpius allegatus *Lanciſius l. c. l.* 1. *c.* 19. qui majori quam omnes alii ſtudio hanc diagnoſin perſcrutatus eſt, ſigna futuræ mortis ſubitaneæ a corde, vaſis majoribus & ſanguine deſumit (1) ex pulſuum vitiis, (2) ex palpitatione

ſeu

ſeu dolore cordis, (3) ex animi deliquiis, (4) ex hæmorrhagia & aneuryſmate, (5) ex habitu plethorico & obeſo, (6) tandem e quarundam ſuppreſſione evacuationum, beneque annotat, has paſſiones ſeorſim & ſingulas hunc effectum non facile gignere, ſed tunc demum, cum inter ſe varie permixtæ ſunt. In genere iis hoc mortis genus accidere pergit, qui morbos aliquos vel propter ſymptomatum levitatem, vel propter aſſuetudinem ſibi familiares redditos facile deſpiciunt. E quibus præ aliis attendi meretur, palpitatio cordis impediti ſanguinis per cor circuli index, & ſub ſterno aut alio pectoris loco ſepultus dolor, quandoque acutus, & modo ſpirandi difficultatem, præſertim a motu per acclivia, modo cordis angorem, ſæpe pulſus inæqualitatem comitem habens, qui (teſte *Hippocrate in coac.*) ſenibus ſæpius conſueſcens inopinæ mortis prænuncius eſt, quique vaſorum diſtenſionem juſto majorem aut ſaltem eroſionem tacite fieri aliquo modo indicat, ſed in qua potiſſimum parte hæreat, non determinat. Si pulmones ſimul affecti ſunt, aſthma ſeu reſpiratio difficilis a motu corporis aucto & tuſſis ſatis vehemens concurrit. Si ſtagnationes ſanguinis circa cor mortem minantur, anguſtiæ inſignes præcordiorum pectoriſque oppreſſiones antecedere ſolent. *Petr. Poterius obſ. & cur. cent.* 3. *c.* 22. de dyſpnœa quædam notavit, quæ hic apponi merentur: quædam inquiens, eſt reſpirandi difficultas, quæ per intervalla deambulantibus accidit: in hac fit præceps virium lapſus, propinquis tenentur niti adminiculis, alias humi corruerent, hi utplurimum derepente moriuntur: in hac ſpecie vena arterioſa in ſiniſtro cordis ventriculo disrumpitur & ſanguine effuſo ſpiritus vitæ illico ſuffocantur. An vero idipſum ſemper ita eveniat, aliis dijudicandum relinquimus. *Jo. Schenckius* a pulſus inæqualitate obſtacula in arteriis obvia hariolatus, & quidem prorſus peculiari, quem *l.* 2. *obſ.* 229. his verbis explicat; quando intermittit pulſus, percipiunt patientes motum quendam tanquam ictum in regione cordis, perinde ac ſi quis ipſi cordi tunc manu obviet, ac motum impediat. Si certa eſſet & ulteriore experientia comprobata hæc diagnoſis, ad noſtrum quoque caſum non inepte applicari illa poſſet. Uti etiam pleraque ſupra recenſita indicia æque ac faciei rubor, vaſorum turgeſcentia & virium languor aliis æque morbis e. gr. polypo, magno pulmonum infarctui, inſigni in præcordiis congeſtioni competunt. Et ſi vel maxime hoc non eſſet, diſruptionem vaſis alicujus in corpore latentis imminere, aut eroſionem jam factam eſſe noſtro quidem judicio perſpicue & evidenter non demonſtrant, utpote quod improviſæ mortis genus ex illorum numero eſſe cenſemus, quod certo præſentiri & prænunciari nequit, cumque eo ita comparatum eſſe, ac cum varicibus & aneuryſmatibus internis, utpote quorum cognitio medicum plerumque ſubterfugere ſolet; ſimul vero dolemus, hæc & ſimilia adeo abdita eſſe & occulta, ut poſt mortem demum ſectione anatomica inſtituta, & extiſpiciis depre-

Gggg 2 hen-

hendantur. Quod ſi enim res eo devenit, ut præceps virium lapſus & ſyncope ægrum jam corripuerit, nulla in eundem utilitas a diagnoſi etiam manifeſta redundat, quippe qui expirat citius quam medicus advolare, vel ſi etiam præſens fuerit, remedium malo adhibere valet. Utut autem rem ita ſeſe habere nobis videatur, illud conſolari ægrotos poteſt, quod licet ejuſmodi ruptionem futuram aut exulcerationem ſpecifice cognoſcere, & determinare in artis poteſtate non ſit, methodus medendi generalis in noſtro affectu ab illis, qui ſigna communia habent, vix differat. Plura huc facientia vide in eleganti *Epiſtola ad Car. Patinum ab Alex. Knipſmacoppe* ſcripta, quæ *E. N. C. dec.* 3. *ann.* 1. *app.* annexa eſt. Quo judice etiam in internis & abditis affectibus dijudicandis haud ita gravis cenſetur error, ſi rem acu non tangimus.

XXI.

Quo magis abdita & a medicorum præſtantiſſimorum etiam cognitione remota ſunt ſigna diagnoſtica, eo certior eſt atque facilior prognoſis noſtri affectus. Uti enim quæcunque cordis, majorumque vaſorum internorum vulnera per ſe lethalia pronunciantur non ſolum *Hippocratis ſect.* 6. *aph.* 16. *Gabr. Fallopii oper. t.* 2. *p. m.* 103. *Jo. Bohnii de renunc. vuln. ſect.* 2. *c.* 3. aliorumque graviſſimorum medicorum autoritate, ſed & ipſius experientiæ teſtimonio multiplici, ita etiam de noſtro malo, ſive in ruptione ſive etiam ab exulceratione productum fuerit, mitius judicium ferre non licet; nam quod vulnera cordis attinet, nos non latet aliqua eorum vel plane non, vel paulo tardius mortem poſt ſe traxiſſe, quæ per ſuperficialia fuerunt, vel ab alia cauſa prognata. Quodſi vero inſtrumentum lædens in ipſam cavitatem magis ſiniſtram, quam in dextram penetraverit, ſyncopen lethalem e veſtigio inſequi nemo, uti opinor, inficiabitur. De caudicis venæ cavæ vulneribus prope cor idem ſentiendum eſt, teſte *Hippocrate l.* 2. *prorrhet.* & *Corn Celſo l:* 5. *c.* 26. ob enormem ſanguinis profuſionem, quam cohibere in artis poteſtate non eſt, quia ob profundum intus latentem ſitum, aliiſque partibus immerſum, manui chirurgicæ & ligaturæ locus non conceditur, aut ſi vel maxime daretur, ligatura, uſtio aut alia media in ejuſmodi caſibus adhiberi ſolita locum hic non inveniunt. Ut taceam, celerem vitæ finem chirurgi adventum, & modo memorata auxilia præoccupare. Proinde *Bruno Seidelius de morb. incur. p.* 24. illa inſanabilia declarat: hujus generis, inquiens, eſt ruptura majoris venæ aut arteriæ circa abdita & interiora viſcera, cui manum admovere non licet. Huic calculum addit *Lanciſius l.* 1. *c.* 3. his verbis: invincibiles ac vere ſubitoque interimentes ſunt omnes morbi, qui ex inſigni aliquo intra præcordia, cerebrum vel abdomen ſanguifero vaſe ſponte aut violenter diſrupto originem habuerunt: & paulo poſt concludit,

dit, cauſas inſuperabiles repentinæ mortis intra vires naturæ vel artis eſſe omnes illos morbos, qui integrum ſanguinis defectum inducere, vel cerebri cum nervis, aut cordis & inſignium ſanguiferorum cum cerebro tollere valent. Cum quibus conſentit ſupra laudatus *Frid. Hoffmannus in Diſſ. de mort. ſubit. præcav.* §. 29. ſtatuens: ubi ſanguis extra vaſa, quæ mole ſua aperuit, delatus fuerit, nihil fere ſpei ſupereſſe, & mortem certiſſimam appropinquare. Recte ergo malum hoc noſtrum, uti cognitu difficile ſi non impoſſibile, ita incurabile pronunciatur, eo quod (*Alex. Knipſmacoppe* verba *l. c.* ſunt) nonniſi fatali ægrorum eventu ſpecimen ſui fere ſemper ſoleat præbere, & cum alias à nimia ſanguinis profuſione ſymptomata formidabilia, ſingultus, convulſio, delirium, juxta *Hippocratem S.* 5. *aph.* 3. & *S.* 7. *aph.* 9. quandoque proveniant, hi ægri ſanguinis motu è vena cava in cor repente intercepto, præcipiti virium lapſu & ſyncope lethali corripiuntur, cum cruore fluente vita recedit placideque exſpirant.

§. XXII.

Cum ex iis, quæ §. præc. allata ſunt, ſatis pateat, morbum noſtrum jam formatum, ſeu ut clarius loquar, ruptionem aut eroſionem jam factam omnia artis præſidia eludere, quivis vel nobis tacentibus facile intelligit, ſatius eſſe, illum futurum præoccupare, quam præſentem curare velle. Quæcunque ergo medendi methodus locum hic habet (quam nonniſi quoad ſumma capita tangemus, cum ad ſpecialiora deſcendere paginarum anguſtia non permittat, non tam curativa quam potius præſervativa ſit. Quæ ratio præſervationis à ſubito ejuſmodi interitu ſuaſore *Lanciſio l. c. l.* 1. *c.* 23. verſari videtur circa auxilia, quæ primo ſervare poſſunt firmum validumque fibroſum rete internorum viſcerum & vaſorum, unaque ſimul congruam fluxilitatem & craſin liquidis conciliare. Ad hoc obtinendum ſanguis in corpore abundans venæſectione repetita, aut alia evacuatione imminuatur, vel etiam motu non vehementi quidem, qui malum auget, ſed moderato, continuato tamen in ſerum reſolvatur; ejus acrimonia abſorbentibus aliiſque alcalinis obtundatur, ſpiſſus & grumoſus diluentibus, præprimis infuſo theiformi attenuetur, quo facto lenia tonica & roborantia in uſum vocentur. Convenientibus etiam remediis æquabilis illius motus vel conſervetur vel reſtituatur, & congeſtiones ſtagnationeſque, quantum poſſibile eſt, præcaveantur. Quæcunque ſanguinem craſſum & viſcidum reddere, illumque in motum concitare apta nata ſunt, ſedulo vitentur. Evacuationes antea conſuetæ ſed neglectæ repetantur, ſupreſſæ revocentur aut vicariæ ſubſtituantur. Alvus etiam aperta ſervetur. Cardo vero rei in hoc maxime vertitur, ut animi pathemata cane pejus & angue fugiantur, & inter illa potiſſimum ira, quæ præ aliis humores

 com-

commovet, tum & ut diæta exacta obſervetur in quantitate & qualitate aſſumtorum, corporique omne nutrimentum ſuperfluum ſubtrahatur, ne nimia ſanguinis copia generetur. Magni hic ſubſidii eſt cura ſic dicta inediæ *die hungercur*, quæ priſcis temporibus ſuos invenit laudatores, noſtra vero ætate in deſuetudinem abiit, cujus adhibendi modum vid. *Frid. Hoffmanni Diſſ. ſupr. cit. de mort. ſubit. præcav.* & iſtam, quam de *inedia magnorum morborum remedio* edidit Idem *Auctor Celeberrimus*. Verum hiſce legibus ſe adſtringere recuſant plerique illorum, qui iis quam maxime opus habent, & quia venter auribus caret, ſurdo fabula narratur, atque ejuſmodi homines Baccho litant gulæque indulgent, uſque dum morbo inde contracto, imo & morte quandoque ſubitanea intemperantiæ ſuæ pœnas luant.

FINIS.

SIMON.

LXVIII.

SIMON PAULI HILSCHER

ET AUCTORIS RESPOND.

CASIMIRI CHRISTOPH. SCHMIDEL

BARUTHENSIS

DISSERTATIO.

DE EXULCERATIONE PERICARDII ET CORDIS EXEMPLO ILLUSTRATA.

Jenæ Febr. 1742.

B. C. D.

OBSERVATIO.

ANno 1738. *theatro anatomico, tunc temporis ſub auſpiciis celeberrimi Caſſebohmii, præceptoris ac fautoris mei ad cineres colendi, perquam conſpicuo, cadaver pueri, tres annos nati, traditur, in quod ex ejuſdem conceſſione inquirere mihi licuit, quo facto ſequentia patuerunt. Corporis totus habitus macilentus & conſumtus de humoribus cacochymicis ſatis teſtabatur, & mihi in noſocomio de mortis genere quærenti innotuit, ægrum febre ardente extinctum eſſe. Reſectum abdomen nil præternaturale monſtrabat; aperto vero thorace, pericardii ſaccus inſolito tumidus & inflatus apparuit, ejuſque ſuperficiei uterque pulmonum lobus firmiter adhæſit: inciſo poſtmodum pericardio, aqua flaveſcens copioſa promanavit, reclinatis pericardii diſciſſi labiis, tota ejus ſuperficies interna cruſta quadam ex viridi flaveſcente, purulenta, & ſabuli quaſi granula æmulante, & parietibus ipſius ad culmi fere ſtraminei craſſitiem incumbente tecta erat. Non minus pericardii ſubſtantia in tantum erat incraſſata, ut corium mediocre æquaret. Cor ſimul una cum connexis vaſorum maximorum truncis eadem materia purulenta, dura & ſebacea obductum, flaccidum collapſumque apparebat, membrana propria, a pure eroſa & conſumta, prorſus deſtitutum; auriculæ ambæ reliquæ cordis ſubſtantiæ nimis arcte adnatæ, totaque inſuper harum burſularum cordiſque textura muſculoſa corrupta ac livida.*

§. I.

COrpus humanum conſtat ex duabus partibus, fluidis nempe & ſolidis. Boerh. inſtit. med. §. 39.

§. II.

Solidæ ſunt eæ corporis humani partes, in quibus fluida continentur. Idem. Ibid. §. 40.

§. III.

Sub fluidarum quidem partium nomine varia liquida diverſæ indolis veniunt, cum vero primarius tractationis hujus ſcopus in partem eam, quæ per venas & arterias circulatorio motu agitur, & ſpeciali maſſæ ſan-

guineæ nomine inſignitur, cadat, ſuperfluum floret, omnia fluidorum corporis noſtri genera ſpecialius determinare; ſufficiat itaque indigitare, quod maſſa ſanguinea ſit fluidum rubicundum, calidum, in peculiaribus vaſis contentum, quodque, ſimulac extra ſuos canales hæret, ſtatim in duas partes dirimitur, alteram rubicundum, concreſcentem, ſubſidentem, alteram vero pellucidam, fluidam, viſcidam, non coloratam, ſupernatantem; hæc proprie lympha vel ſerum, illa vero purpura audit, conf. celeb. Hamberg. phyſiolog. §. 1. ſeqq.

§. IV.

Cum igitur ex hiſce pateat, maſſam ſanguineam eſſe fluidum compoſitum, noſtrum erit, ejus partes conſtituentes paulo curatius conſiderare. Componitur autem ex variis particulis inter ſe diſcrepantibus, ſ. heterogeneis, id quod ex ſeparatione in duas diverſas partes §. 3. eluceſcit; ſpecialius vero ſub examen vocata, ex ſulphure, ſalibus tum acidis, tum alcalicis, terra & aqua, id quod per analyſin chymicam, a diverſis inſtitutam, jamdum evictum eſt. Ad majorem autem rei comprobationem liceat unum adducere, quod eſt experimentum Hombergii, cum ſanguine humano factum, & in *Memoires de l'Academie des Sciences.* Anni 1712. p. 9 18: orbi erudito communicatum; illud autem integrum inſerere, limites tractationis præſentis transſcenderet, acquieſcam itaque in proportione, quam celeberrimo Hambergero, præceptori ſumme venerando, in theſibus ſuis phyſiologicis ex eo elicere placuit: poſita nempe ſalis acidi quantitate = 1. erit quantitas ſalis alcalici = 11., terræ, = $22\frac{1}{2}$, ſulphuris = 25. l. 30. partium ſeroſarum circiter 1000. Hic quidem numerus haud ſemper conſtans erit, cum maſſa ſanguinea pro ratione individuorum, ætatum, ut & aſſumtorum in immenſum variet, generalis tamen proportio manebit.

§. V.

Experientia edocti ſcimus, ſanguinem ſub antliæ pneumaticæ campana conſtitutum, aere ambiente remoto, ebullire; ergo aërem ſanguini commixtum eſſe, nemo facile in dubium vocaturus eſt, qui ſcit, aërem eſſe cauſam expanſionis fluidorum in vacuo artificiali, conf. Hamberg. phyſic. §. 317. & §. 321. Viæ autem, per quas in ſanguinem tranſire valet, ex ſequentibus patebunt: cum enim non detur perfecte ſolidum. Id. ibid. §. 75. & aër omnibus corporibus ſolidis adhæreat, illiſque commixtus ſit, idem l. c. §. 370. ideo etiam in ciborum & potulentorum interſtitiis copioſe hærebit, quibus mediantibus in ventriculum transfertur; ibique per calorem naturalem expanſus, idem l. c. §. 401. pororum capacitatem, in quibus latitavit, ampliat, liquidoque

cibos

cibos reſolventi aditum præbet profundius penetrandi, & ingeſta intimius reſolvendi. Per hunc quidem ſtatum multæ ejus partes, ceu liberatæ, & per conſequens in priſtinam elaſticitatem reſtitutæ, corpora, quibus immixtæ erant, deſerere, & in ſpatium a cibis vacuum ſe colligere coguntur. Idem l. c. §. 400. Cum tamen in ventriculo & connexis non fiat ingeſtorum intima reſolutio, & plenaria partium diminutio, nullum dubium eſt, quin multæ aëris particulæ rarefactæ una cum chylo aliiſque liquidis a patulis in inteſtina venarum lactearum oſculis, vel ceu in interſtitiis adhuc contentæ, l. ceu ſpecifice leviores omnibus hiſce fluidis adhærentes, ut in antecedentibus evictum eſt, reſorbeantur, indeque in maſſam ſanguineam transferantur, & eandem reddant elaſticam. Quantitas vero difficulter determinari poterit.

§. VI.

Cum omnis actio habeat æqualem reactionem idem l. c. §. 33. ſequitur partes maſſæ ſanguineæ, de quibus §. 4. & 5. egimus, tam in ſe invicem, quam in ſolida corporis noſtri §. 2. agere pro ratione, qua ipſis reſiſtitur; & cum fluidum in cylindro contentum agat verſus parietes ejus, & ſi premitur, reagat quaquaverſum æqualiter idem l. c. §. 119. non poteſt non, quin fluida machinæ noſtræ animalis operentur pro diverſitate indolis ſuæ in canales, per quos coërcentur, & vi cordis & arteriarum premuntur.

§. VII.

Corpus quodcunque in motum conſtitutum, ſi in aliud quieſcens impingit, tantum de velocitate ſua amittit, quantum ei ab hoc pro ratione maſſæ reſiſtitur, tantumque de ſua potentia retinet, quantum vis major eſt maſſa reſiſtente. (per princip. phyſic.) Cum itaque ignis proprium ſit, celerrime moveri, & rapidiſſime in corpora occurrentia penetrare. Sellii princip. philoſ. nat. §. 663. idem in motu conſtitutus, corpus, in quod propter ſubtilitatem partium penetravit, movebit tantum, quantum ei reſiſtitur, & quo vis ejus major eſt pondere ſuperando; cumque igneæ partes ſub ſulphuris forma lateant, & in maſſa ſanguinea adſint §. 4. earum actio in humoribus erit ut actio ignis; ſulphureæ partes igitur erunt cauſa motus intrinſeci totius maſſæ humorum inter ſe. Porro cum ignis ſit fluidum leviſſimum. Hamberg. l. c. §. 267. & 268. & fluidum ſpecifice levius adhæreat corporibus gravioribus. Idem ibid. §. 157. partes ſulphureæ cohærebunt cum omnibus reliquis gravioribus, in maſſa ſanguinea contentis, ergo etiam cum ſalinis, terreſtribus & aqueis, hincque volumen earum augebunt, & per conſequens actiones illarum a ſubtilitate pendentes imminuent; ex

partium ſubtilitate agent, ſi in quiete exiſtunt, cohæſionem prædictarum partium inter ſe ut & contactum promovendo; in motum vero ex quacunque cauſa actæ, ob vim penetrandi in interſtitia ſeparabunt eaſdem, aerem §. 5. expandendo, ſanguinem reddent magis elaſticum, cui vaſa extendenti reſiſtunt ſolida §. 6. ergo etiam eorum actio creſcet, & per conſequens fluxilius ex maſſa humorum expelletur; ex quibus deinde ſequetur; per ſulphureas ſanguinis partes ſecretiones omnis generis promoveri.

§. VIII.

A poſteriori cognoſcimus, terram in ſe ſpectatam eſſe corpus ſolidum, ſiccum, nec in aqua ſolubile, nec in igne fuſibile; neceſſe eſt itaque, ut propter ſoliditatem etiam inter reliqua emineat gravitate ſpecifica, & ut apta ſit, quo omnia cum illa facile cohæreant, hinc etiam partes igneæ §. 7. & ſalinæ §. 11. de quibus inſuper chymia nos edocet, nullum ſal ſine terra quadam in ſubſtantia monſtrari poſſe: terreſtres itaque maſſæ ſanguineæ partes §. 4. ob maſſæ denſitatem, non ſolum motui, a minori vi impreſſo, magis quam reliquæ reſiſtent, ſed etiam eodem ceſſante prius ad quietem tendent, ob majorem æque molem interſtitia & cava oſcula minora haud adibunt, e contrario, ſi quacunque vi extrinſeca in illa adactæ ſunt, ceu difficulter reſolubiles in iis ſubſiſtent, ac aperturam occludent. Ex quibus concludimus, earum actiones eſſe motum retardare, ſerum abſorbere, ſulphur & ſal in ſanguine retinere, conſequenter maſſam humorum reddere ſpiſſam, ſiccam, calidam & corroſivam.

§. IX.

Cum aqua propter gravitatem ſpecificam minorem gravioribus adhæreat, ſolidis corporis noſtri adhærebit, hincque interponendo ſe inter puncta, quibus fibræ corporis noſtri ſolidæ ſe contingunt, contactum earum immediatum impediet, hinc cohæſionem earum imminuet, idem ibid. §. 238. & actiones illarum a rigiditate pendentes removebit, inde ipſas emolliet & flexiles reddet. Porro cum tanta copia in maſſa ſanguinea adſit §. 4. reliquas particulas ſanguinem conſtituentes diluet, hincque actiones a concentratione earum pendentes tollet; cum vero rurſus copioſe per vaſa excretoria ex corpore eliminetur, particulas igneas §. 7. quæ ceu leviores cum ea copioſe cohærent, una educet, hocque pacto calorem maſſæ ſanguineæ infringet. Serum quidem, quo maſſa humorum noſtra gaudet, non ſimplex & pura dici meretur aqua, diluendis enim & per conſequens ſolvendis reliquis particulis ſanguineis cum dicatum ſit, ut ex antecedentibus patet, ſemper aliquid de ſoluto in interſtitiis

ma-

manebit, hinc viſciditas aliqualis ſeroſarum oritur partium, prout in §. 3. dictum eſt; maxima tamen earum pars conſtituitur a particulis aqueis; hinc actio earum tamdiu cum jam dictis erit congrua, quamdiu aqueæ in ſero prædominium retinebunt.

§. X.

Cum ſal ſit corpus ſenſibile, quod ſolutum aliam perceptionem quam ponderis dat. Idem l. c. §. 374. ſequitur, aliam inſuper adeſſe proprietatem qua ſalia ſoluta agere valent. Hanc plures recentiorum, e. g. Boerhaavius de viribus medicament. Cap. 5. in figura eorum acuta quæſivere, cum vero nondum extra omne dubium poſitum ſit, non abs re erit, quædam hic in contrarium proferre. In primis autem experientia chymica monſtrat, ſalia eſſe fluida coagulata, ea enim igni fuſorio impoſita, fluunt more omnium fluidorum, quæ aut expulſione fluidi in poris contenti, aut ex alia cauſa, ſolida evaſerunt; ipſa autem eorum ſpecifica gravitas non tanta eſt, ut tantam ignis copiam aſſumere & retinere valeant, quanta ad cohæſionem eo gradu removendam requiritur, quo in igne ſolum natent, ſed ignis potius poſt eorum incandeſcentiam in aërem vi naturæ ſuæ tranſibit. Hamberg. l. c. §. 252. Videmus enim omnia reliqua ſolida, quæ ſua natura haud inter fluida numeranda ſunt, e. g. terram, igni impoſita, haudquaquam fluere: porro cum ignis ſalia reddat volatilia, & hoc phænomenon in primis cadat in fluida, quæ fere ſola in aëre poſſunt hærere & diu permanere; ignis itaque in ſalium fuſione & diviſione in partes minores nil aliud efficiet, quam cohæſionem & contactum arctiorem tollendo, partes priſtino ſtatui libero reſtituere, hinc ipſis eandem recuperabunt figuram, quam ante contactum arctiorem habuerunt, & quæ ex hac cauſa mutata fuit. Pone enim corpus A, cujus parietes flexiles ſunt, in cujus contactu veniunt duo corpora B & C, in punctis e & f puncta dicta arte ſe contingent, & reliquæ partes corporis A, jam nunc extra contactum locata, vi principiorum tendent cohærere cum reliquis punctis corporum B & C. Ergo pars particularum vicina puncto (e) & partes puncto vicinæ verſus (f) ergo plana fiet pars corporis A a (G) ad (e) & a (G) ad (f): partes vero in puncto (G) tam quia longiſſime a puncto activo diſtant, tam quia vires ab (e) ad (G) & ab (f) ad (G) æquiponderant, locum ſuum retinebunt hinc orietur figura acuta, ex qua denique ſub diverſo ſitu multiplicata cryſtallus, qualis in ſalibus & ab his productis conſpicitur. Si igitur per quamcunque vim, e. g. per aliud corpus, mole minus, & vi hujus in interſtitia penetrans, contactus corporum A B & C tollitur, tum vis, quæ hactenus corpora hæc in figura acuta retinuit, quæ fuit contactus mutuus, removetur, partes, corpora A B & C conſtituentes, magis in ſe agent vi cohæſionis inter ſe, hocque figura ro-

tunda reſtituetur, ceſſante enim cauſa ceſſat effectus. Tandem ſi attendimus ad mutationem, quam fluida coagulanda ſubeunt, inveniemus, eam fieri per expulſionem fluidi in poris contenti, idem l. c. §. 477 n. 1. Cum itaque ignis etiam ſit fluidum, (Per princip. phyſic) coagulatio etiam hujus expulſione fieri poteſt, exemplo ſint metalla ut & ſalia omnia in igne fuſa, & rurſus ſolideſcentia, & in primis aqua, cui nemo facile partes negabit ſphæricas, quæ tamen in conglaciatione, ubi fit expulſio ignis, priſmatica apparet: cur vero in fuſione ſalium & metallorum non proveniant cryſtalli, in cauſa ſunt primo quantitas maſſæ & nimia contiguitas partium, quæ per ignem non in tantum removentur ſpatium, quin ante ſolideſcentiam non ex cohæſione rurſus agant, ut & nimis velox motus & tranſitus ignis in aerem ambientem, unde partes ſupremæ nimis celeriter in contactum rurſus abeunt, cum tamen ad cryſtalliſationem modicus calor & lenta expulſio fluidi requiratur. Aqua igitur aptior erit ad cryſtallos producendas. Cum autem metalla non poſſint ſolvi per eam, per menſtruum aqueum conſequenter haud obtinebimus cryſtallos ex metallis; cum vero omne ſal in cryſtallis ortum ſit ex ſolutione in aqua & ejuſdem expulſione reciproca, ab ineptitudine metallorum ad cryſtalliſationem per aquam non valet conſequentia ad peculiarem partium ſalinarum figuram acutam. Non repugnant leges evaporationis, ſecundum quas nullum ſal ſolutum poteſt reduci in priſtinam ſoliditatem, niſi prius ſolutione ad cuticulam evaporata, qua ratione impetratur, ut ſoluti partes, quæ antea ſatis ab invicem diſtabant, jam ad anguſtius cogantur ſpatium, conſequenter ceu jam in contactu locatæ ſe jungant ſecundum ſupra dicta, & figura angularis variabit tunc pro diverſitate corporum, quibus ſalia in cryſtalliſatione adhærent, ut & pro viſciditate, homogeneitate & denſitate, qua per conſequens ſolutio pollet. Non obſtant obſervationes, ope microſcopiorum inſtitutæ tum a Leuwenhœckio tum aliis, ſiquidem, ni memoria me fallat, cum ſolutionibus ſalium admodum ſaturatis inſtitutæ, hinc magis pro confirmanda quam revellenda noſtra ſententia erunt, conſentire etiam videtur celeberrimus Hambergerus in patholog. §. 138. n. 2. Ex hiſce itaque abunde eluceſcit, a figura priſmatica majorum cryſtallorum non concludi poſſe ad partes conſtituentes.

§. XI.

Quia igitur abundantes partes fluidæ in maſſa ſanguinea adſunt, per quas ſalia in ſtatu ſano a contactu arctiori detineri queunt §. 4. Ex præſuppoſitis in paragrapho præcedente concludimus; primo ſalia humorum noſtrorum non agere ex figura acuta, niſi ſint concentrata, id quod inferius latius patebit. Secundo cauſam primariam activitatis eorum eſſe gravitatem ſpecificam majorem, rigiditatem & ſubtilitatem.

Cum

Cum enim aqua ſint ſpecifice graviora, a qua in maſſa ſanguinea ſoluta tenentur, ſolutum enim gravius ſit ſolvente id. l. c. §. 232. magis agent in partes, quas contingunt, vel quibus adhæſere, quam aqueæ, & cum duo corpora gravitate ſpecifica diverſa, & eadem vi impellente mota, reſiſtant, motum retineant, eundem propagent, communicent cum reliquis, quæ contingunt; & inde pendentes actiones exerceant pro ratione maſſæ, in nulla enim particula ſpecifice leviori poteſt eſſe vis major quam in graviori. Idem §. 232. n. 2. ſequitur, ſalia, ceu ſpecifice graviora, ſ. quod idem, maſſa prævalentia, motum ſemel acceptum longius retinere & propagare poſſe, atque per conſequens magis reſiſtere, vel quod idem eſt, agere poſſe, quam reliquas partes maſſæ humorum leviores. Promovebunt inde motum intrinſecum maſſæ ſanguineæ una cum ſulphureis §. 7. quas inſuper ceu ſpecifice leviores, & per conſequens facile adhærentes ſibi, retinent, ne cum aqueis, quibus cohæſere §. 9. per vaſa excretoria eliminentur. Subtiles admodum eſſe ſalium partes teſtatur eorum ſolutio per aquam, quam mole haudquaquam augent, eas ergo interſtitia fluidi ſolventis intraſſe neceſſe eſt, per conſequens ejuſdem fluidi particulis erunt minores, & adibunt cavitates, quas penetrare huic ex vitio magnitudinis partium conſtituentium prohibitum eſt. Porro, in quo minores partes corpus quoddam dividitur, eo major earum copia in uno puncto in contactum venire poteſt, inde ſequitur eas in illud agere vi in tantum aucta, in quantum ſuperficies multiplicatæ ſunt, & quo plures particulæ activæ immediate contingere poſſunt, idem l. c. §. 234. & 235. Cum itaque ſalia ope ſolutionis per aqueas maſſæ ſanguineæ in multas particulas minores diviſa ſint, ſequitur, vim, quam poſſident, in tantum augeri, in quantum numerus punctorum contactus ex augmento ſuperficierum multiplicatus eſt.

§. XII.

Cum duæ potiſſimum ſalium ſpecies in humorum noſtrorum maſſa occurrant §. 4. actio earum quoque pro diverſitate indolis ſuæ diſcrepabit. Speciatim itaque ſalia alcalica §. 4. pro natura ſua agent in partes humorum igneas §. 7. & quidem, prout experientia confirmat, in minori quantitate vel præſentia, vel tantum agentia, eas retinendo in maſſa ſanguinea; conſequenter calorem augebunt, in majori vero quantitate ſanguini mixta, hincque magis concentrata & acria facta, igneas quæ ſolum ſub forma ſulphurearum in humoribus adſunt §. 7. & Boerh. prax. p. 2. cap. de inflammatione, ſolvent. Cum terreis ſanguinis partibus §. 8. cohærendo, majorem acquirent fixitatem. Cum ſalibus vero acidis juncta conſtituent ſal medium, quem in finem tanta copia in maſſa ſanguinea adſunt §. 4. id quod poſtea, ſi in ſero ſolvitur, in illud aget, fluxile reddendo iſtud, & per conſequens ad ſecretionem aptum,

pro-

producetque effectus, pro ratione qua in majori vel minori quantitate adeſt, qui generaliter de ſalibus §. 11. recenſiti ſunt.

§. XIII.

Salia acida §. 4. vero, cum vi experientiæ reſolvant terram, eandemin corpore noſtro exſerent actionem; partes nempe maſſæ ſanguineæ terreſtres, ut & ſolidas corporis, in quibus utique terreſtre principium eminet, aggredientur, hac tamen cum limitatione, ſi minori gradu agunt, fibras, in quas impetus eorum ſeſe exſerit, tantum irritando, ita ut ad majorem concitentur conſtrictionem, in majori autem gradu, tum ob vim reſiſtentem, tum quia ſemel in interſtitia fibrarum recepta altius altiuſque penetrare conantur, irritationem ad tantum perducent gradum, ut, quia vehementem conſtrictionem ſequitur valida extenſio per dicta in §. 6. illæ ad rupturam uſque extendantur, vel quod idem eſt deſtruantur. Porro cum vi antecedentium agant in terram, & ſulphureæ partes, ceu ſpecifice leviores, ſalibus acidis adhæreant §. 7. & 8. ſequitur, ut etiam in illas vires ſuas exſerant. Ex §. 12 autem innoteſcit, quod ſulphureæ partes a ſalibus alcalicis ſolutæ, indeque ceu liberæ in majori actione conſtitutæ, hinc ſalia acida cum alcalicis ſe combinando §. 12. præcipitabunt primo ſulphureas, inter quas alcalicæ hæſerunt, & per conſequens illas ad actiones ſubeundas inertes reddent, quo facto viſcidæ evadunt; ſalium vero alcalicorum, cum quibus cohærent & ſal medium conſtituunt §. 12, actiones in ſulphureas ex hac cauſa debilitabunt; ergo non ſolum calorem & motum humorum noſtrorum imminuent, ſed & maſſam ſanguineam reddent viſcidam, ſpiſſam & aptam ad morbos producendos, qui ex harum actionum imminutione ortum ducunt.

§. XIV.

Si ex duobus corporibus, in æquilibrio conſtitutis, unius vel reſiſtentia imminuitur, vel alterius potentia augetur, motus ſequetur pro directione fortioris, Hamberg. l. c. §. 25. Simulac itaque unius ſpeciei particularum, maſſam ſanguineam conſtituentium, vis vel augetur vel imminuitur, mutatio in humoribus erit pro indole & directione partium ad prædominium evectarum. Ponamus itaque, particulas ſulphureas ex quacunque cauſa a cohæſione ſua cum reliquis liberari, vel in motum agi, mutatio ſanguinis erit pro ratione, qua ſulphureæ in eum agere ſolent, ut ex §. 7. videre licet: ſuperficies igitur partium per eas diviſarum, conſequenter ad minus volumen redactarum, multiplicabuntur, hinc etiam vires earum augebuntur, per affrictum enim partium inter ſe plures pluresque partes ſulphureæ liberantur; expandetur itaque tota maſſa ſanguinea, majus ergo occupabit ſpatium, quam ante ſtatum

tum diviſionis in minores particulas: cum autem fluida noſtri corporis per vaſa coërceantur, ſequitur ut effectus expanſionis in eadem cadat; vaſa autem hæc, ceu elaſtica, vi auctæ expanſorum humorum cedent, conſequenter extendentur, diameter itaque cavitatis eorum augebitur in tantum, uſque reſiſtentia cum vi expandente æquilibret. Diametro itaque grandiore facta, particulis, quibus antea ob magnitudinem via erat præcluſa, aditus patebit ulterius penetrandi; cum porro pars rubicunda ſanguinis ceu gravior, §. 3. conſequenter etiam mole partium eminens, in ſtatu naturali vaſa minimæ capacitatis, in quibus tantum pars levior ſ. ſerum continetur §. eod. haud adeat, ſequitur, ut purpuræ tunc liceat penetrare in vaſa minora, ſi vel ejus partes ad tantam parvitatem redigantur, ut diametro vaſculorum minores fiant, vel diameter minorum canalium in tantum augeatur, ut etiam integræ intromitti poſſint. Si itaque adeſt expanſio humorum & inde pendens vaſorum dilatatio, pars rubicunda in ea vaſa tranſibit, ubi antea non fuit, & calor major erit maſſæ ſanguineæ in vaſis minimis, quam in majoribus.

§. XV.

Si porro ex quacunque alia cauſa, e. g. tono partium ſolidarum imminuto, vel influxu liquidi nervei aut penitus intercepto, aut ad aliquod ſolum tempus imminuto vel retardato, extenſionem vaſorum ſubſequens contractio, conſequenter reactio ceſſet, fluidum in illis contentum, tum ob cauſas §. 14. allatas, tum ob cordis & arteriarum majorum continuum impulſum, aget ſecundum leges hydroſtaticas, vi quarum fluidum preſſum tendit in eum locum, ubi minima eſt reſiſtentia, hæc vero ut ex §. præcedente patet, impar nunc eſt impulſui fluidorum, viribus creſcentium, intrabit itaque tanta quantitas fluidi in vaſcula, quantam ad ſummum uſque extenſionis gradum capere poſſunt.

XVI.

Cum denique vaſa noſtri corporis arterioſa, quo longius pergunt, eo anguſtiori gaudeant diametro, partes majores, in maſſa ſanguinea hærentes, per aperturam vaſis, in quod adactæ ſunt §. 14. tranſire haud valent. Poſito ergo, maſſam ſanguineam eſſe cacochymicam, ſ. multis ſulphureis, heterogeneis ſpiſſis ut & ſalinis particulis refertam, ſalinarum, quæ vi ſuæ naturæ & gravitatis ſpecificæ minoris cum terreſtribus fere ſemper junctæ ſunt, volumen tantum erit, ut per vaſa minora quæ intrarunt, tranſire non poſſint, ergo in parietibus ſubſiſtent, & vi legum cohæſionis, ubi fluidum ſpecifice levius ſolido graviori adhæret, Hamberg. l. c. §. 157. illis ſimulac infigentur. Ex §. 11. & 13. vero patet primam ſalium actionem eſſe irritationem, ſtimulabunt itaque

 fibram

fibram, cum qua in contactum pervenere. Cum autem extra dubium verſetur, fibram, vi vitali præditam, & ſtimulatam ſe contrahere & moveri, major igitur in illam erit affluxus liquidi nervei, & per conſequens major ejus puncti actio; contrahetur igitur pars ea vaſis, quæ per fluidum intropulſum nondum ad tantum extenſa fuit gradum, ut contrahi amplius nequeat; cum dein actio particulæ ſalinæ non ceſſet, ſtimulus tamdiu augebitur, uſque dum plenaria fiat contractio, & per conſequens occluſio diametri vaſis antea aperti, id quod dicitur obſtructio, quæ quidem pluribus adhuc modis evenire poteſt, e. g. contorſione, ſ. flexione ad angulum, l. compreſſione vaſis, de quibus videatur Boerhaavius in prax. med. cap. de obſtructione. Quas tamen, cum noſtro ſcopo non inſerviant, lubentes prætermiſimus.

§. XVII.

Si igitur via ad tranſeundum fluido penitus præcluſa eſt, & parietes vaſis ob vim ſuperatam contrahere ſe non amplius poſſunt, actio omnis in fluidum ab hac parte ceſſabit, & cum motus fluidorum progreſſivus in noſtro corpore fere unice pendeat a reciproca contractione vaſorum, motus fluidi, in vaſe præcluſo contenti, etiam ceſſabit. Id quod nomine ſtaſeos venit.

§. XVIII.

Ceſſante itaque motu fluidorum progreſſivo, ceſſabit ſtatus eorum per illum productus, qui eſt partium liquida conſtituentium intima commixtio. Fluida itaque tunc agent pro ratione cohæſionum diverſarum & gravitatum ſpecificarum diſcrepantium tum in ſe invicem tum in parietes vaſorum, per quæ coercentur.

§. XIX.

Sulphureæ nempe partes §. 7. in copia hic præſentes, & magis in contactum locatæ inter ſe invicem cohærebunt, ſicque magis concentrantur, quo fit ut actio earum creſcat, augebunt ergo calorem, qui jamdum in minoribus vaſis major eſt præ majoribus §. 14. etiam in his locis. Seroſæ partes ob connexas partes heterogeneas ſolutas §. 9. nunc vero extra motum conſtitutas & ſubſidentes, viſcidæ evadent, hinc obſtructio augebitur. Salia in genere cum adhæreant terreis., ſolidas noſtri corporis partes aggredientur §. 13. vique ſubtilitatis ſuæ §. 11. in interſtitia fibrarum penetrando, & pro rigiditate & gravitate ſpecifica eo altius adeundo, irritabunt fibras, quo facto in parte vaſis obſtructi libera major erit contractio, & inde pendens major affluxus tum liquidi

quidi nervei tum reliquorum fluidorum; maſſam ſanguineam conſtituentium, §. 15. unde rubor & tumeſcentia partis affectæ ortum ducet. Hic tamen notandum venit, negari non poſſe, quod ſalia, nunc extra motum progreſſivum conſtituta, conſequenter ſibi relicta, ceu ſibi ſimilia tendant ad arctiorem contactum, proinde concentrentur, & ex figura acuta pro ratione, in §. 10. propoſita, agere poſſint, quo facto fibras lædent, & per conſequens nervos his implantatos, efficient hinc perceptionem illam, quæ dolor nuncupatur. Cum autem nullum vas amplum ob partium maſſam ſanguineam conſtituentium parvitatem relativam obſtrui poſſit, ſequitur omnia hæc fieri in vaſis ultimis vel ſanguinem vehentibus, vel ſecernentibus §. 14. & quidem non in venis ſed in arteriolis, quæ ex latiori in anguſtiorem pergunt diametrum, ſimul ac vero in venas mutantur, ex anguſtiori in ampliorem tranſeunt capacitatem. Boerhaave prax. med. p. 2. cap. de inflammat. §. 371. Ergo hæc phænomena evenient in membranis vaſculoſis; & morbus ille, ubi eſt impotentia conſervandi mitiorem caloris gradum in quadam parte, & quæ inde ſequuntur, colorem, ſenſum & magnitudinem naturalem, dicitur inflammatio, cujus ſigna erunt calor, rubor, tumor & dolor.

§. XX.

Si ex duobus corporibus inter ſe æquale pondus habentibus unius reſiſtentia imminuta eſt, alterius actio continuabit tam diu uſque dum æquali vi reſiſtatur, nec ceſſabit, priuſquam alterius reſiſtentia reſidua in totum ſuperetur, ſive plane, liceat ita dicere annihiletur. Cum itaque vis partium ſolidarum hic imminuta ſit §. 15. ſeqq. & partium fluidarum ſibi relictarum potentia e contrario aucta §. 19. continuabit actio fluidarum in tantum, uſque denuo a ſolidis reſiſtatur, id quod tamen, ſemel ſuperata ſolidarum vi, ſine adveniente potentia ab extra fieri nequit, protrahetur itaque uſque ad plenariam ſolidorum deſtructionem. Sulphureæ itaque partes motum intrinſecum fluidi ſtagnantis §. 17. augendo, partes reliquas liberabunt, ut deinde tam in ſe, quam in parietes ſolidorum majori vi agere valeant; ſalia deinde acida, cum ſolvant particulas terreſtres §. 13. cohæſionem fibrarum, parietes vaſis obſtructi conſtituentium, tollent, ita ut liquidum in ejus cavo contentum elabatur in ſpatia, determinata capacitate haud circumſcripta, quo pacto ſtaſis augetur, conſequenter novus ſemper fomes corruptioni liquidorum per ſtaſin ſuppeditur, id quod dicitur extravaſatio & eroſio. Salia vero alcalica itidem concentrata & acria hinc facta cum agant in partes ſulphureas §. 12. eaſdem ſolvendo & præcipitando, liquoribus poſthac hiſce extravaſatis conciliabunt colorem in viridem vergentem; ſiquidem ex chymicis notum ſit, ſalia alcalica acria reddita, & principio cuidam ſulphureo juncta viridem ut plurimum exhibere colorem:

exemplo ſint ipſa cadavera humana putredinem ſubeuntia & ex animatis erucæ, cantharides, &c. Et color hic eo intenſior erit, quo major ſalium horum copia adeſt, ex quo denique putredo abſolvetur. Aer in ſanguine præſens §. 5. & in partium interſtitiis huc uſque hærens, per talem autem earum ſeparationem liberatus, tranſibit in aerem ambientem, & ſubtiliſſimas illarum partium per recenſitas actiones corruptarum, ſecum vehendo, fœtorem excitabit. Hæc vero veritati eſſe conſentanea probat experientia, qua evincitur, ex omni putrefactione ſpiritum urinoſum volatilem produci; cur vero non fermentatio ſed putrefactio ex hiſce recenſitis phænomenis prodeat, cauſa eſt minor quantitas ſalium acidorum in maſſa ſanguinis præſentium. §. 4. prolixius de hac re agit illuſtr. Frid. Hoffmannus in diſſert. de putredinis doctrina magni in medicina uſus §. 4. ſeqq., In omni itaque eroſione & putrefactione erit materia decolor & fœtida. Atque diſpoſitio ea partium corporis, qua fluida non coercentur, & illa, quæ prodeunt ex motu inteſtino depravato, ſive quod idem eſt, putredine corrumpuntur, erit exulceratio putredinoſa.

§. XXI.

Secundum hæc generaliter & breviter præſuppoſita caſum noſtrum ſpecialem de exulceratione cordis & pericardii examinabimus. Primo itaque extra omne dubium poſitum eſſe opinor, partes corporis noſtri fere omnes, oculis nudis etiam exſangues putatas, copioſis arteriis inſtructas atque ditatas eſſe, hinc ſupervacaneum erit, plura in rei probationem proferre, quæ jamdum tam ex injectionibus tum Ruyſchianis tum aliorum recentiorum luce clarius expoſita eſt. Omnis ergo pars corporis noſtri arteriis prædita, ergo etiam cor & connexa phænomenis ſupra §. 14. ſeqq. recenſitis erunt obnoxia.

§. XXII.

Facies itaque totius corporis macilenta humores cacochymicos ſalinos & ſulphureos copioſos §. 16. abunde monſtrat; febris ardens de partibus itidem ſulphureis nimis magna copia præſentibus ac in motum celerrimum actis ſatis teſtatur, ſolidarum vero partium tonum ſive vim naturalem debilitatam fuiſſe, ex morbi natura facile colligitur; mortem autem ſubſecutam eſſe, nemini alienum videbitur qui ſcit, quam neceſſaria ad vitam ſit partium circa cor ſitarum, ut & ipſius cordis ſanitas & integritas. Aqua extravaſata, aperto pericardio copioſe ſe monſtrans, oriunda erit tam ex tono naturali privatis, indeque dilatatis §. 15. quam eroſis §. 20. vaſis, liquido pericardii & cordis ſuperficiei lu-

lubricandæ in ſtatu naturali ſecernendo dicatis; viſciditas ejuſdem erit a cauſis §. 17. & 19. recenſitis; pulmones ſuperficiei externæ pericardii ex iiſdem cauſis connati erant, cum inſuper ex phyſicis pateat, contactum mirum in modum augeri, ſi duobus corporibus ſe antea laxe contingentibus aliud corpus fluidum l. ſpecifice levius l. ſaltem gravitate æquale interponatur, quod puncta contactus auget, Hamberg. phyſ. §. 163. Superficies interna pericardii, obducta pure & materia quaſi ſabuloſa viridiuſcula, pro cauſa agnoſcet humores in genere corruptos & ad deſtructionem reſolutos, in primis vero ſalia alcalia tam ob copiam, qua ſulphur præcipitant, quam ob depravationem peccantia §. 20. Cum autem totum malum in pericardio in primis hæſiſſe mihi videatur, non abs re erit, quædam de ejus ſtructura ſubnectere. Illuſtr. Heiſterus quidem in compend. Anat. §. 260. edit. 1732. duplicem illi laminam tribuit, ex celeberrimi vero Caſſebohmii inſtitutis alia edoctus, rem ſequentibus proponam: ſubſtantia itaque pericardii ex tribus conflata eſt membranarum ſtratis, quarum prima tenuis externam ejus conſtituit ſuperficiem, atque venæ cavæ & ramis aortæ aſcendentibus uſque ad horum egreſſum ex thorace involucrum largitur, & a pleuræ lamina interna, totam thoracis cavitatem inveſtiente, ortum ducit; ſecunda craſſior paulo, & fibris quaſi muſcularibus conſtans, vid. Lanciſ. de corde p. 25. & ubi diaphragma attingit, cum ejus ala anteriori concreſcens, venæ cavæ itidem arcte nectitur, vaſis cordis magnis ut & bronchiis, uſque in ſubſtantiam pulmonum, more capſulæ Gliſſonii in hepatis parenchymate, jungitur; tertia denique, internam ſuperficiem reſpiciens, ſubtilis eſt & tendinea, a pericardio ſecedens cordis & annexarum auricularum membranam propriam format; in hac tertia lamina conſpectui ſe dant plurima foraminula, quæ ſunt oſcula ductuum, liquorem pericardii ſecernentium, deterſa enim illa, & compreſſis glandulis bronchialibus, in bifurcatione aſperæ arteriæ ſitis, guttulæ prorumpent, in evidentiſſimum indicium, haſce glandulas ſecretioni liquoris pericardii deſtinatas eſſe; vid. Lanciſ. l. c. t. 3. fig. 1. Ductus quidem hi tam ſubtiles exiſtunt, ut ſetam haud admittant; veritati tamen rei non oppugnat, cum adhuc alia in corpore humano adſint loca e. g. glandula innominata ſ. lacrymalis, oculi, thyroidea, cartilaginibus laryngis accumbens, in quibus ob ductuum ſubtilitatem cavitas haud in oculos incurrit. Non obſtat, quæ Ruyſchius profert, adverſar. dec. 1. p. 13. liquorem hunc ſecerni a vaſis ſ. arteriolis per pericardii membranas ſerpentibus, ſiquidem hæ non ſecretioni ſed nutritioni potius membranarum dicatæ ſint. Nil contradicunt etiam, quæ Heiſterus §. 260. adducit de ejus origine, ex nihiloſecius valde abditis viis derivata. Ad caſus vero ulteriorem expoſitionem ut perveniam, ex §. 9. patet, quod ſerum poris partium ſe inſinuet, hic vero cum ob eroſionem vaſorum §. 20. intra lamellas extravaſatum ſit, has; alias contiguas, e

contactu quodammodo removebit, indeque craſſitiem earum augebit: pericardium itaque ex hac cauſa incraſſatum apparuit, & cum ex dictis de hoc ſacculo eluceat, cordis membranas cum illius laminis cohærere, ſequitur cordis membranam propriam ob arctiorem nexum & contiguitatem iiſdem malis ſuccubuiſſe, quibus reliquæ partes dictæ affectæ fuerunt, defecit itaque eadem, quia a materia purulenta vicina eroſa fuit. Subſtantia vero cordis flaccida evaſit ob corruptum & extravaſatum ſuccum nutritium, lividuſque ejuſdem color ſulphuris a ſalibus deſtructionem pro cauſa agnoſcit §. 20.

§. XXIII.

Subnectamus neceſſe eſt, quædam loca auctorum qui obſervationes rariores nobis exhibuerunt. Cum autem temporis anguſtia non permiſerit, plures indagare, & caſus ſimiles paulo rarius occurrant, adducemus tantum hiſtorias, quas commemorant Fantonus & Bonetus. Ille quidem obſervationum anatomicarum libro, edit. Venet. 1713. obſervatione 4. p. 12. de liquore pericardii purulento & cordis ſuperficie alterata ex febre peripneumonica, obſ. 16. p. 44. de pure in pericardio & corde exterius corrupto ex febre acuta. Obſ. 31. p. 87. de abſceſſu in pericardio cum ſero purulento in cavitate ejus & corde alterato ex febre ardente, obſ. 33. p. 95. de pure copioſo in pericardio & cordis ſubſtantia jam putreſcente ex vulnere earum partium; hic vero in Sepulchreto lib 2. ſect. 10. obſ. 1. 2. 8. 10. 12. 18. Hæc ſunt, L. B. quæ de hoc caſu in medium proferre animus fuit, interim vale & ſave. Ut autem Deus cœptis noſtris clementiſſime annuere velit, ipſum devotiſſimis ſollicitamus precibus.

FINIS.

CAROLI

L X I X.

CAROLI FRIDER. KALTSCHMIED

PROGRAMMA.

DE

VARIIS PRÆTERNATURALIBUS

IN

SECTIONE CADAVERIS INVENTIS.

Jenæ 8 Auguſti 1751.

CUm anno 1734. civis quidam hernia incarcerata laboraret, ac dyſuria accedente, tandem ulcere rupto in perinæo cum ſanitate in gratiam rediret, varia autem alia præternaturalia in eo me allicerent, ut pacto inito corpus poſt mortem reciperem, qua ante aliquot menſes ſecuta egregie theatrum noſtrum anatomicum ornavit, ac anatomiæ fautoribus placuit. Operæ hinc pretium eſſe duco, ſi curioſa, quæ in ipſo præternaturaliter occurrebant, recenſuero:

(1) In arteriæ ſubclaviæ dextræ parte axillæ proxima aneuriſma verum nuce juglande duplo majus conſpicuum.

(2) In eadem arteriæ ſubclaviæ ſiniſtræ parte etiam aneuriſma verum apparebat, quod tamen magnitudine uni nuci juglandi æquabat, quæ duo aneuriſmata per complures annos auditoribus meis oſtendere ſolitus ſum, priori ſupra claviculam elevato, poſteriori infra claviculam prominente.

(3) In arteriæ cubitææ dextræ fere medio aneuriſma verum avellanæ majoris magnitudinem habens.

(4) Arteria magna, ubi ex ventriculo cordis ſiniſtro prodiens arcum format, duplo majori gaudebat amplitudine, quam in ſtatu naturali eſſe poterat &

(5) Quod & aliis ſenibus ſolenne ſæpe eſt, magnam partem cartilaginea.

(6) Renum uterque pelvim, quaſi parvam veſicam extra ſubſtantiam, emittebat, capacitatis duarum unciarum, cordis fere figuram repræſentantem ex quo ureter deſcendebat.

(7) Scrotum capitis humani magnitudinem fere ſuperabat inteſtinis repletum, ubi

(8) In

(8) In dextro latere hernia completa &

(9) In ſiniſtro latere hernia incompleta ſe offerebat.

(10) Veſica in parte inferiori prope collum perforata carne tamen ab extra recluſa.

(11) Inteſtinum cœcum cum aliis prolapſum firmiſſime cum proceſſu peritonæi cohærebat, & proceſſus vermiformis deficiebat, ubi vero de contentis ſub ultimis 4 numeris ſeorſim in programmate ſub eodem dato acturus ſum.

(12) Medium urethræ ita coarctatum erat, ut vix acum tranſmitteret tenuiorem, nulla tamen præſente cicatrice.

Quam miſere & ex herniis incarceratis & coarctata urethra per complures annos vexatus fuerit, facile colligendum, ut patientiam medici ſæpiſſime exercuerit. Jam liceat paululum ad ſupra memorata aneuriſmata recurrere, ubi admiratio ſubit animum, quod adhuc hodie quidam ſint, qui nullam admittere volunt diſtinctionem, cum tamen maxime inter ſe differant, & ex natura ipſorum receptum ab optimis chirurgis ſit, ut vera aneuriſmata dicamus, ubi arteriæ parietes dilatati ipſi efficiant tumorem, quacunque demum cauſa hæc dilatatio fuerit orta. Spurium vero aneuriſma dicitur, ubi læſa arteria ſanguinem emittit intra partes vicinas & hinc extravaſatus ſanguis tumorem inde ortum repleat, ingentis ſæpe magnitudinis. Illud, quod verum diximus, aneuriſma utique per complures annos ægrum ſine periculo vitæ obſidet, prout noſter triginta fere per annos adhuc vixit, ubi jam aneuriſmata ſenſit. Spurium vero, cum continuo conſtricta in ſyſtole arteria effundat ſanguinem, qui tandem vel quantitate ex cute prorumpit, vel putredinem concipit, per adeo longum temporis ſpatium ægrum a ſymptomatibus liberum non fert. Cæterum vero adhuc monendum, quod chirurgus in tumoribus aperiendis quandoque cautus eſſe debeat, ubi non ſolum exempla hinc inde proſtent, ſed & ipſe triſtem expertus ſim caſum, ubi æger ingenti tumore ſiniſtri femoris laborans, arteria ita dilatata, ut pulſum amplius vix edere poſſet ad ſenſum digiti; chirurgus, non conſiderans, quod nulli prægreſſi ſint dolores, ſed mollitie tumoris deceptus abſceſſum reputans, lanceola eundem temere ſatis petit, & uno impetu inciſione facta ad pollicis latitudinem hæmorrhagiam inducit lethalem, cum arteria cruralis aneuriſma pugnæ magnitudinem excedens paſſa a chirurgo vero incauto diſciſſa fuerit cum jactura ægri. Tantæ magnitudinis aneuriſma verum in arteria magna, ubi a cordis ventriculo procedit ſiniſtro, Petropoli in noſocomio cera repletum vidi, minora vero variis in arteriis extirpavi, ſub ortu quoque dilatationis remediis balſamicis & adſtringentibus fugavi, quod ultimum fruſtra de ſpurio ſperamus, quod nonniſi tempeſtive ſuſcepta operatione poteſt tolli, cum nulla diſcuſſio neque reſorptio ſanguinis in tanta quantitate, quæ quidem continuo pulſu brevi cumulatur, extravaſati poſſit expectari.

GEORGII



Disput. Medico-Pract. Tom. II. pag. 624.
KALTSCHMIDT DE VARIIS PRÆTERNATURALIBUS.

L X X.

GEORGII GOETZ

NORIBERGENSIS

DE

POLYPOSIS CONCRETIONIBUS VARIORUM IN PECTORE MORBORUM CAUSIS.

Altdorf. Mart. 1726.

PROOEMIUM.

IN *pulcherrimis & ampliſſimis humanæ, quam medicam appellant, ſapientiæ campis principem ſuo merito tenere locum artem anatomicam, omnes mecum conſentientes habeo, quotquot arti ſalutari medicæ juſtum ſtatuere didicerunt pretium. Etenim ſi quo quid propius ad humanæ indolem naturæ accedit, eo præſtantius eſt: de nulla id alia re, quam de anatomia, verius, rectiuſque pronuntiari poſſe arbitror. Quemadmodum vero omnia, quæ in tota, quanta quanta eſt, mundi univerſitate exiſtunt, ſuas habent cauſſas; ita & anatomia digna eſt, quæ tali mactetur laude, quod pleræque, quibus ſalutaris ars medica conſtituitur, partes ex illa, veluti fonte ſint derivandæ limpidiſſimo: quodque ſit eadem præcipuum, cui ſuperſtrui ſolidior medicina debet, fundamentum. Ne vero vel minima ea de re cuiquam ſuperſit dubitandi cauſa, rem aperte & citra ambages omnem eloquar. Theoreticas medicinæ diſciplinas phyſiologiam ac pathologiam, abſque anatomes luce tenebras eſſe, omnes, credo, largientur: practicam vero univerſam anatomicis doctrinis plurimum debere, ſeorſim autem chirurgiam ſine ea exerceri ad ſalutem non poſſe; & illam, quæ forenſis audit, fere unice ex ſolida anatomia promanare, apud omnes debet eſſe confeſſum. Quanquam autem tam inſigni ſe commendat utilitate humanum corpus ſcrutandi ars aurea, certum attamen exploratumque eſt, eandem ſuperioribus ſæculis nimis neglectam ac fere ſepultam jacuiſſe, nec hodie deeſſe, qui frigidius eandem tractant vel commendant, quam hujus artis ſumma poſtulabat neceſſitas. Seorſim vero medicinæ ſtudia juvit illa, qua vocari ſolet anatomia practica, quæ in hominum, variis morborum generibus exſtinctorum, cadaveribus varias conſtitutiones morboſas conſiderat, mortiſque cauſſas indagat: quam partem, etſi ſerius quam juvabat, ſerio aggreſſus fuit Bartholomæus Euſtachius, Romæ inter diligentiſſimos ſuæ ætatis anatomicos numerandus, qui hoc inſtitutum non ſolum ipſe ſecutus eſt, ſed & impenſe commendavit* de renum ſtructura officio & adminiſtratione Cap. XLV. *Dicit:* hanc partem tanto nobiliorem eſſe, quanto priore hæc ignotior eſt, & ad cauſſas morborum dignoſcendas magis idonea, atque ad commodum remediorum uſum explorandum aptior exiſtit. *Poſt hunc virum idem inſtitutum in Italia juverunt alii præclariſſimi viri, inter quos merito jure laudamus Marcum Aurelium Severinum, qui in libro, quem* de recondita abſceſſuum natura *ſcripſit, teſtatum fecit, ſe primum fuiſſe, qui id vitii genus, de quo nos potiſſimum acturi ſumus, nimirum polypoſas in corde concretiones obſervavit. Mihi certe antiquior polyporum notitia nullibi obtigit. In Gallia vero* Lazarus Riverius, *in Germania* Harderus; *hinc* Marcellus Malpighius, Tulpius, Bartholinus, Bonetus, *aliique primi ſubſellii medici eo tandem rem deduxe-*

runt, ut polyporum in pathologia ratio etiam ab his nunc habeatur, qui ante paucos annos omnem lapidem movebant, ut perſuaderent polypoſas concretiones demum enaſci in articulo anxiæ ac difficilioris mortis. Mihi non conſtitutum eſt omnia, quæ ad polyporum doctrinam pertinent, accuratiſſime pertractare; ſed cum ſuperiori anno optima Mater mea *eheu! in inflammatorium pectoris morbum implicita, diem obiiſſet ſupremum, mihique aliquoties mandaſſet; ut ipſius corpus perſcrutarer; dicto audiens fui, & in ſectione tres obſervavi polypos. Quia vero in academiis uſu receptum eſt, candidatos, poſt conſueta privata examina, publicum eruditorum oculis ſubjicere ſpecimen, mihi, conſentiente* Gratioſo ordine medico, *deſideratiſſimæ Matris meæ morbum pertractandum atque ſimul polyporum conſiderationem, quantum huc pertinere videbuntur, inſtituendam ſumſi. Faxit* Numen Æternum *ut primus hic meus conatus in ipſius gloriam ſempiternam, hominumque ægrotantium ſalutem cedat. Te vero, lector candide, rogo, ut meum auſum æquo bonoque judicio excipere velis.*

HISTORIA

Morbi ac ſectionis a morte inſtitutæ.

FEmina annorum quinquaginta ſex; temperamenti ſanguineo-cholerici, variis morbis ab ineunte ætate conflictata, tandem morbo pectoris inflammatorio nuper exſtincta fuit. Cujus quidem extremi morbi rationes quo melius intelligamus, liceat rem altius repetere, &, quantum mihi indagare licuit, de ejus valetudine referre. Annos quatuordecim nata cum impenſe delectaretur ſtudio, ſexu hoc digno, acu pingendi, ſedentariam vitam continuo egit, eoque factum eſt, ut tali labore inter ſodales puellas occupata, non levi earum terrore, ſubito concideret apoplectica: a quo inſultu tunc, divino favore, medicorumque ſtudio, liberata, ſatis tamen diu reſolutionem aliquam dextri lateris retinuit, partes potius ſuperiores quam inferiores infeſtantem, quæ non prius eam reliquit, quam cum menſtrua, ſeptimum decimum annum agenti, poſt ſuperatam prius ſebrem tertianam intermittentem ſatis pertinacem & diuturnam, erumperent. Obſervatum tamen eſt, ab eo tempore memoriæ aliquam imbecillitatem ac proclivitatem ad melancholiam remanſiſſe. Viginti quatuor annos nata viro elocabatur, puerperioque ſatis feliciter ſemel iterumque defuncta eſt. Cum quarta vice uterum gereret, partuique propinqua eſſet, pectoris inſigni anguſtia vexabatur, illumque partum non ſine magna difficultate enixa eſt, poſt partum non ſolum lochia non ſucceſſerunt legitime, verum etiam pectoris anguſtiæ magis increverunt, ita ut ſanguinem multum ore rejiceret, & febris inflam-

flammatoria vehemens ſuperveniret. Vitæ periculum tunc quidem eluctata, ab hoc tempore pectoris varias moleſtias ſemper retinuit, vernali potiſſimum tempore, quoties ſeſe aëri inclementiori expoſuit, recrudeſcentes, ita ut & ſanguinem ex pulmonibus rejiceret. Inſigniter autem levata; & ab ulteriori malo liberata fuit, quoties ſuccum plantaginis acutæ ac millefolii, ſaccharo vel melle temperatum, aſſumpſit, quod euporiſton ſibi melius, quam quævis alia medicamenta, prodeſſe uſu didicerat, primum edocta a muliere quadam, cujus maritus in eodem valetudinis ſtatu feliciter eo fuerat, perque multos annos, uſus. Ex hoc tempore ſex annis interjectis iterum concepit, ſed cum quartum geſtationis menſem attingeret, graviſſimo terrore perculſa abortum fecit, tuncque periculoſo morbo febrili tentata fuit, quo liberata magis quam unquam antea ad melancholiam prona viſa fuit. Poſt duos annos immaturum fœtum ſex circiter menſium, excluſit, & deinceps utero non geſtavit. Cum deinceps menſium fluxus juſto tempore ceſſaret, magis quam antea infeſtari cœpit paſſionibus hyſterico-hypochondriacis, & ſingulis annis, ineunte vere, vexata fuit tuſſi vehementiſſima ac ſubinde convulſiva. Cui unicum remedium V. S. fuit. Etiam ad ſpaſmodicas diſtentiones muſculorum pedis valde proclivis fuit, quas ſubinde a leviſſima pedum refrigeratione graviſſimas perpeſſa eſt. Atque hic fuit ſtatus valetudinis ejus, quamdiu viſus fuit maxime tolerabilis. Ingruerunt enim longe graviora pathemata duobus ultimis vitæ annis; quibus, orta occaſione ex quadam moleſtia, iracundiæ crebriori anſam præbente, valde ſæpe ſpaſticæ hypochondriaco-hyſtericæ moleſtiæ tam fuere exacerbatæ ut non raro circa pectus ſentiret adeo magnam conſtrictionem, ut animam ſibi præ dolorum vehementia elidi quereretur. Huic malo ad tantam acerbitatem promovendo non parum, credo equidem, valuit medicinæ cujuſdam purgantis inconſultus uſus; quippe quæ tantam hypercatharſin excitavit, tantamque virium reſolutionem; ut vix periculo vitæ eximi potuerit. Ab hinc longe magis quam olim ad ſpaſmodicas tam viſcerum, quam partium externarum, conſtrictiones diſtentionesſque prona, tandem obſervavit, nihil ſibi æque ad inducias malo parandas prodeſſe, quam ſi pedibus calorem blandum, per aquam dulcem tepidam, crebro conciliaret, ſicque fibrarum rigiditatem emendaret. Hoc pacto multis incommodis afflictum corpus utcunque traxit ac diſtulit, uſque ad ſuperioris anni initium, mirumque fuit primos illos illius menſes, abſque ullo recrudeſcentis morbi in pectore ſenſu, facile tranſiviſſe, ut a multis annis nullum ver facilius, minorique incommodo attigerit. Hac felicitate nimis ſecura, cum accederent domeſtica impedimenta, V. S. de die in diem diſtulit. Circa medium Aprilis pertinaci dolore dentium corripiebatur, quem mox excipiebat inflatio capitis inſignis, & conjuncta cum eryſipelate. Coibat gingivarum tumor in tuberculum aliquod circa dentem primum molarem ſuperiorem ſiniſtrum; cui ficus impoſita emol-

 lien-

liendo ſufficit, extraxitque copiam acris humoris virideſcentis, corruptionemque ipſo fœtore teſtantis, qui per tres integros dies exſtillavit, interimque ſenſim tumor evanuit, ſimulque dolores abſtulit. Medicinæ tunc nullæ adhibitæ fuerunt, præterquam, quod jam finito fluxu ſemel pilulis Becherianis laxata fuit. Hæc inter ipſas calendas Maii, ſatis pro valetudine conſueta alacris, attigit, quæ tamen priſtinum ſtatum tantopere inclinaverunt, ut, quæ orthoſtadiam hucuſque pro viribus tenuerat, omnino clinica nunc fieret, ultimumque morbum ſubiret. Nam hoc die, cum per plures horas, eaſque matutinas, pluvioſo ac nebuloſo aëri expoſita fuiſſet, notabilem languorem, appetituſque proſtrationem omnimodam, ſentire cœpit, cum proclivitate ad vomitum, qui poſt meridiem actu evenit, ita ut ante veſperam quater vomeret, cum ſenſu horroris ac frigoris, viriumque magna proſtratione & lateris ſiniſtri dolore punctorio ſatis acuto, cui ſe mox etiam æſtus inſignis adjungebat, ſtatimque ſputum flave coloratum, ſtriis ſanguineis intermixtum, rejecit, nondum admodum laborioſa tuſſi. Hic dies, ut & ſequens, ſine medicinarum uſu tranſmiſſus eſt. Cum vero ſymptomata pleuritidi familiaria, reſpiratio inprimis ob dolorem punctorium, ſub gravi inſpiratione exacerbatum, parva & laborioſa, tuſſis ſicca, admodum dolorifica & vel nihil, vel ſanguine ſaturato tinctum emoliens, in ſingulas horas ingraveſcerent, fauciumque ſiccitas, vigiliæque accederent, tertio tandem die vocatus fuit medicus Excell. D. D. Widmannus, qui præter indicata maxime obſervavit notatu digniſſimam pulſus rationem. Hunc enim non celerem ac durum, ſive ſerratum, qualis in pleuritide, aliiſque inflammatoriis morbis eſſe conſuevit, deprehendebat, ſed tardum, parvum, debilem, immo per intervalla ſatis longa fere intermittentem. Hinc aliud adhuc præter pleuritidem malum circa cor latere conjiciens, illud propoſitis ægrotæ quæſtionibus elicere tentavit, ab eaque reſcivit, ſe præter lateris ſiniſtri dolorem punctorium, qui inferiorem pectoris partem affligebat, alium jam a longiori tempore in ipſius cordis regione, quemadmodum digito monſtrabat, perſentiſcere moleſtum dolorem, de quo etiam per omnem morbi decurſum anxie ſæpius conqueſta fuit. Hæc modo allegata pulſus conditio, cum V. S. non ſtatim indicaret, quin potius ejus adminiſtrationem dubiam redderet: medicamentum diaphoreticum reſolvens præmittere, illamque in craſtinum diem differre conſultius duxit. Præſcripſit itaque potiunculam diaphoretico-reſolventem pro duabus doſibus, partim a meridie, partim veſperi aſſumendam. ℞. ▽. flor. ſambuc. card. bened. à ℥j ſcorzon. fumar. à ʒvj ſpir. theriac. camph. ʒß. Eſſ. ſucc. Pulv. epilept. March. ♁ii diaphor. ℈j ſyrup. papav. rhœad. ʒij M. ſc. Pro facilitanda expectoratione & ſiti reſtinguenda præſcripſit decoctum ex hordeo, C. C. & rad. ſcorzon. paratum, cum decocti pectoralis Auguſtanorum æquali portione mixtum, & Syrupo papav. rhœad. edulcoratum, calidum ſæpe hauriendum. Quarto die V. S. neceſſitate

ſic

ſic urgente adminiſtrata fuit ; ſanguis emiſſus viſcidus erat tenaxque , cuticula obductus mucoſa , ſeri quantitas pauca ipſumque turbidum ac bilioſum erat. Celebrata V. S. in uſu medicamentorum diaphoicorum ac reſolventium pergebatur , atque ad inflammationem pleuræ diſſipandam ac reſolvendam , oleum bezoardicum Wedelii , utpote remedium in inflammationibus maxime proficuum , cum vehiculo debito bis de die præbebatur. Per noctem autem , cum Pulveres aſſumere recuſaret patiens , ſequens mixtura cochleatim propinanda præſcribebatur. ℞. ▽ fl. ſambuc. fumar. ſcorzon. card. bened. ana ℥vj confortativæ uſitatæ ℥jß. mixt. ſimpl. rectific. ℥ß Pulv. epilept. rub. antimon. diaphoret. à ℈j. confect. alkerm. inc. ʒj Syrup. papav. rhœad. ℥ij miſc. Ad juvandam autem expectorationem , inter alia propoſita , etiam unguentum viride potabile ſumſit , ut & externe, pro doloribus mitigandis , affecto lateri fomentationes ex fagopyro cum lacte cocto , atque emplaſtrum ſequens adhibebatur ℞. empl. de ſpermat. cet. ℥vj diaſulph. Rulandi ℥ß de galban. crocat. ℥ij camphor. ʒß. malaxetur °° anet. q. ſ. His remediis adhibitis tantum proficiebatur , ut dolor acutiſſimus ſeſe remitteret , ſputum immutaretur, magiſque coctum per ſcreatum ejiceretur : reſpiratione etiam multum liberiori reddita , bene jam ſperare patiens inciperet. Verum enim vero recrudeſcebant omnia die 6 , forte a diaphoreſi non ſatis conſervata , prioribuſque ſymptomatibus major virium dejectio accedebat , febris denuo exardeſcebat. Prioribus itaque medicamentis addebatur Pulv. bezoard. ſimul confortans ac reſolvens cum mixt. card. circa veſperam ſumendus. ℞. Pulv. epilept. March. ♀ diaphoret. a ℈ß lapid. bezoar. gr. iiij C. C. aurat. gr. iij. camphor. gr. j miſc. pro doſ. Pro demulcenda tuſſi , & ad expectorationem promovendam emulſio ſequens præſcribebatur. ℞. ſperm. cet. recent. ℈ij amygd. dulc. recent. ʒvj. miſceantur ac ſubigantur in mortario per ſe , poſt additis ▽ fl. tiliæ taraxac. tuſſilag. ceras. nigr. à ℥j. fiat l. art. emulſ. colaturæ adde °° amygd. d. recent. ʒj. julap. violac. ℥iij miſc. capiat poſt ſingula bihoria ℥j. prius tepefactam.

Sequenti die , cum reſpiratio adhuc eſſet difficillima , atque expectoratio ſuppreſſa , ad veſicatoria confugiendum videbatur , quæ utrique brachio fuere impoſita. Apertis veſicis , ichoreque bene fluente , reſpiratio multo liberior mox reddebatur , expectoratio largior ac facilior ſuccedebat , calor febrilis remittebat , & in urinæ ſedimento criſeos ſigna apparebant : pulſus tamen , perinde ut ab initio , obſcura & confuſa ſigna præbebat. Redibat quoque ſomnus , inſtaurabaturque appetitus , ipſaque ægrota die morbi 9. exacto adeo bene ſe habuit , ut ſe extra periculum jam conſtitutam eſſe rata , pro ſopiendis morbi reliquiis medicinam expeteret, quæ præſcribebatur ex pulvere epilept. March. ʒj ♁ diaphoret. ʒß bis de die ſumenda.

Aſt enim vero non durabile erat gaudium : ea enim nocte , quæ

inter 12 & 13 diem erat, omnia rurſus in pejus abibant, forte quod ægrota, lectuli nimis cito pertæſa, eadem die ſurrexerat, & in conclavi aliquoties obambularat. Denuo tunc vocandus prompte adfuit medicus, deprehenditque ægram nunc in oppoſito, dextro ſcil. latere, novo veræ pleuritidis paroxyſmo correptam, cum omnibus ſupra allegatis ſymptomatibus, ipſumque ſputum ſanguine intenſiſſime tinctum & plane cruentum rurſus deprehendit. Ob fractas jam vires remediis generoſioribus, in priori morbo ad uſum vocatis, nullus amplius fuit locus; hinc ſolis reſolventibus, diluentibus atque confortantibus medicamentis contra vim morbi militandum erat. Mixtura itaque, ſuperius jam deſcripta, quam ingreditur mixtura ſimplex, iterum præſcribebatur, nulla alia mutatione facta, niſi quod liquoris C. C. ſuccinati aliquantulum, ad ſpaſmos deliniendos, addebatur. Decoctorum, ut decoct. hord. pect. Auguſt. & nephrit. Foreſt. à Zwelf. correcti, uſus denuo commendabatur: proque incidenda pituita viſcida pectus opplente & pro ſuffocationis metu avertendo ⏜ ⊖ ✱ aniſat. gtt. 15 ad 20 cum decocto laudato propinabatur. Confortandi & humectandi, æſtumque febrilem temperandi cauſſa mixturas cardiacas temperatas ut & ejuſdem commatis emulſiones tenues, nec non temperantes pulveres, ex magiſterio matris perlarum, antihect. Poterii ac pauxillo nitri perlati concinnati (qui enim in vehiculo non penitus diſſolvebantur pulveres, eos ægra aſſumere recuſabat) præſcribebantur.

Videbantur rurſus omnia cedere feliciter ac boni eventus ſpes affulgebat. Expectoratione ſiquidem ſuperveniente largiore, eademque faciliore reddita, ſputoque cruento in coctum ac perfectum pus mutato, dolores evanuerunt, & ægra melius ſeſe rurſus habuit. Verum enim vero poſt tres dies reſpiratio licet non dolorifica, laborioſa tamen admodum ac parva, rurſus reddebatur, manifeſto indicio pulmones naturalem ſuum tonum, quo ſanguinis circulatio per ipſos promoveri debet, jam amiſiſſe, hincque in nobiliſſimo hoc viſcere ſtagnationes profundiores ac majores factas eſſe, nec amplius reſolubiles, unde tandem ſanguinis circuitus ac ſimul vita deſierunt. Accedentibus namque ſub fine morbi ſudoribus colliquativis, reſiduas vires plane exhaurientibus, patiens a prima morbi invaſione viceſimo tertio, a ſecunda vero 7. die placide exſpiravit.

Aperto poſt mortem pectoris cavo pulmones pleuræ fere undiquaque adnati inveniebantur: quem nexum cum patienter provideque diſſolverem, obſervavi non parum aquoſæ humiditatis in interſtitiis quibuſdam illarum membranularum, per quas cohæſio fiebat, fuiſſe collectam: cujus quantitas, cum jam nexus diſſoluti eſſent, non minoris æſtimari poſſe videbatur, quam quatuor librarum. Exemti pulmones contenta materia purulenta turgebant quidem, ſubſtantia autem eorum multis abſceſſibus minoribus jam maturis obſidi videbatur: inciſione autem facta, pus, quemadmodum alias in aperto aut rupto abſceſſu accidit, pleno rivo non

non profluebat, ſed ex ſingulis veſiculis materia ſanioſa, fœtens, promanabat, ut adeo liquido pateret non ipſam pulmonum ſubſtantiam ſuppuratam fuiſſe.

Omnes autem pulmonum veſiculæ, bronchia, & ipſius aſperæ arteriæ majores rami ac truncus, ſanioſa illa materia ſcatebant. In pleura lateris ſiniſtri inflammationis, quæ magnum ejus ſpatium, quantum vola manus contegere poſſit, occupaverat, ſed maximam partem diſſipatæ, adhuc conſpicienda erant veſtigia: longe namque pallidior erat hic tractus illa regione, quæ in dextro latere ſub ultima morbi recrudeſcentia inflammata fuerat, ac vaſa ejus ſanguine ſtagnante adeo turgida erant, ut vel minima capillaria, quæ oculorum aciem alias fugiunt, jucundo admodum ſpectaculo diſcerni poſſent.

Ad cor luſtrandum progreſſi, illud turgidum, & magis, quam ordinarie ſolet, tactui durum deprehendebamus, cujus rei cauſam culter mox detexit, polypum nempe verum in auricula dextra, cujus cavitatem corpore ſuo totam fere replebat, radicatum, ramos autem in venam cavam binos dimittentem. Hoc viſo vaſa pulmonalia proxime luſtrabantur, ut polypos, ſi forte ibidem quoque eſſent, extraherem: ſed nullus, præterquam in vena pulmonali exiguus vix commemoratione dignus, reperiebatur. Aſt vero aortam, ubi ſiniſtrum ventriculum egreditur, mox ad valvulas, invenimus obſeſſam polypoſa concretione ſatis magna, & totam fere capacitatem ejus implente. Hunc igitur una cum eo, qui ex auricula dextra extrahebatur, a perito artifice curavi ad vivum delineandos, ut in tabula adjecta contemplari liceret. Abdomen etiam paucis luſtravi, invenique omnia ſatis bene naturali ſtatui reſpondentia, præterquam quod hepatis ſuperiorem ſiniſtram partem ſcirrho quodam non adeo magno obſeſſam animadvertere licebat.

CONSIDERATIO MEDICA.

§. I.

QUum multa nobis, quæ accuratius perpendi mereantur, propoſitus caſus offerat, brevitatis tamen ſtudio & ordinis cauſſa pauca tantum ſeligemus capita, hæcque, quantum ingenii vires permittent, excutiemus. Nimirum diſpiciemus primo in genere quid polypoſas in ſanguine concretiones poſſit inducere: deinde videbimus quoſnam effectus ad turbandam œconomiam vitalem polypi edere valeant: tum ſpecialius inquiremus, quid in noſtra ægrota ad polyporum generationem præcipue valuerit: denique nexum polypoſarum concretionum cum pectoris variis, quos perpeſſa fuit, morbis indagabimus; tandem diſpiciemus quæ

ſpes ſit ad polypoſarum concretionum medelam ; quibuſque remediis præcipue liceat fidere.

§. II.

In etymologia & homonymia vocis *polypus* enodanda eo minus laborabimus, quo majores nobis feriæ jam hic paratæ ſunt ab excellentiſſimis medicis, qui doctrinam de polypis doctiſſime expoſuerunt. Dicere nunc ſufficiat, nos iſtiuſmodi polypoſas concretiones, quales in naribus, eoque patentibus cavitatibus, ſummiſque faucibus, ſubinde excreſcunt, hoc loco non eſſe tractaturos: verum illas tantum, quæ vel in corde vel majoribus vaſis ſanguiferis, magno valetudinis incommodo & ſubinde vitæ periculo, foventur, conſiderationis noſtræ objectum eſſe habituros. Dicimus autem polypos concrementum quoddam toto genere præternaturale, fibroſo-membranaceum, tenax, coloris, ſi ſanguis adhærens abluatur, albentis, figuræ magnitudiniſque variæ, cordis vaſorumque cavis inhærens & ut plurimum adhærens, circulationemque ſanguinis variis modis turbans.

§. III.

Diximus polypos corpora fibroſo-membranacea, non ignari, quod alii ad ſubſtantiam hujuſcemodi concrementorum indicandam plura adhibuerint vocabula, quorum aliqua ideam ſatis longe a noſtra recedentem valeant imprimere. Sic videas apud auctores non raro deſignari ſub idea pinguedinis; quam quidem alii candelæ ſebaceæ ſimilem, rurſuſque alii mollem ex albo flaveſcentem, lentam, medullæ oſſium calefactæ perſimilem, denotarunt, alii aliis vocabulis adhibitis deſcripſerunt, ut multis exemplis probari poſſet, ſi his immorari liceret. *Severinus de recond. abſceſſ. natura* ſub titulo vaginulæ ſubflavæ concrementi a ſe repertum polypum affert, quo quidem raram aliquam ſpeciem polypoſi concrementi deſignat, quod, explicante *D. Theoph. Boneto in anatom. pract. Lib. III. Sect. XXI.* ita circa cordis columnas & carnoſos lacertos hæſit, & quaſi radicibus implantatum fuit, ut alterum ventriculum intra cordis clauſtra efformatum diceres, cujuſque appendices, in vaſa ſanguinea productæ ita perforantur, ut vaſorum lateribus hærentes ſanguini commeatum intra ſe admiſerint, tranſitumque conceſſerint. Quod quidem etſi obſervatum eſſe referentibus credo: valde tamen dubito, an ſatis accurate illi obſervaverint, qui nobis referunt polypoſa concrementa peculiaribus ſanguinis vaſis, per quæ nutriantur, inſtructa. Pluribus auctoribus, hoſque inter noviſſime Celeb. *D. D. Morgagno*, qui *Adv. Anatom. V. p.* 40. plures in utramque partem auctores nominat, dubitare de hoc aſſerto ſubiit. Haut ſcio annon illi, qui polypos excreſcentiarum nomine definiunt,

ean-

eandem hypotheſin de vaſis nutrientibus in animo habuerint, aut occaſionem ad illam animo fovendam dederint. De his enim ſupercreſcentiis, quum parti alicui ſolidæ aliquid adnaſcitur quod præter naturam ejus eſt, dubitari nequit, eas habere debere vaſa a vaſis partis connexæ producta, quæque in majoribus excreſcentiis hujuſmodi ſatis ſæpe conſpicua apparent. Sed in polypis cordis & vaſorum, quantumvis ſucceſſive etiam augeſcant, nulla intelligitur vaſorum ejuſmodi neceſſitas ſive utilitas, quum, non ſecus ac calculus in veſica urinaria, ſucceſſivum incrementum capere ex humore circumfluo intelligatur. Quare nec dubito aſſerere, ſi qua omnino reperiantur corpora in corde, vaſis ſuis vere inſtructa, eadem potius a polypis eſſe diſtinguenda, & pro peculiari quodam vitio æſtimanda: ſuſpicorque nunquam id fore obvium, niſi vere ſimul intelligatur id vitii genus ſano continuum eſſe. Sed de hoc diſpiciant, quibus talia obtigerint fidelibus oculis inſpicienda.

§. IV.

De origine ejuſmodi corpuſculorum multa jam ſunt a viris doctiſſimis ſtudioſe tradita, ita tamen, ut in diverſas ſentiendi vias eos diſceſſiſſe manifeſtum ſit. Mihi licitum ſit conceptum mentis meæ de hac re proferre, qualem ex doctrinis medicæ artis, a præceptoribus meis omni pietate colendis mihi traditis, nec non ex optimorum auctorum lectione, formare valui, non quemquam refutandi, immo ne docendi quidem, deſiderio, ſed ut ſtudiorum rationem reddendi occaſione ac neceſſitate defungar. Exiſtimo autem polypos veros, ab excreſcentiis diſtinctos, non aliam habere, quam ex ipſo cruore, qualis per vaſa fertur, originem. Eſt autem ſanguis noſter, ut apud omnes conſtare puto, liquor purpureus, ex partibus aqueis, gelatinoſis, ſulphureis, terreiſque compoſitus, quibus philoſophi experimentales, non invitis medicis, addunt particulas æthereas intermixtas, antliæ pneumaticæ ſubſidio facile demonſtrandas. Ex his vero particulæ gelatinoſæ nutrientes præcipue conſiderationem noſtram poſtulant. Nam hæ ſunt materia proxima, ex qua fit quicquid in noſtro corpore ſtruitur ac ſolideſcit. Eædem ad lenteſcentiam & coagulationem ſanguini inferendam unice aptæ ſunt, hancque facile ſubeunt, quam primum vel ſtagnant motu tardiori, vel, illo prorſus amiſſo, ſubſiſtunt, ſive ſimul in toto corpore, ſive in aliqua ejuſdem parte. Quicquid igitur ad lenteſcendum ſanguinis gelatinam vel levius vel vehementius diſponit, id exiſtimo jure meritoque pro cauſſa polypoſarum concretionum habendum eſſe. Ea autem quænam potiſſimum ſint, breviter percurremus ac deinceps exponemus.

§. V.

Et primo quidem apud pleroſque puto illud dubio carere ipſum ſanguinem optimum, ſub plena diæta elaboratum, ſi nimius in corpore coacervetur, vaſa nimis infarciendo, venarumque præſertim tenues tunicas, magis quam reſiſtentia ipſorum naturalis patitur, expandendo, efficere, ut in proprimendo ipſo minorem vim exercere poſſint: quo ipſo tardiorem impeditioremque progreſſum fieri neceſſe eſt. Hoc uno facto, tanquam jacto fundamento, mox inſequitur ex tardiori progreſſu ejuſdem calorem ſenſim minui atque exſtingui; quoniam quo promtius celeriuſque ſanguis circulatur, eo magis ipſum incaleſcere apud omnes confeſſum eſt. Hinc multorum morborum, cum chronicorum, tum ipſorummet acutorum, origines pendere, aut ſaltem occaſiones enaſci, apud omnes puto confeſſum eſſe: ſub eodemque ſtatu, ſanguine ad cor, tanquam emporium vitalis laticis, in majoribus vaſis ſubinde ſtagnante, fieri poſſe ut gelatinoſæ plures particulæ inter ſe, faventibus minori calore & tardiore progreſſu ejuſdem, coëant & columnis fibriſque valvularum cordis implectantur, ſicque polypoſarum concretionum prima ſtamina fiant, a nemine puto revocari in controverſiam facile poſſe.

§. VI.

Atque hic modus, quo polypoſas generationes fieri concipimus, communiſſimus eſt, omninoque videtur vero ſimile in plurimis, quibus quaſi tacite ſubnaſcuntur, hunc poſſe accuſari. Semel autem nata, continua adhæſione novarum particularum pariter lenteſcentium, augmenta capere hæc, initio quidem parva concrementa, itidem facile mihi conceſſum iri confido. Quare progredior ad alias, quæ ſe cogitanti offerunt, cauſſas penſitandas. Sicut vero dubio caret, ad ſanguinis fluiditatem conſervandam, cohæſionemque impediendam, nihil plus valere vegeto ejus continuoque motu, ſic polyporum concretioni ſanguinis quies quantum maxime favet. Quietem ſanguini, quamdiu vita eſt animali, omnimodam non tribuo, ſed intelligo illam continui debiti motus imminutionem, qua ex variis cauſſis ſubinde accidit, ut progreſſus ipſius longe, quam pro ſanitate debebat, tardius lentiuſque perficiatur. Fit hoc maxime ſub vita ſedentaria, præſertim profundioribus cogitationibus indulgente, quo ſtatu corpore compreſſo ſedentes adeo nonnunquam affixi ſpeculationibus ſuis hærent, ut vix reſpirandi, in phyſico ſenſu, ſatis facere officio audeant, donec quaſi ad ſe redeuntes, una alteraque profundiori, plenioriquе reſpiratione, damnum utcunque reſarcitur. Quem quidem errorem ſi diutius continuetur, præſertim a plethoricis hominibus, feracem eſſe hujuſcemodi ſanguinis concretionum, facile a priori colligitur, & a poſte-

poſteriori confirmatur exemplis feminarum, quæ ſibi multorum morborum ab obſtructione viſcerum ortorum, auctores ipſæ tali vitæ genere fiunt. Quumque hic ſexus præ virili frequentius polypis etiam vexetur, non injuſte exiſtimavi hanc cauſſam accuſari.

§. VII.

Longe gravior eſt noxa, ſi quieti ſimul accedat frigus diuturnum. Huic datum eſſe, ut humoribus a peripheria ad centrum pulſis, eoſdem in vaſis majoribus detineat, iiſdemque coagulum inducat; multis obviis experimentis oſtendere in proclivi eſſet, niſi cuivis lectori ea facile per ſe ſuccurrere crederem. Sed graviſſima & præſentiſſima illa reddi poteſt, ſi homini ſimul quieſcenti, ſimul tædio mœroreque laboranti, ſimulque continuo & intenſe frigenti in animum forte veniat frigoris ſuperandi cauſſa ſpirituoſa, præſertim vinum aduſtum, identidem bibere. Referam in hujus rei illuſtrationem exemplum notabile, quod mihi Celeberr. D. D. Johan. Henr. Schulze, patronus ac præceptor meus æternum filiali amore proſequendus communicavit, ſtrictim quidem & breviſſime, quoniam ſcio illud brevi latius expoſitum publice lectum iri. Adoleſcens 17. annorum, ſatis excitati animi, ad hoc uſque tempus ab omni animi cultura abhorruit, magis venatione, aliiſque exercitationibus, quam muſis delectatus. Illuſtriſſimi cujuſdam viri, atque ſacrarum litterarum pietatiſque amatoris ardentiſſimi, hortationibus animum ad ſtudia morumque emendationem, ut ſero, ſic ſerio, appulit. Ab hoc viro hiberna frigida jam tempeſtate Halam Magdeburgicam mittitur, quo, ut illo anni tempore, plurium dierum iter erat: comites itineris nanciſcebatur, quorum licentia ac dicacitas ipſum valde offendebat. Quare bonus adoleſcens, quoties illi ad hoſpitia delati corporis curandi cauſſa rhedam deſeruerunt, ut vel tantillo tempore requieſcerent aures & animus, in eadem, ſaltem interdiu, remanſit, frigoriſque remedio ſibi fore putavit vinum aduſtum, cujus non inſuetus antea fuerat. Licuit tandem Halam attingere, ſed ita ut mox cum valetudine conflictari inciperet, priſtinumque animi & corporis vigorem non ſolum ipſe, ſed in ipſo omnes, qui antea noverant, deſiderarent. Quid multa? Poſt varia vexatiſſimæ valetudinis incommoda non ita multo poſt cum morte vitam commutavit, ejuſque corpus exanime, quum diſſecaretur, per cordis cavitates, omniaque majora ſanguinea vaſa, polypis prægrandibus ac valde ſolidis ſcatere deprehenſum fuit.

§. VIII.

Equidem exiſtimo clare elucere ex caſu propoſito notabilem admodum mutationem valetudini hujus adoleſcentis accidiſſe. Si quis vero in vitæ

 gene-

generis permutationem cauſſas ſolum vellet rejicere, magnopere vereor, ut ſatis inventurus ſit rationis tam celeriter labefactatæ univerſæ corporis œconomiæ: omninoque puto illam in frigore diuturnam commorationem, ac ſpirituoſi potus, utpote ad humorum coagulationem potentiſſimi, improvidum uſum, potiſſimam culpam ſuſtinere, non excluſo ipſo ſimul mœrore, quem ex itineris ſociorum ſermonibus valde ſibi diſplicentibus percepit. Atque hæc fuere potentiora ad coagulatorium effectum, quo magis deinceps memoratus adoleſcens vitæ ſedentariæ litterarumque ſtudiis in nova muſarum ſede ſeſe conſecravit, nec crebro illis uti potuit, quibus forte adhuc reſolubilis, ſi non omnino, tamen ex parte, cohæſio incepta tolli potuiſſet. Quod frigus intenſius aliquandiu toleratum non longiſſimo tempore præſtare valet accedente quiete & ſpirituoſorum potu, idem puto mœrorem diuturnum valere, ſi accedat vitæ genus ſedentarium cum ſpirituoſorum abuſu.

§. IX.

Vehementius etiam, quam mœror, agit in ſanguinem noſtrum terror gravior, animumque profundius percellens, quippe non minus ſub hoc, quam ſub mœrore, humores ad interiora conſtringuntur, ibique detinentur; adeo ut homines ab hoc affectu ſubito necatos, tanquam ſuffocatione, non raro commemorari videamus: alios vero graviſſimorum morborum initia, hoſque inter palpitationes cordis, diuturnam paſſionem, hinc reportaſſe. Hanc autem inter eos affectus pectoris, qui a polypo cordis pendent, infra videbimus. Longe graviorem, quam ex ſua natura, terroris noxam reddi, ſi porro ipſi accedat in frigore diuturnior commoratio, aut potus frigidus ingurgitetur, eleganter, ut omnia, docet *Illuſtr. Frid. Hoffmannus medic. Syſtemat. Tom. I. Sect. II. cap.* 2. §. 15. conf. *Tom. II. p.* 159. quin exemplum polypoſarum concretionum a terrore ſubito exortarum videre licet apud *Malpighium*.

§. X.

Hactenus vidimus ex cenſu rerum, quas ſcholæ medicorum non naturales vocare ſolent, potiſſimas; omnibus enim, quæ ſymbolam conferre poſſunt, ut victui craſſiori aut alias vitioſo, potuſque ſufficientis neglectui, non jam licet immorari, quippe quæ non tam neceſſarium, quam modo indicata, effectum edere ad polyporum geneſin videntur. Sed reticere non licet evacuationum ſanguinis naturalium vel retentionem vel ſuppreſſionem, quæ vitia eodem valent, quatenus humorum abundantiam & congeſtorios irritos conatus decubituſque ad certas partes inducunt. Manu itaque quaſi ducimur ad conſiderationem ſtatus corporis præternaturalis, & ex hoc porro pullulantium enatorumque effectuum, ad polypoſa-

poſarum concretionum originem pertinentium. Ex his maxime referri merentur illi affectus, qui motuum vitalium ſuſpenſionem longiorem afferunt, ut ſyncopæ graviores, ſuffocationes hyſtericæ, apoplexiæ; tum vero etiam illi morbi maligni, qui humoribus coagulum manifeſtum inferunt: de quibus ordine, pauca tamen pro inſtituto meo, dicam.

§. X I.

Jam omnibus puto conſtare in ſyncopis, quorſum etiam feminarum ſic dictas hyſtericas ſuffocationes referimus, ut & in apoplexia, vitalium animaliumque actionum fere omnium; ſaltem ad ſenſum, fieri abolitiones, aut, ſi mavis, ſuſpenſiones, ut vix minimum obſcurumque pulſus ſentiatur veſtigium, ſæpeque ambigatur de vita ſic affectorum, quando in plures dies malum perſtat, adeo ut non raro pro mortuis depoſiti jam fuerint. Fingamus id accidere homini ſanguinem optimum in corpore ſuo habenti: an non vero erit ſimile, tanto tempore quieſcenti ſpiſſitudinem notabilem debere accidere? Docent ſane practicorum fidæ obſervationes, quam impedite tardeque ex vena apoplecticis ſecta ſanguis proveniat, ut potius exprimi inde protrahique dicendus ſit, quam facile profluere. Morborum malignorum exemplum ſit lues venerea, de qua M. Aurel. Severinus jam olim obſervavit, quod eo ſemel infecti proclives ſint ad polyporum generationem, raroque ſecentur tali morbo olim valde laborantium cadavera, quin hanc labem oſtendant. In hoc autem morbo lymphæ tenaci & tanquam a ſpecifico veneno acido coagulatæ, præcipuam corruptionis cauſſam inhærere præter alia phænomena etiam ejuſdem curatio declarat, quæ reſolventibus & diluentibus potiſſimum facit operæ pretium. Referri quoque ad malignorum morborum exempla poſſe videtur, quod Cl. *Mangetus Theatr. Anatom. III. c. 7. p.* 238. refert de ſanguine animalium a viperis demorſorum, breviſſimo tempore tenaciſſime coagulato.

§. X I I.

Hactenus polyporum concretionem, quo pacto induci illa poſſit, inque ſanguine noſtro coire, vidimus, ſtudioſe omiſſis illis experimentis, quæ ab injectionibus ſpiritus ⊖-li, ſolutionis aluminis & ſimilium, oriri eaſdem demonſtrant, quum difficile ſit intelligere, quo pacto in corpore noſtro tam acidi aut coagulantes humores frequenter generari poſſint ac ſoleant. Si quis illa, non utique inutilem ſpeculationem præbentia, ſcire avet, conſulat illuſtris *Malpighii de polypo* libellum, aliorumque doctiſſimorum virorum de eodem argumento eruditas diſſertationes. Nunc antequam longius progrediamur, reticere non licet aliquos eruditos medicos, *Theod. Kerckringium* ſequutos, credidiſſe ejuſmodi concrementa,

quæ

quæ ex demortuorum corporibus extrahuntur, vivos non afflixiſſe: nihilque aliud eſſe quam ſanguinem, poſt animalium mortem refrigeratum, & grumoſum durumque redditum, ex corde, hepate & ceteris partibus extractum in varios ramos diviſum, prout ibi in variis cavitatibus hæſit. Rationem ſui aſſerti unicam reddit, quod ipſe, quoties libuerit, ſimilem polypum in animali formare poſſit, ſi per venam ipſi ſectam ſpiritus vitrioli injiciatur. At vero, quum in canibus, quibus ſpiritus vitrioli in venas infuſus non fuit, quantumvis anxia morte, ut ſæpe illi quos anatomiæ cultores ſtrangulant, demortuis non inveniantur frequenter polypi; ſuſpicionem movere hoc viro doctiſſimo ſpicilegii anatomici auctori debuerat, ut cogitaret has concretiones, ſicubi reperiuntur, prægreſſam cauſſam quamcunque coagulandi vires habentem ſpiritui vitrioli qualitercunque analogas, adſuiſſe. Sed cum tot proſtent obſervationes, quibus nexus morboſorum affectuum, quibus ante obitum vexati fuerunt ægroti, cum polypis poſt mortem erutis clare conſpirat: ipſeque paulo poſt ex noſtra ægrota oſtendere idem debeam: nunc ſuperſedeo labore longioris in hanc rem inquiſitionis; & tranſeo potius ad conſiderandum alterum membrum diſſertationis hujus, quo diſpiciendum erit, quoſnam effectus ad turbandam œconomiam vitalem polypi in corde, vaſiſque ſanguineis formati ac ſubſiſtentes edere valeant.

§. XIII.

In hoc ſcrutinio effectuum a polypis, ſcopi mei memor, potiſſimum inhærebo pectoris morbis, quos ſtatim in ſcenam producam, ſi prius de effectu illorum noxio in genere quædam delibavero. Is vero, ut paucis rem expediam, in cordis atque vaſorum laudabili ſyſtole & diaſtole impedienda ac pervertenda potiſſimum conſiſtit, dum cavitates ventriculorum, auricularum ac ſinuum venoſorum prope cor plus vel minus opplendo, eadem proportione ſanguinis ingreſſum minuit, efficitque, ut minori rurſus quantitate expellatur. Illorum autem reſpectu, qui arteriarum oſtia obſident, expulſio vivida ac ſufficiens in ipſo ſtatim initio pervertitur, unde partim ventriculi non evacuantur, partim, ſi ipſas valvulas obſideant, ut ſe opponere redituro ſanguini non valeant, vivida arteriarum dilatatio non ſuccedit; unde pulſuum potiſſimum inæqualitas; quin ſæpe omnimoda intermiſſio, polyporum tam frequens ſymptoma, ut fere certiſſimum eorum ſignum præbeat, potiſſimum derivari debet.

§. XIV.

His quaſi fundamentis jactis illico exſurgunt in œconomia vitali incommoda atque damna graviſſima. Si ſinus venæ cavæ & dexter ventriculus no-

cens obſtaculum maxime foveant; pectori minus, magis vero extremis partibus, nec non abdominis viſceribus, ſed & capiti, nocetur: quod ſi venæ pulmonalis ſinus & ſiniſter ventriculus magis laborat; pulmonibus damnum affiicatur, quoniam nec pulmonum vaſa, quem ad ventriculum ſiniſtrum amandant ſanguinem, totum & omnem evacuare in ipſum valent, concremento duro curſus celeritatem viarumque capacitatem auferente; unde oppleri & inferciri pulmones, reſpirationemque anguſtam ac difficilem fieri neceſſe eſt: nec ventriculus ſiniſter tantum, ac naturaliter debebat, capere poteſt, corpore polypoſo notabilem ſpacii quantitatem opplente: unde iterum conſequitur, ſanguinis magnam partem in pulmonali ſinu & vaſis neceſſario ſubſiſtere & detineri. Ipſum vero cor maxime, ſimul vero etiam pulmones, patientur ſuos manes, ſi aorta monſtrum polypoſum incluſum teneat, quoniam quem ſub diaſtole receperat, projicere & dimittere nequit ſanguinem, adeoque nunquam ad ſyſtolem plenam redire valet, ſed modo quodam violento diſtentum ſemper manet. Plus patietur, ſi polypi corpus arteriæ coronariæ orificia, aut ſaltem ipſorum alterutrum, contegat, valvulaſque, quo minus coire poſſint, impediat, ex quo illud maxime evenire debet, ut ſanguis in coronarias minus vegete irrumpat, cordique robur ad conſtrictionem novam minus ſufficienter ſuppeditetur.

§. XV.

Atque ſic hactenus generatim indicavimus noxas illas, quas incluſi cordi majoribuſque vaſis polypi inducere valent, modumque, quo nocere cognoſcuntur, delineavimus. Nunc paulo ſpecialius conſiderabimus morborum pectoris diverſas ſpecies, quas anatomia potiſſimum practica à polypis ortas eſſe docuit. Faciemus initium ab aſthmate ſeu ſpirandi difficultate, quam varios gradus habere, & in varias ſpecies diduci, nemini poteſt obſcurum eſſe. In his vero contumacibus, uti notum eſt, malis, fomitem ipſius cauſamque non raro detexerunt medici polypoſas concretiones cordis majora vaſa obſtruentes. Notabilis eſt obſervatio, quam in hanc rem affert *D. D. Pezoldus*, Uratislavienſis quondam poliater, obſ. 58. Ad plura exempla invenienda manu deducet pulcherrima Diſſertatio *Exc. D. D. Hoffmanni de generatione mortis in morbis* §. 14. unde hæc in noſtram rem convertere liceat: *medicus caſtrenſis D. Grævius vel quingentos milites aſthmate ſuffocatos incidit, atque ſemper vel hydropem pectoris vel polypum, cordis ventriculos & vaſa obſidentem, adinvenit. Nos quoque ipſi teſtari poſſumus, quod aliquoties nobis obtigerit occaſio aſthmate ſuffocatorum cadavera diſſecandi, ubi polypos in vaſis pulmonum & cordis, nec non ſerum fœtidum extravaſatum in thoracis cavo, deprehendimus.* Similiter inter aſthmatis cauſas polypum refert *D. D. Zwingerus theatr. prax. tit. aſthma.* ut alios brevitatis neceſſario ſtudio nunc taceam.

§. XVI.

Vix unquam diu aſthma gravius ſine hydrope pectoris manet, præſertim ſi cauſa ejus non tam in aſpera arteria & bronchiis, quam in vaſis pulmonalibus hæreat. Quo pacto id fiat non difficillimum explicatu mihi videtur. Notiſſimum & certiſſimum, eſt experimentum illam partem intumeſcere, cujus venam ab illa redeuntem vel ligaveris vel fortius diutiuſque compreſſeris. Dum enim ſanguis venoſus reditu ſuo prohibetur, pars ſubtilior lymphatica vaſa copioſius ſubit eaque expandit: ſed & per membranoſa interſtitia, quibus pulmonum lobuli inter ſe conjunguntur, ſatis notabiliter colligitur, ibique ſubſiſtendo primo quidem ſpeciem quandam œdematis pulmonum conſtituit: temporis autem progreſſu, ſi vel magis illæ tunicæ tendantur, vel lympha contenta acrimoniam erodentem contrahat, in cavum abdominis elapſa hydropem pectoris format. Quamdiu intra primum gradum adhuc ſubſiſtit, aſthma, ſeu dyſpnœam facilius curabilem, format: ſi vero ſecundum contigerit, vaſaque eroſerit, difficiliora omnia reddi facile intelligitur. Ad illuſtrationem hujus rei, & forte ad ulterioris meditationis materiam, commendari meretur experimentum ſequens. Infletur arteria pulmonalis fortiter atque ligetur, aut etiam aqua repleatur: non longo interjecto temporis ſpacio videbis ad latera vaſorum intumeſcere aliquid veſiculoſum, novum quoddam vaſorum genus referens. Rationem phænomeni hujus aliam non reperio, quam quod flatus vel aqua injecta, dum veſiculæ aereæ collapſæ jacent, difficillimum inveniunt tranſitum, adeoque in vias lymphæ alias patulas copioſe ſecedunt, eaſque ſupra modum replent & expandunt. Jam quidem nemo, qui ſuperiora legit, exempla ſectionum, ad probandum polypos talia efficere, deſiderabit amplius: ſi quis tamen requirat, dimittendus mihi videtur *ad Pezoldum obſerv. 61.*

§. XVII.

Quin ipſum pericardii hydropem haud raro viſum, annon ad polypos majores, tamquam effectum ad cauſam, magno jure liceat referre, quoniam illa cordis repletio, quæ fit cum ſanguis non ſatis libere & plene evacuatur, expanſionem & anxiam conſtrictionem illius parit: cogitandum aliis nunc permitto: quoniam clarum ſatis exemplum ad manus non ſuccurrit: nuncque pedem promoveo ad hæmorrhagias, quarum cauſam & radicem polypi cordis & vaſorum majorum ſuſtinent. Contentus autem hic ero unico virginis exemplo, cujus meminit *Ill. Frid. Hoffmannus* in jam laudata diſſertatione *de generat. mort. in morbis* §. 17. Hæc 18. annos nata, menſiumque obſtructione laborans, quum diu reſpirandi difficultate laboraſſet, ſubito corripiebatur enormi ſanguinis e pulmonibus rejecta-

jectatione, cum tuſſi. Sæpius intra triduum recrudeſcebat malum, tandemque incredibilis copia ſanguinis, intermixtis fruſtis magnis, duris & carnoſis, impetuoſe prorumpebat, ut vitam brevi finiret. Hæc vero fruſta, ab adhærente fluidiori ac reſolubili ſanguine probe eluendo ſeparata & ad lancem explorata, quatuor unciarum pondus excedebant, nihilque aliud, quam concrementa polypoſa, fuiſſe aperte cognoſcebatur.

§. XVIII.

Merito acquieſcimus viri celeberrimi judicio, docentis aneuryſmatibus vel varicoſis pulmonum vaſis hæc polypoſa corpora inſediſſe: hincque arrepta occaſione ad ſimilia vaſorum vitia, a polypoſis concretionibus enata, progredimur. Notatu dignum exemplum aneuryſmaticæ expanſionis aortæ, in principio arcus ſui, affert *D. D. Joan. Baptiſta Bianchi* in *diſſertatione epiſtolica de polypo cordis* apud Cl. *Mangetum in theatro anatom. Tom. I. p.* 193. quo quidem edocemur polypum aortæ prope cor innatum, pugni magnitudinem excedentem, effeciſſe tantam tunicarum arteriæ hujus expanſionem, ut ad notabile ſpatium ſcinderentur, & per ſuum hiatum protuberare incluſum monſtrum ſinerent. Si quærimus quid pulmonibus acciderit; ipſum audire juvat Bianchium: *pulmonum lobus ſiniſter tum infarctiſſimus, ſicque amplitudine maximus, tum ad poſticum latus, pleuræ tendineis tamquam ſtaminibus inſolubiliter adhærens, tum ſpuriis fracidiſque albumineis tunicis circumcinctus erat.* Notabile eſt thoracem hic quoque habuiſſe illuviem ſeroſam, vix non ſemper fidum polypoſarum concretionum comitem. Sed & non minus notatu dignum videtur, quod de tunicis albumineis pulmoni circumcinctis addit. Equidem neſcio quid adjectis epithetis *ſpuriis fracidiſque* auctor ille ſibi velit: ſed revocavit mihi in memoriam quod legeram in *bibliothec. noviſſima obſ. & recenſ. Sect. III. l. p.* 146. In trimulo puero polypum cordis, & pectoris illuviem ſeroſam, fuiſſe inventam, totumque lobum pulmonis dextrum obtectum fuiſſe vera pinguedine ad craſſitudinem ferme calami ſcriptorii anſerini: quibuſque locis pulmo cum pleura cohæſerat, fuiſſe hanc medium cohæſionis. Addit illius auctor: de tunica pinguedinoſa, quæ pulmones veſtiebat, quoniam pluribus ſectionum exemplis ſibi ea contigiſſet, eamque bene videre & examinare licuiſſet, alio tempore ſe plenius eſſe dicturum. Non dubito fere de una eademque re utrumque auctorem loqui; ſed hic locus non permittit de ea tunica, quantum opus eſſet, nunc diſpicere. Aliud exemplum ingentis aneuryſmatis in aorta, cum polypo ovi anſerini magnitudinem habente, legimus apud *Baglivum de pr. med. lib.* 2. *p.* 229. Varicoſæ autem venæ cavæ dilatationis a polypo, qui omnino rupturam ejus, ſanguinis effuſionem & mortem ſubitam induxerat, affert *D. Dan. Puerarius in Thom. Burneti theſaur. med. pract. lib.* 3. *Sect.* 68. *p. m.* 344. egregium exemplum.

§. XIX.

Progredimur ad reliquos pectoris morbos a polyporum præſentia pendentes, proximeque in ſcenam nunc producimus palpitationem cordis, ſeu motum ipſius ita depravatum, ut ad coſtas præternaturali vehementia allidatur, cum anxietate præcordiorum, reſpiratione anxia, nec raro lipothymiis. Hunc affectum polypi ſobolem crebro eſſe, multorum medicorum conſenſu jam eſt receptum: ut in hanc probationem exempla adducere omnino videatur ſuperfluum. Modum autem, quo polypi palpitationem hanc producunt, talem concipimus. Si ſanguis a quacunque cauſa vehementius expanſus, aut ob inæqualem per partes corporis progreſſum, ad cor ſolito magis ſtagnaverit & confluxerit, & polypus cavitatem ventriculi aut arteriam, per quam exire debebat, anguſtet, nequit pari quantitate, quam intravit, redire; hinc fit cordis dilatatio, quanta fieri poteſt, maxima, eaque violenta ſeu paſſiva, cui ſe ſyſtole cordis æque vehemens, quamdiu vires ſuppetunt, opponit, conceptumque ſanguinem propellit. Quare non mirum ſub hoc ſtatu non raro vires ſuccumbere, lipothymias oriri, aut homines omnino tandem ſuffocari. Elegans eſt exemplum quod ex Baglivo modo adduximus, viri ſexagenarii palpitatione tandem demortui, cujus arteria immanem polypum aneuryſmati arteriæ incluſum habuerat. Cogitemus ſanguinem, cordis & pulmonum omnibus mæandris pererratis, nunc ejiciendum per aortam, quantopere ab objecto polypo, pugni magnitudinem æquante, ſit prohibitus; regurgitavit itaque maxima ſui parte ad ventriculum ſiniſtrum & arterias coronarias, quibus in forti ſyſtole procuranda, ſi multo ſanguine perfundantur, plurimum a phyſiologis, nec injuria, tribuitur: quumque eadem ſemper per circuitus fabula luderetur, nihil mirum, ſi is homo tandem ſuccubuit. Aliud exemplum ſiſtit *Diſſert. inaugur. D. D. Beckii de viro palpitatione cordis ac aſthmate mortuo. Gieſſæ* 1718.

§. XX.

Quo pacto polypi ad inflammatorios pectoris morbos diſponere poſſint, facile patere exiſtimo. Nam quum illi morbi cauſam proximam agnoſcant ſtaſin humorum in membranaceis thoracis partibus, ſive pleura, ſive pulmonis membranis, ſive ſimul in utriſque, non ſane e longinquo cauſæ arceſſendæ ſunt, quæ lentiorem primo progreſſum, mox ſtaſin majorem vel minorem inducant, præſertim ſi cauſæ occaſionales, quas hic eventus plerumque exſpectat, acceſſerint, ut aëris viciſſitudines ſubitæ & corpus notabilius ferientes, conſuetarum ſanguinis ventilationum neglectus, animi affectus vehementiores, præceſſerint, & ſcenam quaſi e longinquo adornarint. Exemplum notabile juvenis peripneumonia mortui, & in diſ-

diſſectione polypos offerentis, exhibet Exc. D. D. Frid. Hoffmannus in ſæpe citata *diſſ. de mort. generat. in morbis* §. 15. pluraque apud auctores anatomiæ practicæ facili ſe negotio offerent.

§. XXI.

Vidimus præcipuos pectoris morbos, quos tanquam polyporum effectus conſiderare licet, non eo ſenſu tanquam ſemper, ubicunque horum morborum aliquis adeſt, certo dicere poſſimus eundem a polypo ortum eſſe aut foveri: poſſunt enim aliæ etiam cauſſæ effectus illos edere, quos a polypis notavimus. Sic retulit mihi præceptor meus, cum honore æternum appellandus *D. D. Schulze* caſum centurionis cujuſdam, qui ſæpe cordis palpitatione, pectoris graviſſima oppreſſione ſemper laboravit, tandemque ſubito ſuffocatione periit, cujus inſuper pulſus ſæpe intermittens non exiguam polyporum inſignium ſuſpicionem movebat. Quum vero defuncti corpus aperire propinqui ejus permitterent, in corde ac majoribus vaſis polypus nullus, in hepate exiguus, reperiebatur. Pectus autem magnam aquæ copiam fovebat, quam manifeſtum erat inhæſiſſe ſacco cuidam pleuræ a coſtis ſeparatæ: cujus magna expanſio pulmonibus libertatem ſeſe pro inſpiratione aëris ſatis dilatandi ademerat. Sine dubio effectus hic fuit frigoris penetrantiſſimi, quod perpeſſus fuerat præcedenti hieme, quam ſaniſſimus attigerat: durante autem atque in frigidiſſimos menſes protracta oppugnatione Stralſundæ, juſſus fuerat per noctem, proxime hoſtem, quid ageretur obſervare & explorare, quod cum facere aliter non poſſet, niſi arrependo & humi decumbendo, hocque poſitu diutius permanſiſſet, mox ab illo tempore cœpit pectoris variis morbis affligi, ſicque difficilem ſpiritum uſque ad mediam ætatem moleſte traxit. Sic obſcurum nemini obſervationes evolventi eſſe poteſt, magna aneuryſmata arteriæ etiam ſine polypo, arteriæ aortæ truncum prope cor oſſificatum, concrementa lapidoſa in corde, ſteatomata arteriæ magnæ cyſtidi incluſa, omnino ſimilium paſſionum cauſſas in diſſectionibus poſt mortem factis fuiſſe deprehenſas.

§. XXII.

Atque hæc ſufficiant in genere dicta, de effectibus polyporum in turbanda potiſſimum ſerie & legitimo decurſu vitalium actionum. Nunc opus erit, ut, quemadmodum ab initio inſtituimus, ſpecialius requiramus, quid in noſtra ægrota ad polyporum geneſin præcipue valuerit. Non pauca vero ex præmiſſa longa morbi hiſtoria licebit indicare, vel remotius & ex longinquo huc referenda, vel propius eo ſpectantia. Prioris generis puto ſedentarium illud vitæ genus, quo corpore inflexo & quieſcente acu pingere diſcebat, eoque ſtudio impenſe dedita vivebat eo tempore, quo

motu corporis eruptura menſtrua potiſſimum adjuvare conveniebat. Illo autem errore factum fuit, ut ſuccedens inſultus apoplecticus gradum longe propiorem ad polyporum concretionem ſterneret. Non quidem juniori ætati frequenter hic morbus accidit: ſed ubi accidit, vix aliam cauſam habet, quam conſuetarum aut debitarum evacuationum ſanguinis naturalium, vel ſuppreſſionem vel retardationem: quæ quidem in noſtro ſubjecto manifeſta eſt. Noſtrum non eſt hoc loco accurate diſcutere, quid apoplexiam faciat, diverſaſque auctorum diſſenſiones componere: ſufficit clarum eſſe, in ægrota noſtra fuiſſe hunc morbum leviorem, quoniam ab eo liberata fuit, remanente quidem per ſatis longum tempus dextri lateris aliqua reſolutione, ſuperiores magis quam inferiores partes lædente.

§. XXIII.

Atque tunc quidem primum fundamentum polypoſarum concretionum fuiſſe jactum, vero mihi videtur ſimillimum, tot ſcilicet cauſis, ad hunc effectum potentibus, ſimul inter ſe coëuntibus, menſibus ſcilicet reſervatis, ſanguine per vitæ genus ſedentarium ſpiſſiori reddito, apoplectico inſultu, quo durante ſanguinem ad cor & pulmones præcipue ſtagnaſſe neceſſarium eſt, ac demum reſolutione dextri lateris, quæ, ob fibrarum flacciditatem, magis fovebat & augebat ſanguinis ſpiſſeſcentiam, ipſamque motibus voluntariis obeundis ineptam reddidit. Emendavit quidem non exiguam horum malorum partem febris inſequuta intermittens, & ſubſequutus menſium fluxus: ſed reliquias mali apoplectici oſtendit memoriæ imbecillitas; polyporumque rudimenta arguere videtur proclivitas in melancholiam, cujus cauſam maxime conjicio in difficiliorem ſanguinis ex vena cava ad cordis dextrum ventriculum ingreſſum, unde venæ jugulares, a capite ſanguinem revehentes, raro ſatis libere evacuatæ fuerunt, ac propterea ſinus duræ matris, plus quam expediebat, infarcti, nec ex cerebro reverſuro ſanguini locum facilem dederunt, quod mentis obnebulationem induxit, ſub qua phantaſiarum, temperamento aut conſuetudini cujuſvis familiarium, alterationes diverſimode ludere ſolere medicis eſt notiſſimum.

§. XXIV.

Stetit tamen valetudo ejus de reliquo mediocriter firma, valuitque, dum in menſium, reliquarumque ad muliebrem naturam pertinentium rerum, negotio nihil valde depravatum fuit, tam tolerabiliter, ut negotiis domeſticis ſufficeret obeundis, & tertio etiam partu facile defungeretur. Puto autem interea temporis polypoſa concrementa notabiliter aucta fuiſſe, ut jam, quum quarta vice uterum gereret, quo magis ad partus terminum legitimum accederet, eo magis pectoris anguſtias perſentiſceret: ſcilicet in ipſo corde latitante liberi humorum circuitus impedimento, novoque acceden-

dente ab expanſi & ad ſuperna adſcendentis uteri mole, quæ cum non permittat diaphragmati, a pulmonibus aere repletis pulſo, libere deſcendere, etiam cetera ſanis mulieribus hoc tempore reſpirationem difficilem reddere haut raro ſolet. Singula autem graviora reddebantur, quum poſt partum, laborioſis nixibus vix peractum, ſub quo pulmones ante jam oppleti non gravius affligi non poterant, deinde lochialis etiam ſanguis ſubſiſteret, quem ad pectus tunc regurgitaſſe manifeſtum eſt ex eo, quod non ſolum ſanguinis multa rejectio per os ſequebatur, verum etiam inflammatorius morbus ſuccedebat.

§. XXV.

Atque ab hoc tempore alterum quaſi gradum afflictæ valetudinis attigit dilectiſſima mater mea, quum non ſolum tunc pulmonum cum pleura coalitum accidiſſe vero ſimillimum videatur; verum etiam illa continui qualiſcunque ſolutio, per quam ſanguinis rejectio facta fuit, male coaluiſſe videatur, ut in poſterum facile eandem viam quæreret & inveniret ſanguis, quoties vernalis aëris expanſiva indole ad turgeſcendum diſponeretur. Ne vero continuo pateretur, & æquali vehementia affligeretur, tribuendum, exiſtimo, erat menſtruæ recte adhuc ſuccedenti evacuationi, quæ ſanguinis majorem, quam ferenda corpori facile eſſet, coacervationem fieri prohibuit. Abortus autem hac periodo factus, occaſione graviſſimi terroris nocturni, quum ſpectrum vel vere videret, vel videre ſe crederet, (ut hominibus melancholiæ non parum levi gradu obnoxiis haud raro accidit) multum prægreſſis malis adjecit. Vehemens enim terror, ad interiora conſtrigendo ſanguinem, fluidorum motum pervertit: nec minus idem nervoſo ſyſtemati inimicus eſt ſpaſmodicis ſtricturis inducendis, quæ, quo magis ſubjectum tenerum, debile ac diſpoſitum eſt, pertinaciter inhærent, ut nos infantilis ætas plus quam ſatis edocet, quæ terrores graviores ſatis diu luit pavoribus crebris ſomnum interpellantibus, ipſique adultiori ætati perdurantibus. Quo minus mirari debemus noſtram ægrotam ab hoc tempore magis, quam antea, melancholiæ obnoxiam fuiſſe, non jam ſolum illo a polypo ſanguinei æquabilis circuli impedimento illam infeſtante, ſed nervoſi generis profunda ſtrictura, magis etiam quam olim, humorum circuitum perturbante.

§. XXVI.

Ita diſpoſitam, tamque variis valetudinis rectæ læſionibus labefactatam feminam omnia graviora exſpectare debebant, quum jam per ætatem deſtitueretur unico abundantis ſanguinis naturali remedio, ut non potuerit nunc non variis paſſionibus hyſterico-hypochondriacis divexari, ſanguine per conſuetæ evacuationis loca exitum fruſtra requirente, nec, viis jam conſtipatis & clauſis, inveniente. Recte vero & ſalutariter venæ ſectionis

uſus

uſus in hoc caſu adhibitus fuit, quæ, copiam ſanguinis ſubtrahendo, effecit, ut reliquus per vaſa facilius flueret, objectaque, tam a polypis quam nervoſarum partium ſtrictiori ſtatu, impedimenta facilius ſuperaret. Nervoſas autem partes adeo profunde ſemel percuſſas, in hac ingraveſcente ætate & labefactata valetudine non facile deponere rigidæ tenſionis motum ſemel ſuſceptum, ſed potius quacunque etiam levi viſa invitatione eundem proſequi, & fortius intendere, in noſtra ægrota diſcimus, quæ vel leviſſima pedum refrigeratione ſpaſmorum crudeli exponebatur vexationi.

§. XXVII.

Nihil certius excogitari ad irritationem & ſummam exacerbationem tot maiorum poterat, quam quæ ita jam affectæ feminæ deinceps oblata fuerunt: ſcilicet moleſtiæ crebras iraſcendi occaſiones præbentes, & draſticum purgans pharmacum. Iracundiæ graviores noxæ, notantibus auctoribus, ipſaque experientia confirmante, potiſſimum cognoſcuntur pulſu ac reſpiratione plenioribus fortioribuſque factis, adeo ut ſæpe ſaniſſimos cordis palpitatione graviſſima correptos ſub hoc ſtatu videas, cum membrorum, præſertim extremorum, tremore, ac mentis, modo majori, modo mitiori, perturbatione: ex quo facile colligitur, non modo ſanguinem ab vehementi affectu expandi, verum nervos etiam peculiariter tendi, cujus præcipuum vero damnum ut plurimum luit œſophagus & ſuperior pars ventriculi, ubi paris vagi trunci ſibi invicem implicantur, &, pro magna ſui parte, in hoc viſcere abſumuntur, reliquum vero ad abdominis cetera viſcera dimittunt. Uterque vero effectus, ſive expanſionis ſive nervorum ſtricturæ, ceteras a polypo jam enatas corpori noxas graviores reddidit, ſanguine ſcilicet ſub priori ſtatu majus ſpatium requirente, ſed ad cor & pulmones obſtaculis objectis & inventis, anxietates tantum majores, difficiliorem & laborioſam reſpirationem, ſuſpiria, palpitationem, ſuffocationis pericula, lipothymias inducente: ſub altero autem accidit, ut per ſtrictas partes ſanguinis æquabili diſtributione & tranſitu ſuſpenſo & imminuto, ad reliquas, pari ſtrictura non detentas, copioſius ruat, ſicque ad cor & pulmones celerius rediens, alveoque auctiori influens, ob jam dicta obſtacula, eaſdem tragœdias excitet.

§. XXVIII.

Sed quanto gravius eam purgans draſticum multaverit, ipſa hiſtoria ſatis loquitur. Non enim hoc ſolum valetudinem graviſſime læſit, quod illa hypercatharſi magna pars fluidiſſimorum humorum expulſa, reſiduuſque ſanguis ſpiſſior inde & ad motum ineptior redditus fuit: verum etiam eo valetudinem graviſſime afflixit, quod, acrimonia ſua vellicante & ſtimulante, ad ſpaſmodicas ſtricturas antea jam proniſſimas fibras,

lon-

longe magis proclives & diſpoſitas reddidit. Neceſſarium itaque fuit tam ſenſibiles fibras, accedente levi occaſione, ut refrigeratione extremarum partium, iracundiæ excandeſcentia, protinus ad præternaturalem ſtricturam ſuſcipiendam & continuandam labi, quo magis inſuper craſſus, & meliori ſua parte orbatus, ſanguis per partes difficilem tranſitum habuit, ſpaſmoſque delinire & reſolvere minus valuit. Sic perpetuo quaſi labyrintho inerravit valetudo dilectiſſimæ matris meæ, & nec ſolidarum partium legitimo tono, nec fluidarum debita craſi, nec viarum requiſita libertate gaviſa, in deterius ruere debuit, quum naturæ corporeæ, morborum optimæ medicatrici, via ad ſuperanda tot mala præcluſa, tamque multis objectis impedimentis omnino irrecuperabilis eſſet.

§. XXIX.

Traxit itaque illam lentus morbus, & ſi non ipſi amplius polypi, effectus tamen noxii ab illis, quotidianis auctibus increverunt, quum jam œconomia vitalium motuum corrigendis ſuperandiſque illis minus valeret, ipſa ætate per ſe increſcente ſuaque incommoda ſecum ferente, naturales autem ſanguinis ventilationes non amplius habente; inſuper vero cum inſuperabili vitio a tam longo tempore luctante, novaſque difficultates a crebris iraſcendi occaſionibus nacta, perque draſtici purgantis remedii venenoſam qualitatem genere fibrarum membranoſo-nervearum omnino perverſo, & ad habitualem ſpaſmodicam ſtricturam diſpoſito: unde fieri non potuit, quin a leviſſimis externis cauſis occaſione arrepta, ut in talibus ſubjectis ſolemne & quotidianum eſt, æquabilis humorum circuitus turbaretur. Ut vero ad ultimum morbum, ejuſque cum prægreſſis malis nexum, deveniamus, optarem equidem factum non fuiſſe ut a longo tempore jam adſueta venæ ſectio differretur. Sed, ut ſumus homines, negligimus tempeſtivum remediorum uſum, nec cogitamus illud tritum: *principiis obſta.* Antea per veris primi frigidam humidam tempeſtatem, multis retro annis, recrudeſcente mali ſenſu tempeſtive ad ſanguinis ventilationem, magno ſuo commodo, confugerat: nunc ver mitius illo anno, & domicilii ex regione urbis humiliori & humidiori ad montanam translatio, videntur effeciſſe, ut mali inducias ſentiens minus ſibi caveret, adeoque peſſimis ſuis rebus venæ ſectionem negligeret. Sed mox inſequutum eſt, quod conſilii pœnitere cogeret. Humores ſcilicet ab expanſivo aëre excitati ad caput primo ruerunt, ibique ad dentes decubuerunt, ſtaſique facta inflammationis ſuppurationiſque eventum ſubierunt. Sed quum ne ſic quidem admonita conſuetam ventilationem inſtituere meminiſſet, aptam ſe & idoneam inſequutis occaſionalibus cauſis præſtitit, a quibus pectoris inflammatorius morbus excitatus eſt: cujus nexum cum prævia corporis diſpoſitione, ample jam deſcripta, facile fuerit perſpicere.

§. XXX.

Nimirum ipſis Kalendis Maii, quum, domeſticis negotiis intenta, corpus ſuum aeri pluvio ac nebuloſo per plures horas, easque matutinas, expoſuiſſet, effectus ejuſmodi aeris, tranſpirationem in corporis ſuperficie tollentis, ſpaſmodicamque ſtricturam ad interiores membranaceas partes propagantis, tanto gravius experta eſt, quo magis illam jam antea ad ſpaſmos diſpoſitam pronamque fuiſſe intelleximus. Teſtis hujus effectus ad interna viſcera propagati fuit maxime proclivitas illa ad vomitum, qui mox aliquoties actu evenit, & ſenſus horroris ac frigoris, moxque inſequutus æſtus, & febrilia ſymptomata. Sub hac vero vomitione, quum pulmones & pectorales muſculi, præcipue vero pleuræ proxime adjecti intercoſtales & infracoſtales, valde tenderentur, idem tenſionis ſenſus integram membranam, non minus vaſculoſam quam nervoſam, utpote ab intercoſtali nervo inſignes ramificationes accipientem, corripuit, rigidaque hac tenſione effecit, ut ſanguini per venam azygon reverſuro difficilior reditus eſſet, ipſis nervorum fibris vaſorum ambitus paſſim cingentibus, & ſub ejuſmodi ſtricturis præternaturalibus, diametros eorum anguſtantibus, ut egregie ab *Illuſtri Lanciſio in diſſ. de vena ſine pari* demonſtratum eſt. Ut vero ſtaſis illa, quæ inflammationis proxima cauſa fuit, celerius fieret, profundiusque inſideret, non parum puto tribuendum etiam eſſe cordis majorumque vaſorum cavis inhærentibus corporibus polypoſis, præcipue illi, qui ventriculum dextrum occupabat, & redituro per azygon ſanguini proxime obſtabat.

§. XXXI.

Multa poſſent addi, quæ in hiſtoria morbi ultimi obſervantur, a polypis manifeſte pendentia: ſed uno alterove indicatis acquieſcam. Nam quod pulſus non celer ac durus, ſive ſerratus, ut aliqui auctores loquuntur, obſervatus fuit, ſed omnino tardus, parvus, debilis ac non raro intermittens, præter morbi inflammatorii ordinem ac indolem fuit, a nulla alia cauſa facilius deduxeris. Neque aliam cauſam moleſti doloris, quem in corde ſe perſentiſcere toto morbi decurſu anxie conquerebatur, aut vero ſaltem ſimiliorem aliam, invenire poterimus. Iiſdem tribuo quod in recidivam tam prona fuit, & quod in recrudeſcente malo non leviter ſanguineis ſtriis diſtinctum, ſed omnino cruentum ſputum ejecit: quippe non ſolum lateribus laborantibus, verum etiam pulmonum vaſis, a ſtagnatione ſanguinis inſigni, ſuffartis & repletis, ut mirum eſſe non debeat, ſi bronchiorum internam ſuperficiem perreptantium vaſculorum orificia nimis oppleta ſanguinem per ultimas ſuas extremitates tranſmiſerunt, quum in ſtatu naturali nonniſi humiditatem aliquam blande lenteſcentem, pro irrigatione bronchiorum, effundant.

§. XXXII.

§. XXXII.

Venio tandem ad ultimum, quod me conſideraturum initio promiſi, ſcilicet ut diſpiciam, quæ ſpes ſit ad polypoſarum concretionum medelam, quibuſque remediis vel ad omnino tollendum malum, vel ad leniendum, minuendoſque eorum noxios effectus, præcipue fidere liceat. Optandum quidem eſſet ut omnes, evitando, quantum licet, illas cauſas, quas ad polypi generationem præcipue valere ſupra diximus, immunes ſeſe a tam pertinaci malo ſervarent: ſed quum recta ſcientes ſubinde prava admittant miſeri mortales; diſpiciendum eſt, quo pacto per artem ſalutarem emendare commiſſos errores deceat. Si quis itaque id vitæ genus habeat, ut ſedendo cogitandoque plurimum tempus conſumat: ne lento gradu accreſcat malum, interponere debet crebras & profundas aëris inſpirationes, aliquando deambulare, &, quod potiſſimum juvabit, multum & tenuem potum aſſumat, ac ne ſanguinis abundantia obruatur, ventilationibus tempeſtivis uti meminerit. Sic ſpes eſt fieri poſſe, ut ſanus ſeſe ab hoc gravi, multaque mala daturo, incommodo præſervet.

§. XXXIII.

Adverſus ſubiti terroris, præſertim profundioris & ad lipothymiam progreſſi, noxas ſine mora pugnandum eſt, data medicina reſolvente, & ad periphericam evacuationem diſponente: non quod ſudores expetendos neceſſarium exiſtimem: ſed quod æquabilis humorum circuitus recuperatus id, quod forte in humorum maſſa coire cœpit & lenteſcit, iterum attenuabit. In hunc finem multa cum fructu dari poſſunt: ſed forte primas tenebit mixtura ſimplex, quæ in ejuſmodi caſibus ſæpe ſpectabilem utilitatem attulit. Neque male datur pulvis epilepticus Marchionis, qui blanda anodyna, qua pollet, virtute nervis inductam ſtricturam expediet: quo facto non male ad cyathos aliquot infuſi calidi, vel ſimplicis theæ, vel corticum recentium citri, vel meliſſæ citratæ confugiemus, idem hominibus mœrore profundiori laborantibus, ut ſæpe faciant, ſuaſerim, donec ſenſus doloris hebeſcat & decreſcat. Quin vinum moderate ſumtum, tamquam optimum νηπενθὲς, hujuſmodi hominibus inſignem ſpondet utilitatem.

§. XXXIV.

Si quis obtingeret a frigore graviori, diuturnius tolerato, recens læſus, illi quidem ſuaſerim, ut & diluentium & reſolventium uſui aliquandiu inſiſteret. Concinnari poſſe, non modico fructu, videtur infuſum ex vegetabilibus reſolventibus, inter quæ rad. helenii, ariſtolochiæ, petaſitidis, lappæ majoris, pimpinell. albæ, vincetoxici, herb. chærefolii, hyſſopi, matricariæ, meliſſæ, ſaponariæ, ſcabioſæ, ſcordii, cortices citri & auran-

tiorum, florum etiam arnicæ & ſtœchados, tam citrinæ quam Arabicæ, nec non ſambuci, locum habere præcipuum exiſtimo. Nec omitterem ſalia media & lixiva, præſertim Tinct. ℥ij acrem, liquorem terræ foliatæ tartari, aut nitri fixi, quin, ſi faveret locus & tempus, uſum moderatum acidularum ſuaderem, methodo potiſſimum Slariana inſtituendum. Pilulas alterantes & leniſſime evacuantes præſcriberem ex amaris extractis, ut abſinthii, cochleariæ, cardui benedicti, fumariæ, centaurii minoris, fl. liliorum convallium cum vino ex recentibus factum, quibus gummeorum & reſinoſorum, ut ammoniaci, ſagapeni, myrrhæ, ſuccini aliquid adderem, quarum doſin veſperi ſumendam ſuaderem. Non aliam video requiri methodum, ſi homo, vini adulti nimia copia ingurgitata, &, ut non raro fit, in via, vel alias frigido loco, ſomno ſepultus indeque læſus obtingeret.

§. XXXV.

Sed raro fit, ut homines principiis obſtare cogitent, ut plurimum medicinam parari tum demum rogant, quum mala per longas moras invaluerunt. Haud ſcio an promitti aliquid ſoid fructus poſſit pro jam confirmato & indurato. Certe multum & abunde præſtitiſſe is dicendus fuerit, qui augmenta mali retardare & noxios effectus minuere feliciſſime conatus ſit. Equidem quid utiliſſime ſuaderi hic exiſtimem proponam, & experientiæ ſuffragio permittam. Et primo quidem fugienda indicabo: inter quæ eminent illa, quæ plethoræ augendæ apta ſunt, diæta nimis plena, vitæ genus motu laborioſo, quo ſanguis attenuari & ex parte conſumi poſſit, deſtitutum; neque minus ſubiti & vehementes motus, qui repentino initio inſtituuntur, moxque intermittuntur, animi affectus vehementes, præcipue tamen iræ excandeſcentia, ut & mœror atque terror, a quibus ſi omnino alteratum corpus fuerit, mature quærantur, quæ motus noxios compeſcant, & ſanguinis circuitum liberum atque æquabilem reddant. Proſpiciatur maxime ut alvi beneficium conſervetur: quo forte deficiente clyſteres mature applicati, magis quam medicinæ per os exhibendæ, prodeſſe potuerint. Nec minus curæ ſit, ne qua excretio naturalis, ut in feminis menſtruorum, in viris hæmorrhoidum, ſupprimatur, aut retentio longior negligatur, quum cito nimis pede congeſtiones ad alia loca, inſigni periculo raro deſtitutæ, ſubſequantur. Porro autem cane pejus & angue in hujuſmodi ſubjectis fugiendæ ſunt medicinæ catharticæ, in primis vomitoriæ: quippe humorum illæ agitationes majores ſunt, quam ut ferre tam afflicta corpora poſſint, & præcipue vomitorii motus in pectoris inflammatorios morbos facile præcipitant.

§. XXXVI.

Reliqua cura eo dirigatur omnis, ut ſanguis ſatis fluidus dilutuſque conſervetur, motuſque æquabilis, quantum fieri hoc rerum ſtatu poteſt, con-

ſer-

ſervetur. Plurimum ad hunc finem juvabimur diæta tenuiore & humectante: ſed & uſus aquarum mineralium blandiori methodo, juxta Slarium aliosque Britannos, inſtitutus, multum ſolidi fructus promittit. Utilitatem fontium ſalubrium ad hoc genus affectuum ſatis declarat caſus illius polypoſi, de quo ſuperius citata diſſertatio Gieſſenſis agit. Cur vero non omnibus convenire receptum bibendi morem, quo plurimum aquarum ſimul hauritur, exiſtimem, cauſas habere mihi videor ſatis prægnantes; ex quibus hæc eſt potiſſima, quod, tam multis humoribus corpori infuſis, vix præcaveri poſſe videatur magna difficultas, quando cor & pulmones trajici debent, unde metuendus eſt aquarum cum lympha ſeceſſus in ductus lymphaticos, ubi ſtagnaturæ aut omnino tenues tunicas facile eroſuræ, hydropi pectoris aut pericardii viam citius parabunt. Longe majus erit periculum ſi homo, cui jam initium eſt hujuſmodi vel alius cujuſcunque hydropis, in potando aſſidue perget. At vero ſi modica quantitate hauriantur aquæ illæ, vel ſolæ vel ad temperandum vinum adhibitæ, effectus diluens, aperitivus & reſolutorius belle impetrabitur, modo continuatione remedii id compenſetur, quod quantitati ſimultaneæ detractum fuit. Equidem ſcio quantum damni metuatur, ſi aquæ non ſecedant ex corpore, & multos perſuaſum habere, illas non ſecedere ſi non copioſiſſimæ dejectiones fiant: ſed nihil metuendum eſſe ab illo blando fontium uſu, modo circa diætam omnia legitime comparata ſint, jam dudum experimentis certis innotuit, & ab laudatiſſimo viro *Frid. Slare* aliiſque comprobatum eſt in graviſſimorum morborum chronicorum felici curatione.

§. XXXVII.

Sanguinis artificiales detractiones ſtricte obſervari debere dubio caret, eoque magis id opus eſt, quoniam neglectum harum evacuationum congeſtiones atque ſtagnationes promte ſubſequuntur, a quibus in ſtaſin humorum, inflammationes, hæmorrhagias, graves catarrhales affectus, quin apoplexiam prona via eſt, ut facile ſuperius etiam de his probari potuiſſet, ſi de aliis, quam pectoris morbis nunc agere licuiſſet. Tanto autem magis feſtinare ad hæc ſubſidia debebimus, ſi jam initia iſtiuſmodi morborum emicent, circa illa potiſſimum tempora, quibus alias ſanguinem mittere conſuevimus. Sanguine detracto proximum eſt, ut annitamur circuitum ejus liberiorem reddere ac æquabilem, quo comparato interna atque externa præſidia in uſum vocari debent. Aſthmate urgente ſulphur antimonii auratum ſecundæ vel tertiæ præcipitationis, cum ſale aliquo medio exhibitum, vel fæcula bryoniæ, aut ejuſdem aqua deſtillata rite adhibita, ipſumque extractum elaterii, operæ facient pretium.

§. XXXVIII.

His quidem obſervatis confido fore, ut ægroti polypoſi ſe non leviter ad-

juvari ſentiant, & pro eo, ac fieri in tanta labe vitalibus partibus infima poteſt, ſatis tolerabili valetudine per multos annos ſuperſtites, & negotiis ſuis qualitercunque ſufficientes, degant. Dicendum nunc eſſet, quantum polypi communem medendi methodum mutare cogant in illis morbis, qui cum polypo arctius vel longinquius connexi accidunt: ſed quod longius hoc a ſcopo noſtro recedit, longioremque tractationem poſtulat, quam arcti diſſertationis inauguralis limites permittunt: pedem nunc quidem figo, benevolumque lectorem precatus, ut hactenus a me dicta æqui bonique conſulat, ſcribendi facio

FINEM.

EXPLICATIO TABULÆ ÆNEÆ.

Figura I.

Siſtit polypum ex ventriculo cordis dextro, maximam vero partem ex auricula; extractum.

A. A. A. Polypi hujus longitudinem denotat.
B. Ramus ejuſdem ad venæ cavæ ramum adſcendentem ſe demittens.
C. Portio in ventriculo dextro radicata.
D. Ramus in venam cavam aſcendentem aſſurgens.
E. E. Craſſiſſimum polypi corpus, quod auriculam, cujus fere figuram refert, occupaverat.

Figura II.

Siſtit polypum ex aorta extractum, capite ſuo craſſiori circa ipſas valvulas ita adnatum, ut earum officio impedimento fuiſſe videatur.

A. A. Longitudinem denotat.
B. B. Craſſitiem indicat eo loco, qui eſt ſupra valvulas.
C. C. Craſſitiem in ſummitate arcus aortæ: ex quo loco gracileſcere incipiebat.

POLI-

POLYCARPI GOTTLIEB SCHACHER,

PROGRAMMA

DE POLYPIS.

Lipſiæ 24. Martii 1721.


QUemadmodum vox græca πολύπȣς latina civitate donata, & a Belgis Galliſque ac aliis gentibus recepta multiplices pedes deſignat, atque ideo inprimis animalibus, quæ pluribus pedibus inſtructa propterea πολύποδα ſeu multipeda dicuntur, jam in genere, jam in ſpecie attribuitur; ita tumor quidam peculiaris in naribus effloreſcens propter pedum ſeu radicum, a quibus pendet, multitudinem polypi nomine inſignitur: poſtea id nominis aliis quoque concretionibus modo in vaſis ſanguiferis, modo aliis in partibus reperiri ſolitis, atque iſtiuſmodi narium carunculas vel ratione radicum, vel ratione ſubſtantiæ æmulantibus impoſitum, atque a medicis retentum eſt, donec (*a*) *Kerckringius* ab horum opinione non parum diſſentiens poſtremas concretiones potiori jure pſeudopolypos nuncupari exiſtimaverit. Siquidem præmemoratus auctor quoslibet cordis vaſorumque polypos pro ſanguine poſt animalium demum mortem refrigerato, congrumato & indurato habet, id quod exinde colligit, quoniam talismodi concretiones, quas ad mentem ejus plerique polypos nuncupare ſolent, ex variarum partium vaſis protractæ, & abs ſe examini ſubjectæ nonniſi ſanguinem concretum parum ſimilitudinis cum carunculæ narium ſtructura habentem exhibuerint. Hinc ejuſmodi polypos, modo liquor acidus venæ animalis viventis infundatur, facile parari poſſe, porro opinatur; hoc enim modo fieri ſolet, ut ſanguis coagulatus hinc & inde polypoſas concretiones ſpectandas nobis ſiſtat. Quantumvis vero autopſiæ ſit conſentaneum, ſanguinem poſt animalium fata refrigeratum in grumos molliores hac illave in parte condenſari, tamen nec minus veritati eſt conſonum, id mali viventibus quoque accidere, id quod inprimis docent, qui per varias corporis partes ſanguinem concretum, atque nunc hujus, nunc illius rei faciem præ ſe ferentem excernunt, quas concretiones ſanguineas & quidem compactas omnique fluore orbatas, in pelliculas tamen diſtinctas haud reſolubiles ſi quis pſeudopolypos adpellare velit, me non adeo diſſentientem habebit, modo non quodlibet levioris momenti coagulum ſanguineum fa-

(*a*) Obſerv. anatomicar. 73.

faciléque diſſolubile, quod in omnibus fere denatis obſervare eſt, illico pro polypo venditet. Præterea polypos ex veris pelliculis contextos in vivis frequenter generari, *Malpighius*, *Pechlinus*, *Blaſius* aliique jam dudum obſervavere, polyporumque membranaceorum, carnoſorum, cartilagineorumque exemplis illuſtrarunt. Sane egomet ipſe plures ejuſmodi polypos aſſervo, qui adeo compactam conſiſtentiam ſunt indepti, ut haud difficulter in plures laminas reſolvi queant. Eos inter memoratu eſt dignus, qui in infantis quatuor annorum corde generatus eſt; is namque ex ima ventriculi dextri parte ſeu cono aſſurgens, & paulatim lateſcens, valvuliſque tricuſpidibus inſtratus, non modo auriculam quoad maximam partem replet, ſed & ramum inſignem in arteriam pulmonalem ſpargit. Profecto hic ipſe polypus albi coloris & fibris haud paucis valvulis prædictis & lateri ventriculi adhærens tantam craſſitiem obtinet, ut facili negotio in laminas dividi queat. Proinde *Kerckringius* non habet, cur *Bartholinum* alioſque erroris arguat, qui in viventium corde, vaſis aliiſque partibus polypi generationem aſſeruerunt, nec eundem pro effectu mortis, aut omnem indiſtincte pro puro ſanguine coagulato habuerunt, & etiam nunc habent. Exoptandum potius foret, ut homines ingratiſſimum illum hoſpitem tanta mala in œconomia animali excitantem penitus neſcirent. Sed enim vero quem, quæſo, hodierna tempeſtate latet, vix partem corporis ab ejus atrocitate eſſe immunem. Jam enim narium polypos haud loquor, e quibus inprimis notandus, cujus (*b*) *Job van Meckern* meminit; quippe qui ſtupendæ propemodum magnitudinis univerſam faciem reddidit monſtroſam. Neque polypos in meatu auditorio genitos commemorabo, quos (*c*) *Cowperus* non infeliciter curavit. Sed conciſe ſaltem polypos in viſceribus, vaſis aliiſque abſconditis partibus obſervatos attingam. Sane (*d*) *Ruyſchius* in maxillæ ſuperioris cavitate highmori antri nomine veniente polypos animadvertit, eorumque plures minores ex eadem protraxit; in ſinu duræ meningis falcato (*e*) *Blaſius* polypum album, tenaciſſimum, in filamenta plurima ſeparabilem, & ad omnes ſinus hujus rivulos meningem tenuem pererrantes ſe extendentem deſcribit. Similes obſervationes non modo (*f*) *Blegny* atque (*g*) *Hartmannus* litterarum monumentis conſignarunt, ſed & nuper admodum in eodem ſinu polypum e fibris albis conſtructum & ramulos in venulas ſpargentem obſervavi. Porro polyporum intra duplicaturam duræ meningis, nec non prope baſin cerebri & cere-

(*b*) Obſerv. medico-Chirurg. 71.
(*c*) Anatom. t. 90. f. 5.
(*d*) Obſerv. anatomico.chirurg.
(*e*) Obſerv. medic. part. 6. obſ. 2.
(*f*) Zodiac Gallſc. ann. 80. munſ. Jun. obſ. 2.
(*g*) Ephem. N. C. D. 2. ann. 5. obſ. 62.

Tab. VI.



Disput. Medico-Pract. Tom. II. GOETZ DE POLYPOSIS CONCRETIONIBUS. pag. 654.

rebelli inventorum (*h*) *Harderus* meminit. Polypum œſophagi vermiformem a nimio pulveris ſternutatorii hiſpanici uſu excitatum (*i*) *Schniderus* deſcribit. Præterea prælaudatus (*k*) *Harderus* pulmonum polypos delineat. Nec ab iis inteſtina eſſe immunia (*l*) *Lanciſius* pluribus contendit. In uteri vaſis ſæpe reperiri eoſdem & quidem tantos, ut vaſa ipſa adimpleant, eoſdemque interdum calloſam induere naturam (*m*) *Graafius* eſt auctor. Ex orificio uteri interno polypoſas concretiones membranaceo-carnoſas propendentes icone eleganter repræſentat (*n*) *Ruyſchius*. Omnium frequentiſſime in corde eoſdem generari infinitæ propemodum obſervationes teſtantur, quibus recenſendis quo minus inhæreamus, præſentis inſtituti ratio prohibet. Inprimis vero polypus utrumque cordis ventriculum, nec non omnes corporis venas & arterias occupans, cujus (*o*) *Bartholinus* mentionem facit, attentionem meretur, quippe qui luculenter confirmat, nos ſupra haud gratis dixiſſe, omnes propemodum corporis partes malo huic eſſe obnoxias. Temperare certe mihi nequeo, quin hiſtoriam polyporum cum urina ſeparatis temporibus excretorum breviter adhuc deſcribam. Nimirum vir quidam honoratus quadraginta circiter annorum, decem pluresve annos arthriticis doloribus vexatus, tandemque in cachexiam delapſus novem ante obitum menſes non modo propter inſignem pedum debilitatem domi ſe continere coactus fuit, ſed & in regione lumbari ſiniſtra dolorem non rodentem, non pungentem, non ardentem, ſed gravitate inprimis moleſtum ſæpius ſenſit. Accidit vero aliquando, ut urinam, quæ ordinarie pallida erat atque aquoſa, obſcure tinctam vini ceraſorum pene ad inſtar per biduum excerneret, atque tertia inſequenti die præter ſpem in urinæ ſuppreſſionem incideret. Hæc quindecim pluresque horas durans ineffabiles anxietates eidem pariebat, donec cum urina impetuoſe proſiliente concretio polypoſa floreni magnitudinem æquans egereretur. Ab illo tempore de urinæ ſuppreſſione haud amplius conquerebatur, frequenter tamen polypos præcedente gravativo lumbaris regionis ſiniſtræ dolore excernebat. Polypi illi modo indigeſtæ cujuſdam maſſæ, modo lumbricorum figuram exacte præ ſe ferentes, interne æque ac externe ſanguineo colore erant tincti. Inprimis vermiformes compactam denſamque obtinebant ſubſtantiam, quoſque hinc curioſitatis gratia in liquore balſamico etiamnunc aſſervo. Horum alii pennæ anſerinæ ad inſtar craſſi, atque ſedecim pluresque pollices tranſverſos longi, ac capitulo globoſo cau-

(*h*) Apiar. obſ. 77. 44.
(*i*) Act. erudit. an. 1715. menſ. octobr. p. 456.
(*k*) Ibid. obſ. 66.
(*l*) Diſſ. de triplici inteſtinorum polypo.
(*m*) De partibus genit. mulier. c. 8. p. 131.
(*n*) Obſ. anatom. chirurg. 6.
(*o*) Actor. Hafnienſ. volum. 5. obſ. 29.

caudaque graciliori veluti ornati, alii longiores & graciliores erant Quo minus vero concreta hæcce vermiformia pro veris renum lumbricis habeamus, interaneorum prohibet defectus, utpote quibus lumbricos haud deſtitui, non modo autopſia ubertim nos docet, verum etiam alia occaſione ex inſtituto probatum dedimus. Neque vero prædicta concreta polypis carneis vel membranaceis accenſeri merentur. Licet enim in externa eorum ſuperficie fibrulæ interruptæ, jam oblique, jam directe progredientes, in oculos incurrant, tamen iidem nec in fibrulas nec in lamellas dividi queunt. Sunt itaque non niſi ſanguis congrumatus & compactus, inque uretere formati, quippe cui potiſſimum figuram vermiformem debent. Similes prorſus polypos cum urina excretos (*p*) *clariſſimus Thomaſius* pereleganter deſcribit, atque eorum quoque mentionem in actis eruditorum (*q*) clariſſimus *Spon* facit. Interim ex harum concretionum delineatione adparet, eas fortaſſis non incongrue pſeudopolypos nuncupari, quales *Kerkringius* loc. cit. ex pulmonis vaſis exemtos depingit, noſque ſimilem mole non mediocrem ex vena cava hujuſque ramis protractum aſſervamus. Tandem æger aſthmate ſicco adfectus placidam obibat mortem, non minimam de pulmonum polypo ſuſpicionem nobis relinquens. Hæc qualiacunque occaſione panegyris jam indicandæ præfari lubuit, in eadem diſtinctius paulo de præmemoratis polypis aliiſque inſolitis cum urina excretis acturus.

(*p*) Ephem. N. C. cent. 7. & 8. obſ. 100.
(*q*) Ann. 1686. menſ. Jun. p. 272.

PHILIP.

LXXII.

PHILIP. ADOLPH BÖHMER,

PRÆSIDE

FRIDERICO HOFFMANNO

DISPUTATIO

DE PRÆCAVENDA POLYPORUM GENERATIONE

Hallæ 15 Maij 1736.

§. I.

QUum omnis diſputatio *de præſervanda polyporum generatione* futura eſt, id faciam, quod in principio fieri in omnibus diſſertationibus oportere, *Cicero* ait *de oratore libr. I. Ut quid illud ſit, de quo diſputetur, explanetur, ne vagari & errare cogatur diſſertatio, ſi ii, qui inter ſe diſſenſerint, non idem eſſe illud de quo agitur; intelligant.* Dicitur autem *polypus* (*a*) concrementum aliquod fibroſo-membranaceum, quod a parte ſanguinis gelatinoſa & terreſtri productum vaſorum cavis inhæret.

§. II.

Concretionis hujus carnoſæ in tantam molem, ut teſtibus, *Bergero diſput. de cordis polypo* §. 4. uncias decem, & *Veſalio anat. libr.* 1. *c.* 5. libras propemodum duas ponderaverit, ſtamina præbent fibræ, quarum cohærentium congeries membranas conſtituit, & involutarum membranarum

(*a*) De polypi ſignificatu & ratione dialectorum non ero ſollicitus, cum fuſius id jam explicarunt *Albinus* in *diſſert. de polypis theſ.* 1. & *Snell.* in *diſſert. de cordis polypo* §. 1. 2. 3. Placet vero in præſenti veteres quoſdam auctores adducere, & quæ in eorum ſcriptis de polypis exſtant, diſſertationi huic inſerere. Occulte eos denominarunt per *coagulationem pituitæ.* Ita *Antonius Benivenius*, qui floruit 1495. in mulieris, a cordis tuberculo ejuſque fixo dolore mortuæ, ſiniſtro cordis ventriculo *fruſtulum nigrioris carnis* reperit, quod *meſpili* formam habuit, vid. *libr. de abditis morborum cauſſis cap.* 35. *Henricus Smetius* anno 1561. in mercatoris cujuſdam diſſecto corpore vidit dextrum cordis ſinum, (cui vena cava inſeritur,) interiore ſui parte *durum*, *exaſperatum* undique, & quodammodo *ſquamoſum*, ut *inſerta manus ejus ſquamarum ſcabritie offenderetur*, quo in loco continebatur *fruſtum condenſati humoris pituitoſi lenti albicantis*, longitudine digiti medii, craſſitie pollicis, aut amplius, ſanguini immerſum, quod *medullam cruris bovilli caleſactam*, ſubſtantia & forma referebat. conf. *libr.* 10. *rar. aliquot obſervat. pag.* 523. Quam ſcabritiem in ſinu cordis dextro *Smetius* animadverit, eandem Altorffii in arteria magna obſervatam *excell. vir. Joann. Henr. Schulzius præceptor omni honorum cultu proſequendus*, mihi retulit. *Ruyſchius* quoque *theſaur. anatom.* 6. *n* 36. mentionem facit *cordis*, *ſuperficie exteriore ſcabri*, *immo ramoſi*, uti vocat, *quod ſcabritie ſua connatum erat pericardio. Marcus Aurelius Severinus libr. de noviſſ. obſervatis abſceſſibus cap.* 2. §. 1. *p.* 132. ſe anno 1616. in viro Epilepſia mortuo obſervaſſe refert ſinum cordis utrumque, venas magnas, quæ cordi inſeruntur, & hujus auriculas humore obſita concreto inſtar *vulgaris gelatinæ flavioris*, quem putavit *putrem pituitæ mucaginem bilis aliqua portione tinctam; dulcique novitatis amore* medicos Neapolitanos viſum rem veniſſe. Quod vero antiquioribus non fuerint cogniti polypi, mirum non eſt, cum neglecta vel parcior corporum poſt mortem inſtituta fuit ſectio, quemadmodum *Illuſtr. Hoffmannus*, præceptor meus fideliſſimus monet *medic. ſyſtemat. tom.* 2. *cap.* 8. §. 19. *in ſcholio.*

narum glomum refert. Dicitur enim *membrana* ſtratum aliquod fibrarum plicabilium ſine ordine quidem ſibi inflexarum, cum in illa fibræ vel parallele ſibi apponantur, vel inſtar lintei ſe invicem decuſſent, uti quemvis convincunt peritorum anatomicorum obſervationes. Ita judico cum *Borello* & *Malpighio*, polypum eſſe faſciculum membranarum ſibi incumbentium, quem conſtituunt fibræ in corpore polypi arctius cohærentes, (quo duriores enim fibræ ſunt, & arctius cohærent, eo firmas ac ſolidas magis conſtituunt tunicas per experientiam) quæ vero pedetentim a ſe invicem ſecedentes, in extremitatibus polyporum in fibras rurſus reſolvuntur, dum ob defectum contactus fibrarum corpus aliquod contiguum conſtituere nequeunt. Idem probat *Bergerus* experientia edoctus, quum polypum cultro anatomico ſubjiciens inveniret *ex meris*, uti ait *diſſert. de polypo cordis* §. 10. *pelliculis gelatinoſis*, *ſed craſſioribus & arctius ſemet amplectentibus* conſtantem, *perinde ac ceparum bulbi*, *quarum alia poſt aliam divulſa*, *cultellum digitoſque facile ſequebatur*; ut taceam *Patini* polypum in viginti membranas & amplius diſtinctum, vid. *hiſtor. ejus anatomicam* §. 56. *pag.* 116. Confirmat hoc quoque *Malpighius in diſſert. de polypo cordis*, *quando morboſa hæc*, inquit, *excreſcentia ſuam quoque ſtructuram habere videtur*; *etenim præ ſe fert congeriem ſuperpoſitarum extenſarumque pellicularum*: & quæ ſunt reliqua, quibus laudatus vir probare conatur conſiſtentiam polypi ex pluribus membranis, earumque ſolutiones in filamenta ſolida & oblonga, quæ inſtar faſciculi hærent, & in polypi appendicibus manifeſtiora magis redduntur.

§. III.

Non omnes polypi unius ejuſdemque generis ſunt, alii enim fibroſam & membranaceam ſubſtantiam magis repræſentant, alii membranis incluſam fovent *pituitam*; (*b*) rurſus alii *fruſtula* continent *pinguedinoſa* (*c*)

(*b*) *Tulpius lib.* 1. *obſerv. med. c*, 27. polypum deſcribit ex *alba & concreta pituita* incluſa membranaceo involucro: pituita hæc, quam quum in membranis & venis per cerebrum diſperſis *tantaque in copia ac lentore* videret, *ut potuerit extrahi inſtar longioris cujuſdam fili*, *non levem movit polypi ſuſpicionem*. Polypum *mucilaginoſum tenacemque* in ſinu cerebri refert *J. N. Pechlinus lib.* 2. *obſerv.* 2. Contigit mihi anno præterito idem conſpicere in viri juvenis 24. annorum habitus ſtrictionis corpore diſſecto, cui ruri tunc temporis inexiſtenti eum manus fere tota una cum arteria radiæa abſcinderetur, non habuit, quo ſanguinis fluxum ſiſteret, hinc magnam paſſus hæmorrhagiam nono demum die exſanguis fere obiit. Cor hujus cadaveris nimis expanſum erat, præprimis auricula dextra, in qua polypi corpus deprehendebatur, figuram ejus referens cum radicibus ſat longis in venam cavam inferiorem & ſuperiorem, ex qua in ſubclavias venas tranſiens figuram eorum delineabat. Quem polypum quum *celeberr. Caſſebohm* ſub examen vocaret, in corpore ejus *repletam muco tenaci* cavitatem membrana antea obtectam invenit; reliqui autem polypi, qui cordis ſiniſtro ventriculo & vaſis majoribus, uti arteriæ aortæ, venæ ac arterteriæ pulmonali ſpithamam unam circiter longi inhærebant, item qui ſinu longitudinali ſuperiori inexiſtens in laterales & orificia venarum, ſanguinem in ſinum hunc deferentium, ramos tranſmiſerat, carebant hac pituita. Plures ejuſmodi obſervationes collegit *Bonetus* in *anat. pract. lib.* 2. *ſect.* 11. *obſerv.* 6.

(*c*) interdum etiam in *lapideam* (*d*) ſunt conſolidati duritiem, teſtantibus id quorundam auctorum obſervationibus. Non enim opus eſt, ut reticulatæ illæ membranæ denſentur & arctius compingantur, ut corpus fibroſum & admodum firmum conſtituant, quum pro varia motus, materiæ, locique, in quo polypus hæret, conſtitutione ſæpius fit, ut membranæ laxius cohærentes, tenacem involvant materiam, prout cujuſvis individui ſtructura fluidorumque textura ad hoc vel illud producendum diſpoſita eſt; conſiſtentiæ enim partium diverſitas deducenda eſt a partium ſucci nutritii diverſitate, uti recte monet *Clopton Havers in oſteologia nova p.* 187. & 189. *quando ſuccus*, inquit, *partium extravaſatus ſubſtantiam generat, ſubſtantiæ partis illius quam nutrire aptus eſt, ſimilem.*

§. IV.

Quod præmiſſis jam in genere præmittendis ad ſpecialiorem polyporum cognitionem eorumque generationem attinet, per modum quo polypi producuntur, intelligo eorum *generationem.* Quos enim ſolertes in corporum ſectione obſervarunt medici, vel antea jam extiterunt, vel poſtea

(*c*) Retulit mihi *excellentiſſ. vir, magnæ Britanniæ Regis Archiater J. G. Steigerthal*, quem honoris cauſa nomino, ſe anno 1708. in menſe Octobri in febre quadam ardente, qui ex delirio in aquam incidit & poſt horas aliquot obiit, obſervaſſe polypum ex *mera pinguedine* in cordis ventriculis & vaſis, qui igni admotus, non in liquamen ſolum ſed & in flammam abiit, chartaque a liquata & fuſa pinguedine tanquam oleo imbuta, pellucida reddita fuit. De polypo albidiore intus & quaſi adipoſo una cum ſanguine congrumato egit *Berger* in *diſſert. de polypo cordis p.* 28. *De fruſtulis adipoſis inſtar lumbricorum* in corde phtiſici, conf. *Bartholini hiſtor. anat.* 7. *cap.* 5. *De adipoſis* vid. *Ballonius epid. & ephem. lib.* 2. *p.* 144. qui polypos inſignes pinguedine refertos fuiſſe notavit. *Martinus Bogdanus* apud *Bartholinum cent.* 4. *ep.* 11. obſervavit in ruſtico ex pugno pectori inflicto mortuo *materiam ſubalbicantem pancreati omnino ſimilem*, cui *ſimile quid veræ pinguedinis* interſperſum fuit. *Caſpar Bauhinus* in dextro cordis ventriculo puellæ cachecticæ *maſſam pinguedini ſimilem recenſet* in obſervationibus.

(*d*) Variæ ſunt obſervationes *polyporum lapideorum lapidumque* in corde & vaſis majoribus. *Polypum lapideæ ſubſtantiæ* recenſent *E. N. C. dec.* 2 *a.* 5. *obſerv.* 83. & talem lapideum Pariſiis ex corde virili exemtum *Diarium Pariſienſe* vulgo *Journal de medecin.* commemorat, nec mirum eſt *in adulto* id accidiſſe, cum *Ruyſchius theſ. anat.* 9. *n.* 30. *p.* 25. ſimile fere quid, *cranium ſcil. lapidea ſubſtantia* variis locis obſitum *in infante*, & *Greiſelius*, conf. *E. N. C. dec.* 1. *anat.* 1. *obſerv.* 70. in puero duodecim annorum valvulam *arteriæ magnæ arenæ calculis* prorſus abſumtam, nec non *Malpighius diſſert. de polypo cordis* in puellæ corde, *globulos velut avellanæ fructus gypſea quaſi materia excitatos, in cujus corde polypi ſimul ſtagnabant*, obſervaverint. *Bellinus libr. de morbis pectoris pag.* 617. *lapides*, ait, *vidimus in interna arteriarum tunica, quæ hic illic eandem exeſerant, & veluti phlogoſi inflammaverant, & ad loca inflammata veluti cruſta affigebantur.* Porro inquit p. 618. *lapidem plane admirabilem vidimus genitum in altera valvularum, quæ in ſiniſtro ventriculo adſtant, venæ pulmonalis orificio.*

poſtea ortum traxerunt, prius negant, poſterius vero affirmant ratio & experientia. Dum vero oriuntur, vel ex nihilo vel ex aliquo producuntur; ex nihilo autem fieri nequit, dum illud dicitur quod non exiſtit, ergo ex aliquo, tertium enim per regulas oppoſitionis eſt impoſſibile. Oritur autem polypus ex ſanguine. Eſt enim ſanguis liquor purpureus, ex partibus fluidis, ſulphureis, terreis, gelatinoſis plus minus cohærentibus compoſitus; conf. *Lemery in chymia pag.* 528. *ſeqq. ad Pariſ. experiment. Quercetani* apud *Moebium phyſiolog. p.* 253. quæ vero certa figura vel diaphanæ & opacæ, compoſitione vero flexiles & rigidæ magis exiſtunt, vid. *illuſtr. Hoffmanni med. rational. ſyſtem. t.* 1. *lib.* 1, *ſect.* 1. *cap.* 5. §. 2. *&* 8. *in ſcholio.* Verum enim vero neque terra ſola, nec phlegma aut ſulphur, quod cum terra & motu globulorum ſphæricorum circa axin rotatorio ſanguini purpureum induit colorem, vid. *Berger de natura humana pag.* 157. corpus tale fibroſo-membranaceum producere poteſt, per experientiam, ſed gelatina, quæ ex phlegmate, ſubtili oleo, ſale volatili & terra componitur, id efficit, uti reſolutio ejus in principia ope ignis facta teſtatur. Id quod etiam *Illuſtris Hoffmannus med. ration. ſyſtem. tom.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 5. §. 9. *in ſcholio* docet, ſimulque experimentis confirmat, ſanguinem eſſe *gelatinam diaphanam* a ſulphurea & rubicunda materia tinctam, quum conſtet, ſanguinem e vena in aquam tepidam effuſum gelatinam in fundum dimittere, aqua ſupernatante rubra, poſt cujus evaporationem remanet pulvis rubicundus facile ardens, vid. *ſupra cit. libr.* 14. *in ſcholio:* &, qui remanet in præparatione polypi artificialis, non amplius in coagulum abire, ſed eſſe terram cum ſulphure in aqua ſolutam.

§. V.

Quum vero vi principii indiſcernibilium idenditas characterum omnium poſſibilium quoad maxima & minima in cujuſvis animalis ſanguine impoſſibilis ſit, in gelatina quoque cujuſvis animalis non datur perfecta ſimilitudo; cum, quod generi competit, competat etiam ſpeciei ob ſimilitudinem ſpecierum, quam genus conſtituit. Differt itaque gelatinoſus humor, prout terreſtribus, ſulphureis & aqueis plus minus abundat particulis, & corpuſcula vel firmius vel laxius cohærent, vel ob defectum cohæſionis facilius ſecedunt. Quo enim minora eadem exiſtunt, eo ſubtiliorem ac teneriorem continent contactus lineam, qua cohærent, uti id corporum in principia reſolutiones abunde teſtantur. Quo magis vero ſpecifica gravitate æqualia ſunt, eo fortius adhærent, quemadmodum inter alios optime docuit *celeberrimus Hambergerus in elementis phyſices cap.* 3. *de cohæſione corporum.* Cum autem ex corpuſculis diverſi generis mixtum aliquod & ex hoc compoſitum, iiſque tenaci cohæſione arcte in unum cohærentibus, moleculam aliquam ſat durabilem

ac

ac firmam producere queamus, docente immortalis memoriæ viro *B. Stahlio in opuſculis phyſico-chymico-medicis p*, 306. & 307: concipi etiam licet, quomodo ex compoſito fluidi ſpeciem referente, ſeu gelatina, corpus aliquod ſolidum fibroſo-membranaceum produci poſſit; docet enim ante laudatus vir *p.* 307. *vel pro differentia mixtionis corpuſcula facilius ſolvi, principia ſeorſim colligi, & in novas concretiones tranſponi poſſe.*

§. VI.

Dantur in gelatina partes haud ſolubiles vid. *Illuſtris Hoffmannus medic. ration. ſyſtem. tom.* 2. *part.* 3. *c.* 12. §. 20. *in ſcholio*, illaque in ſe jam fibroſam continet ſubſtantiam, confer. *Malpighius in opere poſthumo p.* 62. quæ vero ob intermixtas aqueas particulas & illius ſubtilitatem, oculis niſi armatis conſpici poteſt. Sic feliciter ſucceſſit experimentum, cum mininam particulam gelatinæ vitro illinirem, illudque aeri ad exſiccandum exponerem; exhalatis enim partibus fluidis remanebant ſolidiores fibrarum figuram referentes, quas optime ope microſcopii conſpiciendi, data mihi ſæpius fuit occaſio. Quas partes, quæ fibram ſcilicet minimam faciunt, *celeberr. Boerhaavius* dicit *minimas, ſimpliciſſimas, terreſtres, vixque mutabiles per eas cauſas, quæ in nobis viventibus deprehenduntur, lib. de cognoſcendis & curandis morbis aphor.* 21. *p.* 5. Solida hæc in gelatina præëxiſtens ſubſtantia corpus aliquod durum conſtituit, ſicuti arte ope ignis ex gelatina produci poteſt. Per calorem enim fluidæ partes attenuantur, & ſolidarum partium interſtitiis inexiſtens aqueus humor in vapores reſolvitur, aeris autem atmoſphærici compreſſione partes ſolidiores ad ſe invicem compinguntur, cum nihil ſit, quod preſſioni ejus reſiſtat. Hoc modo glutinoſam ex gelatina parari ſubſtantiam, docet *illuſtris Hoffmannus medic. rational. ſyſtemat. tom.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 5. §. 9. *in ſcholio.* Prout vero gelatina tenax & viſcida exiſtit, terreſtribus magis quam humidis abundans particulis, pro eo etiam ſolidioribus ac fibroſis ſcatet partibus, quæ ignis & microſcopii ope detegi facile poſſunt.

§. VII.

Quum vero in §. 2. dictum jam fuit, fibras ſine ordine quidem connexas componere membranam: concipi licet, quomodo ſtratum aliquod fibrarum plicabilium in gelatina exiſtentium corpus reticulare membranaceum conſtituat, lamellarumque ſuperpoſitarum congeries componat fibroſo-membranaceum corpus, motu ſolidorum & fluidorum compactum firmumque redditum. Confirmat aſſertum hoc productio membra-

narum ex *gelatina arte* (*e*) facta. Per effuſionem enim ſanguinis in primis gelatinoſi in aquam calidam generantur membranæ. Solvuntur enim in aqua particulæ terreſtres, ſulphureæ & ſalinæ, aqueæ autem cum fluido in motum abripiuntur, remanente parte in aqua ſolidiore haud ſolubili, quæ propter ſimilium contiguitatem talem fibroſo-membranaceam conſtituit ſubſtantiam. Hanc membranam cum ope microſcopii explorarem, inveni congeriem multarum minimarum fibrarum ſe invicem inſtar retis decuſſantium; ut adeo illa probent, quæ de membrana §. 2. dicta ſunt.

§. VIII.

Quemadmodum ex fibris membranæ, ita ex congerie membranarum in fibras deſinentium generatur ſubſtantia talis carnoſa; id quod ſimile corpus arte productum confirmat. Feci experimentum (*f*) cum ſanguine ſuillo recenti, libramque ejus unam, per horæ ſpatium bacillo agitare juſſi, donec frigefactus erat. Hunc involvebat ſubſtantia aliqua ex congerie fibrarum membranas conſtituentium compoſita, fortiter cohærens, ponderis circiter unciæ unius, quæ fruſtulum carnis æmulabatur, in aqua macerata fibras albas conſpiciendas præbebat, in calido hypocauſto in putredinem cum ponderis diminutione facile ruebat, in frigido loco vero aſſervata, durum ac rigidum corpus conſtituebat.

§. IX.

Itaque cum hæc & ſimilia ex ſanguine produci videamus, mirandum non eſt, eadem etiam in corpore adhuc vivo (*g*) accidere. Sanguis

(*e*) *Ruyſchius theſ. anat.* 6. *n.* 7. *p.* 7. 8. refert ſe pſeudo-membranam, uti vocat, ex ſui ipſius ſanguinis ſero arte confeciſſe ſola conquaſſatione ramulo portulacæ foliis minoribus, ut in formam membranæ melius ſe poſſet extendere, ibique notat *hanc pſeudo-membranam in ſtamina plurima ſeu fibras eſſe diſperſas æmulantes ea, quæ in corpore humano a natura generantur:* idem etiam affirmat *theſ. anat.* 7. *n.* 39. *p.* 19. & teſtatur ſe ex cruore ſuo confeciſſe *membranam veram aliquam repræſentantem, & ita fibris pertextam, ut omnes ſint putaturi, eam eſſe veram membranam.* Vid. *tab* 3. *figur.* 6. *theſ.* 7 Eodem loco etiam monet, experimentum hoc non ſuccedere, *niſi illico poſt venæ ſectionem, ſpiritibus nondum diſſipatis, hoc fuerit inſtitutum.*

(*f*) Eodem fere modo inſtituit *Ruyſchius* experimentum hoc, præterquam quod manu tamdiu fuerit conquaſſatus cruor ex ſue recens mactato, donec ſeſe materia, ut eam vocat, *polypoſa* copioſe conſpiciendam præbuit, vid. *theſ. anat.* 1. *n.* 3. *pag.* 14. Refert ſe hac occaſione varias adipis particulas accepiſſe, *quæ formam globulorum diverſæ magnitudinis & membranulæ ἀνάλογον integumentum referebant, ſubſtantiæ polypoſæ firmiter adhærentes* quas etiam delineandas curavit *tab.* 2. *theſ.* 1. *lit. E.*

(*g*) *Kerkringius Tulpium & Bartholinum* erroris cujuſdam accuſat, quod morbi genus polypum ſcilicet vivis adfuiſſe adfirment, quem in agone *mortis & mor-*

guis enim omnia continet requiſita ad polypi generationem apta, quemadmodum examen ejus phyſico-chimicum docet, deinde ſanguis in corpore adhuc vivo iiſdem, quibus artificialis producitur, obnoxius eſt motibus, uti infra docebunt cauſſæ polypum producentes; ut adeo poſſibilitas exiſtentiæ polyporum in corporibus vivis pateat. Actualitatem vero docent rariores quædam obſervationes polyporum, vomitu & alvo dejectorum, & ſymptomata, ex quibus periti medici exiſtentiam polyporum in corporibus, hoc morbi genere, cujus prognoſis fatalis eſt, afflictis, prædicere didicerunt. Licet hoc de omnibus polypis non intelligendum ſit, interim de *cordis* polypo, dum per illud tanquam motus principium toti ſyſtemati vaſorum motus communicatur, ejuſque motu impedito, fluxus ac refluxus fluidorum machinæ noſtræ hydraulicæ invertitur.

§. X.

Generatio polyporum in ſtructura corporis mechanico-hydraulicâ fit per *præcipitationem* & *ſeparationem* gelatinoſæ & terreſtris portionis a reliquis ſanguinem conſtituentibus partibus, per quam partes ſpecifice graviores non ſecedunt ſolum, ſed & propter æquilibrium corporum ſpecifice graviorum minuſque ad reflexionem mobilium, ſolidis facile adhærent, donec partes ſolidæ in *gelatina* præexiſtentes & copioſius & propius ad ſe invicem accedant, & propter corporum inpenetrabilitatem, heterogenea ex eorum interſtitiis removendo, conjunctionem fibrarum conſtituant arctiorem, quæ ob *defectum fluiditatis*, & mixtionis cum *æthereis* & *ſulphureis particulis* in motu non amplius detinentur, ſed per conquaſſationem ſolidorum ita comprimuntur, ut durius, quod priorem reſpuit mixtionem, conſtituant corpus: id quod *illuſtris Hoffmannus* confirmat, quando in *medic. ration. ſyſtem. tom.* 2. *part.* 3. *cap.* 8. §. 20. *in-*

tuis potius generari contendit, *ex coagulato ſanguine, qui poſt animalium mortem refrigeratus & grumoſius duriſque redditus ex corde, hepate, & ceteris partibus extrahitur, in varios ramos diviſus, prout ibi in variis capitatibus hæſit*, vid. *ſpicil. anatom. obſerv.* 78. An vero experimentum in cane vivo inſtitutum per injectionem cujuſvis ſpiritus acidi, ut vitrioli, aluminis, &c. ſufficienter probet impoſſibilitatem generationis polyporum in vivis non perſpicio; quamvis concedatur, polypum in animalibus poſt mortem formari poſſe, quoties libuerit, & in agone mortis aliquas etiam produci pſeudo-membranas cum ſanguinis coagulo per ſeceſſionem gelatinoſi & terreſtris principii a reliquis ſanguinem conſtituentibus partibus; ab eo tamen non valet conſequentia ad negationem polyporum in vivis. Neque enim per hoc experimentum a *Kerkringio* & *Drelincurtio* factum, polypus producitur, ſed a *Joanne Mauritio Hoffmanno diſquiſitione corporis humani anatomico-pathologica* p. 178. aliiſque *ſanguinis ab acido coagulati grumus* habetur, *atrorubens, digitis friabilis.* Quare *Kerckringius* erroris potius & vitii ſubreptionis accuſandus eſt, cum confuderit judicium cum experientia. Plura vide in *Boneti ſepulchreto anatom. lib.* 4. *ſect.* 12. *obſ. ult.*

in ſcholio, ſi *quando*, inquit, *limoſior ſanguinis pars vel propter tardiorem progreſſum ac quietem, vel ob admixtum acidum, ſpirituoſum, aut valde frigidum, a reliquo ſanguine ſecedit, & ſeparatur, & fortiori facto vaſorum appulſu atque compreſſione partium arctiſſime compingitur, dura ejuſmodi corpora oriuntur.* Unde patet omnia quæ ſanguinem non in mixtione conſervant, ſed *gelatinoſas* & *terreſtres* partes ſeparant, ſive id fiat disjunctione partium & præcipitatione a frigidis, coagulatione ab acidis, vel quibuſcunque, partes a ſe invicem ſeparandi modis, corpora diſponunt ad polyporum (*h*) generationem.

§. XI.

Quemadmodum autem ante laudatus *Hambergerus* in *elementis phyſices l. c.* demonſtravit, fluida arctius propter ſpecificam gravitatem cohærere, deinde etiam ſi fluida cum fluidis aut ſolidis conjungantur, fluidum ſpecifice levius, ſpecifice graviori adhærere: (*i*) ita facile concipi licet, quod *gelatina* propter eaſdem cauſſas ſolido adhæreat, & motu ſolidorum ſucceſſu temporis præterlabentium ſimilium cohæſione extendatur in majorem molem in iis potiſſimum, qui materiam ad *polypi generationem* aptam fovent.

§. XII.

Facilius generatur polypus in *cordis utroque ſinu & venoſis* quam *arterioſis ductibus*, imprimis vero *in ventriculo & auricula cordis dextra* (*k*). Chi-

(*h*) Ex quo polypus in corpore producitur, in idem etiam redigi poteſt. Quemadmodum enim ex *gelatinoſo humore* corpus ſolidum generari demonſtratum eſt, ex ſolido arte *gelatinoſum* rurſus produci poſſe docet digeſtor Papinianus, cuius ope omnes corporis partes, oſſa, cartilagines, membranæ &c. in fluidam & priorem rediguntur ſubſtantiam; incluſus enim aër, imprimis vero, qui in corporum interſtitiis compreſſus hæret, ope *caloris* expanditur ac *elaſticus* magis redditur: jam vero conſtat ex phyſicis, aërem eo majorem exſerere vim, quo magis antea compreſſus fuit, & quo minus ob ſolidiorem ac firmiter cohærentem ſuperficiem ſeſe aëri externo jungere potuit; qua vi cum aër expanſus, majus affectet ſpatium, cedere neſciens, partes omnes diſtendendo dilacerat & in *motum fluiditatis* abripit Sic reductio ſolidi in fluidum, & fluidi in ſolidum, ſatis abunde probat principium illud, quod partes corporis noſtri ſolidas conſtituit.

(*i*) Illuſtrat aſſertum hoc cruſta lapidea, in thermis Carolinis brevi temporis ſpatio ſeſe parietibus canaliculorum opponens, præterfluentium terreſtrium cohæſione, quæ motu ac preſſione fluidorum quaqua verſus in firmiorem rediguntur ſubſtantiam. Eodem modo *tartareæ* in aquæductibus producuntur *concretiones.*

(*k*) Præter polypos variis corporis in locis ab obſervatoribus detectos, de quibus fuſius egerunt *Snell* in *diſſert. de cordis polypo* §. 17. *Albinus in diſſert. de polypo* §. 3. *illuſtr. Hofmannus in medic. conſult part.* 9. *decad.* 3. *caſu* 4. *p.* 207. mentionem facit duorum concrementorum polypoſorum, ex fibris innumeris carneis

Chylus enim, qui per venam ſulclaviam in venam cavam & ventriculum *cordis dextrum* tranſit, ſpiſſis & craſſioribus leviter cohærentibus, nec intime mixtis, refertus eſt particulis, & turbidus magis, accedente motu tardiori, ob diſſimilium contiguitatem dimittit partes ſolidiores, quarum amplexu circumplicatis cordis trabibus, unum quaſi corpus conſtituitur. Sanguis *venoſus* vero cum motu tardior, conſiſtentia ſpiſſior ac ponderoſior eſt arterioſo, partes facile dimittit ſpecifice graviores, quæ propter eorum tendentiam ad centrum, fundum magis ac latera petunt, eo magis, ſi ob defectum mixtionis intimæ leviter cohærent. Id quod *Lancifius* corroborat, quando *libr. de aneuriſmatibus propoſ.* 60. *pag.* 146. *imminuto*, ait, *ſanguinis motu particulæ chyli non adhuc probe ſubactæ variæ aliæ quam plurimæ ſpecifice cæteris graviores ab iis ſecedunt, atque inter ſe coeuntes concreſcunt in fibras, ex quibus variæ lamellæ poſt modum contexuntur polypi ſpeciem referentes.* Hinc talis ſanguis ad generationem polypi diſpoſitus plus eſt *arterioſo*, qui carminatione quæ in pulmonibus fit, accedente ſubtiliſſimo æthere & tranſpreſſione ſanguinis glo-

contextorum, *vomitu* dejectorum; collegit etiam jam *laudatus vir experientiſſimus* nonnullas obſervationes *de inteſtinorum polypis*, quos ſæpius imperiti medici inteſtini cujuſdam partem exiſtimantes, neſcio quam fatalem moriendi neceſſitatem ægrotis indicant, quam vero illudit felix & rationalis a prudente medico inſtituta curatio. Nuper quoque *venerandi noſtri ſenioris* curæ commiſſus eſt ægrotus, qui, adſuetus antea nimiis lacticiniis & fructibus horteis, ſubito circa hypochondria ſummis corripiebatur doloribus, donec *polypum* ulnam unam & paulo poſt ulnam unam & dimidiam longum alvo dejiceret. Hinc factum puto, chyloſam materiam coagulatam una cum tunica inteſtinorum interna, quam *Brunnerus*, *Ruyſchius* obſervarunt villoſam, ex vaſculis minimis & ductibus chyliferis conſtantem, ut per hanc ope *motus periſtaltici* chylus in vaſa lactea translocetur, in concrementum aliquod abiiſſe fibroſum, quod ex ſitu in inteſtinis eam figuram induit, & premendo *tunicam nerveam* denudatam, dolorem excitavit. Id quod confirmat *Lanciſii* obſervatio, qui idem vidit in pueris quibuſdam, qui poſt abſolutam lactationem ex alvo detruſerunt *materiam albam concretam*, *inſigniſque longitudinis ex fibroſa parte lactis productam.* vid. *in oper. diſſert.* 5. *de triplici inteſtinorum polypo p.* 275. Polypus hic inteſtinorum *Hippocrati* nomine *lumbrici lati* venit; meminit enim *libr.* 4. *de morbis ſect.* 5. *pag.* 512. *lumbrici lati, velut albi inteſtini ramenti, longitudine duorum aut trium cubitorum aut etiam longe majoris, qui creſcente ætate puerili ex his, quæ in ventriculum ingeſta ſunt, in inteſtino increſcit, & quibuſdam pueris cum pubertate, quibuſdam etiam poſterius, a iis vero paulo ante inteſtino æqualis evadit.* Doloris etiam, cum lumbricus hic ad *dorſum* incumberet, cauſam eſſe *cod. loco* affirmat, neque prognoſin hujus morbi fatalem exiſtimat, quando *l. c.* inquit *ſi ut convenit curatus fuerit, convaleſcit, ſi vero non curatur, ſua ſponte foras non prodit, mortem autem non infert, ſed ad ſenectutem uſque comitatur.* Eandem maſſam fibroſam, qualis *Lipſii* fuiſſe creditur, *Lanciſius* obſervavit *in excoloribus diu febricitantibus ac fere cachecticis*, *in quibus gelatinoſa ſubſtantia*, incruſtans ſuperficiem inteſtinorum, paullatim conglutinata fuit; nec non in *dyſentericis*, in quorum inteſtinorum exeſorum ſulcis colligitur, & concreſcit, vidit ejuſmodi corpus oblongum; deinde etiam in *glutinoſis ac nimis ponderoſis*, *vitæ ſedentariæ addictis.* conſ. *ante cit. diſſert. pag.* 275. 276.

globulorum per vaſa minima, & motu arteriarum elaſtico, intime miſcetur, pondere levior, colore purpureus magis redditur. Unde patet totum generationis polyporum negotium ex *motus* & *materiæ* neceſſitate explicari poſſe.

§. XIII.

Polypos *in inſtanti* etiam generari poſſe probabile admodum eſt. In quibus enim *materia polypoſa* abundat, ad *polypi generationem* valde proclives ſunt. Hinc ſi æſtu exagitata hæc corpora frigidum potum ſubito hauriant, aut in aquam frigidam incidant, aut terrore ſubito correpti, ſpirituoſis adhuc ſuper ingeſtis ſanguinem magis coagulent, fieri poteſt, ut *inſtantanea* talis *maſſa fibroſa* producatur, cum per experientiam non conſtet ſolum, dictorum ope ſanguinem in coagulum redigi, & fibroſo-membranaceam ſubſtantiam ex illo præcipitari poſſe, ſed obſervationes etiam doceant ex effectibus cauſſas ſtatim excipientibus *generationem polyporum inſtantaneam*; inter quas adduci meretur facta, ab *excellent. Schulzio* obſervatio, (vide *diſſert. de præcavendis polypoſis concretionibus variorum in pectore morborum cauſis* §. 7.) in adoleſcente 17. annorum, qui ſanus antea & alacris, poſt frigus per tres dies perpeſſum accedente mœſtitia & ſuperingeſto vino aduſto priorem animi vigorem cum difficultate reſpirandi, non ipſe ſolum, ſed in ipſo omnes, qui antea noverant deſiderarunt. Hinc factum eſt, ut ortis pedum tumore, puſtuliſque aquoſis, quæ in ova columbina tandem anſerina æquantes abierant, brevi poſt hectica febri conſumtus fere obiit. Facta corporis ſectione vaſa majora omnia, omnes cavitates cordis, polypis prægrandibus repleta fuerunt; ex quibus patet, cum conquereretur facta ſubita poſt vitam, cui antea non adſuetus erat, inordinatam mutatione, in corpore ortam fuiſſe cauſam, quæ *circulum ſanguinis* reddidit impeditiorem, & temporis ſucceſſu ejus motum per intervallum aliquod, vel plane etiam ſufflaminavit, eumque polypum fuiſſe veritatis quædam criteria ſymptomata, & eventus calamitatum omnium docuere. Ita quoque de polypi generatione judicat *Mangetus*, quando *bibliothecæ anatomicæ tomo* I. *in additamentis* ad *Malpighii diſſert. pag.* 163. *Non negamus inquit polyporum generationes aliquando eſſe quaſi momentaneas, aut ſaltem minimo temporis tractu ita creſcere atque augeri, ut derepente ſymptomata inducant lethalia; ſic polypos narium & fungos ex cranii fiſſuris oriundos, dum reſecarentur & igne etiam aliquando admoto eradicati in totum reputarentur, momento renatos, atque etiam grandiores factos ſæpius vidimus. Unde conſtare poteſt, non multum requiri temporis pro ſufficienda materia polyporum generationi atque accretioni apta.*

§. XIV.

§. XIV.

Generatur autem polypus in iis facile, qui *lentam* ac *tenacem gelatinam*, terreis multis, paucis ſalinis conſtantem continent, & in quibus ob deficientem ſanguinem propellendi ejuſque partes intime miſcendi elaſticitatem, ſanguis nimis ponderoſus ac turbidus magis redditur, unde ſolidiores partes a reliquis ſpecifice levioribus facilius ſecedunt, id quod illuſtrat experientia *Petri Caſtelli qui in libr. de fluentium aquarum menſura coroll.* 5. exponit, per imminutionem motus in torrente & retardationem fluxus intra fluminis alveum, aquam turbari, & quicquid turbidi & majoris ponderis eſt in fundum præcipitari, ibique temporis mora incruſtari. Talem quidem ſanguinis craſin continent *ſanguineo-melancholici*, qui vaſculoſo corporis habitu, fibrarum duritie, & latioribus vaſis ad majorem ſanguinis quantitatem vehendam aptis inſtructi ſunt, vid. *illuſtris Hoffmanni medicin. ſyſtemat. tom.* 2. *part.* 3. *libr.* 1. §. 26. humoreſque lentos ſpiſſos ac terreſtres non intime mixtos ob motum ſolidorum tardiorem & inſufficientem heterogeneorum ſeparationem, colligunt, unde ad plethoram, pertinaces ſtagnationes, corruptiones, cordis palpitationes proni, hypochondriaca & ſic dicta melancholica mala facillime incurrunt, quemadmodum id fuſius docuerunt, conſecrata propter ſcientiam medicam immortalitati nomina, *illuſtris Hoffmannus* in *diſſert. de temperamentis fundamento morum & morborum*, & *B. Stahlius* in *diſſertat.* de *temperamentis.* Præter ſanguineo-melancholicos ad *polypi generationem* adhuc inclinant *temperamenta frigido humida*, uti veteres dicunt, ſeu *phlegmatici*, qui pallidiore adſpectu partium mollitie, ac turgida conſtitutione gaudentes ad morbos, quos *illuſtris Præſes medic. ſyſtem. tom.* 2. *part.* 3. *c.* 1. §. 28. *ex humorum impuritate & abundantia* provenire ait, proni ſunt, cacochymici facile fiunt, in quibus promtiſſime *carnes ſylveſtres* & *luxuriantes* exſurgunt, teſtante id quotidie chirurgorum experientia. Neque id repugnat, quæ antea de *temperamento ſanguineo-melancholico* dicta ſunt, ſi perpenderis temperamentum *phlegmaticum* eſſe ſanguineum corruptum & unius rei poſitionem non alterius excluſionem.

§. XV.

In omnis fere *ætatis* hominibus obſervantur polypi, neque ulla eſſet ratio ſufficiens cur certa ætate omnes producerentur, cum conſtet, infanteſ iiſdem cauſis ad producendum polypum aptis, obnoxios eſſe, ii imprimis, qui materiam polypoſam fovent copioſam. Ita *Bonetus ſepulchreto anatom. libr.* 2. *ſect.* 11. *obſ.* 6. §. 1. agit de polypis ingentibus in ſinubus cordis *filioli cujuſdam*; in *juvenis ſexennis* utroque cordis ſinu

atro-

atrophia conſumti obſervavit & aſſervavit polypum *Snell. vid. diſſert. de cordis polypo pag.* 18. *Dorſtenius* in *E. N. C. dec.* 2. *a.* 3. *obſerv.* 153. de quatuor corporibus in ſiniſtro cordis ventriculo *puelli* cujuſdam agit. De *concretione polypoſa* aditum in cordis auriculam obturante in *puerulo* vid. *Albinus diſſert. de polypo cordis p.* 16. Portentoſum polypum in *adoleſcente* deſcribunt *E. N. C. dec.* 3. *a.* 2. *obſ.* 18. *Albinus diſſ. pag.* 8. non ſine fundamento in *Carolo Patino* præter ſollicitudinum varietatem, litterarios labores & vitam ſedentariam *ætatem quoque (ſexagenarius enim factus erat)* accuſat, quæ cauſæ ad portentoſi illius concrementi, quod deſcribunt *E. N. C. Dec.* 3. *a.* 1. anſerini ovi magnitudine trium quatuorve unciarum pondus exæquans, contulerunt generationem. Interim non negandum eſt, *in conſiſtentis ætatis* hominibus & *natu paullo majoribus* facilius generari polypum, quoniam facta ſolidorum appoſitione ſufficienti, immo ſub ipſo adhuc nutritionis negotio, accedente vita ſedentaria, diæta inconvenienti, rerumque naturalium inordinato uſu cumulatur ſanguis copia & temperie excedens, in iis potiſſimum, qui propter *copioſa & latiora vaſa*, ſed imminutam ſolidorum *elaſticitatem*, ad ſanguinis augendam quantitatem proclives ſunt.

§. XVI.

Licet polypi in *omni* fere *ætate* generentur, tamen non in omnibus *regionibus*, id quod attentus quiſque obſervabit. In *regionibus* enim *maritimis & ſeptentrionalibus* plures polypis mortuos obſervabis, pauciores vero & fere nullos in *calidis terris.* Nam aer frigidus & aquilonius, quem *Celſus fauces exaſperare, ventrem adſtringere, urinam ſupprimere, horrorem item dolorem lateris & pectoris excitare lib.* 1. *cap.* 1. *p.* 47. affirmat hæmoptyſin, ſyncopen, peripneumoniam, cordis coagulum, pleuritides producit, conf. *Bergeri diſſert. de polypo cordis* §. 13. *p.* 25. ob tranſpirationem impeditam, quum ſecundum *Sanctorii* effatum *in medicina ſtatica de aëre & aquis aphor.* 60. *aër plus juſto frigidus aut ventoſus moratur perſpiratum*, turbidum magis, & ob defectum ſeparationis heterogeneorum impurum reddit ſanguinem, propter exundantem vero ſuperfluam humiditatem univerſo corpori languorem inducit, *fibras motrices* laxat & reſolvit: vid. *illuſtris Hoffmanni med. ſyſtemat. tom* 1. *lib.* 2. *c.* 3. §. 16. Accedit victus Weſtphalorum craſſus, uti piſces marini, carnes infumatæ, ſalitæ, panis groſſior vulgo *Bompournickel*, qui chylum efficit crudum ex terreſtribus & tenacibus magis cohærentem particulis, ſolidioris texturæ; ſicuti vero chylus, ita tota ſanguinis maſſa exiſtit. Fluidior vero ſanguis offenditur in *calidioribus regionibus*, dum æther expandendo agitat ſanguinis globulos circa axin, eoſque in *fluiditatis* ſtatu conſervat. Galli enim aliæque gentes calidis in terris degentes, qui juſculis cibiſque concoctu facilibuſque veſcuntur, *ſanguinem* qui-

quidem *copioſum* ac *gelatinoſum* generant, ſed propter *atmoſphæram calidam* regnantibus auſtralibus ac orientalibus ventis humores attenuantur, gelatinoſa pars reſolvitur ac diſſipatur, ſanguis purpureus magis ac fluidior redditur, conf. *illuſtr. Hoffmannus medic. ſyſtem. tom.* 1. *libr.* 2. *cap.* 3. §. 12. *in ſchol.* Licet non negandum ſit, ejuſmodi corpora ob auctiorem motum inteſtinum putridis magis obnoxia eſſe morbis; nam *ſanguis ſulphureus*, ſi quieſcere incipit, longe citius ac vehementius putreſcere incipit, quam qui eſt ſolidioris texturæ vid *illuſtr. Hoffmanni med. ſyſtem. tom.* 1. *libr.* 1. *ſect.* 1. *c.* 5. §. 17.

§ XVII.

Conſiderata hactenus polyporum generatione, *cauſas* eorum *proximas & remotas* percurrere inſtituti jubet ratio, cum præcavendo cauſas, effectus ſimul præcaventur, & ſine earum cognitione nullæ certæ ſe *a polypis præſervandi* leges præſcribi poſſunt. *Cauſam* polyporum omnium *efficientem* unicam detegere velle, difficile admodum eſt, cum cauſas efficientes ut plurimum *ſocias* ad polypi generationem concurrere patebit. Eas vero ſuppeditant ipſa *corporis ſtructura*, res dictæ non naturales, & præternaturales, ſpirituoſa, acida, frigida &c. Structuram corporis conſtituunt ſolidorum ad motus diſpoſitio, & fluidorum textura. Motus autem in ſolidis aut excedit aut deficit, vel in univerſo corpore, vel in certa tantum parte, conf. *illuſtr. Hoffmannus medic. ſyſtem. tom.* 3. *ſect.* 2. *c.* 5. §. 3. Itaque an *ſpaſmus* vel *atonia* cauſæ polypi exiſtant, inquirendum erit. Celeberrimus *Berger* in *diſſert. de polypo cordis pag.* 24. §. 12. cauſam polypi eſſe affirmat *ſpaſmum nimium ut in hypochondriacis & hyſtericis. Spaſmo* enim, qui eſt auctior motus ſolidorum elaſticus, non ſolum partes & vaſorum diametri coarctantur, verum etiam debilitantur, dum *ſpaſmum* excipit *atonia:* hinc fit, ut, dum ſanguinis circulus liber & æqualis per vaſa ſecundum naturam patula non fertur, ad omne punctum corporis liberum aditum non permittat. Nam conſtat ex phyſicis, tubum capillarem niſi pervium ad extremitatem non impleri, teſtante id ſuo jam tempore *Hippocrate libr. de natura muliebri, quum oſculum exitus fuerit apertum ſanguis autem amplius influxerit, reſilit.* Propter inæqualem igitur motum ſanguis a peripheria ad centrum pellitur, celeriuſque recurrens motum cordis reddit auctiorem. Cum vero *actio ſolidorum* ſuperet *reactionem fluidorum*, ſanguis ex canali uno in alterum tendens inæquali motu ſibi occurrit, ſed poſt ictum celeritatibus permutatis fertur tanto majoribus, quanto copioſius regurgitat (per *leges hydraulicas*). Hinc propter continuam ſolidorum conquaſſationem ſanguis quidem in motu conſervatur, ſed ad alia loca magis regurgitat, ibique ſtagnat, & ut partes ejus facilius ſecedant, diſponitur.

§. XVIII.

Neque tantum ex *ſpaſmis*, ſed *nimia* quoque *fibrarum relaxatione* circulus ſanguinis fit inæqualis, conf. *illuſtris Hoffmannus medic. ſiſtemat. tom. 2. part. 1. c. 3. §. 16.* Propter imminutum enim elaterem ſanguis non ad omnes partes propellitur, hinc ſe-& excretionibus non rite ſuccedentibus, heterogenea in ſanguine accumulantur, quæ ob defectum contiguitatis una cum reliquis haud intime mixtis partibus ſecedunt, inprimis quum ad partes *atonia* laborantes nimis congeritur ſanguis & ob *defectum propulſionis* facile ſubſiſtit; unde corpus diſponitur ad impuritates, obſtructiones, excedentem humorum copiam, partium disjunctionem, tardiorem ſolidorum motum, & polypoſas concretiones. Hinc præclare *Lanciſius* in aureo libro *de aneuryſmatibus propoſ. 61. p. 145. Propter vaſorum*, inquit, *determinatam figuram, certum diametrum & validos motus vitiatos turbatur exacta illa in ſanguine fluidi cum ſolido, craſſi cum ſubtili, permixtio, ita ut in locis affectis eæ fluidorum partes ſubſiſtant, quæ fibroſiores quæque verbo ad motum per ſe proſequendum minus ſunt expeditæ.* Quare cum *Bergero* judico, omnia quæ ſanguinis motum & cohæſionem minuunt, partium ſolidarum tonum deſtruunt, eſſe cauſam polypi productricem, inter quam refert *diſſert. de polypo cordis* §. 11. *venæ ſectiones crebriores, hæmorrhagias magnas, & longiorem invaletudinem in tabidis, hecticis, ſcorbuticis, aliiſque gravioribus & chronicis morbis*, conſentiente *Lowero*, qui *in longa ægritudine atritis, ſi ſub iſto languore in lecto diu decubuerint*, ſe idem reperiiſſe teſtatur.

§. XIX.

Ipſa quoque *corporis proceritas* ad polypi confert generationem, quia in celſis corporibus difficilior & tardior exiſtit ſanguinis ad perpendiculum adſcenſus, facilior vero in tubis ad horizontem inclinatis. Omnia enim gravia natura deorſum tendunt, & guttæ ſanguinis ſequentes retardantur ab anterioribus in quas incurrunt; (per *leges motuum*). Accedit, quod magna corpora ut plurimum ſint infirma, tum in illis obſervatur *mollities & laxitas, pulſus debilis;* licet id de omnibus prædicari nequeat, cum priſcos Germanos & proceritate laboribuſque perferrendis excelluiſſe conſtet, quos ſeptentrionales adhuc imitantur populi. Nam *fibræ* quo magis tenduntur, eo teneriores fiunt, in quo tenſionis ſtatu maxima earum *elaſticitatis* pars perit: hinc corpora illa ad ſanguinis nimiam copiam augendam, ſtagnationes, obſtructiones, & indurationes viſcerum, inprimis pulmonum, cum difficilius ſanguis per *pulmones* progrediens in minimis ſubſiſtat vaſculis, diſpoſita ſunt. Hac *ſtagnatione* autem fit, ut ſecedentes ſolidæ & craſſiores partes procedente

dente tempore in majorem concreſcant molem. Habeo conſentientem *illuſtr. Hoffmannum, qui in epiſtola ad diſſertationem de proceritate corporis ejuſque cauſis & effectibus pag.* 38. *Id, non negandum*, inquit, *celſa & magna ejuſmodi corpora ob remotas nimis a vitæ fonte extremas partes, & longius hinc ſimulque ægrius conficiendum ſanguinis adſcendentem regreſſum morbis ex lentiori circuitu, & ſtagnatione oriundis, ut polypoſis in vaſorum alveis concretionibus, phthiſi, aliiſque, ex facili patere, nonnunquam etiam agilitate ac virium diuturno robore, minus pollere, quam humiliora.* Ipſa hoc quoque docet experientia, plurima enim ejuſmodi corpora vel *phthiſi* vel *polypis* interemta, attenta in vita & poſt mortem quemvis convincit obſervatio. Quare cum *Celſo* ſic mentem induco meam, *longam ſtaturam, ut in juventute decoram, ſic matura ſenectute confici, vid. libr.* 2. *cap.* 1.

X X.

Neque minus etiam *moleſta* corporibus, ſanguinis *quantitas* viam ad *polypi generationem* pandit. Propter nimiam enim fluidorum reſiſtentiam actio fit inæqualis reactioni, fibræque ſolidæ in ſtatu tenſionis nimis detentæ elaterem amittunt, motibuſque crebro exercitio acquiſitis adſuefiunt, quamvis quidem uti *Lanciſius* tradit *lib. de aneuryſmatibus prop.* 36. *p.* 122. *quo major ſit & fervidior moles fluentis liquidi, eo copioſiores quoque & validiores ſint partes, quæ ad inſtar ſolidi elaterii & cunei fibras diſtendant;* diſtenſione tamen efficiunt, ut fibræ nimis relaxentur & in ſanguine fiant *viſciditas, pallor, immeabilitas, in vaſis obſtructiones, concretiones, tumor albus, impeditæ ſecretiones, defectus ſubtiliorum & minimorum canalium coalitus*, conf. *Boerhaavius* de *cognoſcendis & curandis morbis aphor.* 72. Unde propter progreſſum ſanguinis retardatum intima ejus partium mixtio & diviſio in globulos deficit minimos, nimiaque particularum terrearum cohæſione ſanguis immobilior, & ſe- & excretiones redduntur ſegniores, conf. *illuſtr. Hoffmanni medicin. ſyſtem. tom.* 2. *part.* 3. *c.* 8. §. 8. & 9. Hinc propter retardatum ſolidorum & fluidorum motum ſolidiores partes ſecedentes ob ſpecificam cum ſolidis gravitatem firmius cohærent. Quare *Albinus* inter cauſas polypi procatarcticas refert frequentes hæmorrhagias & crebrius infeſtantem coryzam, cum laxiores fiant non nullæ circa eaſdem partes fibræ, cum vaſculis quibuſdam ſanguineis. *Hinc recedere*, dicit, *vaſorum poros a figura quam longiſſime, & ob violentam extenſionem tranſmittere omnis generis humores, ut modo carnem, modo cartilaginem conſtituant.* Vid. *diſſ. de polypis* §. 21. *p.* 21.

§. XXI.

Ipſa quoque vaſorum *obſtructio in plethoricis aliiſque* ad polypi generationem confert, id quod confirmat experimentum a *Lanciſio* in cane vivo inſtitutum. Arteriam enim unam iliacam cerato filo conſtrinxit, in qua poſt 15. aut 20. dies ſecata, invenit expoſitam polypoſam concretionem citra ligamen, *vid. libr. de aneuryſmatibus propoſ.* 38. *p.* 124. Per compreſſionem enim non tantum ſanguinis curſus per illam arteriam præpeditur, ad alia loca magis regurgitans, (per *leges hydraulicas*) ſed per morboſam ſtagnantis liquidi repercuſſionem fit ut, quemadmodum laudatus vir ſub initio *propoſitionis hujus* refert, *tenaciores quædam cruoris partes, cum minus ad reflexionem ſint mobiles agglomerari invicem, paulatimque lateribus arteriæ adhærere incipiunt; donec plenior ex novo affluxu facta moles conſimilium particularum fila referentium, in denſum & fibroſi ſpeciem exhibens corpus, quod polypoſum dicimus, coaleſcit.*. Itaque ſanguis quo magis excedit copia & temperie, eo citius & certius diſponitur ad concrementa polypoſa. Sanguis enim viſcidus difficilius per vaſa progreditur, ejuſque partes ob majorem contactus lineam arctius cohærentes ſolidis partibus facile adhærent; *nam deficiente validiori impulſu illuſtris Hoffmannus diſſ. de morte ſubita præcavenda* §. 15. ait, *ſanguinis particulæ viſcidiores facile hinc inde hærent aſperitate ſua venarum & arteriarum lateribus adlabentes, quo fit, ut ſecedente paulatim fluido in ſolidam plane figuram indureſcant in fibrillas, membranaceaſque moles, ubi incrementum ſumſerunt, coaleſcentes.* Quum igitur fluida & ſolida ea lege connexa ſint, ut pro partium corporis ad motus diſpoſitione ſecundum leges mechanicas & hydraulicas determinati quoque fiant motus, (quod motuum exercitium medici functiones corporis dicunt:) *conf. Boerhaavius inſtit. medic. p.* 7. reſpiciendum ſemper eſt in polypi generatione ad ſolidorum ſtructuram, fluidorum texturam, eorumque intimum nexum. Ita quoque judicat *Lanciſius libr. de aneuryſmatibus propoſ.* 38. *pag.* 124. *In humanis*, inquit, *corporibus ægritudine aliqua tentari cæptis res aliter poteſt evenire, nimirum ut vitium conſtrictionis canalis illico jungatur cum vitio fluidi ad ſtagnandum apti, unde polypoſa concretio, quæ tubi culpa non accideret, vitio fluidi acceleretur.*

§. XXII.

Nihil vero magis corpori offenſas parit, & ad præmaturam mortem diſponit, quam *frigidus potus* ſubito in corpus *ſudans* admiſſus, de quo *Galenus lib. de ſanitate tuenda* refert, *quod ſpirandi difficultatem & tuſſim inducat, invalidet cerebrum, ac fluxiones inde concitet, ventriculum imbecillem reddat, & nervos languidos lædat*, id quod phthiſi, hectica, pleu-

pleuritide, meſſis inprimis tempore laborantes ſatis ſuperque teſtantur; *frigus* enim *aut calor*, quemadmodum *Celſus* loquitur *lib.* 1. *c.* 10. *pag.* 43. *minime tuta ſunt, ubi ſubita inſuetis ſunt, nam frigus lateris dolores aliaque vitia excitat.* Dum vero calorem ſanguini ſubtrahit, refrigerat, & in coagulum non redigit ſolum, ſiſtendo ſanguinis motum, quo in fluiditate conſervatur, ſed præcipitando etiam partes gelatinoſas & terreſtres, obſtructiones, indurationes vaſorum, inflammationes, polypoſas concretiones efficit, quas in ſanguine recenti fieri, jucunde ſæpius conſpicimus, ſi fibroſa & ponderoſa pars tota fere ex aqua gelatinoſo ſanguine & copioſo tincta, aqua frigida præcipitatur; quod ſi in corpore vivo accidit, ſpaſmo, quem frigus efficit, in durum ac compactum redigitur concrementum. Nam uti *Hippocrates libr. de liquidorum uſu* affirmat, *frigida convulſiones, tenſiones, rigores febriles inducunt*, & *Celſus lib.* 2. *c.* 1. *p.* 48. *Frigus modo diſtenſionem modo rigorem infert, illud σπασμὸς hoc τέτανος græce nominatur.* Inter alios triſtes, quos *Marcellus Donatus hiſtor. mirabil. libr.* 4. *cap.* 6 de aquæ frigidæ potu mortuis recenſet caſus, referenda erit ſupra §. 3. *ſub initio notæ* adducta obſervatio; nec non *illuſtr. Hoffmannus med. ſyſtem. tom.* 2. *part.* 2. *c.* 10. §. 5. mentionem facit cujuſdam juvenis generoſi, qui poſt ſaltationem vehementem hauriens cereviſiam frigidam, cordis palpitatione per multos annos & tandem peripneumonia afflictus obiit. Facta ab ipſo poſt mortem ſectione ingentis magnitudinis polypus in arteria pulmonali repertus eſt. Hinc multis ejuſmodi obſervationibus experientiſſimus ille vir convictus, *l. cit.* inquit, *polyporum generationes qui magnos & fere inſanabiles chronicos morbos efficiunt, meo quidem judicio vix ab alia cauſa rectius, quam a frigido potu celerius in corpus ſudans ac calefactum admiſſo deduci, poſſunt.* Polypos in ſenis, nimia frigoris vi extincti, dextro cordis thalamo & vena cava inferiori recenſent *acta medicorum Berolinenſium vol.* 9. *p.* 58.

§. XXIII.

Naturæ quoque inimica ſunt *acida exceſſiva*, quæ non partes ſolum ſolidas conſtringendo corpus ad ſpaſmos diſponunt, ſe- & excretiones impediunt, verum etiam præcipitando oleoſas partes chyli, ſanguinis elaborationem prohibent, corpora polypis inprimis inteſtinorum generandis obnoxia reddunt, quales ſupra *annotatione ad* §. 12. deſcripti ſunt. Celerem enim & ſubtilem admodum eſſe acidorum in corporibus operationem, nos docet experientia eorum, qui fontanellas in artubus gerentes, mox ab aſſumtis acidis perſentiunt dolores, nec non a *nutricum lacte*, ſi acidis valde delectantur; in infantibus oriuntur tormina; conf. *illuſtr. Hoffmanni med. ſyſtem. tom.* 2. *part.* 3. §. 14. *in ſcholio.* Propter coagulum vero, quod ſanguini per acida inducitur, (vid. ejus *med.*

ſyſtem. tom. 3. *ſect.* 1. *cap.* 13. §. 12.) vaſorum obſtructiones & infarctus fiunt, ſanguiniſque fibroſæ partes cum terreſtribus concreſcentes ejuſmodi concrementum fibroſum conſtituunt. Hinc *illuſtris Præſes med. ſyſtem. tom.* 2. *part.* 3. *cap.* 3. §. 12. *Cavendum*, inquit, *ab acidis intemperantius adſumtis, eo quod hæc ipſa motibus vitalibus, progreſſivis, ſecretoriis & excretoriis admodum ſint adverſa, humores coagulent, polypoſas & calculoſas concretiones inducant, viſceraque infarciant.* Quemadmodum vero bilioſis, niſi excedat acidum, ad refrenandum nimium calorem medicamentum exiſtit, dum particulas ſulphureas figit, & uti *Celſus* ait *l. c. refrigerat*, eo majus ex adverſo melancholicis & pituitoſis ad polypi generationem diſpoſitis damnum infert, in quibus acida cum terreis non auſteram ſolum acquirunt naturam, ſed ob tardiorem etiam motum & majorem contactus lineam gelatinoſæ ac terreſtres ſanguinis particulæ citius & arctius cohærent, conf. *diſſert. ſub præſidio ill. Hoffmanni* habitam *de diætæ vitio multorum morborum cauſa* §. 26. *pag.* 23.

§. XXIV.

Eodem fere modo operantur *ſpirituoſa*, ut ſpiritus aduſti, qui eo magis nocent, quo copioſius ingeruntur. Fibras enim ſtrictas nimis reddunt, ſanguinem lymphamque, humidum diſſipando, inſpiſſant, & coagulando prohibent ſanguinis elaborationem, ſi jejuno inprimis ac matutino tempore hauriantur; quum ſubitam partibus ſolidis & fluidis inducant mutationem, & efficiant, ut ſanguis potius in concrementum aliquod abeat filamentoſum, quam priori mixtioni, qua in continuo motu ac fluiditate detinebatur, reſtituatur. Hinc diſponit corpora ad hepatis aliorumque viſcerum obſtructionem, polypos, aſthma, hydropem, cachexiam, phthiſin, hecticam &c. Referri hic meretur ſupra §. 13. allegatus caſus juvenis cujuſdam, in quo poſt frigus, mœrorem, & ſuper ingeſtum ſpiritum vini, concretiones ortas fuiſſe dictum fuit. *Ill.* quoque *Hoffmannus* hiſtoriam viri aſthmate ſpaſmodico hydropico laborantis, ejuſque ortum a vita ordinata, nimioque liquorum ſpirituoſorum, inprimis ſpiritus vini potu & hinc factis non viſcerum obſtructione ſolum, ſed fibroſis etiam concrementis in ventriculo cordis dextro & arteria pulmonali exhibet, *med. conſult. part.* 8. *dec.* 3. *caſ.* 4. *p.* 193. 194.

§. XXV.

Inter animi affectus *terrorem* inprimis, timorem, ac *mœſtitiam*, de quibus *Sanctorius in medicina ſtatica pag.* 215. *aphor.* 2. refert, *his perſpirare levius, ponderoſius vero relinqui*, & *aphor.* 7. *pag.* 217. iiſdem affectibus *facile membra humore referta dureſcere*, ad polypi generationem præcipue conferre, & ratio & experientia abunde teſtantur. Ea enim quum

quum ſit harmonia animæ & corporis, ut ad mentis determinationem ſequantur certi in corpore motus, & pro ſtatu corporis repræſentationes in mente fiant: in animi affectibus ſeu confuſa rerum repræſentatione ordinati producuntur motus, qui differunt pro corporum & affectuum diverſitate, conſ. *illuſtr. Hoffmanni medic. ſyſtem. tom.* 2. *part.* 1. *cap.* 4. §. 15. *ejuſque ſcholion & part.* 2. *cap.* 1. §. 2. ad finem uſque capitis. Ita in terrore, in quo propter ſpaſmum ſanguis a peripheria ad centrum pellitur, non ſecretiones excretiones ſolum ſufflaminantur, ad interiora magis vergentes, ſed partibus etiam ſolidis debilitas inducitur; ut omnis generis tranſmittant humores. Hinc fit, ut ſanguis ſpiſſus ac turbidus magis reddatur, partes non intime miſceantur, ſolidioreſque & ponderoſiores præcipitentur, quæ fluidorum motu temporis ſucceſſu in durum concreſcunt corpus. Quare *ill. Præſes diſſ. de ſubita morte præcavenda* §. 15. *pag.* 25. *in confeſſo eſt*, inquit, *foveri hoc malum & progenerari quam maxime in quibuſdam animi affectibus diuturnis, nempe a triſtitia, metu, mærore & luctu.* Polypos inſignes in præcordiis duorum, quos improviſus concuſſit timor, bis obſervavit *Malpighius*, meminitque *ægrum, alioquin robuſtum, ex timore in pulſus inæqualitatem, ejuſque obſcuritatem præcipue in ſiniſtro carpo incidiſſe abſque febre, & recurrente reſpirandi difficultate inſigni, ſed brevi tandem per ſputa quandoque rubri ſanguinis portionem, quandoque copioſa alba quædam fruſtula veluti polypos excreviſſe, & poſtremo turgentibus ſuperioribus ex coercita ſanguinis copia ſuffocatum interiiſſe. Riverius* quoque *cent.* 4. *obſerv.* 21. *recenſet caſum domini de Becheran*, qui, cum graviori terrore ſubito afficeretur, de ſummis conqueſtus eſt cordis palpitationibus, ſpirandi difficultate, pulſu intermittente & inæquali, donec paulo poſt ſuffocatione interiit. Facta poſt ejus mortem ſectione cor cum vaſis majoribus oppleta fuere, & in *ſiniſtro cordis ventriculo inventæ ſunt carunculæ rotundæ ſubſtantiam pulmonis æmulantes, quarum major ad avellanæ molem accedebat & arteriæ aortæ oſtium præcludebat: unde pulſationis defectum, Riverius loc. cit.* ait, *in arteriis contigiſſe exiſtimo. Illas autem carunculas genitas fuiſſe puto a ſanguine redundante, quem calor inſignis ventriculi ſiniſtri excoxerat, & in hujuſmodi ſubſtantiam commutaverat.*

§. XXVI.

Dictæ jam cauſæ eo majores corpori inferunt noxas, ſi *conjunctim* ſubitam partibus ſolidis & fluidis inducant mutationem, inprimis vero accedente ſedentario vitæ genere & profundioribus cogitationibus, de quo ſtatu *excellentiſſimus vir J. H. Schulzius diſſ. de polypoſis concretionibus variorum morborum in pectore cauſis* §. 6. refert *quod compreſſo corpore ſedentes adeo nonnunquam affixi ſpeculationibus ſuis hærent, ut vix reſpirandi, in phyſico ſenſu, ſatisfacere officio audeant, donec quaſi ad ſe redeuntes*

tes, *una alteraque profundiori*, *pleniorique reſpiratione damnum utcunque reſarcitur.* Hic ſanguis ſpiſſus ac ponderoſus fit, motus ſolidorum vel elaſticus nimis vel imminutus, obſtructiones, receſſiones fibroſarum ſanguinis partium, pathemata hypochondriaca & hyſterica ortum ducunt. De exercitio enim animi *Sanctorius* inquit, *med. ſtat. aphor.* 19. *p.* 189. *quod velocem ſenectutem efficiat*, *mortem præmaturam minetur*, *& quod citius ex philoſophis moriantur exercitati*, *quam non exercitati.* Ita quoque ſentit *illuſtr. Præſes* quando in *diſſert de morte ſubita præcavenda* §. 14. pag. 25. affirmat, *ob vitam ſedentariam otioſamque & ſomnum copioſiorem retardari ſanguinis motum*, *viſcidiores partes facilius ſecedere atque coaleſcere.*

XXVII.

Inter *cauſas præternaturales* refero menſium immo hæmorrhoidum ſuppreſſionem, febres malignas, luem veneream, inflammationem ut in pleuritide, a quibus ſanguinem turbari tanquam a fermento quodam peregrino *Albinus diſſ. de polypis theſ.* 7. affirmat; addo calculum, ſpaſmum pectoris, ut in aſtmate ſpaſmodico, peripneumoniam, phthiſin, imprudentem adſtringentium in febribus & hemoptyſi uſum. Ad *menſium & hæmorrhoidum quod attinet ſuppreſſionem*, ab illa polypum generari mirum non eſt, cum propter impeditam ſanguinis per uterum & inferiores partes circulationem ſanguis majori copia ad cor & pulmones tendens, diſtendendo fibras nimis relaxet. Hinc ſanguinis motus inæqualis, ſtagnationes atque ſtaſes oriuntur, & propter tardiorem circulum ſanguis non ſolum ſpiſſus redditur, ſed ponderoſiores ejus partes a reliquis facile ſecedunt, quæ alternante in his ſubjectis ſpaſtico & relaxatorio motu in denſum aliquod compinguntur corpus; unde qui, ad thoracem regurgitat ſanguis, *cor & pulmones opprimit*, *ſyncopen*, *cordis palpitationem*, *polypos*, *aſthmata*, *pectoris anguſtiam*, *ejuſque hydropem*, producit, vid. *illuſtris Hoffmanni med. ſyſtem. tom.* 3. *ſect.* 1. *c.* 9. §. 5. *p.* 189. qui *diſſert. de generatione mortis in morbis* §. 17. refert caſum virginis teneræ conſtitutionis octodecim annorum, quæ ex defectu menſium diu reſpirandi difficultate laborans, præter omnem opinionem enormem ſanguinis profuſionem cum tuſſi ex pulmonibus, aliquot reiteratis vicibus paſſa eſt, ſupervenientibus fruſtulis fibroſo-membranaceis, inſtar polypi, quas ex ore extraxerunt ultra quatuor uncias pendentes, & paulo poſt, conſumtis omnibus penitus viribus obiit. Duo quoque virginum exempla adducit *Malpighius diſſert. de polypo cordis*, in quibus *ob defectum menſtruarum purgationum*, non glandularum ſolum obſtructionem, ſed polyporum quoque concretiones ortas fuiſſe teſtatur. De polypo & phthiſi a ſubitanea menſium ſuppreſſione, vid. obſervatio *in diſſ.* ſub præſidio *excellent. viri M. Alberti de polypo cordis habita* §. 3. *pag.* 10.

pag. 10. De polypo ex *hæmorrhoidum* ſuppreſſione conf. *acta medicor. Berol. vol.* 10. *obſ.* 1.

§. XXVIII.

In lue venerea aliiſque morbis ex pravo contactu genitis, ut in *febribus putridis*, *ſcorbuto*, *peſte*, lympha mucida non ſtaſibus ſolum ſubeundis apta redditur, & in partibus præcipue exſanguibus, ut glanduloſis, oſſibus, cartilaginibus, &c. excitat eroſiones; ſed venenoſum ejus miaſma ſanguinis maſſam inficit, & ſuccos quaſi fermentantes ad putredinem diſponit, ulcera efficit, mixtionem penitus deſtruit, & ut *Malpighius diſſ. de polypo cordis*, *halitus*, inquit, *ex corruptis viſcerum fermentis ſanguini miſcentur, qui perturbata ejuſdem compage, vel novam ſolutionem, & attritionem ſanguinearum particularum pariunt, tollendo nexus quoſdam, quibus minima albarum fruſtula ſuſpenduntur, & diſſimilibus aſſociantur, vel quaſi hamata corpora diſperſas fibras ita nectunt, ut in exiguum plexum vel racemum colligatæ præcipitentur, & dum reliquæ ſanguineæ maſſæ adhuc fluentis motu transferuntur, rationi conſonum eſt, de facili angulis, & irregularibus eminentiis ventriculorum & auricularum cordis, vel vaſorum diramationibus irretiri, ibique reliquis ſanguinis aſſiduo impetu denſari, ut in inflammationibus accidit. Riolanus in encheirid. anatom. lib.* 2. *cap.* 27. refert, ſe aliquoties obſervaſſe in febribus malignis ardentibus concretum ſanguinis intra venas inſtar *medullæ ſambucinæ*, ſimilemque fere recenſet *S. Pauli digreſſ. de febribus malignis* §. 80. Præter *Severinum*, qui in lue venerea affectis polypum generari jam teſtatur, *Harderus obſ. anat. pract.* 57. refert juvenis hiſtoriam, in quo poſt infectionem veneream polypi generationem animadvertit *Sponius*. *Bonetus* demum *anat. pract. tom.* 2. *lib.* 4. *ſect.* 9. *de lue venerea pag.* 448. refert, *Nicolaum Maſſam plures homines mortuos in hoſpitalibus ſecuiſſe, qui viventes morbo venereo laborabant, in quibus venæ per univerſum corpus plenæ erant pituitoſa materia alba: quæ pituita in quantitate longe ſuperabat ſanguinem. Jo. Baptiſta Deniſius* in *ephemerid. eruditorum*, referente *Boneto anat. pract. lib.* 2. *ſect.* 8. *in additamentis obſerv.* 1. *p.* 841. *Cum plurimorum*, inquit, *ſcorbuto defunctorum ante biennium vel triennium, tum in noſodochio, dicto* l'hotel Dieu, *tum in eo quod a S. Ludovico nomen obtinet, diſſectioni præfuerim; id ſemper obſervavi, ipſos ſemper geſtaſſe ſanguinis concreti fruſta inſignia, aut in cordis ventriculis, aut ſaltem in majoribus vaſis per univerſum corpus ſparſis.*

XXIX.

Obſervatur quoque polypus in *calculoſis*, in quibus ratio generationis poſſibilitatem evincit, actualitatem vero experientia. Propter ſpaſmum

enim, quo vel partes, in quibus calculi hærent, vel reliquæ ob conſenſum nervorum detinentur, non ſolum fibrarum relaxatio & nimius humorum ad debilitatas partes affluxus fit, ſed propter læſionem continui, quam calculi ſæpius ſolidis inducunt partibus, facile excreſcentia quædam carnea producitur, in quibus præcipue caro fungoſa luxuriat. Sanguis quoque viſcidus terreſtribus magis abundans ac gelatinoſis particulis, accedente, qui calculum comitatur, ſpaſtica fibroſarum partium criſpatura, ad ſuperiores corporis partes majori copia propellitur, qui vaſa dilatando nimis, imminuit elaterem, efficitque, ut propter tardiorem motum ſolidiores ſecedentes partes temporis ſucceſſu concreſcant. De generatione polypi in veſica, cujus extremitati ſuperiori calculus adhæſit, conf. *E. N. C. dec.* 1. *anno* 6. *obſ.* 160. *Bonetus* quoque *anat. pract. tom.* 2. *lib.* 4. *ſect.* 10. *obſerv.* 1 §. 3. *p.* 456. ſe vidiſſe refert in vena cava adoleſcentis 17. annorum, qui dum viveret, calculo veſicæ laboravit, *corpora alba pituitoſa, ſeu fibroſa cavitatem ejus fere replentia.*

XXX.

Per *ſpaſmum pectoris* quemadmodum in *aſthmate ſpaſmodico & hypochondriaco* contingit, impeditum ſanguinis circuitum & ſtagnationem ejus in cordis ventriculis partes ſolideſcentes ita comprimuntur, ut fluida parte per auricularum poros transſudante, hydrops pectoris oriatur, & remanentibus partibus craſſioribus & ſolidioribus, polypus generetur, conf. *illuſtr Hoffmanni med. conſultat. tom.* 1. *ſect.* 1. *caſ.* 191. *de aſthmate ſpaſmodico & hypochondriaco p.* 419. qui *tom.* 1. *etiam ſect.* 2. *caſ.* 86. eleganter, ut omnia, explicat *polypi in aſthmate flatulento* generationem, quando *p.* 390. ait, *etenim in his morbis temporis diuturnitate ex ſtagnante, & magis coagulato cruore in corde pariter atque pulmonibus polypoſæ concretiones generari ſolent, quæ dum in dies majora ſumunt incrementa, liberum denique & ad vitam conſervandam ſumme neceſſarium humorum circulum remorantur; & hinc inducendo aſthmati convulſivo & præfocanti, aut plane pectoris hydropi per quam ſunt opportunæ.*

§. XXXI.

Qui in *hæmoptyſi* ad pulmones congeritur ſanguis, ibique ſtagnat, cauſſa quoque exiſtit generationis polypi. Sanguis enim, qui craſſioribus & heterogeneis particulis refertus, propter ſtagnationem in vaſculis canales minimos permeare, & in pulmonibus carminationem ſubire nequit, regurgitat, & in vaſis, quæ nimis opplet, ob tardiorem motum ſtagnat. Hinc propter defectum intimæ mixtionis, leviter cohærentes particulæ ponderoſiores maxime ſecedunt, & præterfluentium ſimilium contiguitate in fibroſum compinguntur corpus, inprimis in vaſis, quæ plus

cum ſiniſtro quam dextro cordis ventriculo communicant, conf. *illuſtr. Hoffmanni medic. ſyſtem. tom.* 4. *part.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 2. §. 16. *pag.* 38. De polypo, quem ſecatum corpus in arteria pulmonali monſtravit digitum longum & calamum craſſum, in juvene hæmoptyico 17. annorum temperamenti cholerico-ſanguinei leviter melancholici, qui hæmoptyſi cum labe pulmonum laborans, poſt febrem hecticam cum vomitibus & alvi fluxu bilioſo ſtipatim obiit, vid. *illuſtr. Hoffmanni medic. conſult. tom.* 1. *ſect.* 2 *caſ.* 73. *pag.* 340. *Bonetus quoque anatom. pract. tom.* 1. *libr.* 2. *ſect.* 5. *de ſputo ſanguinis pag.* 654. recenſet ſectionem cadaveris hæmoptici a *Sylvio* & ipſo in noſocomio Leidenſi 1664. adminiſtratam, *in cujus cordis utroque ventriculo* deprehenderunt *materiam craſſam, fibroſam, quaſi carneam, polypum vulgo dicunt, quæ in omnia vaſa extendebatur in cor exeuntia: præcipue vero ex jugulari ſiniſtra eduxerunt tres ſpithamas longitudine ſuperantem. Erat autem illa materia in ipſis cordis ventriculis craſſitie inſigni, cui multum grumoſi ſanguinis adhærebat, annexa cordis carneis fibris, eaſque ſuis fibrillis amplectens. In medio continebat ſanguinem grumoſum, videbaturque minuſcula vaſa habere.* Interim non nego; ſed cum *Williſio*, *Wepfero*, *Malpighio*, judico, polypos etiam, qui in *anguſtiis pulmonum* hærent, cauſam ſæpius diſpnœæ, inflammationis, ut in pleuritide, peripneumonia eſſe, & a violenta vaſorum diſtenſione, ἀναςομωσιν & διαιρεσιν vaſorum fieri.

§. XXXII.

Solent etiam in *inflammationibus*, ut in *pleuritide & peripneumonia*, propter ſtagnationem ſanguinis, ad coagulandum maxime apti, in vaſculis & congeſtionem ejus ad cor & pulmones polypi generari; nam uti *Malpighius diſſ. de polypo cordis in mutationibus*, ait, *aëris aquilonaribus pleuritides ultra febrem acutam ſunt polypoſæ concretiones in pulmonibus, ut ex cadaveribus, & extracto ſanguine patet:* Hanc ſanguinis ad coagulandum in pleuriticis affectibus diatheſin, advertere etiam licuit *Williſio*, qui *libr. de febribus cap.* 11. *pag.* 130. *ſolent pleuritici non nulli*, inquit, *cum dolores evanuerunt, de inſigni gravamine & pondere circa cordis regionem defixo queri: cumque ex hujuſmodi affectibus abeuntium cadavera aperuimus, in cordis ſinubus & vaſorum circum circa cavitatibus ſanguinem in fruſtula & glomeros oblongos* concreviſſe vidimus. Hinc *Sydenhamus* κατ᾽ ἐξοχὴν ſanguinem copioſum & ſpiſſum in venis dicit *pleuriticum. Malpighius* quoque *diſſert. de polypo cordis* affirmat, pleuriticorum cadavera non in præcordiis tantum, ſed in hepate & venoſo genere copioſe continere *fruſtula alba.* Itaque cum in inflammatione pleuriticorum ſanguinem in fruſtula denſa ac fibroſa abire dictum jam ſit: dubitandum non eſt, quin idem in inflammatione, quæ ipſam pulmonum ſubſtantiam infeſtat, fiat. Præter *Malpighium* enim, qui polypos ſæpius a pe-

ripneumonia induci contendit, *illuſtris* quoque *Hoffmannus med. ſyſtem. tom.* 4. *part.* 1. *cap.* 6. *obſ.* 1. *p.* 438. & in *diſſert.* ſub præſidio ejus habita *de peripneumonia* §. 9. recenſet hiſtoriam juvenis cujuſdam temperamenti ſanguineo-cholerici, annorum 26., peripneumonia ob omiſſam venæ ſectionem mortui, in cujus thoracis cavitate pulmones lance examinati pendebant 5. pondo eorumque veſiculæ apparebant craſſa & rubicunda ſubſtantia infarctæ. In arteria & vena pulmonari deprehendebantur polypoſæ concretiones, quæ cordis auricularumque trabibus connexæ plus quam duarum unciarum pondus habuerunt. Ex qua obſervatione illuſtris vir in *epicriſi* collegit, primo *craſſam ſanguinis ſubſtantiam firmiſſime poris & tubulis, pulmonum impingi, & ita tumorem durum, qui omnium ſymptomatum ſuccedentium cauſſa fuit, effici: deinde etiam probabile admodum eſſe, polypoſam ſubſtantiam ex craſſiori ſanguinis parte concretam, & in pulmonalibus vaſis hærentem, multum ad generationem hujus affectus contuliſſe. Bonetus* etiam *anatom. pract. tom.* 1. *libr.* 2. *ſect.* 4. *in additamentis ad appendicem de pectoris, laterum & dorſi dolore* refert ex *Conr. Peieri exercitat. anat.* caſum ſexagenarii, qui pleuritide in peripneumoniam mutata obiit. Facta cadaveris ſectione, obſervati ſunt in corde magni & tenaces polypi adipis fruſta mentientes: *quos*, uti *Peierus* inquit, *exercit. anat. med.* 15. *ægro adhuc vivente genitos fuiſſe judico, quia ultimis diebus pulſus debilis, inæqualis admodum ſuberraſſe dicitur. Nam Kerckringio nondum aſſentior, neganti polypos vivente & pulſante corde generari.*

§. XXXIII.

Phthiſicos polyporum generationi, quam maxime obnoxios eſſe ſequentia ſunt, quæ nos convincunt. Deprehendimus in eorum pulmonibus indurationes, ſcirrhoſitates, ulcera, tubercula, de quibus *Hippocratem* diſſeruiſſe *Zacut. Luſitanus praxi admirab. lib.* 1. *obſerv.* 103. refert. Hæc cauſantur obſtructa nimia pulmonum vaſcula, quæ veſiculas pulmonales, tum bronchiales ramos, occludunt; hinc ob majorem reſiſtentiam & pondus aër pulmones dilatare nequit, ſed liber ſanguinis per pulmones progreſſus impeditur, vaſorum obſtructiones ac oppletiones, & cum illis anxietas & difficilis reſpiratio augentur, ſanguiſque ad cor regurgitans tardius in ductibus venoſis movetur. Inprimis vero cordis thalamos & vaſa pulmonalia, nimis opplet, unde ſanguis chyloſus, qui turbidus, ſpiſſus & fibroſus eſt, propter continuum chyli ex ductu thoracico in venam ſubclaviam & cavam, affluxum, & impeditam ſanguinis per pulmonum vaſcula tranſpreſſionem, qua intime miſcetur, & accedente æthere *elaſticus* & *fluidior* magis redditur, ſtagnatione vel motu tardiori dimittit partes ponderoſiores & ſolidiores. Præcipue vero hoc contingit in infirmis corporibus, maxime vero ſi celſa exiſtant,

qui

qui non congeſtionibus ſolum ad pectus, ſed ſtagnationibus etiam in pulmonibus & phthiſi, propter adductas §. 19. cauſas, valde obnoxii ſunt, in quibus poſt mortem ut plurimum offenduntur infarctus pulmonum abſceſſus, in corde vero & vaſis majoribus polypoſæ concretiones. De fruſtulis adipoſis oblongis lumbricorum inſtar in corde phthiſici, conf. *Barthol. hiſtor. anat. rarior. cent.* 5. *hiſt.* 7. *& M. N. C. D.* 2. *a.* 5. *obſ.* 65. De pituitoſis concretionibus in juvenis annorum 13. phthiſi mortui ventriculo cordis ſiniſtro, cujus fundo mediantibus radicibus annexus, & in aortam ad novem circiter pollices tranſverſos porrectus erat, vid. *Bonetus anat. pract. tom.* 5. *lib.* 2. *ſect.* 7. *in additamentis obſerv.* 23. *Idem* hoc confirmat *obſ.* 14. de polypis ingentibus in phthiſici corde repertis, qui ventriculum cordis ſiniſtrum & vaſa pulmonalia opplerunt, & ex ventriculo cordis dextro in venam cavam tranſientes, in introitu venæ cavæ in hepar, conſtituerunt appendicem immanis cujuſdam polypi, qui craſſitie totam fere venæ amplitudinem occupabat, & qui jecur ſub ingrediendo, in duos ramos dividebatur, quorum craſſior in venam portæ ſeſe inſinuabat, alter vero tenuior & in plures ramulos fiſſus, venæ cavæ ramificationes ſubintrabat, eademque craſſitie tendebat in venam cavam aſcendentem, & tranſmittebat ramificationes in venas ſubclavias, jugulares, vertebrales ad cerebrum uſque. Ulterius *obſ.* 46. refert polypos duriores in puella 7. annorum phthiſi mortuæ ventriculo cordis ſiniſtro repertos, *qui, non ſpurii aut ex ſanguinis grumis concreti, ſed candidiſſimi & fibris tenaciſſimis denſiſſime contextis compoſiti erant, & diuturna maceratione nullo modo diſſolvi & cultri acie vix dividi poterant.* Ex qua obſervatione *Chr. Vaterus* collegit, propter impeditum & difficilem ſanguinis per coalitum pulmonum progreſſum diuturnoſque impulſus & concuſſiones, *partes gelatinoſas & fibroſas tandem in ſinibus cordis ita congregatos & in polypos iſtos mutatos fuiſſe, quemadmodum e ſola pilorum varia contorſione & conquaſſatione, interveniente quodam glutine, chartam, pannum*, aliaque fieri videmus. Demum *idem obſ.* 49. monet, ſe in viro 38. annorum phthiſi defuncto vidiſſe in ventriculis cordis *corpora polypoſa, ſubrubra, tenaciſſima, extremitatibus ſuis ibi furcatis tanquam radicibus, eorumque ventriculorum apicibus implantata.* Quum vero *phthiſici* fere omnes demum *hectici* fiant, ab ipſo calore in *hectica* produci poſſunt polypi; conſtat enim cauſam hujus morbi eſſe humorem putridum & corruptum, qui quemadmodum *illuſtr. Hoffmannus* monet *med. ſyſtem. tom.* 4. *part.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 13. *de febribus lentis & hecticis* §. 3. *p* 555. *temperatæ & naturali ſanguinis & humorum vitalium mixtioni penitus eſt adverſus, eandemque inteſtino alieno motu turbat, immutat, a que diſſolvit*, experientia id confirmante; ſanguis enim ex vena hectici emiſſus poſt aliquam moram conſpiciendam præbet ſeparatam a reliquis partibus *gelatinoſam ſubſtantiam*, inſtar *tunicæ*. De polypis in *hectici chronici* utroque cordis ſinu conf. *act. med. Berol. vol.* 9. *p*, 54.

 §. XXXIV.

§. XXXIV.

Incauto *adſtringentium* in *hæmoptyſi* & *febribus* uſu, polypos nonnunquam ortum duxiſſe, aliquoties *Illuſtris Hoffmannus* obſervavit. Stypticis enim coagulatur ſanguis, vaſorum diametri conſtringuntur, obſtructiones & pulmonum infarctus fiunt, & propter impeditum ſanguinis per pulmones progreſſum, nimiamque vaſorum pulmonalium & cordis oppletionem polypus tandem generatur. Quantum enim detrimenti afferant ſtyptica in hæmoptyſi, *illuſtr. Hoffmannus* docet *medic. conſult. Tom. I. Sect. II. caſ.* 9. de *phthiſi ex hæmoptyſi.* Nec mirum eſt ſi idem in *febribus* contingat. Febres enim ſuppreſſas imprudenti *corticis peruviani* uſu cauſſari totalem ſæpius menſium ſuppreſſionem, hydropem, pathemata hypochondriaca, febrem lentam, multis & variis exemplis comprobavit *illuſtr. Præſes* in *medic. conſultatoria.* De febre a magna corporis refrigeratione poſt toleratum febrem, ac inde prohibita corporis tranſpiratione laudatus vir egit *med conſult. Tom. I. Sect. II. caſ.* 89. *pag.* 406. 407. De febre a concretione pituitoſa, polypis & mucoſa pituita in cordis ſinubus, conf. *Boneti anat. pract. Tom. II. Lib. IV. Sect. I. de febribus obſerv.* 2. §. 2. 3. 4.

§. XXXV.

Quid *venena* & *medicamenta venenoſa*, quorum magna pars deſcripta jam eſt in *diſſ.* ſub præſidio *excellent. viri J. H. Schulzii* habita, quæ inſcribitur *mors in olla*, ad polypi generationem conferant, videndum erit. Inter ea autem refero omnia, quæ ſpiculis acidis ſalinis, ſubtiliſſimis & corroſivis ſolidorum ſtructuram & fluidorum invertunt texturam, ut globuli ſanguinei a ſphærica recedentes figura, conſtituant diverſi generis acidi, alcalini, volatilis, fixi genera, & exiſtant ob acrimoniam acuti nimis, vel flexiles, & concreſcentes aucto eorundem contactu, ac tenaces ob arctiorem partium cohæſionem. Inprimis vero hic referendum duco, *viperarum ictum*, quo ſanguis coagulatur, quemadmodum id *Mangetus* in *bibliothec. anat. additament. ad diſſert.* Malpighii *de polypo cordis Tom. I. pag.* 963. & *Bonetus anat. pract. Tom. II. L. IV. Sect. X. obſ.* 6. *de morbis occultis chronicis veneno &c. in appendice pag.* 465. & in *addit. ad obſerv.* 1. *pag.* 464. nec non *obſerv.* 2. *pag.* 470. docuerunt, & variis experimentis in vivis animalibus inſtitutis comprobarunt. *Bonetus* anno 1683. capram majorem viperis irritatis mordendam exhibuit, quæ ſubortis, ſpumoſa ac viſcoſa ſalivatione & dyſpnœa, motibuſque convulſivis agitata, cataleptica tandem & quaſi toto corpore reſoluta periit. De cujus ſectione *libr.* ante *cit. pag.* 472. ſequentia refert. *Aperto corpore præter alia, de quibus in ſequentibus, reperiebamus ſanguinem non tantum in*

in grumos coactum, ſed ejuſdem particulas ſibi invicem ita cohærentes, ut in cordis ventriculis polypos admodum tenaces, valvularum tum ſigmoidalium, tum tricuſpidalium, variarumque cavernularum in prædictis ventriculis excavatarum, imaginem apprime per externa referentes efformaret. Idem præterea ſanguis e majoribus & minoribus venis in ramos ac ramulos diſtributus ſine diſruptione extrahi poterat, valvularum itidem omnium, tum jugularium venarum, dum aliarum figuram non minus accuratam exhibens, quam a cera præparata, ac eadem infuſa illud effectum fuiſſet. De polypis in quibuſdam a veneno repentine mortuis conf. *Thom. Barthol. act. med. Haffn. Vol. I. obſ.* 12. *pag.* 39. §. 1. & *ephem. N. C. A.* 3. *obſerv.* 153.

§. XXXVI.

Explicatis jam cauſis non naturalibus, præternaturalibus, aliiſque, quæ corpora præcipue ad polyporum diſponunt generationem, reliquum eſt, ut *ſymptomata* & *effectus*, quos in corpore producunt noxios & lethales, adhuc perſcruter, quo eo magis ab iis nos præcavere diſcamus. Signa autem hujus affectus pathognomonica tria referuntur a *Bergero diſſert. de polypo cordis* §. 15. *palpitatio cordis conſtans, aut ſaltem frequentior levi ex cauſa recurrens, dyſpnœa, pulſus frequens, debilis, inæqualis, & intermittens cum anxietate & lipothymia ſubinde junctis.* Per *palpitationem*, a græcis παλμὸς καρδίας dictam, intelligo motum cordis convulſivum, quo cor ictibus ſæpius repetitis e loco movetur, violentique motu ad pectus adigitur, conſentientibus *illuſtr. Hoffmanno med. ſyſtem. Tom. III. Sect. I. c.* 13. *p.* 25. *Bergero diſſ. de palpitatione cordis* §. 4. *pag.* 8. & *Williſio* in *pharmac. ration. de cordis tremore pag.* 166. Hujus cauſa vel in ſolidorum vel fluidorum vitio quærenda eſt, vel ad *Fernelii* mentem, quicquid vitalem facultatem quantitate, vel ſubſtantia, vel utraque gravat, dicitur palpitationis cauſa, *vid. l.* 2. *de morbis cognoſcendis & curandis cap.* 12. Omnes fere *melancholicos* hoc ſymptomate affici, qui *cachexia* laborant, ut puellæ & *qui aquam inter cutem incidunt*, laudatus vir *l. c.* contendit, *polypoſque* palpitationes frequentes producere, augere, immo immedicabiles reddere, teſtatur *illuſtr. Hoffmannus diſſert. de palpit. cordis* §. 6. *p.* 9. nec non *med. ſyſtem. Tom. II. cap.* 3. §. 22. *in ſcholio p.* 76. De cauſis palpitationem producentibus conf. *Wedelii diſſert. de palpitatione cordis*, *Bergeri diſſert. de cordis palpitatione* §. 6. *p.* 2. & *Ch. Jo. Langii diſſert. de eodem themate* §. 21. *Sylvii praxis medica lib.* 1. *c.* 35. *Henricus Smetius l.* 10. *rariorum aliquot obſervationum p.* 537. electorem Fridericum III., in cujus corpore defuncto vidit polypos cordis, utrumque ſinum opplentes, non nunquam cordis palpitatione rarius tamen, & quam contemnebat, utpote vetus vitium nec adeo moleſtum, laboraſſe affirmat; & *p.* 523. recenſet mercatoris ſymptomata, qui in cordis dextro ſinu continebat pituitoſam concretionem, quando in-

inquit, *laborabat palpitatione cordis diuturna, ex qua & mortuum narrabat ejuſmodi medicus, qui me ad ſectionem adduxerat. Viventem enim non videram.* De ſexagenario, a palpitatione demortuo, ob aneuryſma & polypum cordis, vid. *Baglivus praxi med. lib.* 2. *pag.* 229. De palpitatione cordis a corpore carneo & membranaceo auriculis cordis annexo, vid. *Bonetus anatom. pract. Tom. I. lib.* 2. *Sect. VIII. obſerv.* 7. *pag.* 820. & *obſerv.* 10. *p.* 821. *Idem* cordis palpitationem ob polypum in arteria aorta, & auriculæ cordis dextræ adnatum refert, *obſerv.* 12. *pag.* 822. Denique in *additamentis obſ.* 1. *p.* 84. palpitationem cordis in ſcorbuticis a polypis recenſet. Referunt quoque *act. med. Berol.* tremorem & palpitationem cordis intercurrentem & interpolatam in illis, qui ex *polypis cordis* in hydropem devoluti ſunt *Vol. IX. pag.* 31. Oritur autem palpitatio, utpote præſentes docent obſervationes, ab impedito ſanguinis ad ſuperiora adſcenſu, congeſtione ejus ad pectus & pulmones, nimiaque ventriculorum & auricularum cordis a fibroſis concretionibus & ſtagnante cruore oppletione, conf. *illuſtr. Hoffmanni med. conſ. Tom. I. Sect. II. caſ.* 92. *pag.* 424. Sanguis enim qui in motu conſtitutus, progredi neſciens cor nimis dilatat, ad parietes cordis allidit, quem cor ob elaſticitatem expellere nititur, & eo vehementius ſubſilit ad moles in ejus cavitatibus contentas, quo propius obex liberum ſanguinis circulum impediens obditus eſt oſtio, eoque major ſemper exercetur vis, quo minor eſt fibrarum reſiſtentia (per leges motuum). Hinc patet ratio, cur aperto vaſorum oſtio & reſtituto libere ſanguinis circuitu cor palpitare deſinat, rurſuſque incipiat motu corporis & adſcenſu acclivium & ad ſcalas, quibus ſanguis velocius per pulmones & canales univerſi corporis agitur, ac pulſus magnitudine & celeritate increſcit; cur animi affectibus calidis ac ſpirituoſis, de quibus *Hippocrates de victus ratione in morbis* refert, quod *meraciores quicunque ſint potus vinoſi, aut auſteriores palpitationem in corde & pulſationem in capite inducant* reiteretur vid. *illuſtr. Hoffmanni medic. ſyſtem. Tom. III. ſect.* 1. *cap.* 12. §. 17. *pag.* 278. & *cur ſola corporis incurvatione vel capitis ad terram inclinatione, quoties impetit, cohiberi poſſit, vel pro vario in latus vel dextrum vel ſiniſtrum decubitu exacerbetur, vel complacetur*; conf. *illuſtris Præſes medic. ſyſtem. Tom. III. ſect.* 1. *cap.* 17. §. 10. *pag.* 373. *Idem* afflictiones has valde moleſtas obſervavit in juvene, cui non licuit lateri dextro incumbere, ob ſpirandi difficultatem ab ingenti cordis auriculæ dextræ impacto polypo, metum ſuffocationis, & cordis tremorem, quæ vero rurſus ceſſarunt mutato corporis in ſiniſtrum latus ſitu. Ejuſmodi obſervationem refert *Bonetus anatom. pract. lib.* 4. *ſect.* 12. *obſerv.* 31. *pag.* 574. qui in viro febri acuta correpto *vivente* notavit, intenſum calorem, tuſſim moleſtam, difficultatem reſpirandi maximam: *ſupra latera decumbere æger non poterat; minori autem incommodo ſupra dorſum decumbebat, verum ſedens melius ſe habebat, faciliuſque reſpirabat*, & paulo poſt *exſtincto* obſervavit ſuperficiem internam pericardii & cordis externam

cruſta

cruſta albicante tectam, & polypoſas concretiones. Niſi enim ſanguinis circulo obex ponatur, ut nihilominus præterlabi poſſit, nullum ſubſequitur incommodum, quemadmodum id *illuſtr. Hoffmannus med. ſyſtem. Tom. IV. part.* 1. *ſect.* 2. *cap.* 6. *de febribus pneumonicis* experientia confirmat, quando in *epicriſi* ad *obſerv.* 1. *pag.* 440. *Vidi*, inquit, *polypos ad ulnæ uſque longitudinem per arteriæ aortæ item venæ cavæ truncum ſuperiorem & inferiorem fuiſſe elongatos, ſine ullo ſanitatis detrimento atque periculo.*

§. XXXVII.

A celeriori hac cordis agitatione arteriarum motus fit celerior. Nam, quemadmodum *Fernelius l. cit.* ait, *cor ſi laborat inæquali intemperie, pulſus univerſos varie inæquales efficit. Intermittit* maxime *pulſus*, ſi polypi & ſanguis vaſorum inprimis arterioſorum orificia ductuſve occludentes, eorum conſtrictionem liberumque ſanguinis per ea progreſſum impediunt, donec aperto oſtio ſanguinis circulo concedatur via & propter elaſticitatem vaſa in priſtinum ſtatum reſtituantur, ſentiente ita *Lanciſio* quando *libr. de aneuryſmatibus prop.* 38. inquit, *corpus polypoſum arteriæ cavum plane obſtruens rectam ſanguini viam præcludit, ac proinde eo in loco circulationem intercipit, coacto fluido ad laterales vias capeſſendas. Hinc ſæpe pulſus ex hac cauſſa obliteratur in carpis*, ut in *Marchione Paulutio. Act. medic. Berolinenſ. Vol. X. pag.* 32. referunt omnes *cordis polypis* laborantes *circa hydropis pectoris acceſſum* pulſum habere *irregularem* & *aſphyxiam* per certa pulſuum momenta. Aſphyxiam in viro, qui integro die ante obitum ſine pulſu jacebat, ab utroque cordis ventriculo corporibus adipoſis obſtructo *Bonetus* ex *Welſchii* obſerv. recenſet *anat. pract. libr.* 2. *ſect.* 9. *obſ.* 4. De pulſu intermittente a polypis conf. *illuſtr. Hoffmannus medic. ſyſtem. Tom. III. ſect.* 1. *cap.* 12. §. 12. *pag.* 274. & *Riverius cent.* 2. *obſerv.* 72. *Veſalius de corporis humani fabrica lib.* 1. *c.* 5. pulſum inæqualem & intermittentem ob cor inſtar uteri expanſum a glanduloſa & nigricante in ſiniſtro cordis ventriculo carne ita deſcribit: *pulſus variis modis inæqualis erat & varius in homine, habitu utcunque ante mortem melancholico & admodum vigili, quique arteriæ contractionem manifeſte oſtendebat. Ita enim multis menſibus ante mortem (quum tamen alioquin velut ſanus obambularet) pulſus, aut arteria contrahi viſa fuit, ut trium aut quatuor pulſationum ictuumve intervallo contracta maneret, velutque expulſionem moliretur. Immo poſtremis vitæ ſeptimanis ex novem ictuum intervallo tres tantum, aut duæ dilatationes arteriæ tactui ſubinde occurrerunt.* De pulſuum inæqualitate a concretione pituitoſa in corde conf. *Eraſtus diput.* 5. *de febre putrida.*

§. XXXVIII.

Refertur etiam inter ſigna polyporum *compreſſio præcordiorum* ob ſpaſticam, quæ regioni pectoris inducitur, ſtricturam, & cum illa ut plurimum junctus *dolor circa cor fixus. Benivenius l. c.* narrat hiſtoriam mulieris nomine & genere claræ, quæ dolore cordis interdum vexabatur ob fruſtulum nigrioris carnis in ſinu cordis ſiniſtro hærens, qui demum ita increbuit, ut perpetuus fieret. Ex quo etiam ſæpius deficiens vix recreari potuit, donec eo magis magiſque invaleſcente e medio ſublata eſt. Eundem etiam obſervavit *illuſtr. Hoffmannus* in ſereniſſimo Holſatiæ principe, cui vivo ex his & reliquis ſymptomatibus polypum adeſſe prædixit, quod præſagium etiam ſectio cadaveris confirmavit, dum in dextro cordis ſinu duo polypi, & unus in ſiniſtro & arteria aorta reperti ſunt. Vid. *medic. ſyſtem. Tom. III. ſect.* 1. *cap.* 7. §. 43. Hinc §. 44. *polypi initium*, inquit, *arguit compreſſio pectoris & fixus circa cor dolor, ſi vero jam incrementum cepit, præter hæc frequentius, vel levi de cauſa recurrit cordis palpitatio, pulſus miris modis inæqualis & varius eſt, ſæpiuſque notabilibus intervallis remittit.*

§. XXXIX.

Dyſpnœa, orthopnœa & aſthma a fibroſis quoque concrementis vel in corde vel vaſis majoribus oriuntur, facileque excitantur ab omnibus calidis, motu fortiori, animique affectibus. Conf. *illuſtr. Hoffmann. med. ſyſtem. Tom. III. ſect.* 1. *c.* 7. §. 44. *pag.* 153. Propter nimiam enim ſanguinis ad pulmones congeſtionem, ſtagnationem ejus, immo infarctum pulmonum, ſanguinis per venam pulmonalem prohibetur reditus, diametri venarum diſtenduntur, libera veſicularum aërearum expanſio motuſque diaphragmatis impeditur, & anxietas in præcordiis cum metu ſuffocationis oritur. De reſpiratione ſenſim deficiente in lenta morte extincta a polypo cordis ventriculos obſidente, conf. *Bonetus anat. pract. libr.* 2. *ſect.* 1. *obſerv.* 95. De reſpiratione læſa a polypo vid. ſupra *in* §. 3. *nota* citatam *Tulpii* obſervationem. De reſpiratione difficillima ac laborioſa, qua adoleſcentula poſt tres dies obiit, *a polypo cordis poſt morbillos accreto, & in arterias pneumonicas illapſo*, conf. *Williſius in pathologia ſpaſmodica vindicata de affectionibus hyſtericis & hypochondriacis pag.* 6. Orthopnœam cum ſuffocationis periculo a polypo *Henricus Smetius* obſervavit. De aſthmate a corporibus pituitoſis ſive fibroſis in arteria aorta, quæ ulnæ longitudinem ſuperaverant, vid. *Wepferus exerc. de apoplexia pag.* 197. De aſthmate a polypo in utroque cordis ſinu conf. *Diemerbrœck anat. l.* 2. *c.* 9. De aſthmate, & difficili a polypo reſpiratione vid. *Bonetus anat. pract. Tom. I. libr.* 2. *ſect.* 1. *in additamentis obſerv.* 29. 32.

De

De polypo cordis aſthmatis cauſa conf. *illuſtr. Hoffm. medic. conſult. Tom. 1. ſect.* 2. *caſ.* 88. *pag.* 403. Notatu digna ſunt viri hujus verba, quando *diſſert. de generatione mortis in morbis* §. 14. *Nos*, inquit, *ipſi teſtari poſſumus, quod aliquoties nobis contigerit occaſio, aſthmate ſuffocatorum cadavera diſſecandi, ubi polypos in vaſis pulmonum & cordis, nec non ſerum fœtidum extravaſatum in thoracis cavo deprehendimus.* Doctor *Grævius* quoque medicus caſtrenſis monente *illuſtr. Præſide diſſ. de aſthmate convulſivo* in quinquaginta militibus, quos incidit, aſthmate ſuffocatis ſemper invenit vel *hydropem pectoris*, *vel polypos cordis ventriculos* obſidentes.

§. XL.

Quum functiones corporis rite peragantur motu ſolidorum elaſtico æquali & fluidorum progreſſivo temperato: (per *principia phyſiolog.*) fit, ut mutato vel ſubſiſtente plane ſolidorum motu, mutentur vel deſinant quoque corporis functiones. Cauſſa ceſſationis motuum in intercepta ſyſtole cordis & arteriarum quærenda eſt. Conf. *illuſtr. Hoffmanni med. ſyſtem. Tom. II. part.* 1. *lib.* 2. *ſect.* 1. *c.* 2. §. 12. Hinc non mirum, ſi a nimia cordis, inprimis vero auriculæ dextræ expanſione, motus in *corde & vaſis majoribus* vel plane vel ad tempus intercipitur, & *lipothymia* & *συγκοπὴ* oriuntur; ſi enim cor vaſaque nimis dilatata ſeſe conſtringere nequeant, fluida non propelluntur, ſed in vaſis ſtagnant. Recte itaque *Fernelius de morbis cognoſc. & curandis libr.* 2. inter affectus hujus cauſſas refert *tumores præter naturam in corde vel pericardio*, *vermes*, *aliaque ſimilia quæ vaſa obſtruunt*, utpote quæ motum ſolidorum ſyſtalticum impediunt. Inter ſigna vero polypi præcipue commemorat *illuſtris Hoffmannus med. ſyſtem. Tom. III. ſect.* 1. *cap.* 7. §. 44. *lipothymiæ frequentiam*, *ſine cauſſa evidente*, *vel a certo corporis decubitu provenientem.* Animum a polypis ſæpius deficientem obſervavit *Benivenius.* De ſyncope a corpore fibroſo & pituituoſo ulnæ longitudinem ſuperante in arteria magna conf. obſervatio *Wepferi* apud *Bonetum anat. pract. Tom. I. lib.* 2. *ſect.* 10. *obſerv.* 16. De ſyncope frequenti cum reſpiratione intercepta a polypo inſignis craſſitiei in vena cava, qui vaſis illius longitudinem occupabat, vid. *Ruſſeus Zodiac. med. Gallic. anno* 2. *obſerv.* 16.

§. XLI.

Expoſitis jam præcipuis ſignis, ex quibus polyporum in corporibus exiſtentiam ſufficienter dijudicare poſſumus; non difficile cognitu erit, quomodo ab illis morbi pectoris acuti vel chronici aliique & repentina mors ortum ducant. Quum vero diffuſius nimis forem in exponendis omnibus, quos in corpore producunt, morbis; præcipuos & qui frequentius in praxi occurrunt adducam, ſimulque modum, quomodo diſponant

corpus ad morbos, tradam. Agunt vero polypi ſanguinis circulum impediendo vel per totum corpus, vel per certas partes. In pectoris morbis, ſi in vaſis pulmonalibus hærent, quales ſæpius in hiſce effectibus obſervavit *illuſtris Hoffmannus* vid. *medic. ſyſtemat. Tom. III. ſect.* 1. *cap.* 17. §. 8. vel in cordis ſinubus auriculiſque, impediunt ſanguinis per arteriam pulmonarem adſcenſum, ejuſque per venam reditum, unde, qui per minima vaſa non progreditur, in pulmonibus ſtagnat, vaſaque nimis diſtendendo pulmones ad diſruptiones vel inflammationes, ut in pleuritide & peripneumonia, obſtructiones, indurationes, ſchirroſitates, eroſiones, ulcera diſponit, quos effectus variis confirmarunt obſervationibus *Lowerus*, *Bartholinus*, *Needham*, *Neretus Neretius*, *Williſius*, *Wepferus*, *Malpighius*, & de quibus *illuſtr. Hoffmannus med. ſyſtemat. Tom. III. ſect.* 1. *cap.* 17. §. *6.* inquit, *experientia anatomica edocemur, quod non alia ratione internecioni dent hominem, quam quod liberum circuitum & tranſitum ſanguinis per cor & pulmones ſiſtant ac intercipiant, id quod teſtatum faciunt polypoſæ concretiones canalium alveos obturantes, neque minus ſcirrhoſi tumores & corruptiones ſanioſæ ac ſphaceloſæ, quæ pulmonum ſubſtantiam in his vitiis infeſtant.* Plures ejuſmodi obſervationes collegerunt fuſiuſque explicarunt *illuſtr. Hoffmannus diſſert. de generatione mortis in morbis* & excellentiſſimus vir. *J. H. Schulzius diſſ. de polypoſis concretionibus variorum in pectore morborum cauſſis.*

§. XLII.

Quum *aſthma* ut plurimum cauſſam habet polypos, ejuſque ſignum pathognomonicum conſtituit: (§. 39.) fit, ut hydrops ſæpius producatur, quum aſthmaticos, cachecticos & hydropicos plerumque fieri experientia doceat. Propter impeditum enim ſanguinis progreſſum a polypo vel in arteria pulmonali, vel auricula cordis dextra & vena cava hærente, ſanguis regurgitat in venas, in quibus ob defectum motus, & difficilem ad perpendiculum adſcenſum facillime ſtagnat, in locis inprimis, ubi etiam in ſtatu naturali momentum impulſus a corde accepti elanguet, cujuſmodi ſunt pedes, crura, vid. *Lanciſius de aneuryſmatibus propoſ.* 61. & hepar, in cujus venam ſic dictam portæ ſanguis a viſceribus defertur, difficiliuſque in venam cavam progreditur, conſentiente *B. Stahlio diſſertat. de vena portæ porta malorum.* Hinc quemadmodum *Lanciſius loc. cit.* tradit *ob defectum circumpulſionis in arteria pulmonari vel magna, ſtatim vitiatur exacta miſcela, vibratio & contuſio chyli lymphæque cum ſanguine, unde paulatim ſerum ac fibroſæ fluidorum partes a ſubtilioribus facile ſecedunt, vel per poros tranſudant, quemadmodum contingit in hydrope pericardii.* Dum vero ad vaſa lymphatica fertur, ea diſtendendo nimis relaxat, ut plures in unum coeuntes vel in pectore vel abdomine conſtituant ſeri extravaſationem, teſte experimento *Loweri*, qui dictos effectus in cane vivo per liga-

ligationem venæ cavæ produxit. Inter alias de obſtructione venæ cavæ in hydropicis obſervationes, illa quoque meretur notari, quam *Rhodius* ſuppeditavit de principii venæ cavæ arcto coalitu, vid. *Bonetus anat. pract. lib.* 3. *ſect.* 21. *obſ.* 68. *pag.* 472. Corpora pituitoſa & fibroſa in cachecticis diu & frequenter ex morbis decubuis obſervavit ſæpius *Wepferus vid. ejus exercit. de apoplexia pag.* 196. *&* 200. De œdemate in crure utroque a polypo denſo & ſubduro, quod ad femora adſcendens, tumorem plenum, durum in imo ventre inter umbilicum & pubem, immo toto abdomine fecit, conf. *Smetius* in *miſcell. medic. lib.* 10. *pag.* 537. De cordis polypis ab aſcite vid. *Bonetus anat. pract. tom.* 2. *libr.* 3. *ſect.* 21. *obſ.* 1. 2. *In additamentis ad appendicem obſ.* 9. ex *Baylii tractat.* de *apoplexia* polypos refert, in duarum mulierum cordis ventriculis, una hydrope altera cachexia extincta, *& obſ.* 45. tradit anatomen adoleſcentis hydropici, cujus cor ultra tres libras medicas pependit, ejuſque ſinum dextrum replerunt concreta materia tenax fibroſa ſeu polypi. *Obſ.* 52. recenſet anatomen anaſarca enecti, cujus dexter ventriculus & arteria pulmonalis longis craſſis fruſtis carnoſis obſita erant; & *obſ.* 70. *&* 79. de polypis in anatome hydropicorum repertis, & portentoſo polypo in adoleſcente hydrope pectoris extincto agit. Tandem *obſ.* 83. de cane pingui & caſtrato, qui calidus ſubito hauriens aquam frigidiſſimam anheloſus & hydropicus factus eſt, in cujus corde præter reliquam viſcerum præternaturalem diſpoſitionem, inſtituta poſt mortem ſectione, polypi etiam memorabantur. Præclare itaque *Bauhinus* apud *Horſtium oper. ſuor. tom.* 1. *pag.* 141. *de abdominis & pectoris morbis* monet, *ſi dabitur ſectio hydropici vel phthiſici, diligenter cordis ventriculos inſpicias; aliquoties enim excreſcentiam ramoſam reperi per vaſa in pulmones delatam.* In viro per tempus aliquod dyſpnœis, cordis anxietatibus, palpitationibuſque vexato, tumores in brachiis, venas ampliatas & in nodos protuberantes a polypo inſigni, qui ex auricula dextra in truncum venæ cavæ adſcendens exporrigebat ramos obſervavit *Albinus*, vid. *diſſ. de polypis theſ.* 5. *p.* 7. Hinc cum *Lanciſio lib. de aneuryſmatibus propoſ.* 61. ita ſentio, *genitas has hydropis ſpecies lethales eſſe, & tanto cæteris graviores, quanto minus ab arte vel natura ſolidorum vitia corrigi poſſunt.*

§. XLIII.

Inter alios morbos ab obſtructione vaſorum a polypis occurrunt *menſium retentiones, hydrops uterinus, hæmorrhagiæ uteri & abortus, cephalæa, epilepſia,* & *apoplexia. Regnerus de Graaf tract. de organis muliebribus c.* 9. de polypoſis in vaſis uteri agens concrementis, rationem reddit, quare menſes non nunquam pertinaciter ſubſiſtant, & cur per inſuetas vias expurgentur. De polypo uteri ramoſo conf. *Ruyſchius obſ. chirurg.* 6. *pag.* 12. Limpidiſſimam aquam, quæ intra viginti quatuor

horas libram æquabat, per aliquot menſes ex utero ſtillantem propter polypos uteri vaſa obſeſſos obſervavit *illuſtris Hoffmannus* in *medic. ſyſtem. tom.* 3. *cap.* 7. §. 45. Animadvertit etiam, feminis, quæ frequenter abortiunt, ſanguine redundantibus, ſolemne admodum eſſe, ut cum ſanguine ad animi uſque defectionem excludant maſſas carneas, ovi gallinacei magnitudine numero plures, de quibus *libr. cit.* §. 46. *perperam hæ maſſa*, inquit, *habentur pro molis*, *quæ nihil aliud ſunt*, *quam polypoſæ ejuſmodi*, *a mucido ſtagnante intra venas uterinas ſanguine*, *concretiones.* (*l*) Nec mirum eſt, ſi ab hac vaſorum a polypis diſtenſione hydrops & hæmorrhagiæ uteri producantur, cum nimiam ſanguinis apertionem largiſſimum ſanguinis profluvium ſequitur, & propter impeditam circulationem, ſanguis in ductibus venoſis, ad quos regurgitat, ſtagnat, atque dimittit ſeroſam portionem, eamque vel in abdominis vel uteri cavitatem exonerat. *Sinus cerebri* obſeſſi polypoſis concretionibus atrociſſimos *capitis dolores hemiplexiam*, *apoplexiam*, *epilepſiam &c.* producunt. Sanguis enim, qui tarde per cerebrum circulatur, e venis in ſinus obſtructos ſufficienter deferri nequit, ſed in vaſis ſtagnat, ea nimis dilatando ad extravaſationem ſeroſam ac ſanguineam diſponit, & premendo principia nervorum atrociſſimos dolores efficit. *Pechlinus* notavit in muliere ex cephalæa multorum annorum atrociſſima & invicta pereunte ſinus cerebri (*m*) *nigro mucilaginoſo tenacique polypo obſeſſos*, *diffuſis per laterales venarum ramos aliquot pedibus*, *quibuſcum extractus integer corallii nigri fruticem proxime exprimebat*; *vid. lib.* 2. *c.* 2. *p.* 204. De materia alba tenaciſſima epilepticæ mulieris ſinum duræ meningis longitudinalem ejuſque rivulos opplente conf. *Blaſius obſ. med.* 2. *parte* 6. De polypo in pueruli epileptici corde ſiniſtro, ramos duos in venas pulmonares mittente conf. *Bonetus anat. pract. in additamentis libr.* 1. *ſect.* 12. *obſ.* 16. De polypis in hominis cordis ſinu vaſiſque magnis, qui primum epilepticus, & elinguis demum occubuit cum ſiniſtri brachii convulſione, vid: *M. A. Severinus lib. de abſceſſibus cap.* 2. §. 1. *p.* 132. Obſervationem *Sponii* de epilepſia, ob obſtructionem partis maximæ ramorum vaſorum jugularium ab humore glutinoſo concreto exſiccato, vide apud *Bonetum anat. pract. libr.* 1. *ſect.* 12. *in additamentis obſ.* 2. & de polypo in corde epileptici reperto conf. *tranſact. anglic. vol.* 14. *pag.* 537.

§. XLIV.

(*l*). *Ruyſchius* obſervavit in placentæ cujuſdam rudimento, quod mulier poſt embryonis excluſionem & placentæ annihilationem peperit, ſanguinem coagulatum ſuperficiei ejus adhærentem, cujus portionem abſtulit & aquæ puræ indidit, ut omnis rubedo evaneſceret, tantamque analogiam cum membrana obſervavit, ut operæ pretium ipſi viſum fuerit, eam indere liquori ſpirituoſo, de quo *theſ. anat.* 6. *no.* 15 *pag.* 12. *vix credibile eſt*, inquit, *ſanguinem extra vaſa profuſum in talem ſubſtantiam mutari. Hinc varii etiam olim fuerunt decepti*, *exiſtimantes*, *quum puerperæ enituntur ejuſmodi objecta*, *ea eſſe reliquias membranarum placentæ.*

(*m*) Præter polypos, qui *in ſinubus cerebri* ſæpius obſervantur, aliquos *intra duplicaturam meningis duræ* prope baſin cerebri & cerebelli notavit *Harderus*, referente *Albino diſſert. de polypis.*

§. XLIV.

Inter cauſas improviſarum mortium ex parte cordis & magnorum vaſorum frequentiſſimas recte referunt obſervatores polypos, qui ſolidorum ſiſtunt motum, & obſtruendo cor ejuſque vaſa viarum impediunt libertatem, quominus ſanguis a ventriculis in auriculas, & ab illis in majora vaſa & caput progredi queat, vid. *illuſtr, Hoffmannus med. ſyſtemat. tom.* 3. *ſect.* 1. *cap.* 8. §. 43. *Lanciſius de ſubitaneis mortibus libr.* 1. *c.* 10. §. 4. *& act. medic. Berolinenſ. dec.* 2. *vol.* 2. *pag.* 69. *Bartholinus libr. de lact. thor. cap.* 14. refert, ſe in iis, quos ſubito mortuos cultro anatomico ſubjeciſſet, majora cordis vaſa ſanguine concreto repleta inveniſſe. De morte repentina a corporibus extraneis in ſinubus cordis vid: *Bonetus anat. pract. libr.* 2. *ſect.* 2. *obſ.* 5. De repentina morte a polypo in cordis ſiniſtro thalamo ſanguinis tranſitum retardante conf. *Bartholinus* in *miſcell. curat*: De morte ſubitanea canis Islandicæ a polypis omnes totius corporis venas & arterias occupante *Eduardus Tyſon* egit, conf. *Bartholini act. Haffinienſ. a.* 1679. *obſ.* 79. Subito vero vita hominem privant *ſyncope*, *apoplexia*, *catarrhus ſuffocativus*. De ſyncope quemadmodum ſupra jam dictum §. 40. quod conſtituant præſagium polypi, ita & repentinæ mortis. Sicuti *Hippocrates* jam docuit *ſect.* 2. *aphor.* 41. *Qui ſæpe & vehementer, abſque manifeſtà cauſa, animo linquuntur, ex improviſo moriuntur. Malpighius diſſ. de polypo cordis* confirmat, in *cardiaca ſyncope*, cujus ſymptomata apoplexiæ ſimillima ſunt, de facili polypos in præcordiis & pulmonibus luxuriare. Ad *apoplexiam* quod attinet, de illa paſſim in auctoribus proſtant obſervationes. De polypo inſigni in carotidibus, qui in cerebri ſinus omnes ramos tránſmiſerat, cauſſa apoplexiæ, conf. *Wepferus tract. de apoplexia*: quas arterias etiam in apoplecticis grumo ſanguinis concreto repletas, inter alios *Crato* obſervavit. De polypis in feminæ, quinquaginta annorum apoplexia extinctæ, corde, arteria & vena pulmonali, ſinuque duræ matris longitudinali, vid. *Bonetus anat. pract. libr.* 1. *ſect.* 2. *obſ.* 38. §. 2. & in *additamentis obſ.* 10. *De apoplexia & catarrho ſuffocativo* mortuis *Jo. Georg. Greiſelius* notatu dignam commemorat obſervationem *in miſcell. N. C. a.* 1670. *obſ.* 74. *Quotquot*, inquit, *apoplexia aut catarrho ſuffocativo, quibus homo frequenter aut ſubito decedit, mortuos aperui, in omnibus corpora illa viſcida ac glutinoſa aut in cerebro, aut in corde deprehendi.* Polypi enim, præcipue ſi in ductibus hærent ramoſis, reditum ſanguinis per venas prohibent, unde, qui in illis ſubſiſtit, ſubito corpora ad ſuffocationem diſponit, teſte experimento *Loweri*, qui venas jugulares in cane ligavit, & poſt horas aliquot venas ſupra ligaturam tumefactás, & canem ſuffocatum invenit *D. Kirſtenius* referente *Georg. Segero* apud *Bartholinum cent.* 2. *epiſt.* 86. *catarrhos ſuffocativos* ideo oriri in-

ma, uti dicunt, in herba, de medio removendi ſint; eo magis, quum prognoſis eorum ſit fatalis, quemadmodum *Berger diſſert de polypis prædicere poſſumus polypoſis*, inquit, *quod vel ſubita ſuffocatione, aut ſuperveniente graviore ſanguinis per pulmones eruptione, vel ſuppuratione phthiſica, aut ſuccedente etiam tumore pedum œdematoſo atque hydrope neceſſario intereundum ſit.* Quum vero damnum hoc, ſi radices jam egit, nullo vinci poſſit medicamento; eo magis illud præcavendum eſt, niſi morbos chronicos, acutos, mortemque repentinam incurrere cupimus; nam ut *Williſius pharm. rational. part.* 1. *ſect.* 5. *c.* 3. *de cordis tremore* affirmat, *diagnoſis ejus, quum valde difficilis, ita curatio ejus non minus rara eſt.* Hinc *illuſtr. Hoffmannus medic. ſyſtem. ſect.* 1. *cap.* 17. §. 19. monet, cum nulla ope atque medicina tolli poſſint polypi, mature eorum præſcindi debere, quum teſte *Lanciſio libr.* de *aneuriſmatibus prop.* 38. *illud plerumque in præternaturali corporum conſtitutione ſolet accidere, ut vitium, quod ſimplex initio morbi fuerat, progreſſu temporis germinetur, & quod a ſolidis incepit, poſtmodum propagetur in fluida.*

§. XLVI.

Itaque cauſæ prædictæ, quæ ad polyporum generationem conferunt, quovis modo fugiendæ ſunt, motus ſolidorum in juſta temperie ſervandus, ſi excedat, antiſpaſmodicis figendus, ſi deficiat, roborantibus excitandus eſt, ne ſub inæquali ſolidorum motu partes debilitentur, motus inordinatos ſæpius repetant, ſtagnationes atque ſtaſes in partibus, ad quas ſanguis congeritur, fiant, parteſque ſolidiores ſanguinis ſecedant. In *plethoricis*, temperamenti præcipue ſi ſint *ſanguineo-melancholici*, præcavenda eſt nimia ſanguinis copia *venæ ſectione* juſta quantitate inſtituta *vere* & autumno, præſertim circa tempus *æquinoctiale*, *nam quibus venæ ſectio aut purgatio conducit* ſecundum *Hippocratis* effatum *ſect.* 6. *aphor.* 47. his *vere convenit venam ſecare, aut purgationem facere*, ne excedens ſanguinis copia elaterem vaſorum imminuat, obſtructionem ac motum in iis tardiorem efficiat, laſſitudines toti corpori inducat, quæ ſi ſpontaneæ ſunt, morbos denunciant, teſte *Hippocrate ſect.* 2. *aphor.* 5. Præſcribendum eſt *tenue vitæ genus*, eligendo ſimpliciſſimam medicinam inprimis credit, quia omnes illi, in quibus *polypos* obſervavit, *catarrho ſuffocativo* extincti ſunt.

§. XLV.

Perſpectis jam generatione polyporum, cauſis, effectibuſque, exponendum reſtat, quid in futurum uſum eliciendum ſit medico, & quomodo nobis præcavendum ſit ab infeſtis hoſpitibus, qui miſere variis modis ægros torquentes, ipſum lethum inferunt, atque opportune pri-

in-

inediam potum & motum, quibus multos convaluiſſe teſtatur *Hippocrates lib. de arte*, & de quibus fuſius egit *illuſtris Hoffmannus* in *opuſculis medico-practicis dec.* 1. *diſſert.* 7. Opera igitur danda, ut quanta & qualis oporteat, quotidie fiat additio eorum, quæ deficiunt, & ablatio eorum quæ excedunt; hiſce enim ſanitatem amiſſam recuperari, & præſentem conſervari, *Sanctorius* medicina *ſtatica aphor.* 1. tradit.

§. XLVII.

Sanguis *ſpiſſus* nimis ac *fibroſus*, qui in aquam calidam emiſſus *inſtar gelatinæ* concreſcit, & in *filamenta mucilaginoſa* fatiſcit, aut qui ſæpius e vena emittitur *inſtar materiæ albæ*, *pituitoſæ*, *glutinoſæ*, quam nonnulli *lac*, alii *pituitam*, *chylum* alii vocarunt, referentibus *Rhodio* & *Borello* in *obſervationibus*, reſolvendus tenuior ac fluidior reddendus eſt. Ad ſanguinem vero incidendum ac reſolvendum conducunt inprimis *ſalia mediæ & alcalinæ naturæ*, *ut* ſunt tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum, ſal digeſtivum ſylvii, aperitivum *Hoffmanni*, nitrum, oleum tartari p. d. terra foliata tartari, liquor nitri fixi; ex ſpirituoſis eſſentia pimpinellæ albæ, tinctura antimonii acris; ex fontibus, qui præter diluentem vim aperitivam quoque habent, acidulæ Egranæ, Sedlicenſes, præcipue vero thermæ Carolinæ, cujus ſal omnia emunctoria aperit, impuras ſordes evacuat, ſanguinem ſpiſſum reſolvit, attenuat atque diluit, vid. *illuſtr. Hoffmanni opuſcula medico-pract. dec.* 2. *diſſ.* 2. Non datur enim in toto medicamentorum apparatu, quod in ſanitate tuenda avertendiſque ac tollendis morbis *fontibus ſalubribus* æquiparari poſſit, quum activo & potenti principio gaudeant, & ex ſalium claſſe tutiſſima remedia conſtituant. Hinc laudatus vir med. ſyſtem. *tom.* 3. §. 19. ad præſervandam polyporum generationem commendat *aquarum mineralium uſum*, *præſertim earum*, *quæ temperatiores indole*, *& ſal alcali vehunt*, *ad diſſolvendas fibroſas ad concretionem pronas in ſanguine partes accommodatiſſimum.* Inprimis vero *med. conſ. tom.* 1. *ſect.* 2. *caſ.* 92. ſuadet *carolinas.* Porro ineatur recta victus ratio, non ex crudis craſſis ac duris cibis, nec gelatinoſis nimis largiter nutrientibus, ſed tenuioribus juſculis conſtans. Aer ut *Albinus diſſ. de polypis* §. 19. *p.* 17. monet, *eligatur ſerenus temperatus*, *purus*, *cibi aſſumantur euchymi & eupepti*, *vitentur crudi*, *craſſi*, *auſteri*, *ſale & fumo indurati*, *diæta ſit conveniens illi morbo*, *quo alias laborat æger*, *qui præterea jam ab experientia ſuo damno didicit*, *quæ noceant*, *quæ proſint*, *adeo ut ratione diætæ ſibi ipſis eſſe ſoleant medici.* Potus ſit naturæ conveniens bene fermentatus, fortior & ſpirituoſior exulet, eligatur aqua vel ſola, vel decoctum aliquod ex radicibus ſale blando aperitivo conſtantibus, ut rad. chinæ, ſcorzoneræ, ſarſaparillæ, cum cort. lign. ſaſſafras, aut ex pane toſto, cinnamomo cum corticibus citri; vel infuſa theiformia, quæ præter copioſum aqueum elementum maxime vim ſuam attenuantem & coaleſcentes moleculas disjungentem edunt, teſte *illuſtr.*

Hoffmanno med. ſyſtem t. 3. *ſect.* 2. *cap.* 4. §. 10. Alvus aperta tenenda, & ſi opus eſt, clyſteribus aut pilulis balſamicis ſolvenda, curandumque eſt, ut reliquæ ſe-& excretiones in corpore rite fiant, ne impurus ac turbidus ſanguis reddatur. Evitentur omnes aëris ſubitaneæ mutationes, frigus, exceſſiva acida ad coagulum, quod ſanguini inducunt (§. 22. 23.) ſpirituoſa ob divortium, quod cum ſanguine & chylo ineunt (§. 24.) vid. *illuſtr. Hoffmannus medic. ſyſt. t.* 1. *l.* 2. *cap.* 1. §. 25. animi affectus inprimis timor, mœror, terror. (§. 25.) denique motus ſomnus ac vigilia ſint moderata, monente *Bergero diſſert. de polypo cordis*, ut ſanguinis circulus ſemper æqualis conſervetur.

§. XLVIII.

Reſpiciendum ſemper eſt ad *hæmorrhoidum menſiumque fluxum*, ne quantitate excedat, ſed ut juſto tempore, ordine, ac ſufficienti quantitate fiat, & ſi opus eſt, *venæ ſectione*, *pilulis* & reliquis medicamentis *balſamicis* & *temperamentibus* promoveatur. In fluxu ſanguinis ſiſtendo ceſſent omnia incaute *adhibita adſtringentia*, ſanguiniſque fluxus *temperantibus*, & ſi neceſſitas jubet, *venæ ſectionis uſu* vel *derivatorio* vel *revulſorio* ſiſtatur, æquilibriumque motuum in ſolidis & fluidis reſtituatur medicamentis lenem virtutem *anodynam* habentibus, & *frictionibus* in partibus corporis inferioribus factis. In motibus febrilibus ſumma adhibenda providentia, ne in deterius malum ruat, ac via ad polypi generationem pandatur. Opera potius danda, ut tonicis ac aperitivis & evacuantibus, v. g. extractis amaris ex abſynthio, carduo benedicto, gentiana rubra, fumaria, rectoque, ſi opus eſt, corticis peruviani, caſcarillæ uſu, haud neglectis reliquis reſolventibus ac temperantibus medicamentis febris, ſiſtatur.

§. XLIX.

Inprimis vero caveant ſibi a polypis, qui *aſthmate flatulento & ſpaſmodico* ſæpius vexantur, *hypochondriaci*, & qui habitus ſpongioſi nimis venas exiliores gerentes, ob pleniorem paulo victum, otioſam & laboris expertem vitam, ſub cœlo inclementiori degentes, neglectam venæ ſectionem in diuturnas & obfirmatas incedunt ægritudines, & ad polyporum generationem proclives admodum ſunt, teſte *illuſtr. Hoffmanno in opuſculis medico-practicis dec.* 1. *diſſ.* 7. & *med ſyſtem. t.* 3. *ſect.* 1. *c.* 17. §. 29. Procera quoque corpora fugiant frigus, vitam ſedentariam, ſpirituoſa, ſanguinem ſub plena diæta elaboratum, plethoram, inſtituta circa anni mutationes *venæ ſectione*, ne ſanguis in *hyeme* craſſus & accumulatus ſubito expandatur, accedente aeris *verno* tempore elaſticitate majori, & ad pectoris regionem congeſtus, ſtagnet. Præcipue vero ſi valde

de æſtuant, ſitimque amplius perferre nequeunt, caveant ſibi, uti omnes quidem, *a frigido potu ſubito in corpus calidum* ingeſto, & *infuſo* potius *calido* ex herba vulgari (quam *bellidem minorem* dicunt) ejuſque foliis, nec non *quiete*, transſpirationem conſervent, motuſque compeſcant nimios, vel utantur acetario ex bellide, aceto oleo & pauxillo ſale parato, cujus laudes *Mindererus* valde prædicat, quando *medic. milit.* §. 18. *certam*, inquit, *fert opem & conſpicuam, veneror que immortalis Dei beneficium, qui mihi conceſſit bene multorum ſalutem tam vili medicina ſartam tectamque conſervare, & in periculum adductam recuperare. Viginti & pluribus annis medicinam tractanti nondum occurrit certius & jucundius auxilium & experimentum hoc ipſo, quod laudavi, modo celeriter fuerit allatum. Meretur hoc experimentum humani generis bono omnibus revelari, utque innoteſcat, cunctis urbium portis & templorum foribus inſcribi & affigi.*

§. L.

Si polypus cordi vel vaſis majoribus jam inexiſtit, vel reſolvendus vel præſcindendus eſt, ne majora capiat incrementa. In priori caſu polypum incipientem & pituitoſum reſolvi adhuc poſſe, ſpem aliquam promittunt *Bergerus diſſert. de polypis cordis*; & *Albinus*, qui diſſert. *de polypis ſi forſan*, inquit, *polypi delicatior textura, gelatinoſius vel pituitoſius fuerit, ſcabris aggrediendus eſt, & videndum, num iis ab eo aliquid abradi, totuſque tandem diſſolvi poſſit.* Ad quod præſtandum conducunt omnia *ſalia alcalina & duplicata*, quæ ſpiculis ſuis tenaces humores incidunt atque reſolvunt, *diæta tenuis*, potus *ſufficiens* ſanguinem diluens, præcipue ſupra laudatæ *thermæ Carolinæ.* Si vero in fibroſam & duram jam abierit ſubſtantiam, cavendum, ne præterlabentium ſimilium contiguitate incrementum capiat, & ſubito homines interficiat. Hinc ſanguis nimius præcaveatur, ſpiſſus diluatur, tenuiſque ſemper conſervetur, iis, quæ ſupra ex *foro chirurgico*, *pharmaceutico* & *diætetico* præſcripta ſunt. Fuge omnia ſpirituoſa, motus nimios, animi affectus, & quæ ſanguinem in coagulum redigunt, nimiſque agitando polypum e loco movent, & obſtruendo vaſa, ſtagnationem ſanguinis, ſyncopem, apoplexiam, catarrhum ſuffocativum & cum his affectibus repentinam inducunt mortem, ac tempeſtivo remediorum uſu *principiis* obſta.

T A N T U M.

TABULA DISPUTATIONUM
VOLUMINIS SECUNDI.

PARS SECUNDA
Ad Pectoris Morbos.

XLI.

TIBERII LAMBERGEN, *Lectio ſiſtens Ephemeridem perſanati carcinomatis* Groningæ 1754 Obiter ſua dubia aperit de vera utilitate rancidi illius olei piſcium, quod ſpermaceti dicitur, & uti nuperrimi ſcriptores confirmaverunt, unice balænæ defæcatus adeps eſt. Deinde diarium exhibet curationis in vero, & ab idoneis judicibus per ſua ſigna cognito, cancro mammæ feliciter peractæ. Belladonnæ infuſo uſus eſt, quod in proprio prius corpore, Geſneriano more, expertus erat: dedit autem ſcrupuli unius infuſum intra hebdomadam, in univerſum autem plantæ ſiccæ ſex drachmas exhibuit. Paulatim narcotica vis, nulla conſuetudine fracta, tanti mali vim ſuperavit, poſtque bonam ſuppurationem ulcera mammæ fideliter clauſit. *pag.* 1

XLII. LUDOVICI CLAUDII BOURDELIN & J. BAPTISTÆ BASSEVILLE Auctoris Theſis in hæc verba, *Ergo tuſſi puerorum clangoſæ vulgo* Coqueluche *Emeſis* Paris 1752. Novi morbi, qui circa a 1570. primum increbuit, aque Valeriola deſcriptus eſt, tum a. 1578 à BALLONIO, dat hiſtoriam, & a patre ſuo per multorum annorum experientiam confirmatam curationem, quæ fit per motum vomitum. 22

XLIII. J. HADRIANI SLEVOGT & J. SEBAST. BUCHELMANN *Rhonchus Infantis ex ulcerum parotidum intempeſtiva curatione, variis ſymptomatibus ſtipatus* Jenæ 1699 Morbum titulus declarat, curatio adjecta eſt. 33

XLIV & XLV. NICOLAI ROSEN & EBERHARDI *Fratris de Tuſſi* duæ diſputationes; Prior, qua pars *theoretica* continetur, prodiit Upſaliæ 1739 poſterior *practica* ibidem 1741. Boni ordinis, & ex obſervationibus in firmam brevitatem coactis nata diſputatio. Inter proprias, exſtat hiſtoria aſthmatis convulſivi ex farinoſo pulvine; phthiſeos ex faba in pulmonem illapſa: deinde tuſſes varias earumque cauſas & vera remedia recenſet 51. & 71.

XLVI. THEODORI FORBES Diſput. de *Tuſſi convulſiva* Edimburg 1745 Breviter & rectam curationem, quæ per emeſin fit, & minus tuta aut certa remedia proponit, quibus hunc morbum curare moliuntur, Saturnina, lichenem pyxidatum, medicamentum, quod cantharides recipit. 97

XLVII. GEORGII DANIEL COSCHWITZ & Auctoris JOHANNIS BUBBE *de ſpadone Hippocratico lapicidarum Seebergenſium Hæmoptyſin & Phthiſin pulmonalem, vulgo der Seeberger Steinbrecher Krankheit præcedente* Halæ Julii 1721. Ex magno nixu, exque potu frigido, naſcitur incolis dolor circa ſca-

ſcapulam ſiniſtram, thoracem, cubitum; pulſus ſub clavicula ſiniſtra circa ſecundam vertebram, titillatio ſecundum aſperam arteriam, anguſtia pectoris, conſtrictiones convulſivæ; inde tuſſis, cum qua ſenſim magis & magis ſanguis ejicitur, & demum funeſta phthiſis. Scordium & calida ſudorifera prodeſſe dicuntur. 111

XLVIII. ABRAHAMI VATER & J. OTTONIS ARNOLD *caſus ſingularis aſthmatis à depreſſione ſterni ex febre purpurata, cum orthopnæa affligente reportati ſola Thoracis artificiali conſtrictione curati* Vitteberg 1730. Præter ea, quæ titulo exprimuntur, nihil habet quod notes. 127

XLIX. J. HENRICI SCHULZE & CAROLI AUGUSTI SCHROTER Diſp. *ſiſtens ægrotum aſthmaticum uſu radicis ſcillæ ſublevatum* Halæ 1735. Aſthmaticus cachecticus, fruſtra motis ex hypotheſi hæmorrhoidibus, ſubito aliquoties ſcyllæ uſu levatus, tamen periit. Longam expoſitionem potueram omiſiſſe, niſi id conſilium cepiſſem, ut nullos niſi integros libellos ederem. 139

L. J. GERHARDI WAGNER *Obſervationes de febre quadam acuta in tractu Germaniæ mari Balthico vicino ac præſertim Lubecæ obſervata.* 2°. *de admirandis quibuſdam ſcillæ in pulvere exhibitæ virtutibus.* Ad P. GOTTLIEB WERLHOF Lubec 1737. Eximii Opuſculi etſi prior pars ad alium collectionis noſtræ tomum pertinet, ob ſcyllæ tamen laudes ad aſthma hic reliqui. Febris ex malignarum genere, quales paſſim bili tribuuntur, ex iracundia orta, aut certe iræ ſuperveniens, cumque iracundiori animo conjuncta, tenuis in principio, in funeſtam aucta, & hactenus miliaribus adfinis, cum aliqua per lotium criſi, aut per ſudorem, omnium calidorum remediorum, aut vehementium purgationum impatiens. Curatio leniſſima per ſales medios & temperantia.

Altera diſſertatio vim inſignem ſcyllæ in hydropico aſthmate nobilibus exemplis confirmat: iterumque in hydrope anaſarca, renum vitiis calculoſis, cordis palpitatione. Dedit autem vir. cl. id remedium ad ſeptem grana adque dimidium ſcrupulum, cum nitro miſtum.

Interponit alia ſcitu digniſſima, de vi argenti vivi, crudi, neque penitus depurati, anthelmintica, de prægrandi doſi octoginta granorum gummi guttæ abſque pernicie, & cum aliquo levamine, ab hydropica femina devorata. 167

LI. DANIELIS WILHELMI TRILLERI viri eruditiſſimi Diſp. *de Pleuritide æſtiva rarius occurrente* Witteberg. 16 Junii 1752 à FRIDERICO HENRICO KRIEGER defenſa, qui etiam auctoris jura ſibi in præfatione ſumit. Pleuritidis ſiccæ vehementis venæſectione iterata ſuperatæ exemplum adducit, fauſtum præſagium doloris ſcapularum confirmat; ſanguinem non coactum perniciem non attuliſſe obſervat, in gelidis regionibus, vel per incaute admiſſum frigus æſtivas pleuritides naſci poſſe per exempla oſtendit. 207

LII. ALEXANDRI CAMERARII & J. GEORGII SEEGERI auctoris, cujus anatomicam etiam diſputationem, uti merebatur, conſervavi, Exercit. *de pleuritide maligna, miliaribus critice ſoluta* Tubing. 1735 Tria exempla

felicis eventus ex paterna praxi producit, cum alioquin ejusmodi exanthemata pro funeſtis fere habeantur. De malignis tunc morbis in univerſum agit, deque febre miliari ſe in plurimos morbos miſcente: de malignitatis ſignis & effectibus, de fœtore peculiari, quem corpora ejuſmodi morbis adfecta ſpirant, de veſiculis miliaribus, earumque utiliſſima in plurimis morbis eruptione. Denique de curatione, quam imprimis alexipharmacis, camphora & diaſcordio molitur. 225

LIII. Gabriel Antonii Jacques & Cl. Thomæ Guilbert de Preval Theſis in hæc verba *Ergo Peripneumoniæ putridæ vomitoria* Paris 1752 Peripneumoniam inflammatoriam à maligna ſive puttida ſeparat, & in iſta quidem vomitum etiam repetito movere jubet. 242

LIV. Andreæ Eliæ Buchner & auctoris Adami Friderici Krausse Diſſ. *de Venæ Sectionis ſæpius in Peripneumonia repetitæ uſu eximio ſingulari caſu comprobato* Halæ 1753 Ad Illuſt. Cothenii curationem reſpexi, quam peripneumoniæ cum coacto ſanguine conjunctæ per repetitam, diaque ſeptimo iteratam, ſanguinis miſſionem feliciter adhibuit. 249

LV. J. Gerardi Wagner *de Hæmoptoes, imprimis vero habitualis, ſeu Phthiſicæ, expeditiori quadam atque efficaciori curatione* Diſſ. Lipſ. 1742 Fidam perque ſua experimenta confirmatam, curationem Hæmoptoes ſperare jubet, a conjuncto uſu vitrioli martis, pulverum abſorbentium & exigui momenti opii, vel ſolo, vel cum cortice peruviano conjuncto, quoties febris acceſſit. Eodem remedio etiam in aliis hæmorrhagiis feliciter uſus, exemplis ſibi fidem facit. Sed etiam cortice peruviano ſanguinis ſputa compreſſit, Mortonum ſecutus. 277

LVI. J. Hadr. Slevogt & Christo Granzin *vomicæ pulmonum & vicinarum glandularum læta & triſtia exempla* Jenæ 1708. 22. Dec. propoſita. Hiſtorias varias ejuſmodi malorum tradit, maximi ulceris pulmonis, duodecim puris libras continentis, tunica craſſa obducti, ex percuſſione nati, tum thymi & nigrarum circa bronchum glandularum ulcus: ruptam feliciter a cachinno vomicam, pulmonem, ut credit vir clar. in aquam limpidam reſolutum, aut certe, ut mihi quidem magis probabile videtur, compreſſum ab hydrope thoracis & inconſpicuum. 309

LVII. Justi Godofredi Gunzii & J. Henrici Schmid Diſſ. *qua derivationem puris ex pectore in bronchia ad Galenum de locis affect. L. V. c. 3. exponit* Lipſ. 29. Aug. 1738. Ad anatomen equidem pars magna laboris pertinet: pleuritidis tamen ſedem in ſuccingente membrana adſtruere conatur, eumque morbum a pulmonis inflammatione diſtinguit: pus ex pleura rupta demum in fine morbi, ex ea membrana jam rupta elabi, inde in pulmones ſorberi, aut venis receptum alio derivari, ad renes tamen per venam ſine pari non venire. 347

LVIII. Georgii Ern. Stahl & Christiani Feder *de Phthiſi* Diſſ. Halæ. 1704. ſingularis ſaporis, & cordate modeſta diſputatio, quæ artis impotentiam facilis adgnoſcit. Inter ſigna veræ phthiſeos recenſet tuſſim ab inſpira-

ra-

ratione profundiori exacerbatam. Inciſorum corporum pluſcula exempla refert, in quibus aut tubercula reperta ſunt, aut conſumptus pulmo. Urinam communiter diutius ſpumam ſervare notat. Prognoſin triſtem profert, levem nempe phthiſin difficilem, confirmatam curatu impoſſibilem eſſe. Rejicit balſamos, opiata, expectorantia, uti quidem vulgo vocantur, antihecticum poterii, laudat venæ ſectionem, nitri prudentem uſum: ad tuſſim compeſcendam hauſtum fumum antimonii. Lactis uſui parum tribuit. 369

LIX. Polycarpi Gottlieb Schacher *Programma quo inciſio Phthiſici continetur cadaveris* Lipſiæ 1730. Pulmoni deſtructo, ut ipſe vidi, aqua ſucceſſerat. Id viſcus in aquam diſſolutum fuiſſe vir doctiſſ. perſuadetur. Mihi potius videtur, ſub ſpecie membranæ craſſioris latuiſſe, ut in eo, quem vidi, caſu. 395

LX. Abrahami Vater & J. Ephraim Mutillet diſſ. *qua febris tertiana ob empyema e vomica pulmonis rupta in cavitatem pectoris dextram effuſum, indeque pulmonem ejuſdem lateris compreſſum, penituſque ab officio remotum, mortem poſt ſe relinquens exponitur* Witteberg 1731. Inciſio cadaveris fere, quæ in priori, oſtendit: Pancreatis vero ſcirrhus acceſſerat, quem in febrem intermittentem refert. De cauſis inde horum malorum, quæ in cadavere reperit, varia philoſophatur, cæcitatem aliaque graviſſima mala ex febre imprudenter ſuppreſſa nata refert. *Tab. III.* 403

LXI. Abrahami Vater & J. Christ. Friderici Rupp diſſert. *qua quid in judicio & prognoſi de morbis magnis ex parvis initiis & levioribus cauſſis oriundis obſervari debet exemplo viri antegreſſo lapſu in genua lenta febre extincti docetur* Witteberg 1744. Præter primariam hiſtoriam, quæ in titulo exprimitur, aliquos fiſtularum in anum & veſicam patentium funeſtos caſus refert. 421

LXII. Georgii Ernesti Stahlii *excuſatio reſpondens examini pulſuum celeris & frequentis eorumque conſtans diſtinctio quo demonſtratur quod argumenta adverſus illam iterum publico ſcripto prolata ſcopum non feriant* Halæ 1702. Hoffmanno oppoſitum ſingulare ſcriptum plurimum ad cognoſcendum cl. viri animum confert, quem, ut videtur, adverſarii obtrectatio ad aliquas proprias laudes deſcendere coegit. Pulſum celerem a frequenti credit diſtingui poſſe: celerem febri proprium, frequentem & in febre ſecundarium eſſe, & abſque febre adeſſe poſſe; a celeritate tamen frequentiam naſci ipſe oſtendit: motum inteſtinum ſanguinis a progreſſivo natum ſibi tribuit inventum &c. 435

LXIII. Burch. Dav. Mauchart & J. Rud. Camerarii diſput. *de Pulſu intermittente & crepitante* Tubing. 1748. habet hiſtoriam morbi & inciſionem hominis ab aneuryſmate aortæ cum audibili aortæ ſtrepitu peremti. Cauſas pulſus intermittentis enumerat. 479

LXIV. J. Georgii Beck diſſ. *hiſtoriam de viro palpitatione cordis & aſthmate violento mortuo, ejuſdemque viſcerum cultro anatomico nudatorum, mirabi-*

bilem ſtructuram exhibens Gieſſæ Dec. 1718. Poſt impactum os pectoris in gravi lapſu, plurima mala nata, accurate deſcribuntur. Cauſa in corde ampliſſimo reperta eſt, cujus dextræ caveæ polypum continebant. Aortæ principium oſſeam naturam contraxerat. Alias hiſtorias addit auctor, ſenſum doloris in hypochondriis, anorexiam, atrophiam ab hepatis nimia mole: duos funeſtos tumores ventriculi ex atramento epoto: polypum membranaceum aortæ: os in pleura natum. 499

LXV. CHRISTIANI GODOFREDI STENTZEL & GEORGII PHILIPPI SAUBER de *ſteatomatibus in principio aortæ repertis, & de cyſticis in genere excreſcentiis* diſp. Witteberg 1723. Poſt multas anxietates & palpitationes inciſum cadaver, præter polypum, aortæ dilatatam molem, inque ea duos tumores cyſticos, de ſteatomatum genere, tunicatos oſtendit. Multa porro cl. auctor de tumoribus tunicatis diſputat. *Tab. IV.* 527

LXVI. J. FRIDERICI CRELLII & reſp. GOTTFRIED SAMUEL REINHOLD *de arteria coronaria inſtar oſſis indurata, obſervatio* Witteberg 1740. Veram naturam flavi ſucci, qui ſenſim coactus denique in oſſis æmulam duritiem abit, inque intervalla tunicarum arterioſarum effuſus cogitur, omnino hic deſcriptam reperio. Refutavit membranarum in oſſa commutationem, rigorem fibrarum ſenilem. 563

LXVII. J. SALZMANN de *ſubitanea morte a ſanguine in pericardium effuſo* Reſp. J. GOERITZ Argentor. 1731. & ex aliis collecta exempla rupti cordis proponit, & proprium. 583

LXVIII. SIMONIS PAULI HILSCHER & auctoris CASIMIRI CHRISTOPHORI SCHMIEDEL diſſert. de *exulceratione pericardii & cordis exemplo illuſtrata* Jenæ 1742. Expoſitionem ad Hambergeri modum adjectam, nolui reſcindere, ne auctoris laborem truncaſſe viderer. 607

LXIX. CAROLI FRIDERICI KALTSCHMIED progr. de *variis præternaturalibus in cadavere inventis* Jenæ 1751. imprimis de aneuryſmatibus veris variarum arteriarum. *Tab. V.* 623

LXX. GEORG. GOETZ *de polypoſis concretionibus variorum in pectore morborum cauſis* Altd. 1726. Diſſectionem tradit propriæ matris duplici pleuritide extinctæ, cum adnatis pulmonibus, & utriuſque thalami cordis polypis. Deinde in cauſas mali inquirit, frigus contractum, potus ſpirituoſos (etiam exemplo adducto) & reliqua ſymptomata ad ſuas cauſas refert. *T. VI.* 625

LXXI. POLYCARPI GOTTLIEB SCHACHER progr. de *Polypis* Lipſ. 1721. Veros polypos laminatos contra Kerkringium defendit, exempla recenſet, tum ſanguinis per urinam egeſti coagula, polyporum ſimilia. 655

LXXII. PHILIPPI ADOLPHI BOEHMER præſide FRIDERICO HOFFMANNO propoſita diſp. de *præcavenda polyporum generatione* Halæ 1736. Polypos varios deſcribit, intus cavos & pituita plenos, etiam inflammabiles. Uti concrementa fibræque fiant, quæ ex ſanguine naſcantur, per experimenta inquirit; cauſas polypi recenſet, terrorem, frigus, acidam diætam, luem veneream, morbos pulmonis acutos & diuturnos, venena aliqua: deinde effectus enarrat, pulſus inæquales, intermittentes, aſthma &c. 659

FINIS TOMI SECUNDI.